6
4-E
22

6
3 L
13

6-4-E. 22.

CAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII, ET APVD RHÆTOS LEGATI
CORONÆ.

Opus quod nunc primùm in lucem editur diſtinctum X. libris; quibus res omnis coronaria è priſcorum eruta & collecta monumentis continetur.



BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

PARISIIS,
E' Typographia PETRI CHEVALERII,
in monte diui Hilarij.

M. DC. X

CVM PRIVILEGIO REGIS.

HENRICO QVARTO
Francorum Nauarræque Regi Chriſtianiſſimo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

DOMINE, coronas quas operosè collectas digeſſi, &, ſi dixiſſe fas eſt, illuſtraui, venerabundus offero maieſtati tuæ, munus, ſi vna cenſetur ſcriptione mea ſanè pertenue, ſi animo magnum, ſi rei dignitate lectiſſimum. Nempe ex hac ipſa coronaria ſupellectile tua inclyta virtus, & fauor ſummi numinis, & hominum conſenſus tibi ſuper hæreditaria diademata nexuerunt iſtam, quam capite geſtas, coronam immortalitatis. Quo tu fulgentiſſimo inſigni, tanquam ſalutari quodam ſydere conſpicuus, caliginem ſuperioris ætatis feliciter diſpuliſti. Hinc iſta orbi Gallico circumfuſa ſerenitas; hinc priſtina decora vbique reuireſcunt; hinc eſt quod vndequaque ſęculum aureſcit.

Huius tantæ coronæ tuæ ſi eſt vt omnes hæ meæ ſpecimen eſſe poſſint, atque adeò ſi has quoque admiſeris tanquam túas, nę illis omnis pulchritudinis, omnis decoris ac ſplendoris cumulus acceſſerit. At mihi, Domine, abundè futurum eſt, ſi vel ex hoc quoqùe genere obſequij tibi fuerit exploratum, qua alacritate ſeruiam nomini, laudibus, æternitati tuæ. Voti mei ſumma hæc eſt, vt tibi, ſumme regum, perpetuæ & indiuiduæ comites eſſe pergant hinc iſta virtus inuicta, hinc iſta felicitas illæſa. Dat. Curiæ Rhætorum anno M. D. CX.

CAROLVS PASCHALIVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Lectori meo S.

Rem coronariam generi mortalium tantùm non coætaneam nulla vetuſtate oblimari potuiſſe conſtat. Negotium omnium lautiſſimum pulchrè intelligimus eſſe conſecratum æternitati. Non ęodem genio fuiſſe literis commendatum ſcire licet ex iis titulis, quorum nullus non eſt ſuperſtes libro ſuo. De hoc genere ſunt Philonides, Apollodorus, Mneſtheus, Callimachus, ſcriptores coronarij omnes aboliti; præter quidem Hieronymi coronam auream, & Abronem enarratorem Calliæ, cuius claruit liber de diebus feſtis & ſacrificiis, materia huic noſtræ conſanguinea. Pari ruina proſtrati iacent Euphemus ſcriptor τῶν στεφανηπλόκων, & Eubulus autor Stephanopolidos, tum Aelius Aſclepiades, cuius memoratur opus de coronis; denique Claudius Saturninus, cuius cura nihil abſolutius fuiſſe puto. Non ſtaturam Herculis planta heroici pedis veriùs demonſtrauit quàm Tertulliani opuſculum ſcriptionis illius nonnulla ſanè lectiſſima, & illa ſcriptio rem coronariam. Non iſtis annumero Pindarum, qui non ex profeſſo ſcripſit de coronis, etſi illa Δαφνηφορικὰ, planéque gemmei,

qui manibus terũtur, hymni ac pæanes eſt argumentum coronis refertiſſimum. Quòd ſi multiplex illud & pretioſum depoſitum hodiéque ſoſpes eſſet, nos verò ad rei tantæ celebritatem erecti non neſciremus vltimam coronæ ſtirpem, natales, cunabula, quibuſque proceſſibus è re tantula euecta fuerit in tãtam excelſitatem. Quid ita nunc texta ſit eminentior, nunc depreſſior, interdum folioſior & compactior, alicubi laxior ac tenuior, illic leuior hîc ponderoſior. Cur è flore, fronde, herba, lana, lino, metallis, gemmis, aliiſque. Cur capite & ceruice, cur pectore, cur interdum manu geſtata. Sæpè quemque noſtrûm iuuaret legere hunc aut illum florem, non ea re tantùm quòd eſt & pulcher & odoratus, ſed quòd fuit huius aut illius coronæ inſigne præcipuum. Hos ipſos omnigenos lectiſſimoſque flores, tum quicquid è corona promicat proprio nomine notare nullum eſſet negotium. Planè in iis coronis quas antiquitas nectebat, ridentem illam colorum gratiam, multarum pulchritudinum illecebras, venuſtatem venuſtati æmulam, Arabios, & Myrrhinos odores de ſuauitate, aurum cum gemmis de maieſtate, ipſas inter ſe gemmas de nobilitate certantes aduerteremus. Quibus eſt altior intellectus talia penitiùs cognoſcerent. Oculus eruditior hæc ipſa veris pretiis æſtimaret. Sæpè coronæ conuiuiales, ſi hodiéq; vſurparentur, vel grauiſſimo cuique ſeueritatem excuterent. Sæpè ipſos illepidos lepidarum corollarum leniret interuentus. Prorſus nullam vitæ partem corona-

riæ fauſtitatis expertem fuiſſe apud illos eſſet in confeſſo, quorum animis eius dulcedines idemtidem recurſarent. Certè corona multis blanditiis natales excipiebat, pueritiæ arridebat, adoleſcentiam hilarabat, amores conciliabat, nuptias fortunabat, lætis rerum incrementis fautrix aderat; ac ne iis quidem qui ſupremum diem expleſſent, vt miſeriarum victoribus, non gratabunda & ſuprema comes ibat. Priſcum ſacrorum ritum iidem illi priſca coronarum caſtitate & ſimplicitate cenſerent, & quidem vtraque amabili, certè neutra luxu temerata. In ſacrificali ſæquentium ſæculorum paratu multæ ſertorum opulentitati additam magnificentiam ſuſpicerent. Iam verò ipſas virtutes è ſuis coronis diuinum ſplendorem eiectantes multa admiratione, multiſque laudibus proſequerentur. Et hîc quidem ſuæ rei ſummam agi laudatiſſimus quiſq; præſe ferret. Quippe vetus eſt verbum, Aut poni coronam oportere, aut ei fautum velle. Coronata virtus ſigni ſat erat, neminem, qui modò eam intra pectus receperit, incoronatum dimitti. Ergo à coronis vel repugnantes raperemur ad ſuauiſſimos amplexus virtutum. Ipſi ſummi vates, illi item omnes quibus fuit vox vltra mortale ſonans, Apollini Muſiſque ſacer chorus, ad famæ perennitatem aſpicerentur nonniſi ope coronarum niti. Animi paulò erectiores etiam exaggerarentur ad conſpectum coronatæ ſtrenuitatis in curſu, lucta, pugilatu, pentathlo, pancratio. Enimuero per hæc animorum, corporumque creberrima & celeberrima

exercitamenta patens fuit rectumque ad coronam iter. Inde & auribus & animis auidiſſimis exciperent illa coronaria capitis decora, quæ fuerunt ampliſſima militaris virtutis teſtimonia, clariſſima veræ victoriæ præconia, æterna imperatoriæ felicitatis inſignia. Poſtremò ipſi mortalium ſummi è notitia ſui diadematis, è ſolo aſpectu texti tam diuitis tamque auguſti ea documenta promerent, quorum ope & ſui ſuſpectus, & ſummi culminis veneratio vniuerſis ingenerari poſſet. Summa res, ſummæque rei pulcherrima cognitio ſuo apud omnes, hoc eſt, ſummo loco eſſet. Suimet ſuppuderet illos qui dementer credunt hoc argumentum eſſe Græculum negotium, & meditamentum futile. ô teſtem deformis ignauiæ flebilem imperitiam! vtinam abſterſa lippitudine, ne dicam infelici hodierna cæcitate intelligi daretur quantum hîc quoque priſca ſæcula noſtris antiſtent. Et quidem olim tanti præmij præſumpta ſpes vel frigidiſsimum quemque è latebris ad fortia proliciebat; virtutem exercitam ſpectatamque adepti gloria in rerum faſtigio locabat. At hodie, extenuato hoc tanto decore, ipſa quoque virtus ſi non omnino ſterileſcit, at certè quodammodo relangueſcit. Sed ſatis querelæ ad quam ipſam vna me impulit admiratio illius ætatis, ad cuius mores ſi noſtri formarentur, nuſquam pro virtute eſſet inertiæ locus. Cæterùm illa veterum monumentorum amiſsio ex aliqua parte penſari potuit, ſiquis huius materiæ naufragas, quæ literarum innatãt Oceano, tabulas recollegiſſet, indéque

rem om-

rem omnem ſic quaſi nouam reconcinnaſſet. Sed; quod mirere ſimul ac doleas, res clariſſimæ nobilitatis in priſcis monumentis fruſtatim diſperſa nullius cura collecta, nuſquam, quod ego ſciam, tota apparuit. Quinimo nulla ex omnibus vſque adhuc manſit incultior, inordinatior, neglectior. Quæ vbique eſt nuſquam eſt Paucis id fuit penſi, quorum pariter ſi non ſegnis, at certè tenuis eſt in re non tenui labor. Poterant illi tamen quorum ingeniis & eruditioni omnia ſunt prona, hîc quoque abdita recludere, difficultates euadere, amœnitates peragrare. Id quod non eſſe factum, me præter multos non ſolùm dolenter, ſed prope dixerim impatienter tuliſſe fateor. Hinc illa quæ me primùm inceſſit cupido rem introſpiciendi, diſſipatam colligendi, & ſiquid in ea abſoletum eſt, enouandi. Audax, fateor, cœptum, & prorſus maioris animi quàm conſilij. Nĕpe pauculas paginas exaraueram, cùm è propiore intuitu, è remotiori proſpectu, ex omni circumſpectu compertum habui quantum rerum latentium hîc ſit eruderandum, quàm multa diſiecta redigenda, quàm multa imperſpicua illuminanda. Senſi mihi fucum eſſe factum à materiæ pulchritudine, quæ temporaria diſſimulatione ſuæ difficultatis me quidem plurimis difficultatibus circumuenit. Ne multa, ſatis ſciui hoc eſſe nobile facinus heroicæ fortitudinis, non infirmum conatum tenuitatis meæ. Quid facerem? ſi recederem è pœnitentia rubor, ſi pergerem ex audacia periculum erat. Denique impendio minus minuſque mirari cœpi ſi huius mate-

riæ dignitas à plerìſque ne intellecta quidem, ab omnibus velut conſenſu vitata fuit, vacillanti ſpes adſtitit. Hæc donec perſuaſit, ſuadere non deſtitit vt quæ cupidè inchoaueram ac titubanter perſequebar, obirem perſeueranter. Colligo ipſe me; ipſaque difficultate iam prope factus animoſior meas qualeſcunque vindemiolas, elementa huius operis, huc confero. Omnibus quoad licet, veſtigiis rem, quæ ſeſe latius in dies aperiebat, explorare non remitto. Vulgaria, & notiora vt vbique, hîc quoque turmatim, quæſitiora ſeſe minutatim offerunt. Vtraque denique digero, conglutino, concinno. Neutra, ſcilicet, omitti debuerunt, cùm hæc commendet raritas, illa obtrudat neceſsitas, ſine his quicquid hîc operæ ponitur, vileſcat; ſine illis cœptum opus contexi non poſsit. Vt ne addam, ſic fieri, vt illa ad quæ nonnulli nauſeant ſicuti ad protrita, neſcientibus nec faſtidientibus monſtrentur, reconditiorum ſcientes moneantur. Antiquitate duce, ſedulitate comite, diu & conſtanter eo hanc viam non Herculeè cuiuis peruiam, certè ingredienti aſperam, ſpinoſam, & ſenticoſam. Tandem aduerto me non quidem eius arduam euaſiſſe, ſed eò perueniſſe vnde hoc ipſum audentibus ſignum ſuſtuliſſe videor. Hos dico frequentes muſarum cultores, quibus eſt in manu hæc mea, digeſta veriùs quàm abſoluta, ad vmbilicum adducere. Vt vt eſt, in hiſce vitreis erit aliquod ſpecimen illorum margaritorum, quorum micas hîc exhibeo nullam non quantiuis pretii. Si hos theſauros non refero, ſaltem ſigno, & veſtigan-

tibus commonſtro. Omnes veluti manu prenſos in plurima huius inquiſitionis veſtigia induco; & quidem nullo circumductu, ſed rectà, &, quod dici ſolet, ἄνευ σκηνῆς καὶ τραγῳδίας. Et ſi non deerat materiæ pompa, ſi argumentum vbique πραγματικὸν vbique πολυμνήμον ambitioſis exceſſibus extendi fas eſſet. Nec etiam iſta ſunt huiuſmodi vt poſſint ἀνθηρογραφεῖσθαι crebris interſtincta & coërcita priſcorum teſtimonijs, quæ nihil laſciuiens nihil admittunt inductum ac deuium. Hæc ipſa ita edo tanquam priſca & aliena, vt iure facta ſint mea, imò vniuerſorum quibus coronas delineaui, nempe coloribus priſcis penicillo meo. Hæc de re, ac de me, meaque cura. Tu lector, ſiquid humanitatem colis, æquus ades. Neque in hac ſcriptione quàm multa peccarim, aut quid non ſim aſſequutus, ſed quantum tua cauſa & voluerim ac tentarim, diſpice. Nam illos ipſe quidem nihil moror qui vix vnquam promendo ſua, ſed vſque cauillando aliena ſibi laudem quærunt. Vale.

HVIVS OPERIS ARGVMENTVM HOC QVALICVNQVE CARMINE ID egi vt complecterer.

VT nihil in rebus perfectius eſſe coronæ
Cōſtat, ſic vox hæc voces ſupereminet omnes
Eximio cultu, magnoque ac diuite cenſu.
Præmia virtutis nā cōtinet omnia. Quicquid
Orbis in hoc vaſto complexu optabile, ſummum,
Et conſummatum miramur, id omne vetuſtas
Eſſe coronatum iuſſit, dicique coronam.
Scilicet iſta meæ ſunt incunabula curæ.
Inde meo ductu monſtratur forma coronæ
Tractibus aëriis, cœlique meatibus ipſis,
Oceano, terris, prope cunctis indita rebus.
Hîc natura ſuas; at in hortis Flora coronas
Nectit, odoratas dum miſcet floribus herbas,
Purpureos flores aliis & floribus addit.
Nexile ridet opus, ridet miſtura colorum.
Agnoſcunt proprios ibi ſingula numina flores.
Suauibus & variis mulcentur odoribus auræ.
Quæ ſit origo rei, quales grandeſcat ad auctus
Expediam, monitrix modò tu mihi Muſa præito.
Regnat apud menſas hederata fronte Lyæus
Vitigeni, fateor, laticis monſtrator, at idem
Callidus incauti conuiuæ captor, & huius

Deriſor capti, vinctique caputque pedeſque.
Vt patuêre doli cœpit ſibi quiſque cauere,
Id metuens laqueis ne ſeſe nodet Iacchi.
Impiger atque caput ſubito munimine cinxit
Tænia quæ Graïs, quæ faſcia vittaque noſtris.
Hæc ſunt, nimirum, redimicula lanea, ſæpe
Linea, nonnunquam frondoſa ex arbore ſumpta.
Nexus vt acceſſit flos vinclis, ſerta fuerunt.
Diſpoſiti flores quà ſeptum circulus ambit,
Vt preſſêre caput, dici cœpêre coronæ.
Duplex nomen idem nullo diſcrimine ſignat.
Flore coronatos metus ille reliquit, & Io
Bacche, canunt, tua nunc celebrabimus Orgia tuti.
Nec mora, conduplicant infuſo pocula vino,
Seque vident iterum temeti dulcedine captos.
Tunc ioca, tum riſus, cantus, menſæque lepores
Nonnihil auxerunt nomenque decuſque coronæ,
Atria conuiuis eſſent cùm mollia prata,
Glandiferæ quercus, redimiti floribus horti,
Veſtitu virides ripæ, muſcoſaque ſaxa
Tunc ſibi quiſque dedit quam nexuit ipſe coronam.
Poſtea contuſis cœperunt floribus vngi;
Sæpeque ſiccauit madidos roſa plexa capillos.
Intulit & nouitas epulis quàm plurima ſerta.
Sciti nempe manu pueri, nitideque puellę:
Hęc data conuiuis lepidiſſima munera menſę.
Chloridos & Glyceræ ſociatis artibus aucta.
Tunc cœptum quęri, qui flos ſpumantis Iacchi
Fortiùs infringat natiuo frigore vires;
Quæ ſit odorato nondum perſpecta facultas;

Quid cuiuſque color, quid ſignet gratia, qui ſint
Diſcordes, & qui coëant in ſœdera flores;
An certent vernis æſtiuo ſydere nati;
Serus & Autumni quantum flos præſtet hyberno.
Pluribus inter ſe conuiuæ talia læti
Dum tractant pateris indunt floralia dona.
Inde canunt ſcolion quo traditur ordine myrtus;
Vina Diis libant, & inumbrant ora coronis.
Florea tunc ceruix cum pectore vincula ſenſit.
Tunc pennatus Amor volitans conuiuia circùm
Diſſoluit fluidas dextra petulante coronas.
Non reticere libet dulciſſima munera amantum
Serta manu Veneris modò lecta in Adonidis hortis;
Non in adorato ſuspenſas poſte coronas;
Non vt ſponſorum caſtos accendit amores
Comus, floralem dum nectit vtrique coronam;
Non quæcunque iubet conspergi flore Cupido.
Has voco lætitiæ, conuiuarumque coronas.
Tranſiit à menſis decus hoc ad culmina rerum.
Publica ſi res eſt, ſi fortè domeſtica cuique
Lætior, & magnis ſucceſſibus auctior, illa
Pulchrior eſt oculis, animis eſt gratior, hîc ſunt
Omnia, ſi feſta fuerit redimita corona,
Vndique lætificæ conſurgunt frondis honores.
Ramulus hinc demptus quoties curuatur in orbem,
Nomine mutato, mox eſt è fronde corona
Quæ caput vmbratum Dîs immortalibus æquat.
Fronde ſibi placita redimitur quiſque Deorum,
Relligioque viret ſertis, ſertataque ſacra
Nonniſi contingit ſertatus & ipſe ſacerdos.

Serta docent quantum cœleſtia numina poſſint.
Cui datur extremam vitæ contingere metam,
Vt victor ſtadij, tum denique re bene geſta
Effertur caput euinctus victrice corona.
Nulla coronatur proprio non ſtemmate virtus,
Quod cuiuſque probat quàm ſit venerabile numen.
Eſt etenim virtus homini præſens Deus. Huius
O vtinam poſſimus opes faciemque videre.
Quiſque voluptatis fugitet commercia; quiſque
Vilia curarum deponat, & agmine facto
Strenuus aſcendat quà ducit in ardua virtus;
In ſummo capiat decus immortale coronam.
Ecce triumphatrix radiat facundia ſertis,
Flore, hedera, lauru, tum Palladis arbore læta.
Hoc Nymphæ, Charites, Heliconiadeſque ſorores,
Diuarumque chorus ſectator gaudet honore.
Quæ lux eſt homini, quæ lex eſt vnica vitæ
Decernunt Sophiæ populuſque patreſque coronam;
Munus verborum multo cumulatur honore..
Curſor, luctator, quinquertio, pancratiaſtes,
Et pugil Herculeos ineunt virtutis agonas
Vnius intuitu laudis, viridiſque coronæ.
Serta viro forti pulcherrima præmia pono,
Pectora quę multis acuent virtutis amore.
Hinc ſeſe miles, dux & victoria cenſent.
Ex auro ſummis hominum diademata necto,
In quibus igneſcunt tremulo fulgore lapilli.
Quæ res in terris eſt auguſtiſſima rerum,
Regis in auguſto ſi regnat pectore virtus.
Priſcorum regum rectos tumidoſque tiaras,

Cornua diuinum capitis decus, omnia ſummæ
Signa poteſtatis caput illuſtrantia, regi
Quę manus imponat ſacrum diadema retexo.
Adde Coroniden quędam ſociata coronis
Sparſa per innumeras iam plurima ſæcula chartas,
Nempe vetuſtatis tantùm non preſſa ruinis
Nomine vulgato, re paucis cognita ſerta,
Nullius ante meum quęſita & lecta labore
Sicut vere nouo ſi ſunt rediuiua, vigentque
Si fato meliore virent inſignia veſtra
Cęlicolę, vobis ſi ſunt mea munera cordi
Pierides, veſtros ſi cenſeor inter alumnos,
Obſecro liuorem procul hinc aſpellite diram,
Inſenſúmque mihi. Date mox vt numine veſtro
Tutus Apollinea pręcingar tempora fronde.

CAROLI PASCHALII

REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

CORONARVM LIBER PRIMVS

Qui eſt de ſignificatibus huius vocis Corona, & de Coronarum origine.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

CAPVT PRIMVM.

Coronam definio. Notatio huius vocis. Coronæ excellentia. Hoc nomine ſignatur ſummum præmium, atque adeò ipſa felicitas, tum illa omnia per quæ itur ad iſta. Ἀποδύσαι καὶ ῥίπτειν τὸν στέφανον, *proijcere coronam quid ſit. Coronæ alij ſignificatus.*

CORONA eſt circulare capitis geſtamen non arcendæ iniuriæ, ſed ea re inuentum vt ſit luculentum inſigne lætitiæ, pietatis, morum optimorum, ingenij & doctrinæ, virtutis ac ſtrenuitatis, victoriæ & felicitatis, denique ſummi inter homines faſtigij. Non pauciora, non plura vſque adhuc reperi genera coronarum. Huic definitioni ineſt diſpoſitio & partitio totius curæ meæ. Vtraque mihi per incomperta vadenti veluti fax præibit; vtraque multos anfractus luſtrantem idemtidem reducet in viam. Sed priuſquam rem aggredior, huius vocis originem, rem agitatam veriùs quàm perſpectam veſtigare, nonnullum operæ pretium duco. Quidam nec indocti nec incelebres homines coronam à cornu dictam volunt, nec verè (parcant mihi ipſorum manes) ac ne argutè quidem. Eâdem cuilibet, quamuis nulla probabili cauſa, libeat comminiſci cornu dici à

corona, non hanc ab illo. Sed enim in ſacris libris cornu pro rege
poſitum aiunt; tum ſimilitudine quadam inter ſe conuenire cornu,
radium, coronam. Hæc vt vera ſint, non ideo peruicerint, coronam,
etiam cùm eſt inſigne ſiue nota regij capitis, dici à cornu; haud ſanè
magis quàm cornu à corona, aut hanc à corde, corpore, cortice,
cortina, & ſimilibus. Hoc non eſt enodare origines nominum, ſed
ſuperuacuam ſubtilitatem conferre in commẽtitia. Nihilo minores
Feſt. Corona — nugas Feſtus agit, cùm ait, videri coronam dici à choro; cum χορὸς
Plato. lib. 2. de leg. — dicatur ἀπὸ τῆς χαρᾶς à gaudio, vtrique dictioni adhibita aſpirationis
nota. Sed vt Feſtus nugas nugis cumulet, addit, ſic dici coronam
quòd cohonoret eum cui imponitur. Pari licentia Appion ille apud
Athen. lib. 5. — Athenæum ait, coronam olim choronon dictam, quòd ea ſaltatores
χορευταὶ in theatris vterentur impoſita capiti. Quo errore implicatur
Iſidor. lib. 19. cap. 30. — Iſidorus, cùm ait eam ſic dici quòd initio circùm aras curreretur,
atque ad imaginem circuitus vel chori formata eſſet. Aliquid veri-
ſimilius vterque dixiſſet, ſi coronam deriuaſſet ab illa eadem voce
χορὸς quà ſignat κύκλον καὶ στέφανον, circulum & coronam. Sed vt illud
Cic. in oratore. — prius abſurdum, ita hoc poſterius falſum eſſe docet orthographia,
quæ vetat ſcribi chorona, vt diſertim monet M. Tullius. Iſtis ine-
Plutar. probl. conu. 8. — ptiarum locutoribus, quamlibet inuitis, aggrego Plutarchum, vbi
fratrem ſuum facit admirantem proprietates quarũdam dictionum
Romanarum; Aitque quæ Græcis eſt στέφανος, Romanis eſſe coro-
nam, dicique ἀπὸ τῆς κεφαλῆς. Quid? vt ego vnquam fatear coronam
dici à capite? Quid eſt nugari, ſi hoc non eſt? Hem, in quibus teritur
acumen. Nos veritate ac ſimplicitate duce, nulla, inquam, circui-
tione agnoſcamus, coronæ vocabulum deriuari à Græcis dictioni-
bus κορωνὶς & κορώνη. Hoc docet ſimilitudo nominum, hoc concurſus
ſignificatuum. Et verò Grammatici tradunt κορώνην eſſe ſummita-
Euſtath. Odyſſ. ο'. — tem arcus, hoc eſt, ſphæricum illud & rotundum in eo, ſiue eſt ſe-
micirculus, ſiue curuamen. Quandoque illud quo iugum conſum-
Xenoph. lib. de venat. — matur. Nonnunquam eſſe eum ſiue circulum, ſiue annulum qui eſt
in eo retis genere cui nomen ποδάγρα, ſiue ποδοστράβη. Hunc ſcilicet,
Pollux lib. 5. cap 3. — quòd ea forma, hoc eſt, rotundus eſt, vocant στεφάνην. Frequentiſſimè
Suid. κορώνη. — ſignat quemcunque finem, ſeu quamlibet conſummationem. Quo
Plutarch. εἰ πρεσβ. πολιτ. — ſenſu dicimus κορωνὶς τοῦ βίου. Hoc exẽplo Protheus ille qui apud Lucia-
num per ignem petiit gloriam, dicit ſe aureæ vitæ aureã coronidem
Lucia. de Pereg. — imponere. Quam vocem noſtris complacitam video Ouidius.

Ouid. lib. 15. Met.

> *Unde coronidem circumflua Tybridis alti*
> *Inſula Romuleæ ſacris adiecerit vrbis.*

Solonis verſ. apud Stob. di 7. — Hoc ipſum docet hæc loquendi forma, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ſiue ἐκ νεάτου μέχρι
Tyr. Max. λόγ. ιε'. — τῆς κορωνίδος, hoc eſt ἐπὶ τὴν κορυφὴν à principio ad finem, ex infimo ad
ſummum, à carceribus ad calcem, à deſtinatis ad perfecta, ἐξ ὀνύχων

ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, ex vnguibus ad caput, ἐκ τῶν βραχυτάτων ἄχρι τῶν τελειοτάτων, à breuiſſimis ad perfectiſſima. Κορωνὶς quoque ſignat faſtigium ædificij,& per metaphoram κορωνὶς τῆς σοφίας καὶ ἀκρότης eſt conſummatio & plenitudo ſapientię. Porrò cùm vtraque vox rectè aptetur ſignando curuamini, apici, faſtigio, ſummitati, fini, vt nihil vtriſque eſt nomine ſimilius, ita quoque nihil eſt ſignificatu conuenientius quàm corona,quæ & ipſa ſignat abſolutionem,conſummationem, perfectionem; atque adeò euinciendo capiti deſtinatur, quæ non ſolùm eſt eminentiſſima, ſed & abſolutiſſima pars totius humanæ compaginis. Ne multa, corona ea eſt, vltra cuius excellentiam mortalium vota non extenduntur. Et verò Ariſtotelis de felicitate dictum, quòd ea ſit præmium, finiſque virtutis, coronæ planè conuenit. Hæc illa eſt quæ propria quadam prærogatiua eminet inter eminentia. Præmium eſt meta laboris. At ſummum omnium præmiorum conſtat eſſe, vt infra dicam, coronas. Itaque iure optimo populus Athenienſis apud Ariſtophanem Cleonti exprobrans ſummam ſuam erga ipſum benignitatem, coronas exprobrat. Ob Græciam ſeruituti ereptam, libertati redditam Phocioni nihil quicquam præter coronas publico decreto datum,quòd in his omnia. Et verò apud Platonem ἀναδεῖσθαι coronari,ſeu redimiri, eſt præmiis donari. Ac Demoſthenes vnico coronæ decreto ſibi abundè redditam gratiam teſtatur.Idem alibi docet quanti faciat coronam, cùm veluti indignabundus ait, Hos laudabitis & honeſtabitis, & coronabitis, At me non? Inter præcipua bona, quorum apud Lucianum ſe Plutus authorem profitetur, nempe τιμὴν, καὶ προεδρείαν, honorem, primum locum, ſiue prærogatiuam ſedendi, conſtituit ςέφανον coronam. Hinc eſt quòd coronare quandoque eſt remunerare, & corona remuneratio; vt apud Philoſtratum,vbi loquitur de viris probis quos Deus coronat οὐ χρυσοῖς στεφάνοις, ἀλλ᾽ ἀγαθοῖς πᾶσιν, non aureis coronis,ſed omni genere bonorum.Simili modo loquitur de Deo Euphantes, cùm dicit eum οὐδὲ στεφανοῦν ἢ ἀναγορεύειν τοὺς πειθομένους, ἢ ἀτιμάζειν τοὺς ἀπειθοῦντας, neque coronare, aut renunciare [præconio] obedientes, id eſt non remunerare eos, aut aſpernari inobedientes. Ergo apud Plutarchum ἀποθέσθαι τὸν στέφανον abiicere coronam eſt renuntiare vitæ actuoſæ, iiſque laboribus & conatibus quibus pręmia debentur,&abdere ſe in otium. Quomodo ῥίπτειν ſiue ἀπορρίπτειν τὸν στέφανον proiicere coronam, eſt peccare leuitate & inconſtantia,nec perdurare vſque ad victoriam paratam,ac propeiam partam. Certè Ariſtides tales athletas palam fatetur omnibus eſſe inuiſos,vbi hortatur Athenienſes ne deſiſtant oppugnare Syracuſas propè iam expugnatas.Quippe nihil eſt abſurdius quàm eum athletam qui iam ſit ἀξιόνικος φυόμενος, ἀνανταγώνιστος διαπιλεῖν redditus victoria

Heſych & Etymol. κορωνὶς καὶ κορωνίς.

Ariſtot. mor. Nicomach. lib. 1. cap 9.

Ariſtoph. ἱππ.

Plutarch. περὶ Ἀθην. χρ. πολ. ἢ κατ. σοφ. ἐνδ.

Plato lib. 5 de Rep.

Demoſth. de cor.

Demoſth. de fal. legat.

Lucian. Tim.

Philoſtr. in vita Apoll.

Stob. ἐκλογ. π. βασ. μς´.

Plutarch. ei πρεσβυτ. πολιτευτ.

Ariſtid. orat. 1. pro Theb.

Ariſtid. demitt. auxil Sicil.

Xenoph referente Stob. π. φιλόπ. καὶ μεμ.

dignus, certamine abſtinere. Hìc moneo, nomine coronæ non ſolùm ſignari ſummum prȩmium, verùm etiam eos omnes conatus per quos nitimur ad præmium. Denique quicquid in vita ſummum ac perfectum aggredimur, id cultè & eleganter demonſtratur nomine coronæ. Omnino ſic ſtatuendum, cùm coronam dicimus, eâdem nos & ſumma præmia & faſtigium felicitatis & quicquid eò pertinet, dicere. Pindaro eſt ὕψιστος στέφανος altiſſima corona. Nec vtique refert, huic ſiue decori, ſiue felicitati quid nominis indas, an ſummitatem voces, an faſtigium, culmen, apicem, finem, conſummationem, perfectionem, abſolutionem. Qui coronam dixerit, hæc omnia dixerit. Hoc ſenſu dictum eſt à ſapiente, *Timorem Domini eſſe coronam ſapientiæ*, id eſt, abſolutam & perfectam ſapientiam vno contineri timore Domini. Huiuſmodi illud eſt, *corona ſenum eſt* πολυπειρία multa experientia, id eſt, conſummatio ſenilis ȩtatis eſt prudentia collecta è multa experientia. Item illud, *Mulier fortis eſt corona marito ſuo*, hoc eſt, marito hæc ſumma votorum eſt, vt habeat coniugem fortem. Tum illud, Ἀνδρῶν μὲν στέφανος παῖδες· πύργοι δὲ πόλεως. Viri quidem corona [ſunt] liberi; turres verò vrbis. Et hoc, τῶν ἀσκητῶν καὶ πόνοις ἀτρύτοις καὶ ἀκαμάτοις περιποιησαμένων τὸ καλὸν ὁ στέφανος ἐστὶν ὅρασις θεοῦ, athletæ illi qui laboribus infatigabilibus & inflexibilibus adeptus eſt honeſtum, corona eſt viſio Dei. Adde illud, Κόσμος δὲ σιγῆς στέφανος ἀνδρὸς οὐ κακοῦ, Ornamentum ſilentij eſt corona viri non mali. Denique hoc Iamblici, τὸν χαρίτων κόσμον στέφανον ἂν εἰκότως εἴποιμι τῆς ἀρχῆς, Gratiarum ornatum meritò dixerim eſſe coronam principatus. Huius quoque vocis excellentiam diſcimus à contrariis vocibus. Nam quomodo ἐστεφανωμένος & στεφανωσάμενος ſignat coronatus, hoc eſt, is qui quicquid in rebus humanis optabile eſt, adeptus eſt, ita quoque ἀστέφανον incoronatum, vocant eum qui ſit inglorius, & corona exiſtimatus indignus; quomodo ἀποστεφανῶσαι, & ἀποστεφανοῦν, apud Tyrium Maximum eſt corona fraudare, & priuare fructu ſiue præmio. Ergo & στεφανούμενος ſignat interdum non irritum, ſed fructuoſum, atque adeò μισθοδοτούμενον, mercede donatum. Quo ſenſu apud Philonem legimus οὐκ ἀτελὴς πόνος, ἀλλὰ στεφανούμενος, non infructuoſus labor, ſed coronatus, id eſt, mercede, fructu, præmio cumulatus. Euripides cruentas pugnas, ipſamque adeò Cadmæam victoriam vocat ἀστεφάνους, ac ſi dicat indignas præconio, aut etiam memoria. Et Plato & Philo ac Demoſthenes vocant ἀστεφανώτους eos curſores qui non attingunt metam. Contra Plutarchus Coriolanum è nullo certamine memorat rediiſſe ἀστεφάνωτον καὶ ἀγέραστον, incoronatum & irremuneratum. Lucianus, vbi deſcribit ambitionem illorum qui ad Rutilianum concurrebant, vt fierent ſucceſſores eorum honorum, quibus Alexander ille Pſeudomantes cultus fuerat,

Pindar. Pyth. od. 1.
Eccleſia 1. Citat Clemens Alex. pædag. lib. 2. cap. 8.
Eccleſiaſt. 25.
Clem. Alex. lib. 3. pædag. cap. 3.
Prouerb cap. 12.
Clem. Alex. pædag. lib. 3. cap. 11.
Herodot. de Hom. gen. & vita.
Phil. περὶ ἀθλ. καὶ ἐπιτ.
Stob. ex Eurip. περὶ ἀδολεσχ.
Stob. περὶ ἀρχ. μδ'.
Tyr. Max διαλ. λέ.
Philo Iud. ἀλληγορ. 1.
Euripid. Androm. actu 4
Plato lib. 10. de Rep.
Philo ὅτι πᾶς σπουδ. ἐλεύθ.
Demoſth. de cor. mil.
Plutarch. in M. Coriol.
Lucia. in Alex. ſiue in Pſeudom.

hos omnes repulſam paſſos memorat. Ipſum Rutilianum facit *Lucia in Harmon*
ἀγωνοθέτην certantibus proponentem præmia, & illos ἀστεφανώτους
nullo præmio donatos. Idem alibi Timotheum illum tibicinem, *Lucian. de ſacriſic.*
qui in tibiam inſpirando efflauit animam, donat hoc ipſo epitheto,
ac ſi dicat, talem exitum omnino eſſe obſcurum & inglorium. Alibi
quoque inducens Chryſam exprobrantem Apollini diuinum cultum, Equidem, inquit, tuum templum quod vſque adhuc fuit incoronatum, hoc eſt infrequens & contemptum, ſæpe coronaui, id eſt,
habui præcipuo cultu. Alio item loco, vbi memorat, vel ipſum *Lucian. Iup. trag.*
Apollinem vſque eò contemni vt ſedeat inter ζευγίτας iugatos homines, addit ipſum quoque eſſe ἀποστεφανωμένον ὑπὸ τῶν λῃστῶν, omni
decore ſpoliatum à latronibus. Iuncus philoſophus eum qui medio
ætatis curſu vitam finiit, ſicuti eum qui in medio ſtadio cecidit, *Stob. ἔπαινος γήρως.*
dicit redire ἀστεφάνωτον. In tabula Cebetis ἐστεφανωμένοι opponuntur
ἀστεφανώτοις. Apud Lucianum coronæ vt ſummo pretio virtutum *Cebet. tab.*
opponitur ignominia ſummum vitiorum ſupplicium. Id quod his *Lucian. piſcat. ſeu reuiuiſc. in fi.*
verbis expreſſit; Hos aut coronate, aut inurite; id eſt, quorum merita apparent, donate ſummo pretio; qui ſunt mortalium peſſimi,
his imprimite notam infamiæ, quod eſt extremum omnium ſuppliciorum. Idem paulò poſt addit, Quocunque abierimus paucis
coronis opus habebimus, at multis ignominiæ notis. Et hi quidem
ſunt potiſſimi ſignificatus præclariſſimæ huius vocis quæ Græcis
eſt στέφανος, noſtris corona. His accedunt illi quibus eſt origo ab forma circulari, quæ eſt coronæ propria. Nam ijdem illi Grammatici *Euſtath. odyſſ. ν. & φ.*
aiunt coronã non ſolùm ſignare ea curuamina de quibus ſupra dixi,
verùm etiam eum annulũ quo ianua trahitur. Huius generis forma
eſt illa quæ in naui eſt κορώνη, nempe proræ curuamen. Vnde Homerus vocauit naues κορωνίδας. His de cauſis nihil mirum eſt, ſi hæ potiſſimùm voces κορωνὶς & κορώνη Romanam pepererunt non tantùm *Scholiaſt. ad Ara. Phænom.*
forma & pronuntiatione, ſed & ſignificatibus ſui ſimillimam, qua
ſignatur illud capitis decus, quo repræſentatur conſummatio; &
præter hanc, forma circularis omnium formarum perfectiſſima.
Non omiſerim, ex hac voce κορωνὶς natam eſſe quandam coronæ
ſpeciem quam plectunt è viola, vt ſuo loco dicam. Vnde Heſychius *Heſych. κορωνίδες.*
non dubitauit ſcribere, κορωνίδας eſſe è violis plexas coronas.

CAPVT II.

Vocis στεφάνη *plures ſignificatus. Stemmata quid.*

QVÆ noſtris eſt corona, hanc Græci vocant στέφανον, στεφάνην,
στέφος, στέμμα, στέλμα, τέλμα, στεφάνωμα, ἀνάδημα, διάδημα. Quæ

pulcherrimæ voces, quamlibet variis ſignificatibus, cognatis tamen, & in vnum facilè coëuntibus, exprimunt effectus, decora, nobilitatem coronæ. Hos angulatim quæſitos & collectos ſub vno aſpectu ponam, vt in ipſo aditu & huius argumenti dignitas, & vtilitatum eius vbertas æſtimari poſſit. Vt hoc agam, στέφανος generali appellatione eſt corona, & στεφανοῦν coronare. Porrò etſi στέφανος & στεφάνη plerumque idem ſignant, hoc eſt, coronam; Tamen rectè ad- *[Homer. Iliad. λ'.]* notant Grammatici στεφάνην quoque apud Homerum eſſe galeam, atque vt alicubi dicam, eam galeæ partem quam Heſychius dicit habere ἐξοχὰς, id quod in galea eminentiſſimum eſt. Et verò apud *[Plutarch. Pyrrh.]* Plutarchum diſtinguitur τὸ κράνος galea ἀπὸ τῆς στεφάνης, ab eius parte quæ eſt in ipſius ſummitate. Hinc fit, vt vulgo credant, στεφάνην cùm ſumitur pro corona, non aliam ſignare quàm metallicam; cùm στέφανος propriè ſignificet floream, eam quæ noſtris eſt corolla. Cæterùm ſeu στεφάνην volunt quandoque metallicam, quandoque floream coronam eſſe, ſeu metallicam ſemper, nunquam floream, certè corona eſt, & quidem promiſcuæ ſignificationis cum dictione στέφανος, vt in operis cõtextu planũ fiet. Huc accedit, quod, Heſychio *[Heſych. στέφανος.]* teſte στεφάνη eſt mundus muliebris, in quo primus eſt coronis locus. *[Philoſtrat. in Imag.]* Has certè mulieres, non ſolùm floreas, ſed & quàm ſæpiſſimè aureas & gemmatas geſtant, vt illæ apud Philoſtratum virgines quæ manibus implicitis choreas ducunt. Quandoque στεφάνη eſt ſummitas, vt *[Theocr. eidyll. ιθ'.]* apud Theocritum, στεφάνη ταλάροιο ſummitas quadi, ſeu calathi vimi- *[Pollux. lib. 2.]* nei. Eſt & τελευταία τῶν τριχῶν περίοδος, ſupremus capillorum ambitus. *[Theophr. lib 5. de plant. cap 7. in fin.]* Videtur aliquando poni pro eo faſtigio quod alicui rei condecorandæ imponitur, vt in hoc loco Theophraſti, vbi loquitur de caprifico & moro, διὸ καὶ τὰ ἱκρία, καὶ τὰς στεφάνας, καὶ ὅλως ὅσα περὶ τὸν κόσμον, *[Homer. Iliad. ν'.]* ἐκ τούτων ποιοῦσιν, è quibus res acuminatæ, & coronæ, & quæcunque ad ornatum pertinent, fiunt. vbi στεφάνας interpretor opercula lignea *[Oppian. κυνηγ. lib. 2.]* affabrè facta. Apud Homerum hæc eadem vox eſt ὄρεος ἐξοχὴ, iugum, ſeu faſtigium montis, vt apud Oppianum στεφάνη ὀρέων eſt κορυφὴ *[Euripi. Troa. actu 3. Sophoc. Antig.]* vertex montis. Euripidi στεφάναι & Sophocli στεφανώματα πύργων ſunt ſummitates & coronamenta turrium, hoc eſt, earum pars altiſſima. *[Oppian. κυνηγ. lib. 2.]* Apud Oppianum στεφάνη eſt ſummitas, ſiue extremitas pedis equini, vbi loquitur de equo curſore. Teſte Tzetze hæc quoque vox ſumi- *[Tzet. in lib. 2. Heſ.]* tur pro ſummitate pedis bouilli. Denique στεφάνη ſignat θριγγὸς, non quamlibet ſummitatem, ſed pinnam & altitudinem muri, poſt *[Plutar. περὶ τῆς ῥώμ. τύχ.]* quam, aut ſupra quam nihil eſt. Et vſque eò ſignificatibus ſociantur στεφάνη & θριγγὸς, vt poſterior hæc dictio deriuetur ἀπὸ τοῦ θρὶξ, à coma ſeu capillo, cui, nimirum, inſidet ἡ στεφάνη. Ea re non errabit *[Apollon. Rhod. lib. 2.]* quiſquis dicet στεφάνην eſſe id quod in vnaquaque re eminentiſſimum eſt. Quo ſenſu apud Appollonium Rhōdium legimus τύμβου στεφάνην,

ſummum ſepulchrum. Nec ſolùm Græcis στεφάνη eſt ſummitas, ſed & corona eſt pars muri, totiuſque lapideæ ſtructuræ, quam loricam dicimus, vt apud Vitruuium legimus proiectura coronarum: id eſt porrectiores coronæ. Et apud Q. Curtium anguſta muri corona eſt contractior proiectura coronæ. Hoc ipſo ſenſu vſurpatur à Plinio, *Vſus gypſi*, inquit, *in albariis, ſigillis ædificiorum & coronis gratiſſimus*. Cæterùm Grammaticorum filij negant στεφάνην dici ἀπὸ τοῦ στεφανῶ corono, ſed vtique à στέφω cingo, redimio. Nempe quiſquis coronat hic quoque redimit & cingit, non contra. Adeò vt, ſi tales argutiæ admittantur, reſtrictior ſit ſignificatus τῆς στεφάνης quàm τοῦ στεφάνου. Id quod non ſemper verum. Addunt illi ipſi Grammatici στέμμα dici ab illo ipſo verbo στέφω. Et hoc nomine donant illa omnia quæ ornatus cauſa circumponuntur manibus aut ceruici, cùm στέφανον dicant eſſe eam ſolam coronam, quæ caput euincit. Aiúntque quomodo à στέφος fit στέφω, ita à στέφανος fieri στεφανῶ. Porrò τὸ στέφανον, hoc eſt στέμμα, quod ſignificat περίκρανον, coronam, quæ capiti circumponitur, ſic dici volunt tanquam redimientem & vincientem caput. Si hæc Grammaticis licent, liceat & mihi dicere, στέμματα propriè dici eas coronas quæ ſacris adhibentur, aut ſanè eas quæ geſtantur à ſacerdotibus. Dei ſtemmata non ſufficient, tibi, inquit Agamemnon apud Homerum, referente locum Socrate apud Platonem. Atque adeò ſi quem ſacerdos ſtemmatibus protegeret, hoc eſt, ſacris capitis inſigniis, hic in Dei tutela, & inuiolabilis exiſtimabatur. Certè apud Plutarchum ſacerdotes ſtemmata ſua protendentes hortantur ciues vt patriæ Diíſque ſuppetias ferant. Sumitur & hæc vox pro omni ſacrificali apparatu, vt in hoc loco, Exiit ignis ab cælo, & conſumpſit quæ erant ſuper altari ὁλοκαυτώματα καὶ τὰ στέμματα victimas ac ſtemmata, id eſt, omnem apparatum ſacrificalem, non ſolùm id quod adolebatur, ſed & ipſos ſacerdotes cum ſacerdotalibus inſigniis. Exſtat & locus in actis Apoſtolorum his verbis, ὁ δὲ ἱερεὺς τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως αὐτῶν ταύρους καὶ στέμματα ἐπὶ τοὺς πυλῶνας ἐνέγκας, σὺν τοῖς ὄχλοις ἤθελε θύειν. At ſacerdos Iouis qui erat ante ciuitatem eorum tauros & ſacrificalem apparatum ante ianuas adferens cum turbis volebat ſacrificare. Hæc de voce στεφάνη ſeorſim ab aliis huic cognatis habeo quæ dicam.

Vitru lib. 2. c. 8.

Q. Curt. lib 9.

Plin. lib. 36. cap. 24.

Etymol. στεφάνη.

Pollux lib. 2.

Ariſtoph. ὄρνιθ.

Plato lib. 3. de Rep.

Plutar. Pelop.

Philo περὶ ὁ τ θεῖ. κληρον.

Actor. Apoſt. cap. 14.

CAPVT III.

Στέφανος πολέμοιο Homero quid? Coronare eſt cingere & circumplecti. Corona munimentum. Coronare conſtringere & vincire. Corona murus, & Coronare eſt propugnare, circumfundi & ambire. Redimitus id eſt coronatus. Redimicula coronæ. Coronare, circumdare, induere. Corona, circumfuſa multitudo. Coronare eſt claudere, munire, vallare, velare, abſcondere, colorare, iterare.

DEIN & στεφανοῦ & στεφανοῦν erit mihi vſus promiſcuus feſtinanti ad enucleandos alios harum vocum ſignificatus. Certè cùm στέφανος corona ſignet, vt monui, perfectionem, non mirum eſt, ſi Homero στέφανος πολέμοιο eſt omne momentum, ſiue decus & gloria confecti belli. Cùm de homine dicitur, commodè verti poteſt bellorum apex, imitatione Statij,

Homer. Iliad. γ'.

Stat. lib. 5. Syl.

Plutarch. Ariſtid.

Ille ſupremus apex bellorum & proxima caſſis.

Coronare quoque cùm ſit cingere & circumplecti, rectè dicimus, coronare inſulam armatis, id eſt, vndequaque eam cingere copiis. Apud Philonem ὀρύγματα περιστεφανοῦν θωρακίοις eſt foſſas circumdare propugnaculis. Et apud Clementem aulæ coronantur, id eſt cinguntur columnis. Pari elegantia Euripides dixit, coronare genua manibus, id eſt, amplecti. Et hoc ſenſu dictum eſt à Plutarcho de matronis Spartanis, περιστέψαι κύκλῳ τὰ τείχη, vndique muros coronarunt, hoc eſt, circa aut ſupra muros ſteterunt. Quomodo Virgilius propugnatores in muris coronam vocat. Enimuero hæc eſt coronæ dignitas, vt illa quibus imponitur, contineat, ipſa non contineatur; ſolutiora & infirmiora cingat & adſtringat, ipſa non habeatur, neque conſtringatur. Hinc fit, vt coronare quandoque ſit conſtringere & vincire; quo ſignificatu apud Statium,

Philo π. τ̃ ἐν εἰ. νομ.

Clem. Alex. pædag. lib. 3. cap. 2.

Euripi. Heracl. actu.

Plutar. γυν. ἀρ.

Virgil. 9 & 11. Æneid.

Stat. lib. 3 Syl.

—— ipſa coronat
Emeritos Diana canes,

id eſt περιδέραια collaria canibus iniicit. Et infra videbimus primas coronas fuiſſe vincula, ſiue redimicula. Itaque Homerus deſcribens Ægidem Palladis, ei circumponit coronam, ſeu limbum terroris, quo ambitur & conſtringitur. Homerum imitatus eſt Martianus Capella in verſu non ſatis ſano, cuius finis eſt,

Homer. Iliad. ε.

Martian. Cap. lib. 6.

—— & ſcutum circulus ambit.

Quia verò huius generis murus eſt, vt pote qui ſuo cinctu vrbem protegit ab iniuria, στέφανος interdum ſignat murum, vt non obſcurè apud Pindarum in his verbis Ἰλίῳ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον τεῦξαι, cùm Ilium mœniis eſſent coronaturi. Et Ariſtides memorans ingentem

Pind. Oly. od. 8.

Ariſt. ῥοδιακ.

calamitatem

calamitatem Rhodiorum, quæ fuit à tremore terræ, cecidit, inquit, coronarum pulcherrima, nempe murus quem paulò ante elegantiſſimè deſcripſerat. Atque adeò qui quempiam propugnat, is elegāter hunc ipſum, quem protegit, coronare dicitur, vt apud Statiū; *pubes delecta coronat Oeniden.* Hoc ipſo ſenſu apud elegantiſſimum ſcriptorem Hieronymum, *Dei vocabulum totam Pontificis pulchritudinem coronat & protegit.* Hæc quoque ſunt verba Salomonis, *Sapientiam vallo circumda, & te exaltabit*, στεφάνῳ δὲ τρυφῆς ὑπερασπίσει σε corona autem ſuauitatis te proteget. Cæterùm & nubes, & aquæ, & multitudo tam hominum quàm aliarum rerum cingendo & amplectendo eſt apta. Ideo cùm nubes & vis aquarum quidpiam coronare dicitur, vt alicubi apud Homerum, tunc, ſcilicet, coronare eſt circumfundi. Ad hoc exemplum Muſæus inſulas mari coronatas dixit. Et apud Q. Calabrum Oceanus omnia coronat, id eſt, ambit. Apud Apuleium nubes caput editi montis ceu quibuſdam curuis torquibus coronant. Oppianus mare coronat ſuperciliis & littoribus. Homerus dixit ἁλιστέφανον πτολίεθρον mari coronatam vrbem. Quo epitheto donata eſt Taprobana. Id quod imitatus eſt Ouidius, vbi ſylua coronat aquas; & Statius, vbi ſylua coronat Neſida. Archilochus coronat inſulam ſylua agreſti. Oppianus Orontem fluuium, Plutarchus regionem coronat mōtibus. Quos omnes imitatus eſt Claudius Victor poëta Chriſtianus in his verſibus,

Ad gremium ſacri nemoris quod ſylua coronat
Fons rigat, & diti prolem virtute maritat.

Inter Catulli delicias illa eſt, quod is quædam loca redimiit ſyluis, id eſt, coronauit, cinxit, circumdedit. Et verò redimitus ſimpliciter prolata vox ſignat coronatus, vt in Martiano Capella, apud quem redimicula, vt infra dico, ſunt coronæ. Quæ Catullo fuerunt loca redimita, eleganti poëtæ Statio fuerunt vittata. His adde, quod quandoque coronare eſt induere & veſtire. Quo exemplo Oppianus lana purpurea Creterenſes oues coronat, id eſt, induit. Apud eundem Tigris ἢ αἰόλον ἐστεφάνωται, varia pelle, ſeu verſicolori induta eſt. Cæterùm apud noſtros nihil eſt vulgatius, quàm nomine coronæ demonſtrari circumfuſam multitudinem, vt apud Martialem de vulgo, quam nominat otioſam coronam. Ac diſertim Lactātius, Corona, inquit, dicitur circumſtans in orbem populus. Hòc ſenſu corona ſumitur apud vtrumque Plinium; quomodo apud Homerum ὅμιλος ἀπείριτος ἐστεφάνωτο, ingens multitudo coronabatur. Chorus apud Euripidem ait, ἱκέται χάθηνται παῖδες οἵδ' Ἡρακλέους βωμὸν καταστέψαντες. Supplices ſedent hi filij Herculis circumfuſi aram. Apud M. Tullium corona dicitur de concione, eáque multitudine quæ circūſtat tribunal, quæ eadem Græcis eſt περίστασις. Dare ſe ad coro-

Stat. lib 4. Theb.
Hieron. epiſt.
Prouerb 4 Citat Clem. Alex. ſtrom lib 1.
Homer. Iliad. ó. & Odyſſ. x'. quē locum citat Athen. lib 1.
Muſ. in poemat.
Q. Calab lib 5.
Apul. de Deo Socrat.
Oppian. ἁλιευτ. lib. 2.
Homer hym. in Apoll.
Ouid. lib. 5. Metam.
Stat li 3. Sylu.
Plutarch. περὶ ποτ.
Oppian. lib. 2. κυνηγ.
Plutarch. Fab. Max.
Claud. Mar. Vict. lib. 1.
Catull. de Berec. & Aty.
Martian. Cap. lib. 1.
Stat. li 4 Sylu.
Oppian. κυνηγ. lib. 2. & 3.
Martial lib. 2. epigr.
Lactant. Firm. lib 4 de ve. ſap. cap 26
Plin. li. 8. c. 40.
Plin. lib. 2. epiſt. ep. 14.
Homer. hym. in Ven.
Euripi. Heracl. actu 1.
Cic. l. 2. de fini.

nam apud eundem eſt, dicentem permittere ſe iudicio multitudinis. Et relinqui à corona eſt dicere concione infrequenti. Apud Plinium ſcriptorem epiſtolarum latior ſcena & corona diffuſior ſignat frequentiam eorum qui conuenerunt ad dicendum. Nec ſolùm domi corona ſignificat multitudinem, ſed & militiæ, id eſt, cóglobatos in orbem milites. Hoc eſt apud Oppianum στεφάνη. Hoc ipſum noſtris, Virgilio, Silio Italico, Statio. Ergo hoc quoque Oppiano eſt περιστέφειν coronare. Circumſtatio militum circa captiuos venales Gellio eſt corona. Nec tantùm militiæ, ſed & in venatione, quæ eſt militiæ conſanguinea, hæc vox idem ſonat. His adfini ſignificatione corona ſignat conuentum & conſeſſum ſeniorum ὄχλον πρεσβυτικὸν, nempe proceres, vt diſertim eos Statius nominat, hoc eſt Senatum. Vt corona ſignat circumfuſam multitudinem, ſiue ea vrbana, ſiue militaris eſt, ita quoque coronare eſt claudere & obſtruere, vt apud Virgilium, Omnem aditum cuſtode coronant. Hinc fit, vt huic affini ſignificatu στεφάνωμα ſit ambitus, ſiue circuitus, vt τῆ ὀρόφων στεφάνωμα, tecti, ſiue contignationis ambitus. Γεῖσον. τὸ στεφάνωμα οἴκου, apud Heſychium, muni ſeu lorica ambitũ domus. Quia verò quicquid circumdatũ & circumuallatũ eſt, id ipſum cenſetur eſſe munitum, ea re coronare quandoque eſt munire, Et coronatus munimine tutus, vt in illo apophthegmate, πόλιν μὴ εἶναι ἀτείχιστον ἥτις ἀνδράσι καὶ οὐ πλίνθοις ἐστεφάνωται, eam vrbem non carere muro, quæ viris non lateribus coronatur, id eſt munitur. In quo ſignificatu verbum στεφανοῦν ſumitur apud Oppianum. Ergo apud Homerum & Pindarum vrbs bene coronata eſt bene munita. Hoc ipſo ſenſu inuenitur apud diſertiſſimum Ariſtidem. Certè locus περιστεφὴς Græcis eſt bene ſeptus & clauſus. Et apud Propertium caſtra humo coronantur, id eſt, vallantur, & muniũtur. Porrò quicquid munit & armat, eâdem velat & operit, ideo coronare interdum eſt velare, apud Homerum. Et apud Q. Calabrum glacies dicitur coronare præcelſa iuga montium. Hoc ipſo ſenſu Tertullianus hoc verbum vſurpauit in his verbis, *Sed accepiſti dentes ad macellum corrodẽdum; Cur non potiùs ad omnem hiatum & rictum tuum coronandum?* Ergo apud Polemonem is qui pro patria pugnans telis ab hoſte confixus, iiſque coopertus eſt dicitur ὥς ποτ' ἄνθεσι στεφανωμένος, vt quibuſdam floribus coronatus, id eſt contectus. Eadem propè ſignificatione coronare apud Æſchinem eſt abſcondere, σῖφος ἑαυτὸν δόναξιν, ſeſe arundinibus coronat, hoc eſt, tegit. Apud Q. Calabrum tenebræ coronant cælum, hoc eſt tegunt & abſcondunt. In lapidum coloribus coronare eſt colorare, aut coloris prærogatiua cæteris antiſtare. Plinius de pæderote iaſpide, *purpura coronatus, madere*

Cicero orat. 5. in Verrem.
Cic. in Bru.
Plin. lib 7. epiſt.
Oppian κυνηγ. lib. 4.
Virgil. 11. Æneid. Sil. Ital. lib. 7. & 13.
Et Stat. lib. 11. Theb.
Oppian. lib. 2. ἁλιευτ.
Gell lib. 7. ca. 4.
Virgil. 9. Æneid.
Ariſtoph: Plut
Stat li 5. Theb.
Virgil 9 Æneid.
Achill. Tat l. 1.
Plut. apophth. Lac & Ly. κυρ.
Oppian. κυνηγ. lib. 4. & ἁλιευ. lib. 4.
Homer. Iliad. τ. & Heſiod. Theog.
Pindar. Pyth. od. 2.
Ariſtid. πανηγ.
Oppian κυνηγ. lib. 4.
Propert. eleg. lib. 4 el. 11.
Homer. Odyſſ. ι.
Q. Calab. l. 10.
Tertull. de reſurr carn.
Polem epitaph orat.
Æſchin. ep. 10.
Q. Calab lib. 8.
Plin. lib. 37.

ſingulis videtur, purpura coronatus, id eſt, accedente aliis coloribus purpura. Achilles Tatius dixit lapidem pretioſum auro coronari, id eſt, includi. Ex his quoque manat alia non vulgaris huius vocis ſignificatio, vt coronare ſit iterare apud doctiſſimum Poëtam Statium, *coronato contenta eſt funere mater*, id eſt iterato, ſeu geminato.

Achil. Tat. lib. 2.
Stat. lib. 4. Theb.

CAPVT IV.

Corona eſt plenitudo, & Coronare implere & cumulare. Coronare verbis. Crateres dicuntur coronari. Corona eſt ambitus, ſiue ora poculi vnde bibitur. Coronare eſt ornare & inſtruere; Et corona ornamentum.

MIRVM videri poteſt, hanc vocem, Corona, tot ſignificatibus radiare. Sed hoc ipſum impenſiùs mirabitur quiſquis ſequentes aduertet nihilo minoris vis & elegantiæ. Dixi nomine coronæ ſignificari ſummitatem, hoc eſt, illud omne quod ſupra ſe gradum non habet. At ſummitas in rebus humanis illa ipſa eſt quæ felicitas. Felicitas eſt iuſti voti plenitudo. Ergo rectè dicimus; coronæ vocabulo ſignari plenitudinem; atque adeò coronare eſſe implere. Ad hoc exemplum Homerus crateras vocat ἐπιστεφέας οἴνοιο, ſiue πότοιο, coronatos vino, ſiue potione. Et Æſchylus στέφειν vſurpauit ἀντὶ τοῦ πληροῦν pro implere. Et hoc ipſum implere reciprocatur ad id quod eſt coronare, vt ex duobus cõflata ſignificatio ſit validior, & pulchrior. Id quod adnotatum eſt ab Ariſtide, vbi is interpretatur hæc verba Homeri, ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει. Non, inquit, ſine cauſa dixit τὸ στέφει. Id quod oſtendit non ſolùm defectus impleri, ſed & addi victoriam; ſiquidem corona eſt ſymbolum victoriæ. Neque verò Græcis tantùm coronare eſt implere, ſed & noſtris, vt apud Virgilium ſocij cratera coronant. Tibullus calicem coronauit. Pari nitore Ganymedes cùm ait infundendum eſſe lac, & implendum poculum, vtitur verbo redimire, coronare, ἀναδοῦναι τὸ κισσύβιον. Statius coronat, hoc eſt, implet nubila imbri. Has Capella vocat nubes imbrificatas. Et hoc quidem ſenſu coronare non tantùm dicitur de ijs quæ oculis ſunt ſubiecta, manibuſque contrectantur, ſed & de ijs quæ ſola mente comprehenſa metaphoricè enuntiantur. Huius generis illud eſt apud Statium; *Sed qui limina bellicoſa Iani Iuſtis legibus & foro coronat*, id eſt, qui laudes belli cumulat iuſtitia, laudibus, eloquentia. Quæ eſt laus principis, ſed non cuiuſlibet. Huc refertur illud quod ſupra dicebam ex Homero, vbi is inducit Vlyſſem apud Phæacas de ſe loquentem, & munia ſua

Homer. Iliad. θ'.
Æſchil. ἑπτ. ἐπὶ θήβ. & ibi ſcholiaſt.
Homer. Odyſſ. θ'.
Ariſtid. de rhet. orat. 2.
Virgil lib. 2. Georg.
Tibull. l. 2 el. 6.
Lucian. Dial. Deor.
Stat. lib 4 Sylu. & li 10. Theb.
Martian Cap. lib 2 & lib. 6.
Stat. li. 4. Sylu.

Homer. Odyſſ. θ'. magnificantem, Dea eius formam ἔπεσι στέφει verbis coronat, id eſt, Minerua pulchritudinem, quam indidit Vlyſſi, verborum nitore cumulat. Et de quodam qui Vlyſſi moleſtus erat, qui quidem fuit egregia forma, ſed non pari ſermone, inquit, ἀλλ' οὔ οἱ χάρις ἀμφιπεριστέφεται ἐπέεσσιν, Sed non ei gratia coronatur ſermonibus. *Nihil prodeſt*, inquit Hieronymus, *omnium rerum eruditio, niſi Dei ſcientia*
Hieronym. ad Fabiol. de veſt. ſacerd. *coronemur*, id eſt, cumulemur. Hoc ipſo ſenſu apud Xenophontem ars militaris vrbes felicitate coronare dicitur. Neque verò hac
Xenoph. de off. mag. eq. tantùm de cauſa vino cratetes coronari dicuntur quòd implentur: verùm etiam quòd eos plerunque cælata corona redimitos fuiſſe
Athen. lib. 5. conſtat. Enimuero Athenæus in quadam pompa meminit crateris argentei amphorarum ſexcentarum, qui vehebatur curru quatuor rotarum; Quem currum trahebant viri ſexcenti. Sub labris crateris ſub anſis & baſi eius imagines animalium fuerunt torno ſculptæ. At is aurea, gemmatáque corona præcingebatur. Interdum cra-
Conſtãtin. Caſ. lib. 6 cap. 14. teribus & poculis addita fuit corona non decoris gratia, ſed vtilitatis. Nempe tradit Conſtantinus Cæſar, collum vaſis redimiri corona pulegij, ſiue calamintæ, ne inde vinum effluat. Illud quoque verum eſt, coronæ nomine ſignari ſupremum illum ambitum, ſiue oram circularem poculi vnde bibitur; ac præterea vinum ibi
Lucret. lib 5. largiter infuſum, vt in his verſibus Lucretij,

Euripid. Oreſte. actu 2.

> *Hoc etiam faciunt vbi diſcubuêre tenêntque*
> *Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis.*

Theocrit. eidyll. ιθ'. Nempe multò lepidiùs dixit, inumbrare ora coronis, quàm implere, aut madefacere ſeſe vino. Tale quidpiam dixit Euripides in
Achill. Tat. lib. 2. his verbis, πυκάζων δέρην ἐμάν, inumbrans ceruicem meam. Eâdem
Virgil. 8. Æneid. ratione Theocritus in loco ſupra citato nominat coronam qua illi ſub qua fuit Mercurius. Apud Achillem Tatium poculum coro-
Scholiaſt. Sophocl. in Oed. tyr. natur vite. Et apud Virgilium crater induitur corona, id eſt, vt ipſemet interpres eſt, impletur mero. Porrò ea quæ ſunt pleniora
Philo π. τ̃ ἐν οἰκίᾳ. & cumulatiora haud dubiè cẽſentur ornatiora & inſtructiora: Ideo nihil mirum, ſi coronare eſt ornare & inſtruere. Apud Philonem
Ariſtoph. ret. ſummus ſacerdos πεποικιλμένην ἀναστολήν, ornamentis coronatur, id
Apollon. Rhod. lib. 3. eſt ſacerdotalibus indumentis ornatur. Hoc exemplo Ariſtophanes ſeniores bonis moribus, Apollonius Rhodius vineas coronat foliis,
Virgil in epigr. Virgilius vlmos vite. Hoc ſenſu illud quoque dictum conſtat, Qui
Clem. Alex. pædag. lib. 2. c. 10. voluptatem aduerſis intuetur oculis στεφανοῖ τὴν ζωὴν αὐτοῦ coronat
Anthol. lib. 1. vitam ſuam. Simonides dixit Theocritum Olympionicum coro-
Philoſtrat. in Apol. lib. 4. naſſe vrbem ſuam. Apollonius de Epheſo loquens, ait omnino ſuauius ſiue gratius eſſe illam ἀνδρῶν στεφανοῦσθαι ἢ στοαῖς καὶ γραφαῖς,
Oppian. κυνηγ. lib. 4. viris coronari, quàm porticibus & picturis. Oppianus alloquens Antoninum, dicit ſe eſſe coronatum à Muſis carmine diuino, id

eſt, encomio cultum. Ea re coronam rectè dicimus eſſe laudem, decus, honorem. Plurarchus ait, Herodotum dēptam Atheniēſibus coronam Æginetis imponere cùm hæc ſcribit, id eſt, laudem ac decus rei geſtæ ab Athenienſibus transferre ad Æginetas. Verbum eſt Euripidis relatum à Stobæo,

Plutarch. π. τ ἡροδ. κακοηθ.

ἀλλ' οὐκ ἔνεστι στέφανος, οὐδ' εὐανδρία
εἰ μή τι καὶ τολμῶσι κινδύνων μέτα.

Stob. ἐπαιν. τολμ. μθ'.

Sed non adeſt decus, nec generoſitas, ſi non aliquid audent cum periculo. Cùm Ariſtides ex omnibus laudibus eligit ſummas, quas tribuat Cyzicenis, hi, inquit, immortalium corona ornantur, id eſt, hi honore Dijs æquantur. Sed de hoc ſignificatu infra dicōvberiùs. Ne multa, Quoties Græca elegantia quidpiam naturali ornamento præditum demonſtrat, illud vocat ἐστεφανωμένον, hoc eſt διεζωσμένον, cinctum; ac talia ornamenta coronas. Strabo pulchritudinem collium vrbis Romæ dicit eſſe τῶν λόφων στεφάνας collium coronamenta. Et Cithæron mons hedera coronatus dicitur, quanquam nolens. Ergo apud Sophoclem στέφειν eſt κοσμεῖν, ornare in hoc verſu,

Ariſtid. πανηγυρ. ἐν κυζ. π. τῶ ναι.

Philoſtrat. in *Imag.*

Sophocl. Antig.

χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει.

inferijs cadauer ornat.

Etſi enim mortuos coronari mos fuit; ad quem morem ſi reſpicias, στέφειν ibi poſitum eſt pro στεφανοῦν, tamen diſertim Scholiaſtes monet στέφειν hoc loco eſſe κοσμεῖν, & propriè κύκλῳ περιρραίνειν circumſpergere. Oppianus coronat equum venatorem, id eſt ornat & inſignit quibuſdam notis. Eâdem ratione aras ac delubra, vt infra dico, coronari mos fuit, id eſt, floribus & ramulis conſpergi. Et Momus apud Lucianum, Non amplius, inquit, Apollo es in pretio propter vaticinia, ſiquidem omnis lapis, & omnis ara edit reſponſa, dummodo & oleo & coronis ſit aſperſa. Sic apud Euripidem ſupplices coronant aram, id eſt floribus aſpergunt. Noſtri quoque hanc dictionem in ſua tranſtulerunt; Apud Silium pinus coronat arua, id eſt conueſtit & ornat. Homerus & Heſiodus locis ſupra memoratis cœlũ coronant, hoc eſt, ſuis pulchritudinibus conueſtitum, tótque ſyderibus oculatum vocant coronatum, (τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται). Qui locus eſt ille ipſus, vbi Tertullianus è Claudio Saturnino cœlũ ſyderibus ab Homero coronari dicit. *Præfabitur quidem Claudius,* inquit, *etiam cœlũ ſyderibus apud Homeri carmina coronatu, certè à Deo, certè homini. Igitur & homo ipſe à Deo coronandus eſt.* His ſimilia loquitur Apuleius de ſtellis verba faciẽs. *Infinitos numero greges ducũt, & ſimplex ætheris dorſum alma & ſacrata amœnitate lucis coronãt.* Eum quoque Homeri locum interpretãs Heraclius Ponticus, ait omnia illa cœleſtia ornamẽta meritò vocari coronam cœli. Simili ſenſu vir dicitur eſſe corona, hoc eſt, ornamentum, decuſque vxoris; matrimonium

Oppian. κυνηγ. *lib.* 1
Virgil. 1. *Æneid.*
Lucian. in cõc. Deor.
Euripid. Heracl. actu 1.
Sil. Ital. lib. 8.
Homer. Iliad. σ'.
Tertull. de cor. mil.
Apul. lib. de mundo.
Heracl. Pont.
Clem. Alex. pædag. lib. 2. *cap.* 8.

corona viri; tum flores matrimonij eſſe liberos, quos diuinus agricola colligit è carneis pratis. Corona item ſenum ſunt nepotes, hoc eſt filij filiorum. Vniuerſæ eccleſiæ corona eſt Chriſtus.

CAPVT V.

Dearum & nympharum epitheta deriuata ab hac voce corona. Pueri & adoleſcentuli forma præſtantes coronati. Ἐυστεφεῖς. *Comarum corona & artificium. Et hinc alia epitheta nympharum. Coma aſcititia.*

CÆTERVM ex eo quod coronare eſt ornare, & corona, vt dixi, decus & ornamentum, nata ſunt illa præclara epitheta, ἐυστέφανος, καλλιστέφανος, χρυσοστέφανος, bene, pulchrè, aurea corona coronata, propria earum Dearum & nympharum quæ gratia & pul-
Homer. Iliad. φ. chritudine præcellunt. Homero Diana eſt ἐυστέφανος κελαδεινή, Venus ἐυστέφανος ἀφροδίτη, καὶ Ἐυστέφανος Κυθέρεια, & αἰδοίη χρυσοστέφανος καλὴ ἀφροδίτη,
Homer. Odyſſ. θ'. & σ'. in epigrammatis Hebe ſiue iuuenta eſt χρυσοστέφανος. Q. Calabro
Q. Calab. lib. 1. & li. 5. & l. 10. Κύπρις ἐυστέφανος, & ἐυστέφανος Κυθέρεια. Talibus inquam, epithetis Poëtæ ſæpe donant Phœben, Cythersam, Alimeden. Proſerpinam
In epigr. Euripides vocat χρυσοστέφανον κόρην aurea corona puellam. Alij mo-
Scholiaſt. in Ara. Phanom. dò ἀνθηφόρον, modò φιλοστέφανον Φερσεφόνην, Florigeram ſertis, corollis, coronis lætam Proſerpinam. Tyrtæo Iuno eſt καλλιστέφανος. Heſio-
Euripid. Io. actu 3. dus deſcribens illud malum, quod poſt ſubreptum è cœlo ignem
Strabo lib 8. Iupiter ſtruxit ſimile virgini pudicæ, ait Palladem capiti eius impoſuiſſe coronam floream, nimirum, quò eam faceret pellaciorem;
Heſiod. Theog. hoc, inquam oculis illicium, hi manibus hami accederent. Euripidi
Euripid. Bacch. actu 1. εὐφροσύναι lætitiæ ſunt καλλιστέφανοι, iucundæ, gratæ, adlubentes, vbi
Oppian. κυνηγ. lib. 1. loquitur de Bromio filio Semeles. Oppiano prata vernantia ſunt ἐυστέφανοι λειμῶνες. Ipſa corona quæ Deabus, nymphiſque tam ſpecioſis imponitur, eſt ἔυτυκτος multæ artis & affabrè facta. Euripides eo loco, quem paulò ante citaui, ait horas imponere Veneri auream coronam, pulchram, nec vulgaris artificij. Atque adeò vix vlla intelligitur pulchritudo lepoſque Dearum, nympharum, virginum abſque corona. Ouidius,
Ouid. lib. 9. Metam.

Venerat huc Dryope fatorum neſcia; quóque
Indignere magis, nymphis latura coronas.

Ipſi quoque pueri & adoleſcentuli exuperanti forma vt plurimùm
Plato in Lyſi. in aliorum cœtu coronati aſpiciebantur. Cuius rei ſpecimen eſt Lyſis puer apud Platonem; ad cuius formam accedebant optimi
Stephan. ἠυ-χωντες. mores. Taleſque vocabant ἐυστεφέας bene, aut pulchris coronis coronatos, hoc eſt decenter, eximiè, eminenter redimitos, comptos

& ornatos. Cognata his ſignificatione Pindarus vocauit ἥβαν χρυσοστέφανον puberratem auro coronatam, hoc eſt, fuluo, flauo, aureo colore decoratam. Apud Anacreontem πολιαὶ στέφουσι κάρην, cani coronant caput, hoc eſt, honeſtant. Ipſa canities coronis coronatur, vt in hoc voto Euripidis quod refert Stobæus, ἀείδω ἢ στεφάνοις κάρα πολιὸν στεφανώσας. Canam verò coronis caput canum coronatus, Quomodo lex, inquit Plutarchus, diadema & coronam, ſic canitiem natura honoratum præcipuæ dignitatis ſymbolum imponit. Ergo Plinius ille diſertiſſimus capillum Traiani iam albeſcentem vocat non quidem coronatum, ſed quod tantidem eſt, ornatum. Certè cum paulùm abfuiſſet quin is à Parthis vulneraretur, id ita accidit; Ipſe quidem, ne agnoſceretur, imperatoriam prætextam abiecerat. Verùm illi cùm aduerterent πολιὰς αὐτοῦ τὸ χαῦνον, καὶ τὸ σεμνοπρεπὲς τοῦ προσώπου, hilarem illam & principe dignam canitiem, & vultus grauitatem, atque inde ſuſpectantes illum eſſe qui reuera erat, in illum iacula contorſerunt. Comas Earini Statius facit, *coronato recubantes molliter auro*, coronato, hoc eſt, in coronæ ſpeciem formato, decente & ornato. Eodem prope ſenſu hoc verbum Prudentius vſurpauit,

Arcem quandoquidem potens Iberam
Trino martyre Trinitas coronat.

Cæterùm hoc decus comæ ſæpe deerrat ad artificium irrufandi, aliiſue coloribus inficiendi capillos, quo plerumque abutuntur feminæ pellaces & procaces. Cui luxui coronæ quoque nomen inditum. Tertullianus in tale capillorum lenocinium ſuo more inuectus, *Quid eſt*, inquit, *capite femina corona quàm forma lena, quàm ſumma laſciuia nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ? Propterea non coronabitur operoſius mulier ex Apoſtoli proſpectu, vt nec crinium artificio coronetur*, id eſt, femina non modò capiti ſuo coronam imponere non debet, ſed ne vllum quidem capillitio artificium neque coloris, neque diſpoſitionis adhibere Siquidem, vt Græci loquuntur, ἡσυχῇ συντεθειμέναι τρίχες, capilli quietè hoc eſt modeſtè concinnati ſiue diſtincti aut deterſi ſunt veracia ſigna modeſtiæ, quæ virtus eſt germana ſoror pudicitiæ. De hoc ipſo crinium artificio, quam coronam vocat, alibi quoque agit Tertullianus, vbi loquitur de forma virginum. *Utique hoc maximè virgini inſigne eſt* [coma] *quarum & ornatus ipſe propriè ſic eſt, vt concumulata in verticem, ipſam capitis arcem ambitu crinium cõtegat*. Id quod non ſolùm in feminis, ſed & in ipſis viris animaduerſum, vt à Tyrio Maximo in Sardanapalo, quem ait eſſe τὴν χαίτην διαπεπλεγμένον, coma implexa. Et hæc quidem eſt capillorum corona falſo ita nominata. Qua tamen voce continetur omnis ille luxus comæ-

Pindar. Oly. od 6 & Pyth. od. 9.

Anacr. εἰς τὸ ἀνακαμ. ζῆν.

Stob. π. εἰρήν. ιγ'.

Plutarch. εἰ πρεσβύτ. πολιτευτ.

Plin. in Panegyr.

Dio. Traiano.

Stat. lib. 3. Sylu.

Prudent perist. Steph. hym. 6.

Tertull. de cor. mil.

Tertull. de vel. virg.

Tyr. Max. λόγ. ιθ'.

criſpulæ, coactæ, obliquatæ, compoſitæ, vnguentatæ, merum lenocinium, illecebra ſtupri, rete libidinis. Tale veriſimile eſt fuiſſe illud capillamentum, in quo concinnando apud Apollonium Rhodium, Venus deprehenſa eſt à Iunone & Pallade ipſam adeuntibus. Hinc eſt quòd Poëtæ nymphas vocant καλλιπλοκάμοις, εὐπλοκάμοις, ἠϋκόμοις. Pulchrè, eleganter, ornatè diſpoſito ſeu plexo capillo. Sed hoc artificium quod conſiſtit in capillis è capite natis, tolerabile eſt præ illo quod componit ſutiles, textiles, adſcititios. *Affigitis præterea*, inquit Tertullianus, *neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in ceruicem retro ſuggeſtum.* Vtrumque dedecus expreſſit Hieronymus his verbis, *Quando eras in ſeculo, ea quæ erant ſeculi diligebas, polire faciem purpuriſſo, & ceruſſa ora depingere; ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem ſtruere.* Quæ res vſque eò proceſſerat, vt, Tertulliano teſte, ad hoc peritiſſimi capillaturæ ſtructores adhiberentur. Et hinc galeatus ille vertex illi coronæ affinis, qua Prudentius redimit ſuperbiam in his verſibus,

Apollon. Rhod. lib. 3.
Q. Calab. lib. 2. & lib. 3.
Hierony. lib. 1. epiſt. ep. 18.
Prudent. pſychom.

> *Turritum tortis caput accumularat in altum*
> *Crinibus, extructos augeret vt addita cirros*
> *Congeries, celſumque apicem frons ardua ferret.*

Quæ Prudentij verba exprimunt Græcum illud πυργωτὸν turritum, nempe verticem, de quo ago alibi. Quippe hic eſt ille ornatus adſcititius adiutor formæ, & comes inceſſus faſtuoſi, & ceruiculæ tumidæ, qualem Syneſius tribuit illi quam vocat πυργοφόρον καθάπερ κυβέλην turritam ſicuti Cybelem; cui Virgilius aſſimilat Romam, in hoc loco,

Syneſ. ep. 3.
Virgil. 6. Æneid.

> —— *qualis Berecynthia mater*
> *Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes.*

Non eodem ſignificatu Maria Magdalena, teſte Hieronymo, *turrita nomen accepit, ſed ob ſedulitatem & ardorem fidei.* Ergo in tam artifice, tamque ſollicita capillorum ſtructura meritò habitare ſuperbia dicitur; quomodo tres furiæ perhibentur ſerpentibus venenatis eſſe crinitæ. Laſciuum hoc genus capillamenti, hanc præcipuè ſtructuram comæ quæ pertingit verticem, Dicæarchus vocat lampadion in his verbis, τὸ δὲ τρίχωμα ξανθὸν ἀναδεδεμένον μέχρι τῆς κορυφῆς ὃ δὴ καλεῖται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων λαμπάδιον. Capillamentum flauum vinctum ſiue implexum vſque ad verticem, quod ab incolis dicitur lampadion, credo ab ſimilitudine flammæ, quæ ſenſim acuminatur, vt ait Pollux. Qua voce Lucretius vſus eſt. Ex iſtis liquidò conſtat, verum eſſe id quod ſuprà dixi, Coronare interdum eſſe ornare, & coronam ſignare decus & ornamentum.

Hierony. in epitaph. Marcellæ virg.
Albric. de Deor. imag. in Plut.
Dicæarch. in vita Græc.

CAPVT

CAPVT VI.

Coronare eſt laudare, & ςέφανος hereditaria laus. Quandoque laus ſimpliciter. Coronare trophæis. Corona præmium, martyrium. Corona martyrij, virginitatis, viduitatis, iuſtitiæ, æterna felicitas, δὶς θυρσόμβοι ἐςεφανωμένοι.

CÆTERVM quod illa quæ ornantur, laudibus proſequi ſolemus, coronare quandoque eſt laudare. Me illum oportet *Pindar. Pyth. od. 10.*
coronare Æolide cantu, inquit Pindarus. Alio item loco idem Pindarus ait, δέξαι ςεφάνωμα, cape coronamentum, hoc eſt, hanc *Pind. Pyth. od. 9.*
laudationem quam tibi offero. Idem apud eundem ſignat ςεφάνωμα Κυράνας. coronamentum, præconium, πῶς οὖν, ὁ Θεσπέσιων εἶπε, ςεφανώσομεν ἤ τι πράττοντα; Apud Philoſtratũ, quomodo igitur, inquit Theſpeſion, aut quid facientem coronabimus, id eſt, laudabimus, *Philoſtrat. vita Apol. lib. 6.*
aut honorabimus? Plutarchus vbi ait ex quacunque occaſione amorem reperire quo ſe amplectatur & laudet, vtitur verbo ἀναδῆσαι, coronare. Et Suidas diſertim ait, ςεφανῶν τοὺς νενικηκότας coronans *Plutarch. περὶ τοῦ ἀκοῦ.*
victores ἀντὶ τοῦ τιμῶν pro honorans, authoribus Demoſthene & Lycurgo. Ergo hoc ipſum coronare apud Ariſtidem eſt laudibus *Suid. ςεφανῶν.*
efferre in hoc loco, γῆ δὲ καὶ θάλαττα τὸν πρυτάνιν ςεφανοῦσιν. Terra & mare præſidem, id eſt, Deum coronant. Et ipſe quidem verſum *Ariſtid. εἰς βασιλ.*
Orphei de Deo loquentis, in quo ſunt hæc verba, ὃν ςέφει αἰθήρ, quem coronat cœlum, ſic interpretor, in cuius laudes vniuerſus æther conſurgit. In documentis ſapientum extat illud à Soſiade literis commendatum, πρεσβύτερους ςεφάνου, maiores corona, id eſt, veneratione & laudibus proſequere authores generis tui. Lucianus deridens eos qui ſe aliena forma pingi malunt quàm ſua, vtitur hac locutione, ἀλλοτρίας εἰκόνας ςεφανοῦντες alienas imagines ſiue effigies [pro ſuis] coronantes, id eſt collaudantes. In hoc ſignificatu ſumitur ςεφανοῦν apud Tyrium Maximum, ἀλήθεια δὲ καὶ ἀρετὴ καὶ βίος ὀρθὸς ἑτέρων δικαςῶν δεῖται καὶ νόμων ἑτέρων καὶ ῥητόρων ἑτέρων, ἐν οἷς Σωκράτης ἐκράτει καὶ ἐςεφανοῦτο καὶ εὐδοκίμει. Veritas verò & virtus, & vita recta alijs iudicibus opus habet, & legibus alijs, & oratoribus alijs, in quibus Socrates viguit, & coronatus eſt, & claruit. Coronatus, id eſt laudatus, & in pretio habitus. His affinis eſt hæc locutio, coronare aliquem trophæis. Quâ elegantia Plutarchus vocauit Romam τὴν ἐςεφανωμένην θριάμβων ὑπομνήμασι καὶ τροπαίοις, celebrem triumphorum monumentis ac trophæis. Et alibi ait, Græciam fuiſſe à Cimone coronatam trophæis pugnæ naualis & pedeſtris. Quia verò illos à quibus beneficia accipimus, non ſolùm laudamus, ſiue

Stob. lib. 3.
Clem. Alex. lib. 5. ſtrom.
Tyr. Max. διαλ. λθ.
Plutarch. Marcello.
Plutarch. in cõparat. Cim. & Luculli.

magnificamus, ſed & ipſis diſertim gratias agimus, ideo coronare

Philo π. ὧν Aβ. ϗ Καϊν.

aliquem eſt ei gratias agere, ἐπιτυχόντα τῶν ἐλπισθέντων στεφανῶσαι θεὸν, μὴ ἑαυτὸν, ϗ εἰ οἷόν τε, ἀχρόνως, ϗ ἀμελλητὶ στεφανῶσαι. Eum qui ſperata eſt adeptus gratias agere Deo, non ſibi, &, ſi fieri poteſt, nulla mora & incunctanter gratias agere. Certè hic στεφανῶσαι eſt λόγοις ϗ ᾠδαῖς ϗ ὕμνοις τὸν εὐεργέτην ἀμείβεσθαι. oratione, cantu & hymnis benefactorem

Philo π. μοναρχ. λογ. α.

remunerare. Ergo δωρεαῖς ἀναστέφειν eſt donis remunerare, ac paria facere. Cæterùm ipſa trophæa dicebantur coronari hoc eſt, magnificari & celebrari. Reliquum corpus omnes coronarunt ſicuti

Polem. ἐπιτάφ. λόγ.
Nicet. Cho. lib. 1.

trophæum, inquit Polemon. Ipſi hiſtorici perſæpe præclaros homines coronant laudibus, παντοίοις, inquit Nicetas, αὐτὸν ἐπαίνοις κατέστεφεν, omni genere laudum ipſum coronauit. Idipſum apud

Euripid. Iphig. in Aul, actu 2.

Euripidem ſignificat στέφανος, Τελαμῶνος τε γόνον τὸν Σαλαμῖνος στέφανον, Telamonis parentem Salaminæ coronam. Inde eſt quod quandoque στέφανος ſignificat laudem hereditariam, eam quæ à maioribus quaſi per manus traditur poſteris, vt in hoc loco Philoſtrati.

Philoſtr. in Scopeliano.

ἀρχιερεὺς μὲν γὰρ ἐγένετο τῆς ἀσίας, αὐτός τε ϗ οἱ πρόγονοι αὐτοῦ, παῖς ἐκ πατρὸς πάντες. ὁ δὲ στέφανος οὗτος πολὺς ϗ ὑπὲρ πολλῶν χρημάτων. Pontifex quidem factus eſt Aſiæ, ipſeque & poſteri eius, filius ex patre omnes. At hæc co-

Philoſtrat. in vita Apollon. lib. 3.

rona multa, & ſupra multas opes. Idem alibi ϗ Ἑρμοκράτης στεφάνους μὲν ἔφη, καὶ ἀτελείας, ϗ σιτήσεις, ϗ πορφύραν, καὶ τὸ ἱερᾶσθαι ὁ πάππος ἡμῶν τοῖς ἀπ' αὐτοῦ παρέδωκε. Et Hermocrates, coronas quidem, inquit, & immunitates, & iura epulandi, & purpuram, & ſacerdotia auus nobis, qui ab ipſo [ſumus] tradidit. Ergo στέφανος ſignificat nomen, decus, laudem è re qualibet partam. Apud eundem Philoſtratum, ϗ στεφάνων ἠξίωμαι περὶ τῆς τέχνης, & laudem ex arte conſecutus ſum. Cæterùm quòd laus & præmium ſunt implexa, cùm corona ſi-

Euripid. Troad. & Phan. actu 3.

gnificat laudem, ferè etiam ſignat eminens ac triumphale præmium, vt apud Euripidem, κ' ἀτιμάζομαι ἐξ ὧν ἐχρῆν με στέφανον ἐπὶ κάρα λαβεῖν, Et contumeliam patior ex iis è quibus oportuit me coronam in caput ſumere. Neoptolemus apud Sophoclem etſi tenet arcum illum vrbi Troianæ fatalem, tamen hanc ſiue laudem, ſiue

Sophocl. Philoct.

præmium, ſiue, quod verius eſt, vtrumque, proprium ait eſſe Philoctetis, huius, inquit hæc eſt corona, τοῦδ' γὰρ ὁ στέφανος, τοῦτον θεὸς εἶπε κομίζειν. Huius eſt, huic debetur hoc præmium; Ad hunc

Tertull. de cor. mil.

Deus iubet afferri. Martyrium Chriſtianorum Tertullianus boni agonis coronam vocat, hoc eſt præmium. Alibi docens, diabolo non deeſſe ſuos & ſacerdotes & martyres, ait, *Celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gaudio redimit*

Hieron. epiſt. lib. 2. ep. 14.

coronam. Ergo & martyres martyrio coronari frequens eſt apud ſcriptores Eccleſiaſticos locutio. *Inclyto Victorinus martyrio coronatus quod intelligit eloqui non poteſt*, inquit Hieronymus,

Et Auguſtinus vbi agit de cultu martyrum, *Non dicit ſacerdos, offero tibi ſacrificium Petre vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo qui eos & homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cæleſti honore ſociauit; vt ea celebritate & Deo vero de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem inuocato in auxilium eorum memoriæ renouatione adhortemur.* Quæ verò ſit corona martyrij, & vnde conficiatur, docet hic idem Hieronymus, vbi facit duo genera martyrij, vnum quod conſiſtit in effuſione ſanguinis; alterum in deuotæ mentis immaculata ſeruitute; quod ipſe vocat quotidianum martyrium. *Illa*, inquit, *corona de roſis & violis plectitur, iſta de lilijs.* Hic ipſe coronæ ſignificatus ſæpe lectori obuius eſt apud Prudentium memorantem laudes & præmia martyrum.

Aug. lib. 8. de ciu. Dei, cap. 27.

Hierony. in epitaph. Paulæ ad Euſtoch.

Prudent. periſteph. hym. 5.

Beate martyr proſpera
Diem triumphalem tuum,
Quo ſanguinis merces tibi
Corona vincenti datur.

Prudent. periſteph. hym. 14.

Alibi de virgine martyre,

Duplex corona eſt præſtita martyri,
Intactum ab omni crimine virginal;
Mortis deinde gloria libera.

Duabus, inquit, coronis inſignita eſt hæc martyr; Vna quæ eſt impollutæ virginitatis; altera liberæ mortis, quam virgo animoſa maluit oppetere, quàm è Chriſtianis caſtris transfugere ad lupanar idolorum. Hîc nempe loco idoneo adnotandum, coronam virginitatis, ſeu diadema virginale conſtare è ſeptem radijs, *ac maximè*, vt ait Capella, *medialis gemmæ lumine prænitere.* Quippe heptas, quòd nihil gignit, eò par virgini perhibetur, vſque eò vt Pallas quoque vocitetur. De hoc coronamento loquens Hieronymus, ait, *Valet quidem Deus liberare de pœna, ſed non vult coronare corruptam.* Apud eundem ſcriptorem nominatur corona viduitatis, quæ eſt virginitatis coronæ proxima. Idem quoque celebrat coronam iuſtitiæ in verbis Pauli monachi ad Antonium, *Peracto*, inquit, *curſu, ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, & pœnitentiæ, Hæc omnia quaſi per pulcherrima ſcripturarum prata diſcurrens in vnum locum volui congregare, & de ſpecioſiſſimis floribus coronam tibi texere pœnitentiæ, quam imponas capiti tuo.* Sed & iuſtitiæ & bonitatis coronam T. Q. Flaminio deberi Plutarchus ait, cùm militiæ & ducatus tribuat Philopœmeni. E ſuperioribus & ex alijs Prudentij locis intelligimus coronam non ſolùm ſignificare præmium, ſed & martyrium, qui eſt promptiſſimus aditus ad æternam felicitatem. Enimuero coronare eſt beare, & felicitate donare, vt in

Martian. Cap. lib. 1. & 2. & 7.

Macrob. in ſomn. lib. 1. c. 6.

Hieron. epiſt. lib. 2. epiſt. 19.

Hieron. epiſt. lib. 3. in vita Pauli mon.

Hieron. ep. lib. 2. ep. 10. ad Ruſt.

Plutarch. T. Q. Flaminio in ſi.

Euripid. Troad. actu 4.

hoc verſu Euripidis, *στεφάνων Ἑλλάδ' ἄξιος τὴν ἢ κλαυῶν.* Dignè corona Græciam, iſtam interficiens. Verum eſt ergo id quod ſupra dixi, nomine coronæ demõſtrari ſummum omnium præmiorum; & coronare eſſe latiſſima prædicatione circumferre laudes eius, quem vt eximium admiramur. Apud Athenæum *ἀθυσάμβα* ſunt *ἐστεφανωμένοι*, coronati, id eſt, depoliti & perfecti. Quia, ſi Feſto credimus, omnia perfecta priſcis erant politiones. Vſque eò verum quoque eſt his vocibus, corona & coronare, ſignificari perfectionem. Et hic, ſcilicet, eſt ſenſus horum verborum Tertulliani, *Ecce enim & tormentorum certamina coronantur à vobis; hoc eſt, nihil ſuſpicitis extra gloriam perſecutionis & martyrij.* Similiter Saluianus, loquens de Carthagine, *In vrbe*, inquit, *Chriſtiana, in vrbe Eccleſiaſtica, quam quondam doctrinis ſuis Apoſtoli inſtituerant, quam paſſionibus ſuis martyres coronarant*, id eſt, quæ tot martyrijs, vt præcipuo decore, nobilitata fuerat. Sic Prudentius

Feſt. depolitũ. — *Tertull. apolog.* — *Saluian. lib. 7.* — *Prudent. periſteph. hym. 4.*

> *Plena te martyr tamen vt peremptam,*
> *Pœna coronat.*

Et hi quidem ſunt ſignificatus harum vocum corona & coronare, qui ab vna origine veluti in plures ramos diffunduntur. Quibus hæc videbuntur eſſe ſpinoſiora, vt ſunt, cogitent ſine iſtis vix iri poſſe ad illa quorum lectio & cognitio futura eſt iucundior, fortè & fructuoſior.

CAP. VII.

Corolla vnde dicta. Corollarium quid. Corolla quandoque metallica. Corona & corolla ſunt inter ea donaria quæ nefas eſt eſſe manca & polluta. Coronæ forma eſt abſolutiſſima.

CORONÆ diminutiuum eſt corolla, hoc eſt, tenuis, ſiue gracilis corona, eadémque plerunque florea, aut herbacea, vt ſcire licet ex his verſibus Catulli;

Catul. Argon.

> *Aduenit Chiron portans ſylueſtria dona.*
> *Nam quoſcunque ferunt campi, quos Theſſala magnis*
> *Montibus ora creat, quos propter fluminis vndas*
> *Aura parit flores tepidi fœcunda Fauoni,*
> *Hos indiſtinctis plexos tulit ipſe corollis,*
> *Queis permulſa domus iucundo riſit odore.*

Epigr. lib. 4. Id quod vnico verſu complexus eſt Palladius;

> *Ver placidum vario nectit de flore corollas.*

Long. lib. 1. — *στεφαν.*

Græcis corollæ ſunt *στεφανίσκοι*, vt apud Longum deſcribentem Daphnin & Chloën ludentes inter delicias veris. Et apum, inquit

ſimitatione ſimul flores legebant. Et hos quidem in ſinus iacie-
bant; ex alijs στεφανίσκους πλέκοντες corollas plectentes nymphis fe-
rebant. Poſſumus dicere corollas fuiſſe ſubitarias coronas ex eo
flore plexas qui vigeret. Has corollas plerunque imponebant ſta-
tuis numinum, quæ domi ſeruabantur, ac ſi illo quotidiano &
qualicunque cultu ea ſibi propitiarent. Huius moris meminit illa
apud Apuleium libidinoſa Fotis, *Atque vtinam de more veſperi pa-* *Apul. lib. 3. Metam.*
raſſem nobis corollas aliquas. Et infrà, *reſpicio Hipponæ Deæ ſimula-* *Ibid.*
chrum reſidens ædiculæ quod accuratè corollis roſeis equidem recenti-
bus fuerat ornatum. Quo loco aduertendum eſt corollas ex roſis
fuiſſe Venereas, vt infra dicam in roſa: & has ipſas eſſe illas de qui-
bus hæc Ennius in Aſoto,

Ibant malam viere Veneriam corollam.

E' coronarum gracilitate nata vox, *paulatimque,* inquit Plinius,
Romæ ſubrepſit appellatio, corollis inter initia propter gracilitatem *Plin.lib.21.cap.*
nominatis. Nempe & hinc fit corollarium alterum diminutiuum, *21.*
quo ſignatur corolla tenuior. Qui ſignificatus tranſlatus eſt ad
quamlibet additiunculam, ſiue auctarium fortè non debitum, ſed
additamentum ad totam ſummam, vt perſpicuum eſt ex hiſce ver- *Cic. in Verr.*
bis M. Tullij; *De vino igitur erat aliquid reſecandum, vt eſſet vnde* *act. 5.*
Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum ad-
deretur. Græcis eſt ἐπιφορά, & προσθήκη, τὸ τῷ μισθῷ προστιθέμενον, quod *Pollux lib. 3.*
mercedi accedit. Si hos emeris, & hunc προσθήκην σοὶ δίδωμι aucta- *in vita Æſopi.*
rium tibi do. Dicitur & ἐπίμετρον, quo menſura fit auctior & cu-
mulatior. Cæterùm quod corolla non ſemper eſſet florea, ſed &
metallica, docet Plinius his verbis, *Poſtquam è lamina ærea tenui*
inaurata, aut inargentata dabantur, ſcilicet corollæ. Nam de his
loquitur. Porrò quod non ſolùm corona, ſed & corolla, ſignent
nihil niſi abſolutum, perfectum, optimum, hinc liquet, quod
vtrumque eſt munus Deo gratum, vt infra pluribus locis planum *Pollux lib. 1.*
fiet. Ratio eſt, quod vtraque plurimum loci ſibi vindicat in re *cap. 1.*
ſacra. At quod offertur Deo nefas eſt eſſe mancum & imperfe- *Feſt. ſpurcum.*
ctum, cuiuſmodi eſt morboſa victima, ſpurcum vinum, defrutum, *Plato lib. 12. de leg.*
igne tactum, muſtumue antequam deferueſcat. Ne ebur quidem, *Lactant. Firm.*
inquit Plato, eſt caſtum Deo donum, quia eſt ex mortuo corpore, *lib. 6. cap 25.*
& corrumpi poteſt. Qui claudam & mutilam, & qualibet ſorte *Leuit 21. Refert*
maculatam obtulerit hoſtiam, lege Dei ſacrilegij reus eſt. Ea re *Hieron epiſt.*
priſci antequam victimam coronarent, explorabant ἢ ἐντελὴς ſiue *lib. 2. ep 15.*
παντελὴς εἴη; ſi legitima aut perfecta ſit, ne quid fortè mactent eo- *Lucian. de ſacrif.*
rum quæ mactari nefas eſt. Eſtque adnotatum, Indos non ingula- *Strabo lib. 15.*
re victimas, ſed præcluſo ſpiritu necare, ἵνα μὴ λελωβημένον, inquit *Philo π. τῶ*
Strabo, ἀλλ' ὁλόκληρον διδῶσι τῷ θεῷ, ne quid mancum, ſed inte- *Kain.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

grum offeratur Deo. Ergo talia oportet eſſe ſine vitio, qualia deſcribuntur à Polluce, hoc eſt, ἄρτια, ἄτομα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, μὴ κολοβὰ, μηδὲ ἔμπηρα, μηδὲ ἐκεστηκασμένα, μηδὲ διάφορα, μηδὲ ἀνάπηρα, cuiuſmodi Athenienſes exprobrant Lacedæmonijs eſſe eas hoſtias quas Dijs offerunt. Quin oportet hæc munera, ſicuti coronas & corollas, eſſe maximè adlubentia, commoda & apta. Ioui potiſſimùm ſupráque cæteros Deos nihil offerri oportet quod non ſit tale. Nempe is, vt ait Pharnutus, inducitur ſpecie humana, tum ætate integra, vt hinc fides fiat, nõ ipſum quicquam quod nimium ſit, habere; nullius item rei egentem eſſe, ſed ei adeſſe maturitatem, hoc eſt, id quod ſatis eſt. Ergo Spartani hoſtibus erepta ſpolia Dijs non ſuſpendebant, quia timidis detracta erant. Ac ne ea quidem à iuuentute aſpici æquum putabant. Atque adeò neque ferrum, neque æs Deo ſunt grata dona, inquit Plato, ſunt enim ὄργανα πολέμων instrumenta bellorum. Quæ omnia ideo retuli, vt vel hinc perſpicuum ſit quanti ſit corona & corolla, quæ illis donarijs adnumerantur quæ nefas eſt eſſe manca, imperfecta, polluta. Adeſt & ipſa corona & corollæ forma omnium formarum abſolutiſſima, quòd ſcilicet, eſt omnium capaciſſima, & ex omni parte vergit in ſeſe, hoc eſt, in ſuam rotunditatem compactilis eſt. Itaque coronæ, cùm talis ſit, nihil demi, nihil addi poteſt. Hæc vna vbique incipit, vbique deſinit; ſi mauis, nuſquam incipit, nuſquam deſinit. Huc accedit, quod hæc forma repræſentat motum circularem, qui motus eſt perpetuus, non item alij. Ratio eſt, quod vnus hic motus continet omnia genera motus. Hic vnus cietur prorſum, retrorſum, dextra, læua, ſurſum ac deorſum. Quam propemodum cœleſtem dotem Caſſiodorus aptauit numero denario; *Iuuat*, inquit, *inſpicere quemadmodum denarius numerus more cœli & in ſe ipſum reuoluitur, & creſcit noua conditione per ſe redeundo, & nunquam deficiens inuenitur.* Heraclius Ponticus, & author Etymologici hanc ipſam circularis formæ excellentiam, quæ coronæ propria eſt, repræſentant his verbis, στέφανος θριγκὸς ὁ περιέχων κυκλόθεν. Corona eſt ſummitas quæ currit vndequaque. Enimuero hac forma viſa, contremuerunt illi qui Iuliano ſacrificanti adſtabant, nimirum, cùm in extis apparuiſſet ſignum crucis, corona circumdatum. Hinc enim iſti coniectores cœperunt ſuſpicari, nullos nec temporis, nec locorum fines doctrinæ Chriſtianæ ſtatutos eſſe. Primùm quòd corona eſt ſymbolum victoriæ. Deinde quòd forma circularis ex omni parte incipiens & in ſe deſinens finem deſignat nullum. Hæc is qui ſacris præerat, eluſit, & quidem quæſitiori commento. Quippe is victimam aliud ſignificare dixit; atque adeò hinc palam eſſe Chri-

Pollux lib. 1. cap. 1.
Plato in Alcib. 2.
Plutarch. κεφάλ. χαραγ. ϛοιχ.
Pharnut. in Ioue.
Plutarch. apophth. Lacon.
Plato lib. 12. de leg.
Ariſtot. lib. 8. phyſ. cap. 4. tex. 75.
Martian. Cap. lib. 7.
Caſſiodor. lib. 1. Var. ep. 10.
Etymol. θριγκῷ.
Nicephor lib. 10. cap. 3.

ſtianum dogma in ſe reuerti, hoc eſt vaneſcere & extingui, tum circulari forma, intra quam coërceretur, anguſtias eius demonſtrari. Sed quicquid ille mulcendo Iuliano blaterauerit, conſenſus illorum qui talia ſcrutantur hic eſt, τὸ κόσμου σφαιρικὸν, ſiue σφαιροειδὲς καὶ κυκλοειδῆ εἶναι σχῆμα. mundi ſphæricam, ſimilem ſphæræ & circulo eſſe ſpeciem. Id eſt, interprete Manilio, paucis mutatis, *Heracl. Pontic.*

Hac æterna manet, diuiſque ſimillima forma, *Manil. lib. 1.*
Cui neque principium eſt vſquam, nec finis in ipſa.

CAPVT VIII.

Circulus & corona quid differant. De naturalibus circulis.

SAT memini, cùm coronam definij, naturalium coronarum à me nullam mentionem fieri. Neque enim ad talia mihi ſuſcepta eſt hæc cura. Veruntamen quia præcipua coronæ nobilitas eſt ab eius forma, quam mutuatur ab cœleſtibus coronis & circulis, de illis quoque ſi egero, rem ipſam egero. Et quidem qui circuli ſunt, hos eoſdem non eſſe coronas, tunc, ſcilicet, verum eſt, cùm nulli capiti imponi poſſunt. Quippe corona ita corrotundata eſt, vt cùm humano capiti aptatur eadem ſit inſigne eorum quæ dixi in definitione. Ergo circulus & corona etſi forma conueniunt, effectibus tamen eunt in diuerſa. Atque adeò in rerum natura circulus eſt veluti ἀρχέτυπον exemplar, ad cuius ſpeciem formata eſt corona vt exemplum. Nulla item corona non eſt circulus ob formam; ſed non contra. Circulos natura ſæpiùs quàm homo; coronas homo nectit ſæpiùs quàm natura. Sæpe tamen confunduntur circulus & corona, vt in loco Plutarchi, vbi ait Archimedem ἐννοήσαντα τὴν τοῦ στεφάνου μέτρησιν vbi coniectaſſet circuli menſuram, exclamaſſe εὕρηκα. Reperi. Ibi enim manifeſtum eſt στέφανον eſſe circulum, aut orbem, non coronam. Porrò naturales & circuli & coronæ ſunt innumerabiles in cœlo, in aëre, in terris, in aqua, in homine. Et cœleſtes quidem circuli ſunt ingentes illi quinque ductus per quos voluitur ſol, qui vniuerſum rediminunt mundanum faſtigium. Parmenides in cœlo duos alios facit. Philoſophi aiunt cœlum cingi ſeptem cingulis, arctico, antarctico, æſtiuo tropico, hyberno tropico, æquidiali ſiue æquinoctiali, Zodiaco, lacteo. Eſt & is, cui nomen ἅλως, circulus ſyderum, ἔμφασις λαμπρότητος, vis ſiue abundãtia ſplendoris. Dicitur & ἅλων, nempe ὁ δίσκος τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης, globus ſolis & lunæ. Eſt & is qui nocte ſerena cõſpectiſſimus eſt lacteus orbis, quem quòd elegãtiſſimis verſibus deſcribunt Poëtæ, eos hîc adijcere viſum. Sic ergo Ouidius.

Martian. Cap. lib. 8.
Plutarch. περὶ τ. ἀρεσκ. τοῖς φιλοσ.
Philo. περὶ κοσμ.
Ariſtot. de mundo.
Scholiaſt. in ther. Nicand.
Ouid. lib. 1. Metam.

Eſt via ſublimis cœlo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo,
Hàc iter eſt ſuperis ad magni tecta tonantis,
Regalémque domum.

Manil. lib. 1. cap. 9.

Nec minùs eleganter Manilius,

Vt freta caneſcunt ſulcum ducente carina,
Accipiúntque viam fluctus ſpumantibus vndis,
Quam totus verſo mouit de gurgite vortex,
Candidus in nigro lucet ſic limes Olympo,
Cæruleum findens ingenti lumine mundum.

Martian cap. lib. 46
Scholiaſt. Apoll. Rhod. lib. 4.
Ariſtot. de mundo.
Boeth. lib. 2. de Arithm. & Macrob. Somn.
Clem. Alex. lib. 5. ſtrom.
Philoſtrat. in Imag. & in vita Apollonij.
Homer. hym. in lunam.
Virgil. in Dir.
Philoſtrat. in Imag.
Sophocl. Aiace flagell.
Martian. Cap. lib. 2. & lib. 6.
Tertull. de cor. mil.

Martianus Capella Galaxeum vocat, vbi Ouidium imitatus Senatum Deûm à Ioue congregari ait. Eſt & Zodiacus ille ſignifer, in quo ſunt duodecim illa ζώδια, quos vocarunt Deos βουλαίους conſiliarios, aut conſilij præſides, quomodo planetas ῥαβδοφόρους ſceptriferos. Hic eſt ille ſolis perpetuus hoſpes, qui duos per orbes tranſuerſus cœlum cingit. Sunt & illi nouem globi forma ſphærica, tum illi quibus nomen coluris, quaſi dicas imperfectis. Ipſum quidem ſolem verè nominaueris circulum, qualis ab Ægyptijs fuit pingi ſolitus, & ſic nominatur in imaginibus. His addenda eſt non tam ipſa luna, quàm lunæ cinctus, hoc eſt, ambitus ille lunaris nocte ſplendens; quem quòd lunæ proximus eſt, Homerus vocauit auream coronam. Virgilio eſt aureus orbis, quem lunæ comitem addit. Inuenio quoque apud Sophoclem nominari circulum noctis ἐξίσαται δὲ νυκτὸς αἰανῆς κύκλος τῇ λευκοπώλῳ φέγγος ἡμέρᾳ φλέγειν. cedit & noctis obſcuræ circulus, [in eo quod] lucida dies orbem illuminat. Eſt & ingens ille circulus æthræ, qui ſuo ambitu hanc rerum vniuerſitatem complectitur. Nempe hoc tanto circulo continentur alij circuli ſuperiores & inferiores. Huiuſmodi eſt ambitus Iridis, de quo Tertullianus citans caput decimum Apocalypſis, *Et alius* [angelus] *Iridis*, inquit, *ambitu ornatur cœleſti.* Quamuis in Iride plures aſpiciantur orbes, hoc eſt, circuli, vt ait Statius de Iunone loquens,

Stat. lib. 10. Theb. 201.

Deſtinat Aonios leto præbere, ſuamque
Orbibus accingi ſolitis iubet Irin, & omne
Mandat opus.

Arat. διοσημ. & Scholiaſt.

Sunt & illa quæ dicuntur παρήλια, de quibus Aratus, & Scholiaſtes eius. Adſunt & illi circulares, ſiue coronati vapores, & ignes de quibus Claudianus,

Claudian. de apone.

Viua coronatos adſtringit ſcena vapores.

Stat. lib. 10. Theb.

Et Statius,

Ille coronatos iamdudum amplectitur ignes.
Fatidicum ſorbens vultu flagrante vaporem.

Sunt

Sunt & illa apud Platonem ὕδατα περιφορῆ, aquæ circulares. Nonnunquam hi circuli ingenti miraculo fiunt prope homines, & hominum cauſa. Huius generis eſt aurea illa nubes, qua Pallas apud Homerum circumſepſit caput Achillis, *Plato in Tim.* *Homer. Iliad. σ.*

> Ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα θεάων
> Χρύσεον· ἐκ δ' αὐτοῦ δαῖε φλόγα παμφανόωσαν.

Circúmque caput eius nubem ſepſit diua dearum Auream, & ex ipſo incendebat flammam vndique lucentem. Et poſtea, *Homer. Iliad. σ.*

> ὣς ἀπ' Ἀχιλλῆος κεφαλῆς σέλας αἰθέρ' ἵκανε.

Sic ab Achillis capite ſplendor in æthera iuit. Et paulò poſt,

> —— ἐπεὶ δ' ἴδον ἀκάματον πῦρ
> Δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς μεγαθύμου πηλεΐωνος
> Δαιόμενον· τὸ δ' ἔδαιε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.

Vbi viderunt indefeſſum ignem Horrendum ſuper caput magnanimi Pelidæ Ardentem, quem accenderat Dea cæſia Minerua, Huiuſmodi quoque fuit flamma viſa ſuper capite Aſcanij,

> *Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli* *Virgil. 2. Æneid.*
> *Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli*
> *Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.*

Quin & ſuper caput Æneæ Virgilius collocat cœleſtem flammam,

> *Ardet apex capiti, triſtiſque à vertice flamma* *Virgil 10. Æneid.*
> *Funditur, & vaſtos vmbo vomit aureus ignes,*

Talis fuit flamma viſa ſuper capite Seruij Tullij. Tum illa quæ Maſſaniſſæ dormientis caput euinxit apud Silium Italicum. His adnumero ſimulachrum ſyderis criniti, quod capiti Cæſaris in foro conſecratum fuit. Maximè conſpicuus fuit *ſolis ille orbis, qui ſuper caput Auguſti vrbem intrantis conſpectus eſt* [verba ſunt Paterculi] *æqualiter rotundatuſque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens.* Etſi hunc circulum veriùs coronam dixeris cœlo demiſſam, vt ipſe Velleius interpres eſt. His annumerari poſſent illi duo radij qui natum Neronem tēpore matutino, nulla è ſole aperta cauſa, circumplexi ſunt. Talis fuit ille circulus de quo Bebianus, *Liu. lib. 1. & Plutarch. περὶ τῆς ῥώμ. τύχ. Sil. Ital. lib 16. Plin lib. 2 cap. 15. Vell. Paterc. li. 2. Xiphil. Nerone. Bebian.*

> *Flammantem video luminis ambitum,*
> *In quem nulla venit femina circulum.*

Idem paulò poſt lucis coronam nominat, id eſt, cœleſtem.

> *Tunc puer ille tuus florentem luce coronam*
> *Prædiues occurret cum genitore tibi.*

Hoſce circulos imitati ſunt illi, qui inter cornua bouis Ægyptiæ aureum & rutilātem, ſoliſque fulgores imitantem circulum effigiarunt. Hic, ſcilicet, eſt ille Apis, *quem*, vt ait Solinus, *Ægyptij colebant inſtar numinis inſignem notæ albæ macula, quæ dextero eius* *Herodot. lib. 2.* *Solin. cap. 35.*

Plati. in vi. Pontif. *lateri ingenita corniculantis luna refert faciem.* Recentiores hiſtorici memorant in Apulia poſitam fuiſſe æneam ſtatuam, cuius capiti ſuperadditus circulus cum hoc titulo, Kalendis Maij oriente ſole aureum caput habebo. Eodem prope ſenſu cum his, *In vita Æſopi.* α ἀποβὰς β βήματα δ σκάψας ο ὀρύξας ε εὑρήσεις θ θησαυρὸν χ χρυσίου, vbi deſcenderis gradus quatuor fodiens inuenies theſaurum auri. Huc quoque pertinet aureus ille, ſiue igneus orbis memoratus à Statio,

Stat. lib. 1. Sylu.

> *Vixdum cærula nox ſubibat orbem,*
> *Deſcendit media nitens arena*
> *Denſas flammeus orbis inter vmbras,*
> *Vincens Gnoſiacæ facem coronæ.*

Stat. lib. 4. Theb. Tum iſte,

> *-- humeros & pectora latè*
> *Flammeus orbis habet.*

Martian. Cap. lib. 6. Circuli quoque dictæ ſunt illæ inſulæ, quæ ob hoc ipſum *vocatæ ſunt cyclades in Myrtoo mari*, ait Capella. *Quarum notiores Delos & Antandros, quæ nomina ab ordinata circulatione ſortita.* Cùm Athenienſium copiis & claſſibus omnia tenerentur, & Rex Perſarum ſibi fines conſtituiſſet, extra quos nec mari, nec terra egredi ſibi tutum exiſtimaret, quod vndequaque fuit ſpatium quingentorum ſtadiorum, eleganter & ſuo more Ariſtides dixit, illum circulum fuiſſe coronam impoſitam capiti Græcorum, ὥς τ' εἶναι τὸν κύκλον τοῦτον αὐτ' ἄλλου πρὸς στεφάνου τοῖς Ἕλλησιν ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς. *Ariſtid. Panath.* Et hæc quidem dici poſſunt de circulis cœleſtibus, aëreis, terreſtribus, nec ab homine, ſed à natura factis.

CAP. IX.

Corona Ariadnes, Berenices, lunæ, Auſtrina. Coronæ, ſydus. Coronæ quæ fiunt in aëre.

NVNC agam de ijs coronis quas natura plectit; & primò de cœleſtibus. Ex iſtis conſpectiſſima eſt corona Ariadnes priùs ex ambroſia, ſiue lilio, ſiue hedera, ſiue Theſæo flore contexta, qua nouam nuptam primùm à Theſeo coronatam aiunt. Demum *Athen. lib. 15. Scholiaſt. Arat. Phænom.* Ariadne mortua, hæc ipſa corona à Libero aſtris eſt illata. Alij alia tradunt, Nempe, Liberum, qui ſolitus eſſet geſtare coronam hederæ, *German. in comment. ad Arati phænom. & Lucian. Deor. concil.* Ariadne mortua, eam poſuiſſe, hoc eſt, ſibi dempſiſſe, & aſtris inſeruiſſe, monumentum Ariadnes. Alij volunt, cùm Ariadne nuberet Libero, ipſam accepiſſe hanc coronam munus Veneris & Horarum. Alijs placet, hãc coronam à Libero aſtris additam, dum

tas nuptias Dij celebrant in inſula Creta; & ipſe id agit, vt eam impenſiùs illuſtret, qua primùm noua nupta coronetur. Hanc ergo aiunt Vulcanum contexuiſſe ex auro & gemmis. Hac de cauſa eam Aratus vocat ἀγαυὴν illuſtrem. Quippe tanti fulgoris fuit, vt Theſeum eduxerit è labyrintho. Denique affixam aſtris, cùm in Naxon vterque veniſſet. Addúntque eam conſtare è nouem ſtellis. Et hæc quidem quia fuit poëtis copioſa laſciuiendi materia, liceat & mihi, dum eorum inuenta aut commenta colligo, aliquid poſt ipſos, & ipſorum imitatione peccare. Sic fiet, vt, quomodo apud quemque hæc fabula excepta fuerit, liquidò ſciri poſſit. Et Ouidius quidem ſuper hac re ingenioſè ludens eam coronam diſertim floream fuiſſe dicit,

Bacchus amat flores, Baccho placuiſſe coronam, — Ouid. li. 5. Faſt.
Ex Ariadneo ſydere noſſe potes.

Hic ipſe poſtea fatetur fuiſſe ſyderea;

Sic micet æternùm, vicináque ſydera vincat — Ouid. de triſtib. lib 5.
Coniugis in cælo clara corona tua.

Martianus Capella floream, ſimulque ſydeream facit,

Hoc quoque Nyſiacis quod ſparſum floribus ardet — Martian. Cap. lib. 2.
Multiplici ambitum redimitur lumine ſertum.

Huius quoque rei meminerunt Diodorus Siculus & Hyginus, Scilicet, — Hygin. lib. 2. de ſign. cæleſt. In antiphenom.

Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.

Et Horatius,

Fas & beatæ coniugis additum — Horat. lib. 2. Carm.
Stellis honorem.

Et Propertius,

Hæc amor ipſe ſuo conſtringit pignora ſigno, — Propert. lib. 3.
Teſtis ſyderea torta corona Deæ.

Hanc quoque fabulam agnoſcit Prudentius,

Mox Ariadnæis ſtellis cæleſtibus ignis — Prudent. cõtra Symm. lib. 1.
Additur; hoc pretium noctis perſoluit honore
Liber vt æthereum meretrix illuminet axem.

Cæterùm Propertius ait, Ariadnem lyncibus fuiſſe vectam in cœlum, in eo carmine vbi Bacchum alloquitur,

Te quoque enim non eſſe rudem teſtatur in aſtris — Propert. lib. 3.
Lyncibus in cœlum vecta Ariadna tuis.

Huic coronæ ſiue aliud nomen, ſiue epithetum eſt Gnoſia apud Virgilium,

Gnoſiáque ardentis decedat ſtella coronæ, — Virgil. lib. 1. Georg.

ſiue Gnoſis apud Ouidium,

Protinus aſpicias venienti nocte coronam — Ouid. lib. 3. Faſt.

Gnoſida. Theſeo crimine facta Dea eſt.

& Gnoſiaca in loco Statij,

Vincens Gnoſiacæ facem coronæ.

Ipſa quoque Ariadna vocatur Libera, quaſi vxor Liberi.

Tu mihi iuncta toro mihi iuncta vocabula ſumes;

Ouid. lib. 3. Faſt.

Nam tibi mutata Libera nomen erit.

Addit Ariadnen accepiſſe coronam à Venere, eam quam ipſa habuerit munus Vulcani.

Sintque tua tecum faciam monimenta coronæ,
Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi.
Dicta facit; gemmáſque nouem transformat in ignes
Aurea per ſtellas nunc micat illa nouem.

Ex hiſce nouem ſtellis Aſtrologi firmant, tres eſſe omnium ſplendidiſſimas; denique totum ſydus eſſe fulgentiſſimum.

Apoll. Rhod. lib. 3.

—— τὴν δὲ καὶ αὐτοὶ
Ἀθάνατοι φίλαντο. μέσῳ δέ οἱ αἰθέρι τέκμαρ
Ἀστερόεις στέφανος, τόν τε κλείουσ' Ἀριάδνης
Πάννυχος οὐρανίοισιν ἑλίσσεται εἰδώλοισιν.

Hanc & ipſi immortales amarũt. Medio autem illi æthere ſignum Aſtræa corona quam vocant Ariadnes tota nocte cæleſtibus voluitur imaginibus. Sed qua ratione corona facta ſit, præter ea quæ ſupra dixi, Ouidius apertè docet,

Ouid. lib. 8. Metam.

—— *deſertæ & multa querenti*
Amplexuſque & opem Liber tulit. Vtque perenni
Sydere clara foret, ſumptam de fronte coronam
Immiſit cœlo. tenues volat illa per auras.
Dúmque volant gemmæ, nitidos vertuntur in ignes;
Conſiſtúntque loco ſpecie remanente coronæ.

Eſt & inter cœleſtes coronas corona Berenices Callimachi hymno nobilitata; ſed qui planè interijſſet ſi non à Catullo Latinis verſibus donatus eſſet. Ibi hi, quod huc potiſſimùm pertinet, leguntur,

Catull. de coma Beren.

Scilicet, in vario ne ſolùm limite cœli
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret; ſed nos quoque fulgeremus
Deuotæ flaui verticis exuuiæ.

Etſi verò inter cæleſtes circulos poſui lunæ cinctũ, ſiue ambitum, tamen quia huius quoque ſyderis coronam nominari video, ea re hanc quoque addo ſuperioribus coronis. Et quidem Homerus in hymno ad lunam, quem locum ſupra citaui, vocat eam χρύσεον στέφανον auream coronam. Plinius quoque huic ſyderi coronam tribuit. Fulgentius lunæ coronam, ſiue diadema compingit ex aſtris,

Plin. li. 18. c. 35.

Fulgēt. mythol. lib. 1.

Aſtrigeróque nitens diademate luna bicornis.

Iſtis annumeranda eſt illa corona quæ circa circulum ſolis, Iridi ſimilis tempore Domitiani viſa eſt, quæ illi portẽdit cædem. Nam libertus Clementis, quem ipſe Domitianus oppreſſerat, cui nomen Stephanus, eum poſtea gladio vulnerauit. In cœlo quoque ſunt minutæ quædam ſtellæ vltra ſagittarium, quibus eſt nomen coronis volubilibus; quas ipſas Auſtrinam coronam vocant. Ab Arato vocantur κύκλοι εὐφεγγέες circuli lucidi. De his Ouidius, *Philoſtrat. vita Apollon lib 8.* *Arat. phænom.* *Ouid. lib. 13. Metam.*

Tùm de virginea gemitus exire fauilla
Ne genus intereat, iuuenes, quos fama coronas
Nominat, & cineri materno ducere pompam.

Ipſius cœli chorus, vt quidam ait, dicitur eſſe coronatus, nempe admirabilibus ſyderum fulgoribus. Cœleſtibus coronis proximæ ſunt illæ, quæ, vt circuli, fiunt in aëre. Quibus vt eſt multa cognatio cum ijs qui dicuntur arcus & virgæ, ita quoque multum diſcriminis eſt inter arcum, virgam & coronam. Hæc trina fiunt circa ſolem, lunámque, & aſtra tam mobilia, quàm cœlo inhærentia; nec ſunt corpora, ſed corporum imitamenta, & mera fallacia; atque adeò intra breuiſſimum ſpatium exoleſcunt; nec longè fiunt à terra, vt probat Senéca in quæſtionibus naturalibus. Et quidem coronæ vbique fiunt vbicunque ſydus eſt; arcus contra ſolem; virgæ in vicinia ſolis. Denique ſi coronam diuiſeris, arcus erit; ſi direxeris, virga. De his videndus eſt Ariſtoteles libro de mundo. *Apul. de Deo Socr.* *Senec. li. 1. natur. quæſt. cap. 3 & lib. 7. cap. 12.* *Ariſtot. de mũdo cap. 3.*

CAPVT X.

Inter naturales coronas numero Oceanum, & Terram, lapides, ſal, ſulphur, arbores, vitem, plantas, piſces, phœnicem, onagrum, partum quendam ouis, hydram; hominem in pluribus membris; hæc, inquam, omnia inuenio coronata.

IN terris, aut circa terras ſunt illæ coronæ, quas natura ſuopte ingenio format, funditque numero innumero. Et quidem ipſe Oceanus meritò inter naturales coronas recenſeri poteſt. Nempe Homerus hac forma eum effigiauit in clypeo Achillis, deſcribens eius ὁπλοποιΐαν, armaturam, ſiue armorum compoſitionem. Ipſam quoque terram, ſeu Ceres eſt, ſeu Veſta, antiquitas coronauit ſertis candidis, quòd vndique cingitur ab candidiſſimo elemento; hoc eſt, aëre. Meritiſſimò hoc elementum coronatur, cùm ea ſit ingens & inexhauſta omnium coronarum materia. In plantis, in folijs, in frondibus, in fructibus, in lapidibus, in omni re creata licet aduertere coronas. In chryſoberillis eſt corona. Nam *lan-* *Strabo lib 1. cap. 3.* *Pharnu. in Cer. & Veſ.* *Plin. lib. 37. cap. 9.*

guidius micantes, inquit Plinius, *aurea nube, vt corona circumfunduntur.* Tum in pæderote, cui multa ineſt decoris prærogatiua,
Solin.cap.36. cùm ſit purpura coronatus. Quam coronam Solinus nominat
Strabo lib.12. *croceam velut è liquido renitentem.* E ſale quoque fieri coronas tradit Strabo. Quippe è ſalſo fonte tales trahuntur eò demiſſo fune. Sunt & coronæ ſulphuris, quæ fortaſſe pertinent ad illas, αἱ ἐν τοῖς
Plato in Crati. μαντικοῖς περιθειώσεις ἢ καὶ λουτρά, quæ in fatidicis ſunt incantationes & balnea, ſiue lauacra. Has & ſalis & ſulphuris coronas Artemidorus
Artemidor. lib. 1. cap. 79. ait eſſe natura graues, & habere nihil iucundi, id eſt, ſomniantibus nihil ſignificare quo lætari poſſint, διὰ τὸ βαρυνθῆναι πρός τινων ὑπερεχόντων eo quòd grauantur à quibuſdam ſupereminentibus.
Plin. lib. 3. c. 2. A natura quoque eas coronas fieri dicimus quæ *deiecta in Eurymenis fontem lapides fiunt.* In arboribus ſiue in arborum concauitatibus inueniuntur coronæ à natura factæ. Et verò Plinius deſcribens illam inſignem platanum quæ eſt in Lycia, eámque faciēs
Plin. lib. 12. c. 1. imaginem ſpeluncæ, *nemoroſo*, inquit, *vertice, & ſe vaſtis protegens ramis, arborum inſtar, agros longis obtinens vmbris; ac ne quid deſit ſpelunca imagini, ſaxea intus crepidinis corona muſcoſos complexa*
Plin. lib. 14 c. 3. *pumices.* In vite, cui nomen pucina, eſt quoque corona. Eam certè Plinius vocat nigerrimam, & coronario naturæ luſu στεφανίτην.
Theophraſt. lib. 6. de plant. c. 5. In plantis τοῖς φρυγανικοῖς, hoc eſt in virgultis illa eſt cui nomen ἀδωνὶς, ſiue ὀνωνὶς cuius folia inter ſe circa caulem connexa reddunt eius formam inſtar coronæ. In animalibus quoque natura coronas
Athen. lib. 7. oſtendit. Nam in mari quoſdam piſces eſſe coronatos, ex Ariſto-
Plin. lib. 32. c. 6. tele tradit Athenæus. *In oſtreis*, inquit Plinius, *ineſt nota, ambiente purpureo crine fibras, eoque argumento generoſa interpretantur.* Op-
Oppian ἁλιευ. lib. 1. pianus meminit quorundam piſcium, quibus κατὰ κύκλον ὀφρὺς περίδρομος ἐστεφάνωται, qui ſupercilio rotundo coronantur. Phænicen
Achill. Tat. lib. 3. eſſe natura coronatum aiunt; coronauit enim eius caput circulus notabilis, inquit Achilles Tatius. Solis autem eſt corona circuli. Et hoc illud eſt quod ait Dracontius in hoc verſu loquens de phænice,

Dracōt. de opif. *Igne vago rutilatur apex, fax cætera lambit;*
Apul. Florid. lib. 2. *Et cœlum repetens erecto crine vagatur.*

Pſitacum Apuleius coronat. *Enimuero ceruicula eius*, inquit, *circulo mineo velut aurea torqui pari fulgoris circumactu cingitur & coronatur.* Onager habet in dorſo tæniam; eiúſque ſpinam vtrinque diſtingunt albæ coronæ. Id quod Oppianus expreſſit in hiſce verſibus,

Oppian. κυνη. lib. 3. Ταινίη δὲ μέλαινα μέσην ῥάχιν ἀμφιβέβηκε,
Χιονέης ἑκάτερθε περιγραφέων στεφάνῃσι.

Tænia verò nigra mediam ſpinam dorſi cingit, niueis vtrinque

ſtcus diſtincta coronis. Adnotatus eſt partus ouis cuius caput habuit figuram & colorem tiaræ. Hydram Statius donat corona, *Plutar. Alex. Mag.*

--ſqualet triplici ramoſa corona *Stat. li. 4. Theb.*

Hydra recens obitu. Et myagros, genus ſerpentum, Nicander vocat πολυστεφέας, τοὺς πολλοὺς στεφάνους ἔχοντας καὶ γραμμάς, multis coronis & lineis præditos. *Nicand. ther.* Nos ipſi & extimè & intimè ſumus coronati, non vt hoc nimiùm nobis placeamus; ſed vt ne quid coronæ memores corona indignum admittamus. Et extima quidem hominis corona dici poteſt illa quam Lactantius Firmianus deſcribit his verbis, *Frons ergo vallata per circuitum, & à temporibus effuſi ante auras* [aures] *capilli, & earum ſummæ partes in coronæ modum cinctæ, & occipitium omne contectum ſpeciem miri decoris oſtētant.* *Lactant. lib. de opif. Dei. cap. 7.* Idipſum tradit Pollux, cui vltimus capillorum circuitus qui caput ambit, eſt coronæ στεφάνη. *Pollux lib. 2.* Idem Lactantius in papillis coronas inuenit, cùm eas dicit eſſe *fuſcioribus ac paruis orbibus coronatas.* *Lactant. lib de opif. Dei. c. 10.* Inter ipſa oculorum interiora numeratur linea illa circularis, & ἴρις ambiens eam, quæ in oculo eſt γλήνη, id eſt, ipſa pupula, *Pollux lib. 2.* Ergo circularem hanc lineam meritò coronam dixeris. Huic affinis eſt illa, quam Achilles Tatius ponit in oculo & lachryma, nempe cùm oculus ſubniger humida rigatus lachryma aſpicitur placida quadam albedine coronatus. *Achill. Tat. lib. 6.* Eſt & pileus ille naturalis, quo infantes ſolent inſigniri. *Eum obſtetrices,* inquit Lampridius, *rapiunt, & aduocatis credulis vendunt, ſiquidem cauſidici hoc iuuari dicuntur.* *Lamprid. in Diadum.* Certè Diadumeno illud fuit diadema. In humano capite coronæ reperiuntur, duæ, ſcilicet, concauitates quæ ſpeciem referunt coronæ. *Pollux lib. 2.* Sed & illas tres humani capitis ſuturas, quæ & prominent, & in ſeſe recedunt, de quibus Ariſtoteles, filij medicorum vocant στεφανιαίας coronarias. *Ariſtot. de hiſt. anim. cap 7.* Illi ipſi intercapedinem eam, quæ eſt inter occipitium, & caluariam, ſiue ſinciput, coronas vocant. *Pollux lib. 2.* Parui quoque digiti corona nominatur apud Pollucem, vbi ait, carnis excreſcentiam, eam quæ eſt circa coronam parui digiti, eſſe tumorem ſanabilem. *Pollux lib. 4. cap. 25.* Euſtathio authore, Græcis κορώνη inter alia eſt τοῦ αἰδοίου ἄκρον, ἢ πλήρωσις pudendi virilis ſummitas aut conſummatio. *Euſtath. odyſſ. φ.* Eſt & circa aluum corona, quam quidam, inquit Pollux σφιγκτῆρα, alij coronam nominant. *Pollux lib 2.* Eſt & vena coronaria, id eſt, circulo cor ambiens. Denique eſt quoddam genus morbi, cui nomen ψίλωσις τριχῶν nudatio capillorum, ſiue depilatio ambiens caput inſtar coronæ. *Pollux lib. 4. cap. 25.*

CAPVT XI.

De authore coronarum, Pãdora quid. Ianus dictus author coronarum. Prima corona natæ apud menſas hominum, nempe minuendæ, aut ſedandæ grauitati capitis. Prima corona dicta ſtrophia, ſeu ſtrophiola.

DIxi de ijs circulis & coronis, quarum ſola natura artifex eſt. Nunc illas exequar quas humana manus nectit, cuiuſcunque tandem formæ, materiæue ſint. Quod, ſcilicet, eſt inſtitutum meum, illúdque argumentum, cui curam hanc meam ſepoſui. Sed antequam huc venio, libet quærere quis fuerit author
Plin lib.16.cap. 4. coronarum. Et quidem Plinius vbi quærit quiſnam Deorum primus coronatus fuerit, ait, *Feruntque primum hominum Liberum patrem impoſuiſſe capiti ex hedera.* Tertullianus (credo è Claudio Saturnino ſumptit, cuius epitome quædam videtur eſſe de corona
Tertull. de cor. mil. militis liber) tradit primum caput coronatum fuiſſe à Charitibus, *cum ab omnibus muneraretur. Vnde Pandora.* Id quod ipſe his verbis confutat, *Nobis verò*, inquit, *Moyſes propheticus, non poëticus paſtor principem feminam Euam faciliùs pudenda folijs, quàm*
Fulgent. lib. 2. myth in Prometh. *tempora floribus incinctam deſcribit, Nulla ergo Pandora. Sed & de mendacio erubeſcenda eſt coronæ origo.* Alij tradunt, diuinam prouidentiam formaſſe Pandoram; *Pandora enim Grecè*, inquit Ful-
Philo π. κόσμ. Ariſtoph. ὄρνιθ. & ibi Scholiaſt. gentius, *omnium munus dicitur.* Philo Iudæus & Ariſtophanis Scholiaſtes, aiunt, πανδώραν eſſe τὴν γῆν terram, quam poëtæ vocãt παμμήτορα & καρποφόρον. Et hoc ſenſu verum eſt, terram omnium primam coronari illa materia quæ omnis generis coronas effundit. Itaque hanc ob cauſam meritò ab Heſiodo vocatur εὐστέφανος,
Tzetz. in 1. lib. Heſ. quicquid dicat Tzetzes, eam ſic vocari propter pulchritudinem circuli; aut quia nos ſuis inuentis coronat, & omnis generis fructibus. Certè meritiſſimò ipſa floribus & fructibus coronatur,
Philo π. ἀφθ. κόσ. cùm ipſa illa coronamenta habeamus muneris ſui. Dicta eſt enim πανδώρα ſicut πάντα δωρουμένη, omnia donans.

Columel. de cultu hort. lib. 10.

—— *iam verſicoloribus anni*
Fœtibus alma parens cingi ſua tempora gaudet.

Sic apud eundem hortus coronatur floribus.

Iamque Dioneis redimitur floribus hortus.

Pergit Tertullianus, & ait, *Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum. Iouem Diodorus poſt deuictos Titanas hoc munere à cæteris honoratum.* Ergo nec à Pherecyde, nec à Diodoro, ac ne ex ipſo quidem Tertulliano quicquam certi ſuper hac re elici poteſt. Alij tradunt

tradunt, Ianum fuiſſe authorem coronæ, qui idem fuit inuentor farris & vini. Nempe vtrumque mortalibus præbuit, non tam cibo aut potui, quàm diuino cultui, & ſacris inſtaurandis. Et verò in priſcorum ſacrificijs hæc duo fuiſſe conſtat, vt diſcimus è Lactantio; *Quid enim*, inquit, *habent dicere cur Dij hominibus tam diligenter ſuis quæque temporibus exhibeant? An vt illis far & merum demus, & odorem thuris, & ſanguinem pecudum?* Nimirum, priſcus ille Ianus ſator hominum coronarum quoque author perhibetur, vt rem per ſe nobilem, magnam & auguſtam maieſtas inuentoris, & ſacrorum dignitas validiùs commendaret. Et verò hunc Ianum in Italia, ſicuti Liberum in India & Aſia, præclariſſimæ cuiuſque rei auſpicem faciunt, vt pote nauigij & monetæ. Ideóque ratem & coronam ei ſculpſerunt loco præmij. Porrò inuentor farris & vini coronæ quoque author cluet, quia far & vinum ab altaribus Deorum tranſlata ſunt ad menſas hominum, apud quas natæ ſunt primæ coronæ. Id quod accidit hac potiſſimùm ratione. Noui illi γηγενεῖς terræ ſatu concepti homines ſimulátque temetum olfacere cœperunt, noua dulcedine capti, eo ſeſe inundarunt. Hinc ipſis haud leuiter tactum cerebrum fumi calentis vapore, eo qui eſt è vini ebullientis aſpergine. Ergo & illis caput vacillare, & oculi nare, & lingua balbutire, & pedes errare cœperunt. Verè quiſpiam illis baronibus obiectaſſet ea quæ Antinous vnus procorum Penelopes improperauit illi, quem ignorabat eſſe Vlyſſem,

Οἶνός σε τρώει, μελιηδὴς, ὅστε καὶ ἄλλους
Βλάπτει, ὅς ἄν μιν χανδὸν ἕλῃ, μηδ' αἴσιμα πίνῃ.

Vinum te lædit dulce, quod & alios lædit, quicunque ipſum abundanter capit, nec decenter bibit. Denique vſque eò recepta opinio eſt, primùm Italiæ præbitum fuiſſe vinum, nempe à Iano, qui ibi conſedit, vt eam firmét vocatam Oenotriam à priſco vſu vini. Verùm illud καρηβαρεῖν ſiue καρηβαρίαν, illa, inquam, capitis grauitas ſiue cephalalgia quæ erat è vino, ſæpe interpellabat lætitiam conuiuialem. Huic grauitati minuendæ, dolori etiam mitigando cœperũt ſibi vtrumque tempus obuia qualibet re vincire, hoc eſt, caput fortiter adſtringere, docente, videlicet, Deo; Vt qui morbo cauſam dederat, ille ipſus remedij mõſtrator eſſet. Neque enim aut verum putabant, aut ne ſuſpicabantur quidem id quod Plinius tradit, *faſcia mulieris alligato capite, dolores minui*. Et hæ quidem primò non coronæ dictæ, ſed ſtrophia & ſtrophiola, hoc eſt faſciæ & faſciolæ, ἀπὸ τοῦ στρέφειν à verrendo ſic appellatæ, ſeu torquendo. Quanquam poſtea idipſum fuerunt quod coronæ. Virgilius hac voce eſt vſus in prima illa ſignificatione, in his verſibus,

Athen. lib. 15. & Q. Fab. Pictor lib. 1.

Lactant. lib. 7. cap. 6.

Plutarch. κεφαλ. χαρακ. ῥωμ.

Homer. Odyſſ. φ.

Steph. οἰνωτρία.

Pollux lib. 2.

Plin. lib. 28. c. 7.

Virgil. in Capa.

Eia age, pampinea feſſus requieſce ſub vmbra,
Et grauidum roſeo necte caput ſtrophio.

Hac ipſa de cauſa hæc eadem ſtrophia dicta ſunt ἀναδήματα, noſtris vincula, Ouidius,

Ouid. lib. 4. Faſtor.

Cúmque ſua dominæ [Veneri] *date grata ſiſymbria myrto,*
Textáque compoſita iuncea vincla roſá.

Tertull. de cor. mil. Hoc ipſum agnoſcit Tertullianus vbi ait, Quis coronæ vſus niſi vinculi tantùm? Certè coronæ nomine interdum ſignificata ſunt vincula; cuiuſmodi fuerunt illa quæ geſtabantur in honorem Promethei tanquam viciſſim nos ei pœnam pendamus, quod noſtra cauſa vinculis ſit oneratus. vt in his verſibus,

τῷ δὲ ξένῳ στέφανον ἀρχαῖον στέφος
Δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου.

Hoſpiti priſcam coronam circumdo Vinculorum Promethei ſociam. Cæterùm hæc dictio vſque eò inualuit, vt hæc ipſa vincula ſignarint στεφανώματα, coronas ſiue coronamenta, etiam apud noſtros, vt in loco Ouidij, quem paulò ante citaui, *Athen. lib. 15.*

Textáque compoſita iuncea vincla roſa,

nempe eodem ſignificatu quo ſunt apud Græcos ἀναδήματα; hoc eſt diademata, ſiue redimicula regia; vt in loco Ariſtidis, vbi is commendat Smyrnam Imperatoribus ſiue vt calyptram reginarum vel imperatricum, ſiue vt regium, vel imperatorium capitis inſigne. A noſtris dicta quoque ſunt redimicula, eo ſignificatu, quo redimire ſæpe eſt coronare, vt apud Capellam, *Ariſtid. in epp. ad Imp.*

Martian. Cap. lib. 9.

Ipſa etiam fulcris redimicula nectere ſueta
Flora decens trina eſt anxia cum Charite.

Senſim quoque factum eſt, vt eadem prope cum primæua illa ſignificatione στρόφιον ſit ἡ γυναικεία ἀναδέσμη muliere cingulum. Et vocem quidem στρόφιον deriuant quoque à στρόφος, quæ eſt faſcia, vt apud Homerum, *Martian. Cap. lib. 1.*

Homer. in hym. Apoll.

ἀμφὶ δὲ χρύσεον στρόφον ἧκαν.

circa autem [Apollinem] auream faſciam iniecerunt. Deinde addito ei decore, hanc faſciam factam eſſe τὸ στρογγύλον ζωνάριον, teres cincticulum. Neque verò ſtatim ſtrophium ſignificauit coronam, ſed, Plinio teſte, tenuiorem tantùm coronam, hoc eſt, corollam. *Vnde*, inquit, *nata ſtrophiola. Quin & vocabulum ipſum tardè communicatum eſt.* Tale ſtrophium, ſeu ſtrophiolum, ſicuti rem vernaculam, & nullius neque pretij neque dignitatis Tertullianus componit cum diademate, vt res diuerſiſſimas. *Quid*, inquit, *caput ſtrophiolo, aut dracontario damnas diademati deſtinatum?* Hinc ſtrophæ, id eſt verborum captiunculæ; *nec fabulæ*, inquit Tertullianus, *ſed veritates, nec ſtrophæ, ſed ſimplicitates.* Et Prudentius, *Plin. lib. 21. c. 2.* *Tertull. de cor. mil.* *Tertull. lib. de ſpectac.*

Væ captioſis ſycophantarum ſtrophis, *Prudent. in alt. præfa apotheoſ.*
Væ verſipelli aſtutiæ.

Eodem ſenſu Hieronymus vocat hæreticorum ſtrophas, id eſt captioſum, ac tortuoſum genus loquendi, atque adeò ſubdolum & fraudulentum. Plinius; *ego aliquam ſtropham inueniam, agámque cauſam tuam,*&c Hinc intelligimus, ne Ianum quidem, quamuis rerum præclariſſimarum celeberrimum authorem verè dici poſſe inuentorem coronarum, & ſi is, inuento farre & vino, cauſam dedit conuiuiis & epulis, vbi natæ ſunt coronæ; ſed laudem rei tam præclaræ totam eſſe neceſſitatis, cuius ea vis eſt, vt homines, quamlibet ſtupidos & obtuſos, acuat. Non ergo mirum eſt ſi dolor capitis inuenit vincula; quibus deinde acceſſerunt omnia illa additamenta, quorum contextus coronas facit. *Hieron. epiſt. lib. 1. ep. 50.* *Plin. epiſt. lib. 1. ep. 18.*

CAPVT XII.

Seruiæ coronæ. Sertum vnde dictum. Quid ſit. Sertum, corolla & flores corollarij, Tum ij quibus conſperguntur ſepulchra, & coronæ certaminum ac triumphorum. Sertum inſigne regium, & corona ex auro & gemmis.

NIHIL eſt in antiquitate frequentius quàm ſerta ſumpta pro coronis. Quòd ſi Plinio credimus, coronæ antiquitùs dicebatur ſeruiæ à ſerendo, ac ſi dicas, ſeminatæ. Huc addo, quod, eodem Plinio authore, *arborum ramis coronari in ſacris certaminibus, mos fuit primùm.* Eo more ſi non planè verſo, at ſaltem vſu florum vnà cum ramis recepto in coronamenta, nouæ quodammodo rei nouum nomen inditum. Nam coronæ è ramis, floribúſque textæ ſerta dici cœpta, ſicut inſerta & implexa, nempe à verbis ſero ſeui, & ſero ſerui; Quorum illud ſignat ſemino & planto; hoc admoueo, contexo, compono, ordino. Quippe vtriúſque verbi ſupinum eſt ſertum, participium ſertus, vnde noſtra hæc dictio fœta amborum ſignificatibus. Et verò ſertum dici conſtat non id modò quod eſt ſeminatum, ſed & id quod eſt admotum, textum, digeſtum, adunatum, & implexum. Videtúrque ſertum opponi ſoluto, vt in hoc loco Apuleij, *Hinc gratiæ gratiſſimæ, inde horæ pulcherrimæ, quæ iaculis floris ſerti & ſoluti, deam ſuam propitiantes ſcitè ſcitiſſimum conſtruxerunt chorum.* Idem alibi, *Iamque per plateas commeantem populi frequenter floribus ſertis & ſolutis adprecantur.* Itaque cùm horum ſignificatuum nullus non coronam exprimat, nihil mirum ſi ſertum ſignificat corollam & coronam, id eſt, circularem textum eorũ florum qui capiti redimiẽdo *Plin. lib. 21. c. 2.* *Apul. Metam. lib. 10.* *Apul. Metam. lib. 4.*

aptus eſt ac deſtinatus. Equidē hoc verbū ſero ſerui nihil dubitem
Etymol. εἴρω. deriuare à verbo εἴρω τὸ συνάπτω. Certè τὰ συνειργμένα ſunt τὰ συνηρμοσμένα ἐν κύκλῳ ſimul aptata in circulo. Et hoc ſenſu coronæ dicūtur
Ariſtid. in Panath. cōſeri & cōiungi, ſeu connecti velut in orbem. Ariſtides ὥσπερ οἱ τοὺς στεφάνους συνείροντες, vt ij qui coronas connectunt. Itaque ſertum, dictio iamdiu placita, & , ſeruijs obliteratis, recepta vſque eò inualuit, vt nunc quidem nullum ſit genus coronæ quod non hoc nomine cenſeatur. Et quidem ſertum ſignificare corollam, etſi ex innumerabilibus locis probari poteſt, tamen vno aut altero ſum contentus. Ouidius.

Ouid. lib. 9. Metam.
Haud alio vultu quàm ſi conuiua iaceres
Inter plena mihi redimitus pocula ſertis.

Interdum ſumitur pro floribus è quibus corollæ contexuntur. Virgilius de Venere cui fit res ſacra,

Virgil. 1. Æneid.
Vbi templum illi, centúmque Sabæo
Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.

Sed ſanè ſæpiùs hac dictione ſignantur flores commixti & coacti quandoque in ſpeciem coronæ, quas vocant στεφάνους ἰοδυκέας, quan-
Athen. lib. 10. doque ſoluti. Statius,

Stat. li. 2. Sylu.
Dum ſæpe domi noua ſerta ligantem
Te videt,

Idem alibi,

Et ſi quà patet, aut diem recepit,
Sertis mollibus expleatur vmbra.

Lethæa ſerta dictæ ſunt ex coronæ, quibus conſpergi ſepulchra mos fuit. Statius,

Stat. lib. 5. Sylu.
Illuſtrémque animam lethæis ſpargite ſertis.

Serta quoque ex coronæ dictæ quibus donabantur victores certaminum quinquennalium. Statius,

Stat. li. 5. Sylu.
Ille tuis toties præſtrinxit tempora ſertis,
Cum ſtata laudato caneret quinquennia verſu.

Ouid. lib. 2. de triſt. Signat & coronas triumphales. Ouidius,

Auſoniúmque ducem ſolitis circumuolet alis [victoria]
Ponat & in nitida laurea ſerta coma.

Denique ſertum ſignificat inſigne regium, hoc eſt, diadema. Martianus capella de corona Ariadnes,

Martian. Cap. lib. 2.
Hoc quoque Nyſiacis quod ſparſum floribus ardet
Multiplici ambitum redimitur lumine ſertum.

German. in Phænom. Ar. Et Germanicus in Arati Phænomenis,

Quantúmque à læua diſtantia ſerta notantur
Erigitur tantùm ſerpens.

Apud Capellam caput ſertatum eſt coronatum, ſeu diadematum

Cui galeatus vertex, ac regali caput maieſtate ſertatum. Et in gloſſario legimus Sertat.i.coronat, ϛεφανοῖ. Ergo Tertulliano loquenti de ea, quam dixi, corona Ariadnæ, ſertum eſt corona ex auro & gemmis. *Dat,* inquit, *Priapo* [Pherecydes] *& tænias idem, & Ariadnæ ſertum ex auro & Indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus, poſt & ſydus..* *Martian. Cap. lib. 5.* *Tertull. de cor. mil.*

CAP. XIII.

E qua materia fierent primæ coronæ. Coronæ plectiles, Zonæ item plectiles. Artes plectiles, Corona muliebris plicatilis, Diademata plectilia. Syllogiſmi plectiles. Coronæ nexiles, tortiles, cyliſtæ, ſiue encyliſtiæ. Bacchi corona ficulnea. Coronæ è prunis. Coronæ ſutiles.

CÆTERVM iſta prima ſerta, ſeu coronæ, nectebantur è floribus, è gramine, ſalice, arundine, lana, lino, hedera, omniquc adeò materia plectili, nexili, plicatili, tortili, flexili. Ergo quòd plectebantur plectiles dictæ; indéque omnia πλέγματα, vt vocantur à Theophraſto, & numerantur in mundo muliebri, vt liquet ex hoc loco Plauti, *Theophraſt. lib. 4. de plant.*

Pro galea ſcaphium, pro inſigni ſit corona plectilis. *Plaut. Bacch. actu 1. ſc. 2.*

Græcis ſunt ϛέφανοι πλεκτοὶ, Æſchylo ἀνθη πλεκτὰ, Homero πλεκτὴ ἀναδέσμη. Et coronæ, nempe florales, propriè dicebantur plecti, τί γὰρ δὴ ὦ Ἑρμῆ ἔλεγε ϛεφάνους πλέκειν, καὶ ἀμελεῖν τῶν προβάτων; Quid attinet, ô Mercuri, coronas plectere, & ouium curam omittere? Vbi plectere eſt formare in orbem. Vnde eleganter Herodotus de Deo dixit, ἰδὲ θεὸς γλυκὺν πλέξας τὸν αἰῶνα, δυσξύνετος ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται αἰών. Ecce Deus dulce cum plexerit ſæculum; difficile intellectu in ſe inuenitur ſæculum. Ad harum coronarum ſimilitudinem factæ quoque ſunt zonæ plectiles, cuiuſmodi fuit illa quam ſibi Hippias Sophiſta Perſicis ſimilem confecerat. Porrò operoſiores hæ coronæ ſenſim ſunt fieri cœptæ ab aliqua, ſcilicet, illarum artium, quas vocabant τέχνας πλεκτικὰς, quarum mentio apud Platonem, vt earum quæ ſunt omnium artium antiquiſſimæ. Huc quoque pertinet prouerbium λεπτὴν πλέκει tenuem plectit, de paupere dictum. Nam pauper non è pluribus operoſam, ſed è pauculis floribus tenuem coronam plectit. Sed quòd in mundo muliebri multa ſunt πλεκτὰ, cuiuſmodi μάχαιραι, πλεξῶνες, κάλυκες, ϛρόφιον, ὀπισθοσφενδόνη, σφενδόνη, ἀναδήματα, κάλαμοι, καλαμὶς, ἔνβολαι, omnia aurea aut deaurata, non mirum eſt, inter hæc quoque cenſeri coronam muliebrem plicatilem. Huius coronæ meminit Artemidorus, vbi recenſet plectilem, ſeu plicatilem ſupellectilem, hoc eſt, lina, retia, *Athen lib. 11.* *Æſchyl. Perſ.* *Philoſtr. vita Apollon.* *Homer. Iliad.* *Stob. πε. τοῦ βίου, ὅτι βραχ. ἐστι καὶ εὐτελ.* *Plato in Hippia.* *Plato lib. 3. de leg.* *ἐν παροιμ.* *Pollux l. 5 c. 16.* *Artemidor. lib. 4. cap 6.*

ſportas, nubeculas, ſeu velamina, caniſtra, corbes, calathos, vittas, monilia aurea, torques & coronas. Ipſa quoque diademata fuerũt πλεκτὰ, vt alibi dico. Ad exemplum harum coronarum dictæ ſunt πλεκταὶ ſiue πλεκταὶ τῶν λόγων, qui ſophiſtis erat ἀΐδιμος συλλογισμὸς, continuus ſyllogiſmus. Hos Prudentius Græcorum imitatione vocauit ſyllogiſmos plectiles, nempe captioſum & fraudulentum genus concludendi.

Theophraſt. in charact.
Lucian. vit. auct.
Prudent. in alt. præfat. apoth.

Soluunt ligantes quæſtionum vincula
Per ſyllogiſmos plectiles.

Hæ quoque coronæ dictæ ſunt πηκταὶ, pactiles, quaſi iunctæ, id eſt è floribus artificioſè mixtis compactæ. Pactili coronæ Plinius ſummam autoritatem fuiſſe dicit. Dictæ ſunt & nexiles, quod conſtabant è nexibus florum. Nempe ipſi flores necti dicebantur, vel innecti, vt apud Plinium, *Quæ*, inquit, *ſcribis complere apes floribus & innectere videntur*. Etſi non ſum neſcius pro innectere, legi quoque *nectare*; vt illud ad artificium & pulchritudinem coronarum, hoc ad ſuauitatem florum referatur. Dictæ quoque ſunt ἑλικταὶ, tortiles ſeu volubiles, aut voluentes ſe. Tortam coronam Propertius vocauit in loco ſuprà citato, de corona Ariadnes,

Plin. lib. 21. c. 3.
Plin. epiſt. lib. 4. ep. 3.
Propert. lib. 3.

Teſtis ſyderea torta corona Deæ.

His proximè acceſſerunt cyliſtæ, ſiue encyliſtiæ, quæ fiebant ἐκ κυλίσε, quarum meminit Pollux; aítque è loco Archippi hanc eſſe στεφάνην ἐκ τῶ κυλίσων. Vtinam Pollux aliquid vberiùs dixiſſet. Néque enim neſciremus quid ſignet hæc vox. Quid, ſi apud Pollucem legamus ἐκ τῶ κυκλίων; è rebus rotundis, ſiue orbicularis? Videntur enim hæ coronæ non ſolùm fuiſſe forma circulari, ſed & in eas tantùm fuiſſe admiſſas res orbiculares, veluti ad volubilitatem rotundatas. Quippe hinc tota corona fiebat firmior ac ſolidior, ac proinde volubilis, verſatilis, rotatilis. Hanc coronam his verbis deſignat Apuleius, *Indiuiduo nexu corona totis floribus, totíſque conſtructa pomis adhærebat*. Et hoc videri poteſt eſſe illud quod ſignat Euſtathius cùm ait, has coronas ſic dici, διὰ τὸ εἰς τὸ εἶναι κυλιστὰς στρεφομένας, nempe ἐκ τοῦ κυλίω voluo, deuoluo, quòd impulſæ voluebantur. Hunc motum conficiebant res ſolidiores, è quibus hæc corona conſtabat, nempe poma, & fructus ij, qui erant duriuſculi præ herbis & folijs, rebus, ſcilicet, mollioribus. Hanc quoque coronam videtur deſcribere Plinius his verbis, *Quædam coronæ per coronas currebant*, id eſt, quædam tanta latitudine & laxitate texebantur, vt minores coronas exciperent & complecterentur. At hæ minores coronæ maioribus coronis implicitæ per interiorem ambitum illarum maiorum facilè currebant. Quod artificium quale fuerit, me planè neſcire fateor. Dicimus tantùm coro-

Pollux lib. 7. cap 30.
Apul. lib. 11. metam.
Euſtath. in 1. odyſſ.
Plin. lib. 21. c. 1.

nas cyliſtias, ſiue encyliſtias, ſiue, vt ait Nicander ἐγκυλιστοὺς diſtin-
ctas fuiſſe ab herbaceis & foliaceis; atque, vt ex Apuleio aliiſque
probatum eſt, compactas è globulis, propter quorum firmitatem
facilè rotabant & voluebantur. Neque tamen in hoc tantùm ne-
ctebantur, vt voluerentur; nempe non tam coronæ fuiſſent quàm
rotæ, aut rotulæ, ſed potiùs vt ſuſpenderentur, & viſendæ propo-
nerentur ob pulchritudinem. Id quod ſcire licet è loco Alexis in
Scirone, *ὥσπερ κύλιστος στέφανος αἰωρούμενος*, vt corona cyliſta ſuſpenſa.
Et hac quidem de cauſa magnas nugas agit Nicander apud Euſta-
thium, & apud Athenæum cùm ait has cyliſtias plerunque fieri è *Athen lib.15.*
roſis. Veriſimilius is qui è ficu. Nam ficum numerari inter arbo- *Athen lib.15.*
res ſcabras & duriuſculas, nec arborem ſolùm, ſed & folia eius, di-
ſcimus è loco Plutarchi, ficus, inquit, folium propter aſperitatem *Plutarch. ſym-*
θρῖον nominatur. Etſi θρῖον quoque dicitur de chamæpity, onogy- *poſ.5.*
ro, & ſiderite. Ergo folia ficus propter ſcabritiem videtur habuiſ-
ſe locum in cyliſtijs, idque ſingulari exemplo; & fortaſſe imitatio- *Scholiaſt. in*
ne eius coronæ, quam Bacchus ſibi feciſſe dicitur è folijs ficulneis *alexiph Nic. v.*
τοῖς τῆς συκῆς φύλλοις. Nempe hoc cultu Liber triumphauit inſidens *θρίων. 54.*
currui, quem leones trahebant. Ipſo τῷ θρίῳ folio ficulneo videtur *Ariſtoph. ἱππ.*
antiquitas demonſtraſſe Bacchum; hoc eſt, τὸ θρίον videtur fuiſſe *Etymol. θρι-*
ſymbolum huius numinis, θρίῳ, inquit Plutarchus, auſtralem mun- *αμβος.*
di plagam pingunt, ſiue repræſentant. Et interpretantur τὸ θρίον *Plutarch. π.*
πεπηγὸς, & videtur genitali parti naturæ ſimile eſſe. Hanc ipſam *Ἰσιδ. καὶ Ὀσιρ.*
coronam videtur monſtrare Philetas in his verſibus,

μῆλα φέρων κόλποισι τὰ οἵ ποτε Κύπρις ἑλοῦσα
Δῶκε Διωνύσου δείκελ' ἀπὸ κροτάφων.

Poma ferens ſinu, quæ ei quondam cypris exempta à temporibus
Liberi dedit. Tradit idem Plutarchus, ſiquid hoc ad rem pertinet, *Plutar. Camil.*
famulas Latinorum conuiuantes κλάδοις συκῆς σκιαζομένας, ramis ficus
vmbratas, i. coronatas, nempe hoc coronamenti genere tectas.
Macrobius quoque auctor eſt, Lyrenenſes *cùm rem diuinam Satur-* *Macrob. lib. 1.*
no faciunt, coronari ficis recentibus. Inter cyliſtias coronas Hip- *Sat. cap 7.*
ponax apud Athenæum memorat eam quæ conſtabat è prunis.

Ἐν τῷ σταδίῳ τῶν ἀγωνιστῶν μέ τις *Athen. lib. 2.*
Ἐδόκει στεφανῶν γυμνὸς προσελθὼν στεφάνῳ κυλιστῷ
Κοκκυμήλων, Ἡράκλεις, πεπόνων.

In ſtadio concertatorum me quiſpiam viſus eſt coronare nudus
prodiens corona cyliſta, prunorum, Hercules, maturorum. Quaſ-
dam coronas video vocari ſutiles, quòd folia vnde nectebantur, vt
veriſimile eſt, conſuti mos fuerit. Et hanc, ſcilicet, Artemidorus *Artemidor. lib.*
vocat, τὴν τῶν στεφάνων ῥαφὴν coronæ coniunctionem. *Sutiles*, inquit Pli- *4. cap 30.*
nius, *Saliorum ſacris inuenimus, & ſolennes cenis*; Ac ſi dicat, Suti- *Plin lib. 21. c 3.*

lium coronarum vſus eſt antiquiſſimus. Id quod hinc intelligimus quòd eas in Saliorum ſacris antiquitùs adhibitas ſcimus; atque adeò in Saliaribus cœnis & dapalibus conuiuijs fuiſſe exhibitas. Neque enim hîc dico quænam eſſent ſaliares cœnæ, rem cognitiſſimam ex Apuleio, Symmacho, Auſonio, Feſto, alijs. Addit Plinius, *Tranſiere deinde ad roſaria.* Id quod cuiuſmodi fuerit qui ſcire cupit, penitiùs inſpiciat verba Apicij, vbi is agit de conditura roſarum. *Roſatum,* inquit, *ſic facies: Folia roſarum, albo imi folij prius forcipe ſublato, inſeris: quas vt ſutiles facias, in vino quàm plurimas infundes, ſic vt ſeptem diebus in vino macerentur. Poſt diem ſeptimum roſas de vino tollito, & alias ſutiles recentes ſimiliter immittas, &c.* Itaque ad hanc ſuturam, id eſt ad conſuenda & concinnanda folia roſarum, neceſſe fuit ea ſic macerari, vt manum artificis, & puncturas quibus necterentur, pati poſſent. Pergit Plinius, *Eòque luxuria proceſſit, vt non eſſet gratia niſi mero folio.* Id quod conuenit cum verbis Apicij, qui ad hanc ſui ſæculi luxuriam ſutiles componit. Ergo idem propemodum eſt, ac ſi dicat Plinius, Antiquitùs tota roſa inſerebatur ſutilibus. Sed eò tandem res proceſſit, vt reiecta & faſtidita gratia floris pulcherrimi, eius tantùm folia retenta ſint, quæ vt alia alijs veluti ſquamatim inſererentur, inuenta eſt ea ratio conditurę, quam deſcribit Apicius. Nempe omnis decor harum coronarum videtur contineri artificę quadam ſutura & mixtione foliorum. Et in hoc quidem artificium congerebatur horum florum numerus innumerus. Ea re quidam apud Plutarchum acriter inuehitur in hoc genus coronamenti; aitque hinc ſpoliari arbores; ac naturali & præſidio & ornamento deſtitui, quorum vtrumque conſiſtit in illo foliorum indumento. Quippe flores natura in hoc procreauit, vt eſſent quorum pulchritudine & odorum ſuauitate mulceremur. Ergo qui plectunt coronas è florum folijs potiuſquam ex integris floribus hi perperam vtuntur coronis, cùm folio nihil quicquam ſit imbecillius. Nec immeritò Ariſtophanes deridens quoſdam quos vocat obſcuræ vitæ homines, addit, eos eſſe perſimiles generi foliorum, ὀλιγοδρανέας, πλάσματα κηροῦ, nulli rei, & figmenta ceræ. Sequitur Plinius, & ait, *ſutilibus mox petitis ab India, aut vltra Indos.* Cuius loci hic eſt ſenſus, Primæ coronæ Saliaribus cœnis dari ſolitæ imitabantur ſutiles, quarum exempla è regionibus longinquis ac tranſmarinis ad nos peruenerant. Poſtea, inualeſcente luxu, noſtrates hæ coronæ non ampliùs effigiatæ ſunt ad exemplum illarum Indicarum, verùm etiam illæ ipſæ Indicæ huc tranſlatæ ſunt. At illas Indicas, non vt Italicas, conſtitiſſe è precioſioribus folijs quàm ſunt folia roſarum, docet in ſequentibus verbis; *laudatiſſimum*

Apul. lib. 4. Metam. 38. Symach. lib. 1. ep. 17.
Auſon in vltimis epp.
Feſt. Salios.
Apic. de recu-lin. cap. 1.
Plutarch. ſympoſ. 3.
Refert Clem. Alex. ſtromat. lib. 4.

mum quippe habetur è nardi folio eas dari, aut veſte Serica verſicolores vnguentis madidas. Quæ quoque verba vix puto eſſe ſyncera. Sutilium coronarum nonnulla eſt apud poëtas mentio. Ouidius, *Ouid. lib. 5. Faſt.*

Tempora ſutilibus pinguntur tecta coronis.

Illud, *pinguntur* aſſerit Plinianum illud *Verſicolores*. Hunc ſiue morem, ſiue luxum ſignat Martialis, *Martial. lib. 9.*

Perfundas glaciem triente nigro
Frontem ſutilibus ruber coronis.

Vnde intelligimus, has quoque coronas numeratas fuiſſe inter conuiuiales.

CAP. XIV.

Specimen earum coronarum quæ vinculi tantum præbebant vſum, eſt corona ex Amerina ſalice, & Corona ex arundine vernacula. Salix, prima corona in hoc inuenta, vt grauitati capitis mederetur. More priſco quiſque ferebat propriam coronam ad conuiuium.

EX ijs quæ ſuprà dixi, intelligimus, primas coronas remedio fuiſſe inuentas, nempe adſtringendo capiti inter conuiuialem ſiue lætitiam, ſiue laſciuiam. Quod remedium quia effectu cognitum eſt eſſe neceſſarium, poſteritas conſtanter tueri cœpit, nec tueri tantùm, ſed & augere & ornare. Ergo coronas neceſſitas inuenit, tempus aſſeruit, ſolertia excultas reddidit. Et verò pro incomptis illis, vernaculiſque vinculis, ſiue ſtrophijs ex obuio factis coronæ plecti cœptæ è materia lectiore, ipſaque adeò florum diſpoſitione iam quæſitiore. Sed primę illius coronæ, quæ vnum vinculi vſum præbuit, antequam vltra pergo, ſpecimen promo, nempe eam quæ plectebatur ex Amerina ſalice. Hanc, videlicet, ſolertia eius ætatis, quæ Saturniam illam rudem & ſimplicem proximè ſecuta eſt, ludibrio habere cœpit vt ridiculam & ineptam. Quin & ludibrij cauſa vocitabatur coronamentum ruſticorum, quòd nexibus tantùm & vitilibus eſſet idonea. Hac tamen corona Megiſthen totos decem menſes fuiſſe euinctum tradit Anacreon libro ſecundo carminum. Hæc à me compendio dicta fuſiùs quidam apud Athenæum. Is præter hæc addit neſcio quid hiſtoriæ quod pertinet ad religionem. Id eſt huiuſmodi; Caribus mandatum fuit, vt quomodo ſtatua Iunonis apud ipſos fugam meditata longiſſimis ramis implicita fuiſſet, ad hoc exemplum ipſi ex Amerina ſalice ſe redimirent, id eſt, quo vimine Deam vinxiſ- *Athen. lib. 15.*

ſent, eôdem ſibi quiſque caput obſtringeret. Ibi mentio fit Epæneti poëtæ, quo authore Amerina ſalix eſt priſcum coronamentum Carum. Paulò poſt dicitur, vſum huius coronæ apud Samios duraſſe vſque ad ætatem Polycratis. Denique, poſthabita priſca fabula, creditum eſt, veriſimilius eſſe Megiſthen ſeſe Amerina ſalice redimire ſolitum, quòd ibi vbi ipſe epulari ſolitus eſſet, hoc genus arboris feliciter proueniret. Nam & ipſi Lacedæmonij feſtis Promachiotum diebus arundine vernacula ſeſe coronabant, quòd hoc genus coronamenti ibi eſſet obuium. Cæterùm apud Athenæum vernaculam arundinem illam dici puto quę non eſt odorata, aut dulcis. Nam arundinis odoratæ meminit Cæſar Conſtantinus; & dulcis eius, quæ in Ægypto naſcitur in locis paluſtribus, Theophraſtus. Porrò apud Apollonium Rhodium video ſalicem vocari ἱερὸν φύτον, ſacrum ſtipitem, ſiue truncum. Tradit tamen Plinius, Homero hanc arborem fuiſſe, *frugiperdam, quòd ocyſſimè amittit ſemen; ſecutámque ætatem ſcelere ſuo interpretatam eſſe hanc ſententiam, quando ſemen ſalicis mulieri ſterilitatis medicamentum eſſe conſtat.* Ac tales quidem fuerunt illæ primæ qualeſcúnque coronæ, veriùs vincula rudia & incompta. Nam ſecutis temporibus vix vllæ coronæ fuerunt nexæ è re qualibet quæ eſſet ad manum, ſed, Hercule, ex herbis, frondibus, folijs, floribus medicamentoſis, tam è vinculi adſtringentis, quàm ex herbæ, florúmque indole geminato iuuamine. Flores quoque cùm dico, aut folia, nihil obuium & qualecunque dicò, ſed omnia lecta, ſpecioſa, pretioſa, ſæpe exotica, ſæpe Indica. Quòd verò coronæ in hoc fuerint inuentæ, vt illi, quam parit ebrietas, grauitati & ſomnolentiæ mederentur, docet mos priſcus ferendi & exhibendi eas ſub finem conuiuij. Id quod pluribus locis diſertim tradit Athenæus, & Plutarchus in conuiuio ſapientum, & Theognis in his verſibus,

Conſtantin. Caeſ. lib. 6. c. 7.
Theophraſt. de cauſ. plãt. lib. 6. cap. 16.
Apollon. Rhod. lib 4.
Plin. lib. 6. c. 26.
Plutarch. ἑπτ. σοφ. συμπ.
Theogn. in ſentent.

Ἦμος δ' ἠέλιος μ̃ ἐν αἰθέρι μώνυχας ἵππους
Ἄρτι παραγγέλλῃ μέσατον ἦμαρ ἔχων,
Δείπνου δὴ λήγοιμεν, ὅπου τινὰ θυμὸς ἀνώγει,
Παντοίων ἀγαθῶν γαστρὶ χαριζόμενοι.
Χέρνιβα δ' αἶψα θύραζε φέροι, στεφανώματα δ' εἴσω
Εὐειδὴς ῥαδιναῖς χερσὶ Λάκαινα κόρη.

Cùm verò ſol quidem in æthere ſolidungulos equos iam admonuerit, medium diem habens, Cœnam tunc terminemus, vbi aliquem animus iubet Varijs bonis ventri ſatisfacientes. Gutturium autem ſtatim foras ferat, coronas verò intro Formoſa teneris manibus Lacæna puella. Qui tamen mos non ſemper viguit. Sæpe enim coronabantur initio epularum, vt in hoc loco Euripidis;

——ὡς δ' ἐπληρώθη στέγη, *Euripid. Io. actu 3.*
Στεφάνοισι κοσμηθέντες εὐόχθου βορᾶς
Ψυχὴν ἐπλήρουν.

Completis tandem tabernaculis, coronis ornati feſtis & lætis dapibus animas explebant. Id ipſum docent hi verſus qui ſunt apud Athenæum, *Athen. lib. 15.*

Ὡς γὰρ εἰσῆλθε τὰ γέροντα, τότε εἰς δόμους
Εὐθὺς ἀνεκλίνετο. παρῆν ὁ στέφανος ἐν τάχει.

Domum vt ſunt ingreſſi vetuli, ſtatim accubuerunt. mox adeſt corona. Et ille apud Euripidem ſe non vltra cibum ſumpturum ait, priuſquàm alter coronam ſumpſerit.

——οὐ πρὶν ἄν σέ γε *Euripid. cycl. actu 4.*
Στέφανον ἴδω λαβόντα, γεύσομαί τ' ἔτι.

Non priùs quàm te videro ſertum ſumere, guſtabo vltra. Cæterùm ante quã luxus ille ſurrepſiſſet ſolemnium epularũ, cùm, inquam, ruſtica ſimplicitate petrones illi cõueniebant ad ſeſe, ſi Dijs placet, malaciſſandos & hilarandos, ſuam quiſque coronam eò ferebat; vt poſteaquam ſeſe pluſculum inuitaſſet, eo ſerto, tanquam amuleto muniret ſe aduerſus mala inſtantis ebrietatis. De quo more extat hic locus Euripidis, vbi ait Centauros cum herba coronaria acceſſiſſe ad conuiuium Deorum,

Ἀνὰ δ' ἐλάταισι, στεφανώδει τῇ χλόᾳ *Euripid Iphig. in Aul. actu 4.*
Θίασος ἔμολεν ἱπποβότας
Κενταύρων ἐπὶ δαῖτα τῶν θεῶν,
Κρατῆρα τοῦ Βάκχου.

Venit & equeſtris turba Centaurorum abiegna tela, viridéſque corollas gerens ad conuiuium Deorum, & craterem Bacchi. Hunc quoque morem expreſſit Ouidius,

Venerat & ſenior pando Silenus aſello,
Quíque rubro pauidas inguine terret aues.
Dulcia qui dignum nemus in conuiuia nacti
Gramine veſtitis accubuêre toris.
Vina dabat Liber. tulerat ſibi quiſque coronam.
Miſcendas largè riuus agebat aquas.

Duplici ergo ratione iuuabant primæ illæ, & quæ primas cõſecutæ ſunt, coronæ. Nam quòd illæ primæ vincula erant, caput adſtringebant. Quod nectebantur ex herbis & floribus in hoc lectis vt vini vim maiori vi compeſcerent, certè aut refrigerabant, aut alia quapiam naturali facultate ebrietatis impetus reprimebant, tum capitis dolores mitigabant. Quæ coronæ dotes ingentem celebritatem adeptæ in frequentiſſimo apud omnes vſu poſtea fuerunt, vt infrà dicam.

CAPVT XV.

Refrigerans corona. huius generis eſt roſea. Et è ſmilace, è ſemine ſpinæ albæ, ex herba hirſuta, è gramine dactyli, ex iberi, & quinquefolio, è pulegio, ex amethyſto, e chamæpiti, è filo cui hæreret folium oleæ inſcriptum nomine Mineruæ. Ferales coronæ. De vi odorum. Nimia Tertulliani coronarum inſectatio. Corona è cepis.

REFRIGERANTIS coronæ ſpecimen eſt apud Ariſtophanem in his verſibus,

Ariſtoph. ὄρνιθ.

---- φέρε παῖ στέφανον. καταχεῖτε.
Κατὰ χειρὸς ὕδωρ φερέτω ταχὰ τις.

Fer puer coronam. infundite. Per manum aquam ferat citò aliquis. vbi ſcholiaſtes ait, τοῖς γὰρ εὐωχουμένοις ἀφιέκειντο οἱ στέφανοι καταψύχοντες τὸ κρανίον ἀπὸ τῆς τοῦ οἴνου θέρμης. Nam qui epulabantur, hos cingebant coronæ refrigerantes caluariam, ſiue ſedem cerebri, à calore vini. Huius quoque refrigerantis coronæ mentionem facit Clemens Alexandrinus, vbi oſtendit ridicule refrigerari caput; cùm potiùs medici, vbi cerebrum refrigeratum ſentiunt, ei medeantur vnctione pectoris & ſummi naſi. Cæterùm illa quæ refrigerant plerumque ſunt adſtringentia. Huius generis fuit ῥοδιαῖος στέφανος roſea corona. Nam roſæ ſuper mordacitatem aiunt ineſſe vtramque facultatem refrigerandi & adſtringendi; & hinc minuere grauitatem capitis. Itaque Anacreon ait, coronam roſaceam ſociandam eſſe Baccho, eius vi, ſcilicet, repellendæ.

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8.

Pollux lib. 6. c. 19.

Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων
Μίξωμεν Διονύσῳ,
Τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυλλον
Κροτάφοισιν ἁρμόσαντες.

Roſam quæ [eſt] amorũ, miſcebimus Dionyſio, Roſam pulchram téporibus aptantes. Neque tamen ſum neſcius, apud Plutarchum rideri eos qui roſaceas coronas poſt conuiuium pro laureis capiti imponunt. Quippe iidem aiunt florales coronas eſſe κορασιώδεις puellares, & ludentibus magis conuenire virginibus, & mulieribus, quàm congreſſibus philoſophorum, eorumque qui literarum militia ſint exercitati. Vt vt eſt, diuerſorum florum coronas caput iuuare, antiquitùs creditum & traditum, αἱ τῶν ῥόδων καὶ τῶν ἴων ἀποφοραὶ, inquit Clemens Alexandrinus, ἠσυχῇ οὖσαι ψυχραὶ συστέλλουσι καὶ ἐπισύφουσι τὰς καρηβαρίας, Roſarum & violarum ſuauitates ſiue exhalationes, cùm ſenſim & quietè refrigerent, coërcent, & adſtringunt grauitates capitis. Huius quoque generis eſt corona è ſmilace, quæ facta

impari foliorum numero capitis doloribus mederi creditur. Cæ- Plin. lib. 24.
terùm ſmilacem Theophraſtus dicit eſſe ἄνθος λευκὸν καὶ εὐῶδες, ἠαρινὸν, cap. 10.
florem album, odoratum, vernum. Et Iulianus collocat ſmilacem Iulian. in vlti-
inter plantas odoratas, Verſabere, inquit, in ſmilace & thymo, mis epp.
herbíſque odoratis. Quanta ſmilaci facultas inſit, hinc ſciri poteſt, Theophraſt lib. 3. de plant. 36.
quòd dormientes homines, cùm maximè florens tumeſcit, interfi- Plutar. ſymp 3.
cit. Superioribus coronis annumero alias quæ ſunt ſingularibus
præditæ dotibus. Et quidem Plinius coronam è ſemine ſpinæ albæ Plin. li 24 cap. 12.
dolores capitis minuere dicit. Eâdem vi cenſetur corona ex herba Plin. li. 24. c. 19.
hirſuta, quæ Græcis eſt φιλάνθρωπον. Eodem authore, *gramen tertij* Plin. ibid.
generis dactyli, eius cui cauſtica vis eſt, capiti circumdatum ſanguinis Plin. li 25. c. 12.
è naribus fluxiones ſiſtit. Iberis adalligata capiti cum quinquefolio Plin. li. 27. c. 12.
epiphoras, & ſi qua in oculis vitia ſunt, emendat. Idem tradit; *in*
capitis dolore coronam imponi, & contra epiphoras collo circumdari.
Adeſt & è pulegio corona, de qua hic ipſe Plinius, *Dignior*, inquit, Plin. lib. 20. cap. 14.
è pulegio corona vertigini quàm è roſis, cubiculis noſtris pronunciata
eſt. Nam & capitis dolores impoſita creditur leuare. Quin & olfactu
capita tueri contra frigorum æſtúſque iniuriam, & ab ſiti traditur. Plutar. ſympoſ. 3.
Coronis quoque ex amethyſto non lapide, ſed flore poſt vinum
vtebantur aduerſus vinolentiam. Nam τῶν ἀνθῶν ἀπόῤῥοιαι florum
effluentiæ mirabiliter caput muniunt aduerſus ebrietatem. Atque
adeò quibuſdam floribus aiunt ineſſe vim fouendi cerebri. Aliis
inſunt aliæ facultates, & quidem admirabiles. Huius generis eſt Plutar. ſympoſ. 3.
alyſſos quæ liberat hominem ſingultu non ſolùm iacta, ſed viſa.
Huc quoque refero coronam nexam è ramulis eius herbæ, quæ
Græcis eſt χαμαίπιτυς, & [illegible], noſtris abiuga, ſiue abiga, & humi- Conſtātin Caſ. lib. 7. cap. 31.
lis pinus. Quippe aiunt eum qui hac corona ſit coronatus, non
inebriari. His addo illam quæ fiebat ex eo filo, cui hæreret folium Conſtātin. Caſ. lib. 9. cap. 1.
oleæ, in quo ſcriptum eſſet nomen τῆς Ἀθηνᾶς Mineruæ. Hinc quo-
que capitis dolores ſedari aiunt. Vſque cò verum eſt, corona caput
non ſolùm ornari, ſed iuuari & ſeruari. Sed mirú eſt, tam ſalutare,
támque illuſtre inuentum humanā nequitiam reperiſſe quomodo
ad nefarios vſus traduceret. Nempe, repertæ ſunt nefandæ coronę
harum, quas dixi, tam ſalubrium per nomen quidem & ſpeciem
imitatrices, at re & effectu ferales, atque adeò capitis, cui impo-
nuntur, interfectrices. De his ſcripſerunt Mneſtheus & Calli-
machus medici à me ſupra memorati. *Quoniam & in hoc*, inquit Plin lib. 21. c. 3.
Plinius, *eſt aliqua valetudinis portio, in potu atque hilaritate præci-*
puè, odorum vi ſurrepente, fallaciter ſcelerata Cleopatra ſolertia.
Namque apparatu belli Actiaci gratificationem ipſius reginæ Anto-
nio timente, nec niſi prægustatos cibos ſumente, fertur fauore eius luſiſ-
ſe, [l. timori eius illuſiſſe.] *extremis corona floribus veneno illitis, ip-*

ſáque capiti impoſita. Mox procedente hilaritate, inuitauit Antonium vt coronas [p. coronati] *biberent, nempe vterque. Quis ita timeret inſidias?* Hoc tantum ſcelus, aliòſque abuſus coronarum equidem reputans magnopere probo illam actitatem Tertulliani, quæ vnam ſpectat ſynceritatem morum, qua is totus exarſit. Sed vbicunque is acerbius inuehitur in coronas, vbi eas deridet, vbi eas ita proſternit, vt in coronis vnum agnoſcat vſum vinculi, ac præterea nihil, ibi verò, quod eius venia dictum ſit, à ſumma eius pietate prouoco ad ſingularem eruditionem. Neque enim neſciuit, odorum vim non minùs conducere ad ſanitatem, quàm ad voluptatem, vt ex Ariſtotele Plutarchus tradit, nimirum, per calorem & ſubtilitatem cerebro ſe leniter infundentem. Certè vbi

Plutarch. π. Ισιδ. ϗ Οσιρ. is loquitur de cufi Ægyptio, tradit dulci ſpiritu, & ſalutari quadam exhalatione moueri aërem, cuius per reſpirationem corpus tactum manſueſcit. Tunc enim fit gratum quoddam temperamentum, quod mœſtitiam diſcutit, nec tamen cerebrum ebrietate occupat. Quæ etſi vera ſunt, nihilominus tamen Tertullianum vſque iuuat illudere tantæ rei. *Ceterum*, inquit, *in capite quis ſa-*

Tertull. de cor. mil. *por floris? quis coronæ ſenſus niſi vinculi tantum? Quia neque color cernitur, neque odor ducitur, nec teneritas commendatur. Tam contra naturam eſt florem capite ſectari, quàm cibum aure, quàm ſonum nare.*

Tertull. Apolog. Similis ſeueritatis extat alius apud hunc ſcriptorem locus. *Non emo capite* [l. capiti.] *coronam, nempe Liberalibus. Quid tua intereſt, emptis nihilominus floribus quomodo vtar? puto gratius eſſe liberis & ſolutis, & vndique vagis. Sed etſi in coronam coactis, nos coronam naribus admouimus. Viderint qui per capillum odorantur.* Nec Tertullianus tantùm acerbè coronas inſectatur, ſed & Clemens

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8. Alexandrinus, vbi ait, coronatos amittere τὸ τερπνὸν τῆς αἰσθήσεως ſuauitatem florum. Nec vident, inquit, coronati coronam, locatam ſuper oculos. Atque adeò cùm odor natura ſurſum vergat, eo reſpiratio priuatur; vt ſemel dicam, florum eſt iniuria non nutrimentum ijs frui ſupra aſpectum. Atque hæc quidem omnia vi-

Lucian. Nigr. dentur ſumpta à veteri quodam philoſopho qui eos, qui coronis vterentur, inſectari ſolitus eſſet, qui neſciunt locum coronæ. Siquid enim, inquit, gaudent halitu violarum, & roſarum, oportuit eos coronari ſub naribus, vt per reſpirationem hinc traherent plurimum voluptatis. His affine eſt dictum Socratis relatum à

Xenoph. memorab. lib. 1. Xenophonte, odorum, niſi nares acceſſerint, nulla vtilitas. Etſi de odoribus tantùm, non etiam de floribus ibi loquitur Socrates. Porrò à temporibus & capillis odorem ad nares peruenire, è naribus, inquam, duci odorem qui eſt in capillis & in vertice, non eſt res tantæ abſurditatis, quanta huic tantæ coronarum inſectationi.

prætenditur. Ipſe Tertullianus cùm ait, naturam ſignaſſe vſum florum, quam ipſe vocat, naturæ præſcriptionem, addit eam non debere eſſe potentiorem ſectæ interdictione. Vbi palam fatetur, Quod natura licet, ſectam, videlicet, Chriſtianam facere inlicitum. Sed vbi hæc interdictio? Quinimo in ſacris libris nihil quicquam eſt magis obuium quàm mentio coronæ. Vſque eò & ipſi ſpiritui ſancto complacitus eſt florum decor, & coronarum vſus. Et verò in Apocalypſi non ſolùm viginti quatuor ſenioribus, ſed & ipſi Chriſto aptatur corona, non illa ſpinea prompta è ſupellectile carnificis, ſed illa de qua nunc ago; illa ipſa, cuius meminit Prudentius in his verſibus, *Tertull. Apoleg.*

Regia mirifici fulgent inſignia Dauid, *Prudent. in enchir.*
Sceptrum, oleum, cornu, diadema, purpura & ara.
Omnia conueniunt Chriſto, chlamys atque corona.
Virga poteſtatis, cornu crucis, altar diuum.

Nimirum oleagineam coronã Chriſto tribuit, id eſt, & victricem & triumphalem. Quæ tamen, ſi admittitur ſententia Tertulliani, planè inutilis & ridicula eſt. Vſque eò is, vbicunque occaſio eſt, nihil coronæ parcit. Certè fatendum eſt, tam multa fœdè perpetrata vbi interueniebant coronæ conuiuiales, (id quod alibi dico) vt priſca illa Chriſtiana pietas acriter ac ſeuerè inſurrexerit in abuſum coronarum. Id quod cum Tertulliano excuſat Clementem Alexandrinum, qui quærit an fas ſit vti coronis & vnguentis, quorum vtroque homines impelluntur ad voluptates, & ad libidinem, potiſſimùm aduentante nocte. Salutaribus coronis adnumero myrteam. Nam hanc quoque vini vim compeſcentem, & Baccho inimicam ferunt. Et hoc eſt quod Pollux ait, Anacreontem myrtis coronari ſolitum, nempe dum crebriùs & largiùs potaret. Etſi alia huius coronæ ratio eſt, quòd myrtus, vt infra dico, eſt Veneris. Cęterùm quòd cępe, eliciendo lachrymas, oculis prodeſt, & ipſum inter huius generis coronamenta receptum eſt. Huius coronæ meminit Artemidorus; eique locum aſſignat inter illas quæ per quietem viſę quidpiam ſignificant. Ergo has coronas illis prodeſſe ait qui ſomnium viderint, non item ijs qui ei proximè adſtant. Fortaſſe hoc genus coronæ ſignauit Callimachus in hoc verſu,

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8.

Plin. li. 15. c. 29. & Athen. li. 15. Pollux lib. 6. c. 19.

Ariſtot. probl. 9. ſect. 31. Artemidor. lib. 1. cap. 79.

Scholiaſt. in alexiph. Nicãd. in μύκωνος κεβληγόνι.

—— ἀμφὶ ἑ κόσλω
Εἱργμένος ἀγλίθων οὖλον ἔχει στέφανον,

circa caput vinctus cæparum teneram habet coronam.

CAPVT XVI.

Corona hederacea. Hedera Baccho ſacra. Hedera & vitis cur ſocientur. Ex hedera & vite fit coronamentum Bacchi. Cur cum hedera compeſcat vim Bacchi, nihilominus tamen ſit coronamentum huius numinis. Liber hederatus, & laureatus.

SVPERIORIBVS coronis annumero hederaceam. Nam præter id quod hedera ſponte prouenit, & vbiuis gentium eſt obuia & percopioſa, atque ideo vbique hac fronde redimiri licet, huic ſeu facilitati, ſeu commoditati accedit hæc ipſa facultas refrigerans & adſtringens, denique ſedans τὴν καρηβαρίαν dolorem capitis. Tradidit antiquitas, Bacchum fuiſſe peritum medicinæ, primò, quia fuit inuentor vini, quod numeratur inter fortiſſima & ſuauiſſima remedia. Deinde quòd vino oppoſuit hederam, & ex ea coronam plectere docuit; hæc enim quia eſt φιλόψυχος καὶ ἐμψύχει amans frigoris & refrigerat, ebrietatem extinguit. Hac de cauſa antiquitas eam, quomodo draconem, Deo conſecrauit, veriùs quàm ob illam quam refert Phornutus, videlicet, propter ſimilitudinem vitis & racemorum. hinc epithetum βοτρυοστέφανος racemis redimitus, quod reſpicit vtramque vocem & vitis & hederæ. Et ſi verum eſt, hederam, propter hanc ſimilitudinem in coronamētis quādoque ſuccedere in locum vitis. His omnibus, inquit Longus, pro vite hedera impoſita erat. Et corymbus eius cùm eſſet magnus & nigreſcens, vuam imitabatur. Et Plutarchus de eo qui captus pulchritudine eius coronæ quæ eſſet è vite, vt illam inquit cōſpexit nudam & ſine folijs, amauit ſimilitudinem hederæ, id eſt vitem amauit propter ſimilitudinem hederæ. Nam & in aſcenſu tortilis eſt, & eundo errat, & folium habet tumidum & ſine ordine effuſum. & corymbus eius vuæ ſpiſſæ & ob maturitatem nigreſcenti ſimilis imitatur diſpoſitionem vitis. Nec mirum ſi ipſi corymbi dicuntur eſſe coronamentum Bacchi. Sociantur ergo natura vitis & hedera etiam ob ſimilitudinem. Et quidem apud Indos Machlæos exſtat lucus, quem vbertas hederæ, vitiúmque inibi prouenientium ſua opacitate pulcherrimè inumbrat. Quæ vtriuſque arbuſti ſocietas talis eſt, vt eam nulla vis venti diſſoluere poſſit. Id quod expreſſit Q. Calaber in his verſibus,

Plutar. ſymp. 3.

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8.

Phornut. in Baccho.

Long. lib. 4.

Plutar. ſymp. 3.

Lucian. Bacch.

Philoſtrat. in Ariadne.

Q. Calab. lib. 14.

Ὡς δ' ὅτε τε κισσός τε καὶ ἡμερὶς ἀμφιβάλωνται
Ἀλλήλοις περὶ πρέμνα. τὰ δ' οὔποτε ἴς ἀνέμοιο
Σφέας ἀπὸ νόσφι βάλῃ ἐπιθύνει, &c.

Ac veluti hedera & vitis conſtringunt ſe mutuo ramuſculorum

nexu,

nexu, quos nulla vnquam vis venti à ſe diuellere poteſt. Deinde
vtraque alteri implicita mirum in modum pulchreſcit. Virgilius,

> ——*pocula ponam* *Virgil. ecl. 3.*
> *Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis;*
> *Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis*
> *Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos.*

Quid quod hedera fungitur vice vini, & abſque vino inebriat?
ὅλως ἄοινον ἐπάγει μέθην, inquit Plutarchus, planè ebrietatem indu- *Plutar. κεφαλ.*
cit ſine vino. Equidem hanc puto eſſe veram cauſam, quapropter *κατὰ χ. ῥωμ.*
hedera & vitis ſociata efficiunt coronamentum Bacchi. Quod
his verbis deſcribit Aurelius Nemeſianus alloquens Bacchum,

> *Te cano qui grauibus hederata fronte corymbis* *Aurel. Nemeſ. ecl. 3.*
> *Vitea ſerta plicas; qui comptos palmite tigreis*
> *Ducis odoratis perfuſus colla capillis,*
> *Vera Iouis proles.*

His omnibus addo ea quæ memorantur accidiſſe in natalibus *Philoſtrat. in Imag.*
Bacchi. Hic enim cùm ex vtero matris per vim exijſſet, & flamma
ibi exorta & ſciſſa in diuerſa antrum Bacchi tam luculenter vm-
braret, vt nihilominus Aſſyrio & Lydio lapide pulchrius appare-
ret, tortiles corymbi, & ipſa vitis, & thyrſi arbores ibi ſunt enatæ,
id tam libenter tolerante terra, vt & igni quædam ſint conceſſæ.
Nec mirum ſi Bacchi gratia terra coronauit ignem, nempe hedera,
corymbis, thyrſis. Enimuero hedera & vitis tam arcto fœdere *Conſtanti. Caſ.*
conſtringuntur, vt exiſtimatum ſit, vitem fore feraciorem, ſi pu- *lib. 5 cap 24.*
tator eius hedera ſit redimitus. Hîc non omitto priſcam fabulam, *Conſtãtin. Caſ.*
quæ ait, κισσὸν fuiſſe adoleſcentem vnum è Bacchi ſaltatoribus, qui *lib 11. cap 31.*
coram Deo ſaltans mortuus in terram cecidit. In huius honorem
terra produxit florem adoleſcenti cognominem, adoleſcentis
germina ſeruans in planta. Hæc ſiue planta, ſiue arbuſtum è terra
erumpens eâdem ratione vitem amplectitur qua is adoleſcens
Bacchum amplecti ſolitus fuit, eiúſque ceruicem brachijs circum-
dare. Et hæc quidem de hederæ vitíſque ſocietate. Cæterùm *Tertull. de cor. mil.*
ſua huic frondi è propria indole dignitas eſt, quòd cerebrum ab
heluco defenſat, hoc eſt à καρηβαρείᾳ. Et ideo videtur eſſe in tutela
Liberi, *quem eundem apud Ægyptios Oſirin Harpocration hanc ob
cauſam hederatum argumentatur*. Et hæc quidem Tertullianus, qui
ea videtur ſumpſiſſe è Plutarcho, qui ait, hederam, quam Græci *Plutarch. περὶ*
Baccho conſecrant, ab Ægyptijs nominari χενόσιριν, ac ſi dicas *Ισ. καὶ Οσιρ.*
plantam ſiue arbuſtum Oſiridis. Sed mirum videri poteſt, hede-
ram, cuius ingenium eſt inhibere vim Bacchi, nihilominus eſſe
coronamentum huius numinis. Vbique enim poëtæ eum faciunt
& corymbiferum & hederatum. Certè eius coronamentum de-

ſcribit Ariſtophanes loquens de Baccho in his verſibus,

Ariſtoph. Θεσμοφ.

Κύκλῳ δὲ περὶ κισσὸς
Εὐπέταλος ἕλικι θάλλει.

Circulo autem circùm helicem hedera floret. Extátque vetus illud,

Ariſtid. ἱερ. orat. 4.

χαῖρε ὦ ἄνα κισσεῦ Διόνυσε.

Salue ô rex hederæ Dionyſi.

Noſtri quoque vtraque corona eum redimiunt & pampinea & hederacea. Ouidius,

Ouid. li. 6 Faſt.

Bacche racemiferos hedera redimite capillos.

Huius coronaméti rationem, idem Ouidius reddit in his verſibus,

Ouid. li. 3. Faſt.

Cur hedera hæc cincta eſt? hedera eſt gratiſſima Baccho.
Hoc quoque cur ita ſit dicere nulla mora eſt,
Niſiades nymphas, puerum quærente nouerca,
Hanc frondem cunis appoſuiſſe ferunt.

Id quod Ouidius ſi non vertit, at ſanè ſumpſit è nono Διονυσιακῶν.

Etymol. Διόνυσος.

Τὸν μὲν ὑπερκύψαντι θεηγενέος τοκετοῖο.
Στέμματι κισσήεντι λεχωΐδες ἔστεφον ὧραι.

Hunc quidem ſuperſtantes diuini parétis corona hederacea puerperæ coronarunt horæ. Extat & locus Euripidis qui recens nato Libero hederam tribuit,

Eurip. Phœniſſ. actu 2.

Βρόμιον ἔνθα τέκε
Μάτηρ Διὸς γάμοισι, κισσὸς
ὃν περιστεφὴς
Ἑλικτὸς, εὐθὺς ἔτι βρέφος χλοηφόροισιν ἔρνεσι
Κατασκίοισιν ὀλβίσας ἐνώτισε.

vbi Bromium edidit mater Iouis ex concubitu, quem hedera circùm eius tempora ſerpens ſtatim infantem virentibus & opacis ramis obrectum beauit. Oppianus ait; cum repoſitum fuiſſe in abiegna ciſta pellibus indutum, racemíſque circumdatum,

Oppian. κυνηγ. lib. 4.

Εἰλατίνῃ γηλῷ δῖον γένος ἐγκατέθεντο,
Νεβρείοις δ' ἀμφεβάλοντο, καὶ ἐστέψαντο
κορύμβοις.

Abiegna in ciſta diuinum genus repoſuerunt, pellibúſque induerunt, & coronarunt racemis. Hinc eſt quod hedera & abies mutuis veluti amplexibus ſociantur. Oppianus,

Oppian. ἁλιευ. lib. 4.

ὥσπερ δὲ βλωθρῇσιν ἑλίσσεται ἀμφ' ἐλάτῃσιν
Ὑγρὸς ἕλιξ κισσοῖο.

Philoſtrat. in Imag.

ſicut altas implicatur circùm abietes humida circumuolutio hederæ. Id quod à Megæra factum eſſe tradit Philoſtratus in Semele. Et fabula quidem ſic habet. Cæterùm naturali, veráque cauſa tota

res nititur. Cùm enim vino immoderatiùs vtentes vinum conſopiat, veriſimile eſt, illud non tanti futurum fuiſſe, ſi non reperta ratio eſſet, qua æſtus ille tolerari, & compotorum voluptas diutiùs produci poſſet. At hoc inter omnes frondes maximè præſtat hedera. Non ergo mirum, ſi hæc frons Baccho vſque eò placita eſt, vt eá ſibi is veluti peculiarem ſepoſuerit, cuius, videlicet, præſidio vitis niteretur. Et has quidem ob cauſas quantum eſt poëtarum Liberum faciunt hederatum. Homerus,

Homer. alt. hymno in Bacch.

Κισσοκόμην Διόνυσον ἐρίβρομον ἄρχομ' ἀείδειν.

Hedera coronatum Bacchum valde ſonantem incipio canere. Paulò poſt hic ipſe Liber eſt hederatus & laureatus, κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος. Enimuero Bacchi tam propria eſt hedera, vt apud hunc ipſum Homerum hedera florens exorta ſit circa malum eius nauis qua Bacchus vehebatur; vbi omnes quoque ſcalmi fuerunt coronati.

Homer hymn. in Bacch.

ἀμφ' ἱστὸν δὲ μέλας ἑλίσσετο κισσὸς
ἄνθεσι τηλεθάων· χαρίεις δ' ἐπὶ καρπὸς ὀρώρει.
πάντες δὲ σκαλμοὶ στεφάνους ἔχον.

At circa malum voluebatur hedera floribus vireſcẽs, gratus autem fructus excitabatur. Omnes autem ſcalmi coronas habebant. Ergo Ouidius imitatione Homeri facit ſcalmos hedera opertos, vel coronatos in his verſibus.

Ouid. lib. 3. Metam.

Impediunt hederæ ramos, nexúque recuruo
Serpunt, & grauidis diſtingunt vela corymbis.

Et apud Oppianum cùm Bacchæ tulerunt Liberum recens natum & arcæ conditum in Eubœam, & piſcatorio nauigio gurgitem traiecerunt in tranſtris effloruit viridis taxus. At puppim apium & hedera implicarunt. In Tyrrhenis nauis quâ Bacchus vehebatur fuit vmbrata vite, & hedera. Cæterùm quoties poëtæ ipſum Bacchum, aut quicquid eſt Bacchi hederatum faciunt, aliud ſignant nihil niſi ſuis inſignijs ornatum. Quod coronamentum his verbis deſcribitur, κισσὸς δὲ αὐτὸν [Διόνυσον] ἐστεφάνωσεν ἐν κύκλῳ, hedera autem ipſum [Bacchum] coronauit circumcurrens in orbem. Et quia hæc erat ſtatua Bacchi ænea, addit, ὡς κισσὸς ἦν ὁ χαλκὸς εἰς κλῶνας καμπτόμενος, καὶ τῶν βοστρύχων τοὺς ἑλικτῆρας ἐκ μετώπου κεχυμένους ἀνασέλλων. Vt hedera fuit æs in ramos flexum, & racemorum in aures è fronte ſparſos contrahens. Et verò Liberum dici volunt εἰρεσιώτην ἐκ τοῦ εἰρέσω, orno, corono, ſicuti στεφάνοις ἡδόμενον, κισσοφόρον καὶ φιλοκισσοφόρον. coronis gaudentem eáſque geſtare amantem. Etſi non ſum neſcius Bacchum, ſed alia de cauſa, à Ioue fingi inſignitum coronis, id eſt, criſtis draconum apud Euripidem, στεφάνωσεν τε δρακόντων στεφάνοις. & coronauit eum draconum coronis.

Oppian. kynnl. lib. 4.
Philoſtrat. in Imag.
In deſcrip. Calliſtr.
Etymol. εἰρέσιαι.
Euripid. Bacch. actu 1.

lium coronarum vſus eſt antiquiſſimus. Id quod hinc intelligimus quòd eas in Saliorum ſacris antiquitùs adhibitas ſcimus; atque adeò in Saliaribus cœnis & dapalibus conuiuijs fuiſſe exhibitas. Neque enim hîc dico quænam eſſent ſaliares cœnæ, rem cognitiſſimam ex Apuleio, Symmacho, Auſonio, Feſto, alijs. Addit Plinius, *Transſiere deinde ad roſaria.* Id quod cuiuſmodi fuerit qui ſcire cupit, penitiùs inſpiciat verba Apicij, vbi is agit de conditura roſarum. *Roſatum, inquit, ſic facies: Folia roſarum, albo imi folij prius forcipe ſublato, inſeris: quas vt ſutiles facias, in vino quàm plurimas infundes, ſic vt ſeptem diebus in vino macerentur. Poſt diem ſeptimum roſas de vino tollito, & alias ſutiles recentes ſimiliter immittas, &c.* Itaque ad hanc ſuturam, id eſt ad conſuenda & concinnanda folia roſarum, neceſſe fuit ea ſic macerari, vt manum artificis, & puncturas quibus nectérentur, pati poſſent. Pergit Plinius, *Eóque luxuria proceſſit, vt non eſſet gratia niſi mero folio.* Id quod conuenit cum verbis Apicij, qui ad hanc ſui ſæculi luxuriam ſutiles componit. Ergo idem propemodum eſt, ac ſi dicat Plinius, Antiquitùs tota roſa inſerebatur ſutilibus. Sed eò tandem res proceſſit, vt reiecta & faſtidita gratia floris pulcherrimi, eius tantùm folia tèrenta ſint, quæ vt alia alijs veluti ſquamatim inſerentur, inuenta eſt ea ratio conditurę, quam deſcribit Apicius. Nempe omnis decor harum coronarum videtur contineri artifice quadam ſutura & mixtione foliorum. Et in hoc quidem artificium congerebatur horum florum numerus innumerus. Ea re quidam apud Plutarchum acriter inuehitur in hoc genus coronamenti; aitque hinc ſpoliari arbores; ac naturali & præſidio & ornamento deſtitui, quorum vtrumque conſiſtit in illo foliorum indumento. Quippe flores natura in hoc procreauit, vt eſſent quorum pulchritudine & odorum ſuauitate mulceremur. Ergo qui plectunt coronas è florum folijs potiuſquam ex integris floribus hi perperam vtuntur coronis, cùm folio nihil quicquam ſit imbecillius. Nec immeritò Ariſtophanes deridens quoſdam quos vocat obſcuræ vitæ homines, addit, eos eſſe perſimiles generi foliorum, ὀλιγοδρανέας, πλάσματα κηρῦ, nulli rei, & figmenta ceræ. Sequitur Plinius, & ait, *ſutilibus mox petitis ab India, aut vltra Indos.* Cuius loci hic eſt ſenſus, Primæ coronæ Saliaribus cœnis dari ſolitæ imitabantur ſutiles, quarum exempla è regionibus longinquis ac tranſmarinis ad nos peruenerant. Poſtea, inualeſcente luxu, noſtrates hæ coronæ non ampliùs effigiatæ ſunt ad exemplum illarum Indicarum, verùm etiam illæ ipſæ Indicæ huc tranſlatæ ſunt. At illas Indicas, non vt Italicas, conſtitiſſe è precioſioribus folijs quàm ſunt folia roſarum, docet in ſequentibus verbis; *laudatiſſimum*

Apul. lib. 4. Metam. 38. Symach. lib. 1. ep. 17.
Auſon in vltimis epp.
Feſt. Salios.
Apic. de re culin. cap. 1.
Plutarch. ſympoſ. 3.
Refert Clem. Alex. ſtromat. lib. 4.

rum quippe habetur è nardi folio eas dari, aut veſte Serica verſicolores vnguentis madidas. Quæ quoque verba vix puto eſſe ſyncera. Sutilium coronarum nonnulla eſt apud poëtas mentio. Ouidius, *Ouid. lib. 5. Faſt.*

Tempora ſutilibus pinguntur tecta coronis.

Illud, *pinguntur* aſſerit Plinianum illud *Verſicolores.* Hunc ſiue morem, ſiue luxum ſignat Martialis, *Martial. lib. 9.*

Perfundas glaciem triente nigro
Frontem ſutilibus ruber coronis.

Vnde intelligimus, has quoque coronas numeratas fuiſſe inter conuiuiales.

CAP. XIV.

Specimen earum coronarum quæ vinculi tantùm præbebant vſum, eſt corona ex Amerina ſalice, & Corona ex arundine vernacula. Salix, prima corona in hoc inuenta, vt grauitati capitis mederetur. More priſco quiſque ferebat propriam coronam ad conuiuium.

EX ijs quæ ſuprà dixi, intelligimus, primas coronas remedio fuiſſe inuentas, nempe adſtringendo capiti inter conuiuialem ſiue lætitiam, ſiue laſciuiam. Quod remedium quia effectu cognitum eſt eſſe neceſſarium, poſteritas conſtanter tueri cœpit, nec tueri tantùm, ſed & augere & ornare. Ergo coronas neceſſitas inuenit, tempus aſſeruit, ſolertia excultas reddidit. Et verò pro incomptis illis, vernaculiſque vinculis, ſiue ſtrophijs ex obuio factis coronæ plecti cœptæ è materia lectiore, ipſaque adeò florum diſpoſitione iam quæſitiore. Sed primę illius coronæ, quæ vnum vinculi vſum præbuit, antequam vltra pergo, ſpecimen promo, nempe eam quæ plectebatur ex Amerina ſalice. Hanc, videlicet, ſolertia eius ætatis, quæ Saturniam illam rudem & ſimplicem proximè ſecuta eſt, ludibrio habere cœpit vt ridiculam & ineptam. Quin & ludibrij cauſa vocitabatur coronamentum ruſticorum, quòd nexibus tantùm & vitilibus eſſet idonea. Hac tamen corona Megiſthen totos decem menſes fuiſſe euinctum tradit Anacreon libro ſecundo carminum. Hæc à me compendio dicta fuſiùs quidam apud Athenæum. Is præter hæc addit neſcio quid hiſtoriæ quod pertinet ad religionem. Id eſt huiuſmodi; Caribus mandatum fuit, vt quomodo ſtatua Iunonis apud ipſos fugam meditata longiſſimis ramis implicita fuiſſet, ad hoc exemplum ipſi ex Amerina ſalice ſe redimirent, id eſt, quo vimine Deam vinxiſ- *Athen. lib. 15.*

ſent, eôdem ſibi quiſque caput obſtringeret. Ibibi mentio fit Epæneti poëtæ, quo authore Amerina ſalix eſt priſcum coronamentum Carum. Paulò poſt dicitur, vſum huius coronæ apud Samios duraſſe vſque ad ætatem Polycratis. Denique, poſthabita priſca fabula, creditum eſt, veriſimilius eſſe Megiſthen ſeſe Amerina ſalice redimire ſolitum, quòd ibi vbi ipſe epulari ſolitus eſſet, hoc genus arboris feliciter prouenirer. Nam & ipſi Lacedæmonij feſtis Promachiorum diebus arundine vernacula ſeſe coronabant, quòd hoc genus coronamenti ibi eſſet obuium. Cæterùm apud Athenæum vernaculam arundinem illam dici puto quę non eſt odorata, aut dulcis. Nam arundinis odoratæ meminit Cæſar Conſtantinus; & dulcis eius, quæ in Ægypto naſcitur in locis paluſtribus, Theophraſtus. Porrò apud Apollonium Rhodium video ſalicem vocari ἱερὸν φύτον, ſacrum ſtipitem, ſiue truncum. Tradit tamen Plinius, Homero hanc arborem fuiſſe, *frugiperdam, quòd ocyſſimè amittit ſemen; ſecutámque ætatem ſcelere ſuo interpretatam eſſe hanc ſententiam, quando ſemen ſalicis mulieri ſterilitatis medicamentum eſſe conſtat.* Ac tales quidem fuerunt illæ primæ qualeſcúnque coronæ, veriùs vincula rudia & incompta. Nam ſecutis temporibus vix vllæ coronæ fuerunt nexæ è re qualibet quæ eſſet ad manum, ſed, Hercule, ex herbis, frondibus, folijs, floribus medicamentoſis, tam è vinculi adſtringentis, quàm ex herbæ, florúmque indole geminato iuuamine. Flores quoque cùm dico, aut folia, nihil obuium & qualecunque dicó, ſed omnia lecta, ſpecioſa, pretioſa, ſæpe exotica, ſæpe Indica. Quòd verò coronæ in hoc fuerint inuentæ, vt illi, quam parit ebrietas, grauitati & ſomnolentiæ mederentur, docet mos priſcus ferendi & exhibendi eas ſub finem conuiuij. Id quod pluribus locis diſertim tradit Athenæus, & Plutarchus in conuiuio ſapientum, & Theognis in his verſibus,

Conſtantin. Cæſ. lib. 6. c. 7.
Theophraſt. de cauſ. plăt. lib. 6. cap. 16.
Apollon. Rhod. lib. 4.
Plin. lib. 6. c. 26.
Plutarch. ἑπτ. σοφ. συμπ.
Theogn. in ſentent.

Ἦμος δ᾽ ἠέλιος μὲν ἐν αἰθέρι μώνυχας ἵππους
Ἄρτι παραγγέλλῃ μέσσατον ἦμαρ ἔχων,
Δεῖπνον δὴ λήγοιμεν, ὅπου τινὰ θυμὸς ἀνώγει,
Παντοίων ἀγαθῶν γαστρὶ χαριζόμενοι.
Χέρνιβα δ᾽ αἶψα θύραζε φέροι, στεφανώματα δ᾽ εἴσω
Εὐειδὴς ῥαδιναῖς χερσὶ Λάκαινα κόρη.

Cùm verò ſol quidem in æthere ſolidungulos equos Iam admonuerit, medium diem habens, Cœnam tunc terminemus, vbi aliquem animus iubet Varijs bonis ventri ſatisfacientes. Gutturium autem ſtatim foras ferat, coronas verò intro Formoſa teneris manibus Lacæna puella. Qui tamen mos non ſemper viguit. Sæpe enim coronabantur initio epularum, vt in hoc loco Euripidis;

— ὡς δ' ἐπληρώθη στέγη,
Στεφάνοισι κοσμηθέντες εὐόχθου βορᾶς
Ψυχὴν ἐπλήρουν. *Euripid. Io. actu 3.*

Completis tandem tabernaculis, coronis ornati feſtis & lætis dapibus animas explebant. Id ipſum docent hi verſus qui ſunt apud Athenæum, *Athen. lib. 15.*

Ὡς γὰρ εἰσῆλθε τὼ γέροντε, τότε εἰς δόμους
Εὐθὺς ἀνεκλίνετο. παρῆν ὁ στέφανος ἐν τάχει.

Domum vt ſunt ingreſſi vetuli, ſtatim accubuerunt. mox adeſt corona. Et ille apud Euripidem ſe non vltra cibum ſumpturum ait, priuſquàm alter coronam ſumpſerit.

——— οὐ πρὶν ἂν σέ γε
Στέφανον ἴδω λαβόντα, γεύσομαί τ' ἔτι. *Euripid. cycl. actu 4.*

Non priùs quàm te videro ſertum ſumere, guſtabo vltra. Cæterùm ante equã luxus ille ſurrepſiſſet ſolemnium epularũ, cùm, inquam, ruſtica ſimplicitate petrones illi cõueniebant ad ſeſe, ſi Dijs placet, malaciſſandos & hilarandos, ſuam quiſque coronam eò ferebat; vt poſteaquam ſeſe pluſculum inuitaſſet, eo ſerto, tanquam amuleto muniret ſe aduerſus mala inſtantis ebrietatis. De quo more extat hic locus Euripidis, vbi ait Centauros cum herba coronaria acceſſiſſe ad conuiuium Deorum,

Ἀνὰ δ' ἐλάταισι, στεφανώδει τε χλόᾳ
Θίασος ἔμολεν ἱπποβότας
Κενταύρων ἐπὶ δαῖτα τῶν θεῶν,
Κρατῆρά τε Βάκχου. *Euripid Iphig. in Aul. actu 4.*

Venit & equeſtris turba Centaurorum abiegna tela, viridéſque corollas gerens ad conuiuium Deorum, & craterem Bacchi. Hunc quoque morem expreſſit Ouidius,

Venerat & ſenior pando Silenus aſello,
Quique rubro pauidas inguine terret aues.
Dulcia qui dignum nemus in conuiuia nacti
Gramine veſtitis accubuêre toris.
Vina dabat Liber. tulerat ſibi quiſque coronam.
Miſcendas largè riuus agebat aquas.

Duplici ergo ratione iuuabant primæ illæ, & quæ primas cõſecutæ ſunt, coronæ. Nam quòd illæ primæ vincula erant, caput adſtringebant. Quod nectebantur ex herbis & floribus in hoc lectis vt vini vim maiori vi compeſcerent, certè aut refrigerabant, aut alia quapiam naturali facultate ebrietatis impetus reprimebant, tum capitis dolores mitigabant. Quæ coronæ dotes ingentem celebritatem adeptæ in frequentiſſimo apud omnes vſu poſtea fuerunt, vt infrà dicam.

CAPVT XV.

Refrigerans corona. huius generis eſt roſea. Et è ſmilace, è ſemine ſpinæ albæ, ex herba hirſuta, è gramine dactyli, ex iberi, & quinquefolio, è pulegio, ex amethyſto, è chamæpiti, è filo cui hæreret folium oleæ inſcriptum nomine Mineruæ. Ferales coronæ. De vi odorum. Nimia Tertulliani coronarum inſectatio. Corona è cepis.

REFRIGERANTIS coronæ ſpecimen eſt apud Ariſtophanem in his verſibus,

Ariſtoph. ὄρνιθ.

—— φέρε παῖ στέφανον. καταχεῖσθε.
Κατὰ χειρὸς ὕδωρ φερέτω τάχα τις.

Fer puer coronam. infundite. Per manum aquam ferat citò aliquis. vbi ſcholiaſtes ait, τοῖς γὰρ εὐωχουμένοις περιέκειντο οἱ στέφανοι καταψύχοντες τὸ κρανίον ἀπὸ τῆς τοῦ οἴνου θέρμης. Nam qui epulabantur, hos cingebant coronæ refrigerantes caluariam, ſiue ſedem cerebri, à calore vini. Huius quoque refrigerantis coronæ mentionem facit Clemens Alexandrinus, vbi oſtendit ridicule refrigerari caput; cùm potiùs medici, vbi cerebrum refrigeratum ſentiunt, ei medeantur vnctione pectoris & ſummi naſi. Cæterùm illa quæ refrigerant plerumque ſunt adſtringentia. Huius generis fuit ῥοδιαῖος στέφανος roſea corona. Nam roſæ ſuper mordacitatem aiunt ineſſe vtramque facultatem refrigerandi & adſtringendi; & hinc minuere grauitatem capitis. Itaque Anacreon ait, coronam roſaceam ſociandam eſſe Baccho, eius vi, ſcilicet, repellendæ.

Clemen. Alex. pedag. li. 2. c. 8.

Pollux lib. 6. c. 39.

Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων
Μίξωμεν Διονύσῳ,
Τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυλλον
Κροτάφοισι ἁρμόσαντες.

Roſam quæ [eſt] amorū, miſcebimus Dionyſio, Roſam pulchram tēporibus aptantes. Neque tamen ſum neſcius, apud Plutarchum rideri eos qui roſaceas coronas poſt conuiuium pro laureis capiti imponunt. Quippe iidem aiunt florales coronas eſſe κορασιώδεις puellares, & ludentibus magis conuenire virginibus, & mulieribus, quàm congreſſibus philoſophorum, eorumque qui literarum militia ſint exercitati. Vt vt eſt, diuerſorum florum coronas caput iuuare, antiquitùs creditum & traditum, αἱ τῶν ῥόδων καὶ τῶν ἴων ἀποφοραί, inquit Clemens Alexandrinus, ἠσυχῆ οὖσαι ψυχραὶ συστέλλουσι καὶ ἐπισφίγγουσι τὰς καρηβαρίας, Roſarum & violarum ſuauitates ſiue exhalationes cùm ſenſim & quietè refrigerent, coërcent, & adſtringunt grauitates capitis. Huius quoque generis eſt corona è ſmilace, quæ facta

Clemen. Alex. pedag. li. 2. c. 8.

impari foliorum numero capitis doloribus mederi creditur. Cæterum ſmilacem Theophraſtus dicit eſſe *ἄνθος λευκὸν καὶ εὐῶδες, ἠρινόν*, florem album, odoratum, vernum. Et Iulianus collocat ſmilacem inter plantas odoratas, Verſabere, inquit, in ſmilace & rhymo, herbíſque odoratis. Quanta ſmilaci facultas inſit, hinc ſciri poteſt, quòd dormientes homines, cùm maximè florens tumeſcit, interficit. Superioribus coronis annumero alias quæ ſunt ſingularibus præditæ dotibus. Et quidem Plinius coronam è ſemine ſpinæ albę dolores capitis minuere dicit. Eâdem vi cenſetur corona ex herba hirſuta, quæ Græcis eſt *φιλάνθρωπος*. Eodem authore, *gramen tertij generis dactyli, eius cui cauſtica vis eſt, capiti circumdatum ſanguinis è naribus fluxiones ſiſtit. Iberis adalligata capiti cum quinquefolio epiphoras, & ſi qua in oculis vitia ſunt; emendat.* Idem tradit, *in capitis dolore coronam imponi, & contra epiphoras collo circumdari.* Adeſt & è pulegio corona, de qua hic ipſe Plinius, *Dignior*, inquit, *è pulegio corona vertigini quàm è roſis, cubiculis noſtris pronuntiata eſt. Nam & capitis dolores impoſita creditur leuare.* Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æſtúſque iniuriam, & ab ſiti traditur. Coronis quoque ex amethyſto non lapide, ſed flore poſt vinum vtebantur aduerſus vinolentiam. Nam *τῶν ἀνθῶν ἀπόρροιαι* florum effluentiæ mirabiliter caput muniunt aduerſus ebrietatem. Atque adeò quibuſdam floribus aiunt ineſſe vim fouendi cerebri. Aliis inſunt aliæ facultates, & quidem admirabiles. Huius generis eſt alyſſos quæ liberat hominem ſingultu non ſolùm tacta, ſed viſa. Huc quoque refero coronam nexam è ramulis eius herbæ, quæ Græcis eſt *χαμαίπιτυς*, & *πιτυΐνη*, noſtris abiúga, ſiue abiga, & humilis pinus. Quippe aiunt eum qui hac corona ſit coronatus, non inebriari. His addo illam quæ fiebat ex eo filo, cui hæreret folium oleæ, in quo ſcriptum eſſet nomen *τῆς Ἀθηνᾶς* Mineruæ. Hinc quoque capitis dolores ſedari aiunt. Vſque eò verum eſt, corona caput non ſolùm ornari, ſed iuuari & ſeruari. Sed mirũ eſt, tam ſalutare, támque illuſtre inuentum humanã nequitiam reperiſſe quomodo ad nefarios vſus traduceret. Nempe, repertæ ſunt nefandæ coronę harum, quas dixi, tam ſalubrium per nomen quidem & ſpeciem imitatrices, at re & effectu ferales, atque adeò capitis, cui imponuntur, interfectrices. De his ſcripſerunt Mneſtheus & Callimachus medici à me ſupra memorati. *Quoniam & in hoc*, inquit Plinius, *eſt aliqua valetudinis portio, in potu atque hilaritate precipuè, odorum vi ſurrepente, fallaciter ſcelerata Cleopatræ ſolertia. Namque apparatu belli Actiaci gratificationem ipſius reginæ Antonio timente, nec niſi prægustatos cibos ſumente, fertur fauore eius luſiſſe,* [l. timori eius illuſiſſe.] *extremis coronæ floribus veneno illitis, ip-*

Plin. lib. 24. cap. 10.
Iulian. in vltimu epp.
Theophraſt lib. 3. de plant. 36.
Plutar. ſymp 3.
Plin. li 24 cap. 12.
Plin. li. 24. c. 19.
Plin. ibid.
Plin li 25. c. 12.
Plin. li. 27. c. 12.
Plin. lib. 20. cap. 14.
Plutar. ſympoſ. 3.
Plutar. ſympoſ. 3.
Conſtãtin Caſ. lib. 7. cap. 31.
Conſtãtin. Caſ. lib. 9. cap. 1.
Plin lib. 21. c. 3.

ſáque capiti impoſita. Mox procedente hilaritate, inuitauit Antoninum vt coronas [p. coronati] *biberent, nempe vterque. Quis ita timeret inſidias?* Hoc tantum ſcelus, alióſque abuſus coronarum equidem reputans magnopere probo illam acritatem Tertulliani, quæ vnam ſpectat ſynceritatem morum, qua is totus exarſit. Sed vbicunque is acerbius inuehitur in coronas, vbi eas deridet, vbi eas ita proſternit, vt in coronis vnum agnoſcat vſum vinculi, ac præterea nihil, ibi verò, quod eius venia dictum ſit, à ſumma eius pietate prouoco ad ſingularem eruditionem. Neque enim neſciuit, odorum vim non minùs conducere ad ſanitatem, quàm ad voluptatem, vt ex Ariſtotele Plutarchus tradit, nimirum, per calorem & ſubtilitatem cerebro ſe leniter infundentem. Certè vbi is loquitur de cuſi Ægyptio, tradit dulci ſpiritu, & ſalutari quadam exhalatione moueri aërem, cuius per reſpirationem corpus tactum manſueſcit. Tunc enim fit gratum quoddam temperamentum, quod mœſtitiam diſcutit, nec tamen cerebrum ebrietate occupat. Quæ etſi vera ſunt, nihilominus tamen Tertullianum vſque iuuat illudere tantæ rei. *Cæterùm*, inquit, *in capite quis ſapor floris? quis coronæ ſenſus niſi vinculi tantum? Quia neque color cernitur, neque odor ducitur, nec teneritas commendatur. Tam contra naturam eſt florem capite ſectari, quàm cibum aure, quàm ſonum nare.* Similis ſeueritatis extat alius apud hunc ſcriptorem locus. *Non emo capite* [l. capiti.] *coronam, nempe Liberalibus. Quid tua intereſt, emptis nihilominus floribus quomodo vtar? puto gratius eſſe liberis & ſolutis, & vndique vagis. Sed etſi in coronam coactis, nos coronam naribus admouimus. Viderint qui per capillum odorantur.* Nec Tertullianus tantùm acerbè coronas inſectatur, ſed & Clemens Alexandrinus, vbi ait, coronatos amittere τὸ περὶ τῆς αἰσθήσεως ſuauitatem florum. Nec vident, inquit, coronati coronam, locatam ſuper oculos. Atque adeò cùm odor natura ſurſum vergat, eo reſpiratio priuatur; vt ſemel dicam, florum eſt iniuria non nutrimentum iis frui ſupra aſpectum. Atque hæc quidem omnia videntur ſumpta à veteri quodam philoſopho qui eos, qui coronis vterentur, inſectari ſolitus eſſet, qui neſciunt locum coronæ. Siquid enim, inquit, gaudent halitu violarum, & roſarum, oportuit eos coronari ſub naribus, vt per reſpirationem hinc traherent plurimum voluptatis. His affine eſt dictum Socratis relatum à Xenophonte, odorum, niſi nares acceſſerint, nulla vtilitas. Etſi de odoribus tantùm, non etiam de floribus ibi loquitur Socrates. Porrò à temporibus & capillis odorem ad nares peruenire, è naribus, inquam, duci odorem qui eſt in capillis & in vertice, non eſt res tantæ abſurditatis, quanta huic tantæ coronarum inſectationi.

Plutarch. π. Ισιδ. κ. Οσιρ.

Tertull. de cor. mil.

Tertull. Apolog.

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8.

Lucian. Nigr.

Xenoph. memorab. lib. 1.

prætenditur. Ipſe Tertullianus cùm ait, naturam ſignaſſe vſum florum, quam ipſe vocat, naturæ præſcriptionem, addit eam non debere eſſe potentiorem ſectæ interdictione. Vbi palam fatetur, Quod natura licet, ſectam, videlicet, Chriſtianam facere inlicitum. Sed vbi hæc interdictio? Quinimo in ſacris libris nihil quicquam eſt magis obuium quàm mentio coronæ. Vſque eò & ipſi ſpiritui ſancto complacitus eſt florum decor, & coronatum vſus. Et verò in Apocalypſi non ſolùm viginti quatuor ſenioribus, ſed & ipſi Chriſto aptatur corona, non illa ſpinea prompta è ſupellectile carnificis, ſed illa de qua nunc ago; illa ipſa, cuius meminit Prudentius in his verſibus, *Tertull. Apolog.*

Regia mirifici fulgent inſignia Dauid, *Prudent. in enchir.*
Sceptrum, oleum, cornu, diadema, purpura & ara.
Omnia conueniunt Chriſto, chlamys atque corona.
Virga poteſtatis, cornu crucis, altar diuum.

Nimirum oleagineam coronã Chriſto tribuit, id eſt, & victricem & triumphalem. Quæ tamen, ſi admittitur ſententia Tertulliani, planè inutilis & ridicula eſt. Vſque eò is, vbicunque occaſio eſt, nihil coronæ parcit. Certè fatendum eſt, tam multa fœdè perpetrata vbi interueniebant coronæ conuiuiales, (id quod alibi dico) vt priſca illa Chriſtiana pietas acriter ac ſeuerè inſurrexerit in abuſum coronarum. Id quod cum Tertulliano excuſat Clementem Alexandrinum, qui quærit an fas ſit vti coronis & vnguentis, quorum vtroque homines impelluntur ad voluptates, & ad libidinem, potiſſimùm aduentante nocte. Salutaribus coronis adnumero myrteam. Nam hanc quoque vini vim compeſcentem, & Baccho inimicam ferunt. Et hoc eſt quod Pollux ait, Anacreontem myrtis coronari ſolitum, nempe dum crebriùs & largiùs potaret. Etſi alia huius coronæ ratio eſt, quòd myrtus, vt infra dico, eſt Veneris. Cęterùm quòd cępe, eliciendo lachrymas, oculis prodeſt, & ipſum inter huius generis coronamenta receptum eſt. Huius coronæ meminit Artemidorus; eique locum aſſignat inter illas quæ per quietem viſę quidpiam ſignificant. Ergo has coronas illis prodeſſe ait qui ſomnium viderint, non item ijs qui ei proximè adſtant. Fortaſſe hoc genus coronæ ſignauit Callimachus in hoc verſu,

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8.

Plin. li 25 c. 29. & Athen li. 15. Pollux lib. 6. c. 19.

Ariſtot. probl. 9. ſect. 31. Artemidor. lib. 1. cap. 79.

Scholiaſt. in alexiph. Nicãd. in μήκωνος κεβληγόνι.

---- ἀμφὶ τὴν κέφαλω
Εἰργμένος ἀγλίθων ὅλον ἔχει στέφανον,

circa caput vinctus cæparum teneram habet coronam.

CAPVT XVI.

Corona hederacea. Hedera Baccho ſacra. Hedera & vitis cur ſocientur. Ex hedera & vite fit coronamentum Bacchi. Cur cum hedera compeſcat vim Bacchi, nihilominus tamen ſit coronamentum huius numinis. Liber hederatus & laureatus.

SVPERIORIBVS coronis annumero hederaceam. Nam præter id quod hedera ſponte prouenit, & vbiuis gentium eſt obuia & percopioſa, atque ideo vbique hac fronde redimiri licet, huic ſeu facilitati, ſeu commoditati accedit hæc ipſa facultas refrigerans & adſtringens, denique ſedans τὴν καρηβαρίαν dolorem

Plutar. ſymp. 3. capitis. Tradidit antiquitas, Bacchum fuiſſe peritum medicinæ, primò quia fuit inuentor vini, quod numeratur inter fortiſſima & ſuauiſſima remedia. Deinde quòd vino oppoſuit hederam, & ex ea coronam plectere docuit; hæc enim quia eſt φιλόψυχρος καὶ ἐμψύχει

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8. amans frigoris & refrigerat, ebrietatem extinguit. Hac de cauſa antiquitas eam, quomodo draconem, Deo conſecrauit, veriùs

Phornut. in Baccho. quàm ob illam quam refert Phornutus, videlicet, propter ſimilitudinem vitis & racemorum. hinc epithetum βοτρυοστέφανος racemis redimitus, quod reſpicit vtramque vocem & vitis & hederæ. Etſi verum eſt, hederam, propter hanc ſimilitudinem in coronamẽtis

Long. lib. 4. quãdoque ſuccedere in locum vitis. His omnibus, inquit Longus, pro vite hedera impoſita erat. Et corymbus eius cùm eſſet ma-

Plutar. ſymp. 3. gnus & nigreſcens, vuam imitabatur. Et Plutarchus de eo qui captus pulchritudine eius coronæ quæ eſſet è vite, vt illam inquit cõſpexit nudam & ſine folijs, amauit ſimilitudinem hederæ, id eſt vitem amauit propter ſimilitudinem hederæ. Nam & in aſcenſu tortilis eſt, & eundo errat, & folium habet tumidum & ſine ordine effuſum. & corymbus eius vuæ ſpiſſæ & ob maturitatem ni-

Lucian. Bacch. greſcenti ſimilis imitatur diſpoſitionem vitis. Nec mirum ſi ipſi corymbi dicuntur eſſe coronamentum Bacchi. Sociantur ergo natura vitis & hedera etiam ob ſimilitudinem. Et quidem apud

Philoſtrat. in Ariadne. Indos Machlæos extat lucus, quem vbertas hederæ, vitiúmque inibi prouenientium ſua opacitate pulcherrimè inumbrat. Quæ vtriuſque arbuſti ſocietas talis eſt, vt eam nulla vis venti diſſoluere poſſit. Id quod expreſſit Q. Calaber in his verſibus,

Q. Calab. lib. 14.

Ὡς δ' ὅτε πω κισσός τ' ἢ ἡμερὶς ἀμφιβάλων(τ)
Ἀλλήλοις περὶ πρέμνα. τὰ δ' ὕποτε ἶς ἀνέμοιο
Σφᾶν ἀπὸ νόσφι βαλέσθαι ἐπισθένει, &c.

Ac veluti hedera & vitis conſtringunt ſe mutuo ramuſculorum

nexu,

nexu, quos nulla vnquam vis venti à ſe diuellere poteſt. Deinde vtraque alteri implicita mirum in modum pulchreſcit. Virgilius,

——pocula ponam Virgil. ecl. 3.
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis;
Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis
Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos.

Quid quod hedera fungitur vice vini, & abſque vino inebriat? ὅλως ἄοινον ἐπάγει μέθην, inquit Plutarchus, planè ebrietatem inducit ſine vino. Equidem hanc puto eſſe veram cauſam, quapropter hedera & vitis ſociata efficiunt coronamentum Bacchi. Quod his verbis deſcribit Aurelius Nemeſianus alloquens Bacchum, *Plutar. κεφαλ. κατὰ χ. φυμ.*

Te cano qui grauibus hederata fronte corymbis Aurel. Nemeſ. ecl. 3.
Vitea ſerta plicas; qui comptos palmite tigreis
Ducis odoratis perfuſus colla capillis,
Vera Iouis proles.

His omnibus addo ea quæ memorantur accidiſſe in natalibus Bacchi. Hic enim cùm ex vtero matris per vim exijſſet, & flamma ibi exorta & ſciſſa in diuerſa antrum Bacchi tam luculenter vmbraret, vt nihilominus Aſſyrio & Lydio lapide pulchrius appareret, tortiles corymbi, & ipſa vitis, & thyrſi arbores ibi ſunt enatæ, id tam libenter tolerante terra, vt & igni quædam ſint conceſſæ. Nec mirum ſi Bacchi gratia terra coronauit ignem, nempe hedera, corymbis, thyrſis. Enimuero hedera & vitis tam arcto fœdere conſtringuntur, vt exiſtimatum ſit, vitem fore feraciorem, ſi putator eius hedera ſit redimitus. Hîc non omitto priſcam fabulam, quæ ait, κισσὸν fuiſſe adoleſcentem vnum è Bacchi ſaltatoribus, qui coram Deo ſaltans mortuus in terram cecidit. In huius honorem terra produxit florem adoleſcenti cognominem, adoleſcentis germina ſeruans in planta. Hæc ſiue planta, ſiue arbuſtum è terra erumpens eâdem ratione vitem amplectitur qua is adoleſcens Bacchum amplecti ſolitus fuit, eiúſque ceruicem brachijs circumdare. Et hæc quidem de hederæ vitíſque ſocietate. Cæterùm ſua huic frondi è propria indole dignitas eſt, quòd cerebrum ab heluco defenſat, hoc eſt à καρηβαρείᾳ. Et ideo videtur eſſe in tutela Liberi, *quem eundem apud Ægyptios Oſirin Harpocration hanc ob cauſam hederatum argumentatur.* Et hæc quidem Tertullianus, qui ea videtur ſumpſiſſe è Plutarcho, qui ait, hederam, quam Græci Baccho conſecrant, ab Ægyptijs nominari χενόσιριν, ac ſi dicas plantam ſiue arbuſtum Oſiridis. Sed mirum videri poteſt, hederam, cuius ingenium eſt inhibere vim Bacchi, nihilominus eſſe coronamentum huius numinis. Vbique enim poëtæ eum faciunt & corymbiferum & hederatum. Certè eius coronamentum de-

Philoſtrat. in Imag.
Conſtanti. Caſ. lib. 5 cap 24.
Conſtātin. Caſ. lib 11. cap 31.
Tertull. de cor. mil.
Plutarch. περὶ Ισ. καὶ Οσιρ.

res nititur. Cùm enim vino immoderatiùs vtentes vinum conſopiat, veriſimile eſt, illud non tanti futurúm fuiſſe, ſi non reperta ratio eſſet, qua æſtus ille tolerari, & compotorum voluptas diutiùs produci poſſet. At hoc inter omnes frondes maximè præſtat hedera. Non ergo mirum, ſi hæc frons Baccho vſque eò placita eſt, vt eã ſibi is veluti peculiarem ſepoſuerit, cuius, videlicet, præſidio vitis niteretur. Et has quidem ob cauſas quantum eſt poëtarum Liberum faciunt hederatum. Homerus,

Κισσοκόμην Διόνυσον ἐρίβρομον ἄρχομ' ἀείδειν. Homer. alt. hymno in Bacch.

Hedera coronatum Bacchum valde ſonantem incipio canere. Paulò poſt hic ipſe Liber eſt hederatus & laureatus, *κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος.* Enimuero Bacchi tam propria eſt hedera, vt apud hunc ipſum Homerum hedera florens exorta ſit circa malum eius nauis qua Bacchus vehebatur; vbi omnes quoque ſcalmi fuerunt coronati.

ἀμφ' ἱστὸν δὲ μέλας ἑλίσσετο κισσὸς Homer hym. in Bacch.
ἄνθεσι τηλεθάων· χαρίεις δ' ἐπὶ καρπὸς ὀρώρει.
πάντες δὲ σκαλμοὶ στεφάνους ἔχον.

At circa malum voluebatur hedera floribus vireſcẽs, gratus autem fructus excitabatur. Omnes autem ſcalmi coronas habebant. Ergo Ouidius imitatione Homeri facit ſcalmos hedera opertos, vel coronatos in his verſibus. Ouid. lib. 3. Metam.

Impediunt hederæ ramos, nexúque recuruo
Serpunt, & grauidis diſtingunt vela corymbis.

Et apud Oppianum cùm Bacchæ tulerunt Liberum recens natum & arcæ conditum in Eubœam, & piſcatorio nauigio gurgitem traiecerunt in tranſtris effloruit viridis taxus. At puppim apium & hedera implicarunt. In Tyrrhenis nauis quâ Bacchus vehebatur fuit vmbrata vite, & hedera. Cæterùm quoties poëtæ ipſum Bacchum, aut quicquid eſt Bacchi hederatum faciunt, aliud ſignant nihil niſi ſuis inſignijs ornatum. Quod coronamentum his verbis deſcribitur, *κισσὸς δὲ αὐτὸν [Διόνυσον] ἔστεφε περιθέων ἐν κύκλῳ,* hedera autem ipſum [Bacchum] coronauit circumcurrens in orbem. Et quia hæc erat ſtatua Bacchi ænea, addit, *ὡς κισσὸς ἦν ὁ χαλκὸς εἰς κλῶνας καμπτόμενος, καὶ τῶν βοστρύχων τοὺς ἑλικτῆρας ἐκ μετώπου κεχυμένους ἀναστέλλων.* Vt hedera fuit æs in ramos flexum, & racemorum in aures è fronte ſparſos contrahens. Et verò Liberum dici volunt *εἰραφιώτην ἐκ τοῦ ἐῤῥάφω,* orno, corono, ſicuti *στεφάνοις ἡδόμενον, κισσοφόρον καὶ φιλοκισσοφόρον.* coronis gaudentem eáſque geſtare amantem. Etſi non ſum neſcius Bacchum, ſed alia de cauſa, à Ioue fingi inſignitum coronis, id eſt, criſtis draconum apud Euripidem, *στεφάνωσεν τε δρακόντων στεφάνοις.* & coronauit eum draconum coronis.

Oppian. κυνηγ. lib 4. Philoſtrat. in Imag. In deſcrip. Caliſtr. Etymol. εἰρεφα. Euripid. Bacch. actu 1.

CAPVT XVII.

Corona hederacea teſtis eſt Bacchici furoris. Baccho ſacrificantes ſunt hederati, vt victima, & multitudo in his feſtis, & horum imitatione ebrij; tum pocula quibus libabant. Hedera & ſmilax mixta in coronamentis. Hedera alijs plantis ſociatur. Hedera florens pulchritudo. Ipſa eſt ſymbolum pulchritudinis, ac dicitur florere. Et eſt inter delicias hortorum, aliorúmque locorum. Hedera errat, ſerpit, eſt tenax, faſcinat; eſt flexibilis, ſequax, ductilis, nectilis. Corona hederacea teſtis lætitiæ conniuialis, & militaris. & tunc iungitur lauro.

Plutar. κιϱϑλ. χαταχ. φωμ. — *Clemen. Alex. pedag. li. 2. c. 8.* — *Demoſth. decor.*

CÆTERVM quia corona hederacea eſt inſigne Bacchi, eâdem teſtis eſt Bacchici furoris; habétque πνεῦμα μανίας ἐγερτικὸν καὶ παρακινητικὸν ſpiritum quo furor excitatur & commouetur. Quapropter Bacchantes nunquam celebrant orgia ſine coronis. At has ſtatim vt capiti circumpoſuerunt, tunc verò πρὸς τὴν τελετὴν ἀφραίνοντες ad ea ſacra celebranda mirum dictu quantopere incenduntur. Hinc eſt quòd Æſchinem Demoſthenes vocat κιττοφόρον hederigerum ac ſi dicat lymphatum, furore percitum. Enimuero

Plutar. Alex. ma.

Plutarchus Olympiadem in Bacchicis feſtis memorat præcipuo quodam furore fuiſſe correptam. Certè ſerpentes & magnos & cicures inducebat in thiaſos, id eſt in Bacchicas ſaltationes. Hi quoque ſæpe ex hedera, & è ſacris ciſtis emergentes, & circumuoluti thiaſis & coronis mulierum ingentem metum viris incutiebāt.

Clemen. Alex. exhort. ad Græc.

Denique qui Bacchi feſta celebrabāt, horum capitibus inſidebant ſerpentes, ac dicebantur ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, coronati ſerpentibus. Et verò ſignum Bacchicorum orgiorum eſt ὄφις τετελεσμένος, ſerpens myſterijs initiatus.

Plutarc. γαμ. πάρ.

Hinc quoque perpetuum epithetū earum mulierum quæ his ſacris initiatæ erant, τὸ θυιάδων. Vocabātur enim mænades ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, à furendo. Id quod docent poëtæ alio epithero quo illas donant. Vocant enim hederigeras, ac ſi dicant lymphatas, ac ſui minimè compotes. Id quod docet Catullus in hoc verſu,

Catul. de Berec. & Aty.

Vbi capita Mænades iaciunt hederigeræ.

Qui mænadum, omniúmque Bacchantium habitus deſcribitur ab Euripide, vbi inducit Tireſiam & Cadmum πολιαὶ ξυνωρὶν canam bigam, vt ipſe loquitur, id eſt, par ſenum bacchantium,

Euripid Bacch. actu 1.

Θύρσους ἀνάπτειν, καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχειν,
Στεφανοῦντι κρᾶτα κισσίνοις βλαστήμασιν.

Thyrſos ligare, & agnorum pelles habere, & coronare caput he-

deraceis ramis, aut floribus. Addit alia huius notæ, quæ paulò poſt ſequuntur. Hinc quoque manauit priſcum inſtitutum, vt Baccho ſacrificantes eſſent hederati. *Euripid. Bacch. actu 1.*

— κισσῷ τ᾽ στεφανωθεὶς
Διόνυσον θεραπεύει.

Et hedera coronatus Liberum colit. Atque adeò quoties hi Bacchi ſacerdotes ibant in militiam, ibi quoque aſpiciebantur hedera coronati, vt Eunæus ille apud Statium, cuius *Stat lib. 7. Theb.*

—clypei penetrabile textum
Pallentes hedera, Nyſeáque ſerta coronant.

Vbi Niſæa interpretor lecta in Niſa, quam ipſe paulò poſt feracem nominat. Nec tantùm ſacerdotes, ſed & ipſæ victimæ, quæ Baccho immolabantur, hoc eſt hædi & capræ erant hederatæ, vt in ſacrificio Daphnidis videre eſt apud Lōgum, vbi optima caprarum hedera coronatur priuſquam mactetur. Ipſa quoque multitudo in feſtis Bacchi coronabatur hedera; Et ad hoc exemplum ebrij, ſicuti operantes huius Dei ſacris. Quo coronamento vſus eſt Ptolemæus Philopator, ſicuti Galli illi euirati, qui celebrabant feſtum matris Deûm. Apud Platonem Alcibiades ebrius coronatus eſt corona ex hedera & violis confertim compacta; multiſque tæniis caput euinctus; credo, vt videretur imitator Bacchici furoris. Ipſa pocula in conuiuijs, quibus libabant, conſtat fuiſſe hederacea. Hercules apud Admetum capit poculum hederaceum, *Long. lib. 2. Etymol. γαλλος. Plato in ſymp.*

Ποτῆρα δ᾽ ἐν χείρεσσι κίσσινον λαβὼν
Πίνει μελαίνης μητρὸς εὔζωρον μέθυ.

Euripid. Alceſt. actu 4.

Poculum verò in manibus hederaceum accipiens bibit nigræ matris purum vinum. Apud eundem Euripidem ſcyphus Cyclopis eſt hederaceus, latus tres vlnas, & profundus quatuor. Id quoque non fit ſine ratione naturali, quam reddit Q. Serenus Sarmonicus in hiſce verſibus; *Euripid. Cycl. actu 3. Q. Sarm. lib. de medic.*

Quando lien tumido circumligat ilia vinclo,
Et plenum ſplenis demonſtrant membra rigorem
Mollibus ex hedera tornantur pocula lignis.
Hinc trahit aſſuetos æger quoſcunque liquores.

Vas tamen hederaceum non continere vinum, traditur apud Catonem. Inter pocula menſaria cenſebatur κισσύβιον ὃ κισσὸς περιέχει quod hedera ambit vnde & nomen. Quod ſanè genus poculi vſque eo fuit vernaculum, vt factum fuerit ἀγροικικὸν ποτήριον agreſtis, ſiue agricolarum calix. Ipſa conuiuia Euripides non dubitauit vocare pulchrè coronata in hoc verſu, *Cato de re ruſt. Pollux l. 6. c. 16. Etymol. κισσύβιον. Euripid. Bacch. Stob. π. εἰρήν.*

Καὶ κληιζεύσας ἀοιδὰς, φιλοστεφάνους τ᾽ κώμους.

Et hederata; κισσοφόρους θαλίας. Hoc loco Plinio authore, notandus

Plin.li.16.c.35. eſt error vulgi, quod interdum pro hedera capiebat ſmilacem. *Infauſta*, inquit, Plinius de ſmilace, *omnibus ſacris & coronis, quoniam ſit lugubris; virgine eius nominis propter amorem iuuenis Croci, mutata in hunc fruticem. Id vulgus ignorans plerumque feſta ſua polluit, hederam exiſtimando. Sicut in poëtis, aut Libero patre quis omnino neſcit quibus coronentur?* Qui error, ſi tamen fuit error, *Theophraſt.lib.3.de plant.36.* hinc eſt quòd ſmilacis folium eſt κιττώδες, inquit Theophraſtus, hederaceũ ſiue ſimile hederæ, atque adeò καταχρέμασοι οἱ βότρυες κιττῶ τρόπον, penſiles ſunt eius racemi in modum hederæ. Fuit tamen hic error, quem dixi, non Romæ ſolùm, ſed & in Græcia peruulgatus. Et verò vtraque & hedera & ſmilace Euripides Thebanos coronari vult,

Euripid. Bacch. actu 1.

ὦ Σεμέλας τροφοὶ Θῆβαι
Στεφανοῦσθε κισσῷ
Βρύετε βρύετε χλοηρᾷ
Σμίλακι καλλικάρπῳ.

ô Semeles nutrices Thebæ, Redimimini hedera. Cingite, cingite capita florentes viridi ſmilace. Quin & Vlyſſes relatu Syneſij Polyphemo ſuadet, vt Galateam excepturus adornet coronas ex he- *Syneſ epiſt.* dera & ſmilace. ἔτι δὲ κάλλιον, εἰ καὶ στεφάνους παρασκευάσαιο κιττοῦ τε καὶ σμίλακος οἷς σαυτὸν καὶ τὰ παιδικὰ ἀναδήσαιο. Etiam pulchrius, ſi & coronas adornes hederæ & ſmilacis, quibus te ipſum & amaſios redi- *Philoſt.in Ima.* mias. Vbi ſmilax eſt ſanè hederæ genus pulcherrimum & præſtantiſſimum. Et verò Andrij, inquit Philoſtratus, coronantur hedera & ſmilace. Sed ab hominibus rectè copulantur cùm ſimul naſcantur. Illa inſula aurea tota Bacchi, quæ pingitur in imaginibus, repræſentatur κατηρεφὴς κιττῷ τε καὶ σμίλακι, καὶ ἀμπέλοις, adumbrata *Philoſtr. κυνηγέταις.* hedera & ſmilace, & vineis. Et alibi in ijſdem imaginibus Himerides corymbos palmitum connectunt. Adeſt & ſmilax & hedera. *Ælian. lib. cap. 1.* Deſcribitur & apud Ælianum locus quem certatim ornant hedera & ſmilax. Nam illa ibi copioſa & admodum hirſuta viget ac floret, & inſtar generoſarum vitium in proceras arbores ſerpit, ipſíſque connaſcitur. Smilax etiam pari copia partim aduoluit ſe rupibus, ſaxúmque opacat, ſubtérque ſubiens occultat ſeſe. Quæ omnia tanta pulchritudine excellunt, vt ibidem dicatur eſſe oculorum panegyris. Quibuſdam arboribus obſcurioribus, inquit *Achill.Tat.lib.1.* Achilles Tatius, hedera & ſmilax adnaſcuntur. hæc quidem è platano ſuſpenſa, & vndique munita gracili coma. At hedera circa piceam arborem torta incolebat arborem amplexibus. Illa hederæ fiebat vehiculum; & hedera ſmilaci erat corona, id eſt ornamentum. Non immeritò hedera ornat ſmilacem, cùm ei poëtæ tribuant florentem pulchritudinem, vſque eò vt eam mulieres adhi-

beant in religando capillitio. Horatius inuitans Phyllidem ſuam, ait apud ſe eſſe cadum vini veteris, & apium nectendis coronis. Additque,

Eſt hedera vis — *Horat. lib. 4. Carm. od. 10.*
Multa, quæ crineis religata fulges.

His affine eſt illud Statij,

Crinem comite, candidámque veſtem — *Stat. lib. 2. Sylu.*
Perfundant hedera recentiores.

Quid, quòd ipſa hedera eſt veluti quoddam ſymbolum pulchritudinis, dicitúrque formoſa? Virgilius de Galatea,

Candidior cygnis, hedera formoſior alba. — *Virgil. ecl. 7.*

Albam dixit, vt eam diſcriminet ab illa, quam ipſe alibi vocat nigram,

—— aut hedera pandunt veſtigia nigræ. — *Virgil. lib 2. Georg.*

Hanc Tryphiodorus vocat κυανάμπυκιν κισσὸν nigricomam hederam. Sophocles quoque eam vocat nigram, id eſt racemis nigris, οἴνωπα κισσὸν. Talis cùm ſit, aſpectui tam grata eſt, vt, ſicuti roſa dicatur florere. Theocritus, — *Tryphiod. Sophocl. Oed.*

πολλὸς δ' ὡς ῥόδα κισσὸς ἐπάνθει — *Theoc. ὁ ξείνο. eidyll. 1.*

& ſicut roſæ copioſa hedera efflorer. & alibi:

καὶ γάρ ἐμοὶ τὸ πάροιθεν ἐπάνθεεν ἁδύ τι κάλλος
ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον.

Et coram me floruit ſuauis quædam pulchritudo, vt hedera circa malum. Ea re adhibetur hortorum vel cultiſſimorum ornamentis, vbi tota auicularum ſuauiſſimis cantibus perſtrepit. Epopus ille Ariſtophanæus veriùs auis quàm homo vt potè luſciniæ cãtus referens, & vocans ad ſe alias auiculas, ait,

ὅσα τ' ὑμῶν κατὰ κήπους ἐπὶ κισ- — *Ariſtop. ὄρνιθ.*
σοῦ κλάδεσι νόμον ἔχει.

Quotcunque è vobis per hortos ſuper hederæ ramis cantillant. Vnde liquet, hederam eſſe inter lectiores delicias hortorum. Huic pulchritudini hoc nonnihil confert quod eſt rigens; *& ſine adminiculo*, inquit Plinius, *ſtat ſola omnium generum, ob id vocata ciſſos. E diuerſo nunquam, niſi humi repens chamaciſſos.* Nimirum, noſtra illa ipſa eſt, quam Silius Italicus vocat frondem hirtam, quáque ipſe Pompeium coronat. — *Plin. lib. 16. cap 34.*

Ille hirta cui ſubrigitur coma fronde decorum, — *Sil. Ital. lib. 13.*
Et gratum terris Magnus caput.

Nec hortis tantùm eſt ornamento, ſed & cuilibet loco vbi ipſa eſt, vt aliquoties apud Longum. His accedit quòd errat, & quidem blando aſpicientibus errore, κισσὸς ἐπιπλανώμενος. Ergo eſt errans hedera paſſim, inquit Lõgus, *dum ſenſim extenditur, manúlt-* — *Long. lib. 1. Virgil. egl. 4.*

quæ parietibus inuehi textili ſylua, quàm humi teri voluntaria iniuria, inquit Tertullianus. Ideóque dicitur ſerpere, & ſerpens, id eſt ſurſum repens. Virgilius,

Tertull. lib. de anima.

Serpentes hederæ vix habuêre locum.

Virgil. epigr.

Dicitur & tenax. Neque enim vbi ſemel adhæſit, hinc facilè diuellitur. Catullus,

Vt tenax hedera hac & hac
Arborem implicat errans.

Catul. in epith. Iul. & Manl.

Et inhæret alijs arboribus, vt apud Longum, vbi deſcribit hortum, *Erant*, inquit, *& cypreſſi, & lauri, & platani, & pinus. His omnibus adhærebat hedera. Et corymbus eius cùm eſſet magnus & niger, vuam imitabatur. Totúſque hippodromus*, inquit Plinius, *intrãtium oculis offertur. Illa hedera veſtiuntur; vtque ſummæ ſuis, ita imæ alienis frondibus virent.* Nec tantùm vt amica, verùm etiã vt amaſia implicatur vetuſtis arboribus, cum quibus habet communia quædam natalium principia. Quas ita poſſidet vt tyrannus. Certè hanc tyrannidem exercet non ſolùm in arboribus, verùm etiam quandoque in ipſis animalibus. Nam hedera viridis cornu cerui adhuc tenello quaſi ligno viridi inſerta inibi coaluit. eámque ceruus captus eſt gerens. Denique vix vllus memoratur locus formoſus abſque hac fronde. Propertius,

Long. lib. 4.
Plin. epiſt. lib. 5. ep. 6.
Theophraſt lib. 1. de plant.
Ariſtot. de hiſt. anim. lib. 9. c. 5.
Propert. lib. 1. ad Cynth.

Aſpice quos ſummittat humus formoſa colores,
Et veniant hederæ ſponte ſua melius.

Hanc pulchritudinem auget viror. Quippe hæc frons velut peculiari epitheto dicitur virens, vt apud Horatium,

Læta quod pubes hedera virenti
Gaudeat.

Horat. lib. 1. carm. od 25.

Et hoc ipſo quod perpetuò viret, dicitur eſſe in tutela Liberi, cui, ſcilicet, eſt perpetua viridis ætas ad ſimilitudinem huius frondis. Ergo antrum hederoſum, hoc eſt, multa hedera conueſtitum nihil aliud ſignat, niſi perpetuo virore pulchreſcens. Propertius,

Feſt. hedera.

Lucus erat felix hederoſo conditus antro.
Multáque natiuis obſtrepit arbor aquis.

Propert lib. 4.

Certè hedera & propter vmbram, & propter viriditatem multos faſcinare dicitur. Sed omnis decoris, omníſque pulchritudinis huic frondi cumulus eſt, quod & flexibilis, & ſequax, & ductilis eſt. Ouidius,

Plutarch. κεφάλ. ϰαταχ. ſυμ.

Vos quoque flexibiles hederæ veniſtis, & vnà
Pampineæ vites, & amictæ vitibus vlmi.

Ouid. l. 10. Metam.

Et quia flexibilis eſt, nexilis quoque eſt. Ouidius,

Ouid. 6. Meta.

Vltima pars telæ tenui circumdata limbo
Nexilibus flores hederis habet intertextos.

Hinc

Hinc quoque conficitur, hederaceam coronam non ſolùm eſſe adſtringentem, ſed præcipuam indicem lætitiæ & hilaritatis, potiſſimùm conuiuialis. Ouidius ad Bacchum,

Ouid. lib. 5. de triſtib.

Illa dies hæc eſt, qua te celebrare poëtæ,
Si modo non fallunt tempora, Bacche ſolent.
Feſtáque odoratis innectunt tempora ſertis,
Et dicunt laudes ad tua vina tuas.

Hac ſe corona redimitum Anacreon beatum prædicat.

Ὅταν ὁ Βάκχος εἰσέλθῃ
Εὕδουσιν αἱ μέριμναι.
Δοκῶν δ' ἔχειν τὰ Κροίσου
Θέλω καλῶς ἀείδειν·
Κισσοστεφὴς δὲ κεῖμαι,
Πατῶ δ' ἅπαντα θυμῷ.

Cùm Bacchus ingreditur, Dormiũt curę. Exiſtimans me poſſidere opes Crœſi, Cupio pulchrè canere. Vmbratus autem hedera iaceo, Et animo omnia conculco. Obiter moneo, hederam non ſolùm eſſe indicem lætitiæ conuiuialis, ſed & militaris, eius, inquam, quam parit victoria. Et hinc mos coronandi tentoria militum victorum hedera & lauro. Certè victores Romani in eo prælio quo Perſes rex Macedonum ſuperatus eſt, cum redirent ab hoſtium perſecutione, inuenerunt τὰς σκηνὰς φωτὶ λαμπομένας, καὶ κεκοσμημένας κιττῷ καὶ δάφνης στεφάνοις, tentoria luce ſplendentia, ornatáque ſertis hederæ & lauri. Ipſe Bacchus ſuum templum, quod eſt in Nyſa monte, contexit hedera, vite, lauro. Nec lauro tantùm, ſed & myrto hedera ſociatur, vt ille malus hiſtoricus relatu Luciani ſcriptum reliquit, καὶ ἐς οἷον ἄντρον κατέφυγε [ὀσρόης] κιττῷ καὶ μυῤῥίνης καὶ δάφνης ἐς ταυτὸ συμπεφυκότων, καὶ σύσκιον ἀκριβῶς αὐτὸ ποιούντων. Et in quale antrum confugerit [oſroes] tectum videlicet ex hedera, & myrto & lauro.

Plutarch. Æmil. Paul.

Philoſtr. vita Apollon. lib. 2.

Lucia. Quom. hiſt. ſit ſcrib.

CAPVT XVIII.

Hedera laſciua. Priapus hederaceam coronam à Baccho accepit. Hedera dicta φίλοφος. Amantes & Satyri hedera coronati. Bacchi thyrſi ἀπολέμοι. Principes viri, ijdémque luxurioſi hederati. Exercitus Alexandri hederatus. Priſcus mos ſtatim coronandi exercitum victorem. Hedera victrix vetuſtatis, & comes immortalitatis. Hedera coronamẽtum poëtarum. Interpretes poëtarum, & rhapſodi coronati. Muſæ hedera coronantur, & roſis. Oratores coronati.

CÆTERVM, quia conuiuialis hæc lætitia ſæpe eſt affinis laſciuiæ, quomodo hedera vtriuſque index eſt, ita quoque

vocatur laſciua. Etſi ipſa ſuopte ingenio laſciuire, hoc eſt luxuriare dicitur. Id quod nihil eſt aliud, niſi obuia quæque, vt ſupra dictum eſt, amplecti; hac illac extendi nullo fine; inexpectatam alienis inſeri vt ſuis. Qui quòd ſunt bibonum & epulonum mores, certè intemperantiores, non mirum ſi hederaceo coronamento repræſentatur hæc ſiue laſciuia, ſiue petulantia. Hac de cauſa laſciuæ epitheto donata eſt à Poëtis. Horatius,

Horat. lib. 1. carm. od. 1.

Nec Damalis nouo
Diuelletur adultero
Laſciuis hederis ambitioſior.

Lucian. Amor.

Huic ſignificatui naturalis cauſa ſubeſt. Nam hederam ait Theophraſtus alijs arboribus eſſe moleſtiſſimam. cùm enim nunquam deponat folia, ſemper eget multo alimento. Porrò Bacchus Venerem exſuſcitat, atque adeò Venus addita Baccho eſt iucundior, & illa voluptas ex vtroque temperata gratior. Id quod in conuiuijs ſignauit corona hederacea. Atque adeò non inſcitè antiquitas finxit, Priapum ſalacem & libidinoſum Deum hanc hederaceam coronam à Baccho accipere. Et verò in ſolemnibus pompis Priapus hac corona euinctus oſtentabatur. Et apud Theocritum Priapus deſcribitur hedera coronatus. Et, Athenæo teſte, ad hoc libidinoſi numinis exemplum Alexãdri & Ptolemæi ſtatuis, impoſitæ ſunt aureæ coronæ hederaceæ; quò, ſcilicet, fides fieret, eſſe reges libidini mancipatos. Itaque hanc quoque coronam amantes affectaſſe conſtat. Ideóque dicta eſt φίλερως amans amoris. Hoc epitheto donatur à Luciano in his verbis, παντί γε μὴν δένδρῳ περιπεπλεγμένος ὁ φίλερως περιοιέρπει κιττός, cuiuis arbori circumuoluta illa amoris cupida hedera ſerpebat. Apud Theocritum caprarius cupit fieri apis, vt veniat in antrũ in quo Amaryllis degere ſolet, hederam ſubiens, vſque eò videtur hedera amantibus facere copiam ſuorum amorum. Ipſi Satyri, ſalaciſſimum genus in pompa regis Ptolemæi conſpecti ſunt hederati. Certè ille Saxeus Satyrus qui fuit in illo celeberrimo antro apud Thebas Ægyptias, ita fuit coronatus hedera, vt eius rami vmbrarint eius comam, & protenſi fuerint ſupra ceruicem. Hanc quoque hederaceam coronam Athenæus tribuit quibuſdam luxurioſis, quos vocant autocabdalos, qui pedetentim, & inceſſu perfluo verba quodammodo irrorabant. Cæterùm quòd Priapus eſt comes Bacchi, & vterque viros effeminat, Bacchi thyrſi vocantur ἀπολέμιοι imbelles; qui tamen occulta quadam vi interficiunt. Euripides,

Lucian. Amor.

Theophraſt. lib. 2. de cau. plãt.

Athen. lib 5.

Theocrit. epigr. 3.

Lucian. Amor.

Athen. lib. 5. In deſcrip. Calliſtr.

Athen. lib. 14.

Euripid. Io. Act. 1.

καὶ Βρόμιος ἄλλον
ἀπολεμίοις κισσίνοις βάκτροις,
ἐναίρει γὰρ τίνα ὁ Βακχεύς.

Et Bromius alium imbellibus thyrſis occidit terræ filium Bac-
cheus. Vt verum ſit, vino plures petire quàm gladio. Et hi qui-
dem mores tam molles & effeminati ſæpe à conuiuijs tranſeunt
ad cætera loca, in quibus deformitas eſt notabilior. Huius generis *In vita M. Aurelij.*
illud eſt quod memoratur de Antigono iuuene laſciuo, qui pro
aurea corona hederaceam, & pro ſceptro dextra manu pungentes
vrticas geſtaſſe; & hoc habitu ius populis dixiſſe dicitur. Certè *Plutarch. Anton.*
Plutarchus vbi exprobrat Antonio mores luxurioſos & libidino-
ſos in comparatione eius & Demetrij, hunc ait in belli apparatu
non habuiſſe haſtam hederatam; neque galeam eius oluiſſe vn-
guenta. Perinde ac ſi hæc omnia exprobret Antonio; vt vel hoc
ſolo cultu ſciri poſſit, quàm luxurioſè vixerit. Regiè Alexander, *Plin. li. 16. c. 34.*
cuius exercitus victor ex India rediens hedera coronatus fuit, ſci-
licet, exemplo Liberi patris, cuius Dei, inquit Plinius, & nunc
adorant thyrſos, galeáſque & ſcuta in Thraciæ populis, in ſolem-
nibus ſacris. Porrò exercitum victorem non ſolùm in triumpho,
ſed & ſtatim poſt pugnam coronari, priſci moris fuit, & quidem *Plutarch. Mario.*
armatum; vt de Marij exercitu poſt cæſos Teutones & Ambrones
Plutarchus tradit. Quo exemplo Ageſilaus, parta de Thebanis *Xenoph. hiſtor. Græc. lib. 4. & in laudatione Ageſil.*
victoria, iuſſit vniuerſos coronari in honorem Dei, omnéſque
tibicines tibia canere. Quin & Lacedæmonij proprio inſtituto
coronati pugnabant. Huius quoque frondis dignitatem auget *Stob. πε. νόμ. κὰ ἐθ.*
alius eius ſignificatus. Quippe hedera fert ſe victricem vetuſtatis,
atque adeò comitem immortalitatis eius, quam ſibi præclariſſimi *Clem. Alex in orat. exhortat.*
ſcriptores, vt præmium, proponunt, in primis poëtæ, quorum ce-
leberrimus quiſque ac cæterorum victor hac frõde caput euinxit.
Ideóque dicitur victrix apud Horatium,

—ſeu condis amabile carmen *Horat. lib. 1. ep.*
Prima feres hederæ victricis præmia.

Hoc autem Poëticum, vt ita dicam, genus hederæ Plinius his ver-
bis deſcribit, *Alicui & ſemen nigrum, alij crocatum, cuius coronis* Plin. li. 16. c. 34.
*poëtæ vtuntur, folijs minùs nigris; quam quidam Dionyſiam, alij Bac-
chicam vocant, maximè inter nigras corymbis.* Hoc ergo cultu inſi-
gnes poëtæ amabant effigiati. Ouidius miſſus in vltimas terras,
veluti à ſe abdicans omnem iucunditatem, cúmque quæ nomini
ſuo adhærebat, nominis æternitatem, ſuæ imagini hederam demi
vult.

Si quis habes noſtris ſimiles in imagine vultus, *Ouid. lib. 1. de triſt.*
Deme meis hederas, Bacchica ſerta, comis.
Iſta decent lætos felicia ſigna poëtas.
Temporibus non eſt apta corona meis.

Propertius ait, caput & docti, & poëtæ hedera circumiri, non item alicuius ruſtici & imperiti.

Propert. lib. 2.

Ruſticus hæc aliquis tam turpia prælia quærat,
Cuius non hedera circumière caput.

Ariſtophanes comicus redimitur hedera in illo epigrãmate quod extat in aditu comœdiarum eius. Ouidius quoque Catullum facit hederatum,

Ouid. epiced. de mor. Tib.

Obuius huic venias hedera iuuenilia cinctus
Tempora cum Caluo docte Catulle tuo.

Prudentius poëta nihil minùs, quàm laſciuus ſeſe excitans ad laudes Dei celebrandas, non ad illa ludenda quæ ſolet poëſis, ait,

Prudent. hym. ante cib.

Sperne camena leueis hederas
Cingere tempora queis ſolita es,
Sertáque myſtica dactylico
Texere docta liga ſtrophio,
Laude Dei redimita comas.

Qui mos coronandi poëtas fluxit à conſuetudine priſcorum; vt de Arione cecinit Ouidius,

Ouid. lib. 2. Faſt.

—— capit ille coronam
Quæ poſſet crineis Phœbe decere tuos.

Plutarch. Lyſandro.
Philoſtrat. in Imag.
Plato in Ion.

Ac, Plutarcho authore, Lyſander Niceratum, à quo carminibus cultus fuerat, coronauit. Fabulæ Æſopum tænijs rediminut, eúmque coronant θαλλοῦ στεφάνῳ virentis oleæ corona. Poëtarum quoque cultores, hoc eſt, Rhapſodi, & heroicorum carminũ recitatores, atque adeò ipſi interpretes corona donati præfulgebant, plerunque aurea. Certè Ion ille Platonicus vbi dixit, Homerum à ſe egregiè ornatum fuiſſe; vſque eò, inquit dignus, opinor ſum ab Homeri ſtudioſis aurea corona coronari. Et infrà vbi probauit, non ſolùm poëtas, verùm etiam hos ipſos Rhapſodos Deo plenos poëmata recitare, ironicè ait, prudentem eſſe illum hominem, qui ornatus veſte verſicolori, & aureis coronis, fleat tamen in ſacrificijs & feſtis, cùm horum nihil amiſerit. Et infra, An tibi videtur, Rhapſodo qui ſit aurea corona coronatus, Græcis opus eſſe, duce verò minimè? Quid, non ſolùm poëtæ, ſed & ipſæ Muſæ hedera coronantur? Calliopen, ſiue Calliopæan, quam Heſiodus vocat præſtantiſſimam omnium Muſarum, Ouidius redimit hedera.

Ouid. lib. 5. Faſt.

Tunc ſic neglectos hedera redimita capillos
Prima ſui cœpit Calliopæa chori.

Et alibi,

Surgit, & immenſos hedera redimita capillos
Calliope querulas pertentat pollice chordas. Ouid. lib. 5. Metam.

Apud Propertium quædam è Muſis legunt hederas in thyrſos,

Hac hederas legit in thyrſos, hac carmina neruis Propert lib. 3.
Aptat, & illa manu texit vtraque roſam.

Et verò Sappho Muſas coronat roſis, inquit Clemens Alexandrinus. Et addit hunc verſum forſan ipſius Sapphus, οὐ γὰρ μετέχεις ῥόδων τῶν ἐκ Πιερίας. Oratoribus quoque hoc datum vt coronarentur. Cuius rei exemplum eſt Palfurius Sura apud Suetonium.

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8.
Sueton. Domit.

CAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

DE CORONIS LIBER SECVNDVS
QVI EST DE CORONIS LÆTITIÆ.

CAPVT PRIMVM.

De abuſu coronarum. Dignitas coronæ. Quibus gradibus corona à re minima, hoc eſt, vinculo ſiue ſtrophio peruenerit ad tantam dignitatem. Strophij excellentia.

CORONARVM natales indicaui cùm dixi, neceſſitatem mitigando dolori ſiue grauitati capitis τῇ καρηβαρείᾳ, inueniſſe vincula, ſeu ſtrophia, id eſt, rem quamlibet quæ modò eſſet idonea capiti redimiendo & adſtringendo. Poſtea vt hæc vincula efficaciùs iuuarent, dixi nexa fuiſſe ex herbis, folijs, floribus ijs, quibus eſt naturalis facultas refrigerandi & adſtringendi. Huius generis plures coronas nominatim recenſui. Vltimo loco hederaceam. Dein diſpiciendum quî factum ſit, vt res à talibus profecta initijs breui apud omnes gentes increbruerit; quę nata eſt apud communes menſas mox occuparit altaria Deorum; à priſca frugalitate commearit ad dapatica negotia; è mapalibus, caſis, caulis, mero, inquam, ture inuaſerit frequentiam vrbium; In regijs, in templis, in theatris nacta ſit eminentiſſimum locum; caſtris & claſſibus cupidiſſimè excepta fuerit; Vbique ſignarit fortitudinem, victoriam, felicitatem; triumphorum celebritatem omni gloria cumularit; rerum columina & culmina monſtrarit; regum maieſtatem aſſeruerit, quæ non ſe talem putat, niſi cùm ſe coro-

narum decore ſtipatam contemplatur. De hac coronæ dignitate verba faciens Ouidius ait,

Illa datos faſces commendat, ebúrque curule,
Illa coronatis alta triumphat equis.

Ouid. lib. 5. Faſt.

Vſque eò res coronaria ab exiguo fomite peruenit ad luculentiſſimos radios. Hinc fit, vt & mihi tibíque lector, dolẽdum ſit hanc materiam, quæ tota radiat rebus lectis, fructuoſis, magnis & magnificis, non eſſe nactam parem ſcriptorem. Tentabo tamen non tam ſpe præſtandi id quod ſuſcepi, quàm ſtudio iuuandi per ea quæ ſunt in manu mea. Cæterùm vehementer miror, quid ita non deſint, quibus rem tanti ſplendoris indignis modis accipere, ludus iocúſque fuit. Rurſus enim Tertullianus adeſt vix vnquam coronis æquus, quo authore coronarum vſus tam latè diffuſus eſt, *vt eæ cõtexerint lupanaria & latrinas, & piſtrina, & carcerem, & ludum, & ipſa amphitheatra, & ipſa ſpoliaria, & ipſas libitinas.* Nempe his verbis id agit, vt probet coronas qualicunque impuritati tegendæ ac protegendæ adhibitas. Miror quod non addidit coronę nomen demiſſum ad fœdiſſima quæque corporis. Nam & Græcis στέφανος eſt podex, ſicuti & noſtris corona, Verpus vult coronari. ſed de his ſatis, imò nimis quæ ne. eloqui quidem ſine venia fas eſt. Eâdem inceſſatur Sol, quòd tam nitidus, tam purus & ſyncerus quamlibet ſpurcitiem ſuis radijs icit. Neque enim propterea minùs eſt Sol. Simia, beſtia ineptiſſima viri grauis geſtus effingere conata, illos nihilo magis deuenuſtat, ſimileſue reddit ſuis turpiſſimis ac petulantiſſimis. Vſui coronarum comitem ſe adiunxit abuſus vt ſimius homini. Ergo abuſui plus tribuetur quàm vſui? Ergo quorundam ſiniſteritas rem præclariſſimam altiſſimo loco deiectam abijciet proculcandam ad pedes obſcuriſſimi & impuriſſimi cuiuſque. Quid magis obuium quàm deterrimi mortalium purpura contecti? Num ideo purpuram profligabimus? Rei præclaræ abuſus abutentem prodit. Ipſi rei nihil demit. Coronas, inquis, fæx hominum polluit & prophanauit. Num ideo corona non eſt præclariſſimum inuentum? At Ethnica plebecula ijs abuſa eſt ad ſuperſtitionem. Tu, reiecta ſuperſtitione, coronas retine. Hæc ego vſque ingerere non dubito illis, qui omnia Tertulliani admirantur; tum Clementis Alexandrini, qui infenſus coronis, ijs quæ idolis ſuſpendebantur tradit; ἀοχλήτου ἀμεριμνίας τὸν στέφανον εἶναι σύμβολον, coronam eſſe ſignum eius ſegnitiei, quæ illius turbæ propria eſt, quæ remota ab omni negotio eſt. Deinde poſtquam dixit, floreas coronas imponi mortuis eadem ratione qua imponuntur idolis, quæ & ipſa eſt res mortua, addit, inconueniens eſſe, eos qui audiuerunt Dominum ſpinis fuiſſe coronatum, paſſioni eius

Tertull. lib. de idolol.

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8.

illudere, dum ipſi capite geſtant coronas floreas. Et hæc quidem Clemens Alexandrinus, cui, & ſiqui ſunt in eadem ſententia, reſpondeo, Dominum ſibi ſumpſiſſe coronam ſpineam ijs de cauſis quas alibi dico. Nec ideo tamen coronas ſuſtuliſſe qui vbique ſuis promittit coronam gloriæ. Nos ergo melioribus auſpicijs nati ad verum vſum coronas reuocemus. Nam rem tollere nihil eſt aliud quàm virtutes vitijs, lucem tenebris, bona malis mancipare. Rei per ſe præclatæ addita corona, quamuis florea, quamuis leuis ac tenuis, & gratiam & decus addit. In hanc ſententiam author rhetoricorum ad Herennium agens de imaginibus quæ memoriæ

Author ad Herenn. lib. 3. cauſa comparantur, eas exornat coronis. Nunquam & nuſquam fit mentio coronæ niſi inter ea quæ maxima ſunt & ampliſſima.

Plutar. π. φυſ. Plutarchus malorum ſummis, veluti exitio, infamiæ, amiſſioni honorum opponit ſicuti contraria coronas, imperia, prærogatiuas ſedendi. Ergo primus gradus, cuius aſcenſu corona in ſublime euecta eſt, is fuit, vt, compeſcendæ ebrietati caput adſtringeret. Alter, vt illud qualecunque vinculum eſſet honeſtum velamen regendo illi ſemiſomno ſopori, & illi qui hinc manat, rubori. Ea re vinculis illis, ſiue ſtrophijs addi cœptus eſt honos eius frondis quæ non tantùm eſſet ſalutaris, ſed & læta, ac præ ſe ferret decus pulchri & odorati floris. Deinde vnius generis floribus acceſſit artifex & operoſa miſtura plurium. Denique frondibus ſucceſſit aurum, natiuis floribus gemmæ florum æmulæ, pratorum & hortorum honoribus lapillorum rubores, virores, nitores. Ea fuit vinculi, ſiue ſtrophij felicitas, vt è vimine & ſalice, è materia vernacu-

Artemidor. in præfat. lib. 4. la factum ſit aureum, ex aureo gemmeum, vt ſuis locis dicam. Quid? eò ſtrophium proceſſit, vt non fuerit diſſimile diademati.

Plutar. Ariſtid. Certè quæ diademati, eadem ſtrophio conueniunt. Et ideo ſtrophium interdum ſumitur pro diademate, *οἰηθεὶς βασιλέα διὰ τὴν κόμην καὶ τὸ στρόφιον εἶναι*, arbitratus eſſe regem propter comam & ſtrophium. Quandóque hæc dictio demonſtrauit coronam ſacerdotis. Et tunc ſtrophium aut totum fuit album, aut coloribus

Plutar. Arato. mixtis. De eo ſacerdote, qui Arato ſacrificabat vt Deo, *στρόφιον οὐχ ὅλον λευκὸν*, inquit Plutarchus, *ἀλλὰ μεσοπόρφυρον ἔχων*, ſtrophium habẽs non totũ album, ſed medium purpureum. Poſtremò hęc ſtrophia, ſiue vincula tanto paratu, tantáque arte ſunt concinnata, vt tota res non ſola acceſſione materiæ pretioſior, ſed & pulchritudine nominis conſpectior euaſerit. Quæ nunc ſtrictim attigi, ea vt ſingillatim perſequar, ad ſuſceptam curam pertinere intelligo.

CAP.

CAPVT II.

Qualia priſcorum conuiuia in quibus natæ ſunt coronæ floreæ, & conuiuis exhibitæ. Harum coronarum forma. Calices coronati. Os hominis coronatum. Vina coronata. Flores inditi in poculum. In conuiuijs miniſtri coronati.

VBI natæ ſunt coronæ, ibi quoque auctæ, id eſt, coloratiores, odoratiores, ſpecioſiores factæ, nempe in conuiuijs & comeſſationibus, quæ apud priſcos reliquæ vitæ ſimiles erant, ſolutæ, credulæ, ſimplici, innocenti: Belli, ſcilicet, illi homines priſco ritu, hoc eſt, ſuo, vt priſco verbo vtar, mutitabant tempore dicto, loco, lecto, omni paratu non tam neglecto, quàm nondum reperto, dapibus inemptis, ingenita quadam munditia veriùs quàm vlla lautitia. Si quid hortenſis oleris, aut arborei fructus adpoſitum erat, ampliter erat. Pro opiparis obſonijs, pro condimentis & ferculis erant illa quæ ſupra dixi, far & vinum. Ne ſuſpicabantur quidem opprobria inſequentium ætatum, cereales cœnas, ſtruices, vt ille ait, patinarias, menſas Ciceronianas, ſcitamenta Apiciana, lances Syllanos, luxúmque illum prodigioſum morum corruptorem, & opum euertitorem. Vt quiſque adueniebat, & quidem inuocatus, eo ordine diſcumbebat. Inconditi erant, ſed læti, ſed creduli, ſed ſimplicibus fabulis, luſibus iucundis, ruſtica camœna, ſuauitate vini, grata petulantia ſeſe prouocantes; non cuiquam oblocutores, nulli inſidiantes, nulla ſeſe turpi helluatione dehoneſtantes. Ergo inibi oberrabant Cupidines, Veneres, Lubentiæ, mox & ipſæ Gratiæ, quantúmque eſt licitarum voluptatum. Talia perhibentur fuiſſe priſca Deorum conuiuia, quæ cuiuſmodi eſſent, ſciri poteſt è nuptijs Pelei, ad quas conuenerunt cœleſtia numina in iugis Pelei montis, vt deſcribuntur à Q. Calabro. Tale crediderim fuiſſe conuiuium Argonautarum quod elegãtiſſimis verſibus repræſentauit Apollonius Rhodius. Simili hilaritate & ſimplicitate agitatum fuit illud quod Lucretius deſcribit. *Q. Calab. li. 4. Apollon. Rhod. lib. 1. Lucret. lib. 5.*

Sæpe itaque inter ſe proſtrati in gramine molli.
Propter aquæ riuum, ſub ramis arboris altæ
Non magnis opibus iucundè corpora habebant,
Præſertim cum tempeſtas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridantes floribus herbas.
Tum ioca, tum ſermo, tum dulces eſſe cachinni
Conſuerant; agreſtis enim tum Muſa vigebat.

Hæc, videlicet, ſunt illa conuiuia, ſiue comeſſationes, in quibus

conuiuæ coronari, aut, vt ita dicam, concoronari cœpti, στεφανοῦσθαι, ἢ συστεφανοῦσθαι. Quippe credibile eſt inibi fuiſſe illos duos fontes, alterum riſus, voluptatis alterum. Hinc mixtim effundi cœperunt flores omnigeni, quales dicuntur legi ab auiculis muſicis, ac deferri ad conuiuas eos, qui excipiuntur inſulis beatorum. Pro coronis, inquit Lucianus, philomelæ, aliæque auiculæ canoræ è proximis pratis, florilegæ roſtris, ningebant flores, cum cantu ſuperuolantes. Hi flores proprio vocabulo dicta ſunt χύτα, nempe ἄνθη σύμμικτα, ex quibus fieri ſunt cœptæ ex coronæ de quibus nũc ago, floreæ, frondeæ, herbaceæ, vt liquet è verbis Lucretij, qui illos, quos proximè memoraui, ſequuntur nullo interuallo.

Aristid. leg. orat. 3. — *Lucian. ver. hiſtor. lib 2.* — *Lucian. ver. hiſtor. lib. 2.* — *Etymol. χύτα.*

Tum caput atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus & folijs laſciuia læta monebat.

Scilicet, eſurie ſedata, ſiti excitata, poculis ingeſtis & epotis, hæ coronæ ſingulis conuiuis exhiberi ſolitæ. Id quod præter ea quæ ſupra dixi, ex Athenæo diſcere licet, vbi ait, poſt manus lotas in conuiuio, è duobus pueris alterum tuliſſe vnguentum; alterum omnibus dediſſe coronas dextrè & ingenioſè. Ergo hoſpites ad epulas inuitati, præter cæteras lautitias excipiebantur corollis, hoc eſt, coronis floreis, quæ quoque dicta ſunt ſerta, atque adeò genialia ſerta. Ouidius,

Athen. lib. 24.

Non data ſunt capiti genialia ſerta.

Ouid. lib. 13. Metam.

Hæc ipſa Iuuenali ſimpliciter ſunt ſerta,

Iuuenal. Sat. 9.

Dum bibimus, dum ſerta, vnguenta, puellas
Poſcimus.

Et verò apud Euripidem Electra queritur, Agamemnoniem patrem ſuum à matre neque mitris, neque talibus coronis fuiſſe cultum,

Οὐ μίτραις σε γυνὴ
Δέξατ' οὐδ' ἐπὶ στεφάνοις.

Euripid. Herc. fur. actu 1.

Has ipſas coronas ſignat Theognis in ſententijs elegiacis, vbi ait, terram ſuis frugibus alere illos qui flauas comas cumulant purpureis coronis.

Ἥτε φύσει καρπὸν ἐν εἰλαπίναις φορέοντας
Ξανθῇσιν τε κόμαις πορφυρέους στεφάνους.

Theog. ſentent. eleg.

Quæ nutrit fructibus in conuiuijs ferentes fuluíſque comis purpureas coronas. Atque illæ quidem primæ coronæ etſi hoc nomen obtinere cœperunt, nulla tamen arte, ſed vt cuique erant ad manum flores aut herbæ, ita plectebantur. Satis cuique fuit, ſi circularem quamcunque ſeriem florũ capiti imponeret, miſtura quidem, quod factu facile fuit, vel ſicolori, at nullo diſpoſitu inſignes; niſi quod amplitudinis erant incoactæ, quæque facilè deſcenderẽt in humeros, totámque frontem tegerent.

Tum caput, atque humeros plexis redimire corollis
Floribus & folijs laſciuia læta monebat. *Athen. lib. 15.*

Enimuero frontem ſibi coronare ſolitos veteres obſeruat quidam apud Athenæum, ἐστεφανῶντο δὲ καὶ τὸ μέτωπον. Vtitúrque teſtimonio Anacreontis in hoc verſu, *Anacr.*

Ἐπὶ δ᾽ ὀφρύσι σελίνων
Στεφανίσκους θέμενοι,
Θάλειαν ἑορτὴν ἀγάγωμεν
Διονύσῳ.

Vbi verò ſupercilijs ex apio corollas impoſuimus, feſtũ cõuiuium celebrauimus Baccho. Et alibi apud hunc ipſum Anacreontem,

Στεφάνους δ᾽ οἵους πυκάζω,
Τὰ μέτωπά μοι πυρώσει.

Coronas quales [cùm] mihi frons ardet, ſtipo. Edidit etiam eiuſdem Anacreontis odam doctiſſimus Caſaubonus, in qua ſunt hæc verba,

Ὁ δ᾽ ἐξελὼν καρήνου
Ἐμοὶ στέφος δίδωσι.
Τὸ δ᾽ ὦζ᾽ Ἀνακρέοντος.
Ἐγὼ δ᾽ ὁ μωρὸς ἄρας
Ἐδησάμην μετώπῳ·
Καὶ δῆθεν ἄχρι καὶ νῦν
Ἔρωτος οὐ πέπαυμαι.

Illi demptam ſibi è capite coronam mihi dat. Illa verò redolebat Anacreontem. At ego demens ea capta reuincij frontem. Et verò vſque nunc non deſino amare. Sed ego cùm & hîc & alibi frontem coronari lego, totum caput redimiri intelligo. Nec tantùm frontem, ſed & faciem totam videntur tales coronæ contexiſſe.

Hoc etiam faciunt vbi diſcubuêre, tenéntque
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis. *Lucret. lib. 3.*

Niſi ſi coronas hîc interpretêre circularem oram carcheſij vnde bibitur. Sed coronas nullo adhuc florum delectu, nulla arte plexas hîc quidem ſignificari verius eſt. Quam tamen ſimplicem, vt ita loquar, coronarum laſciuiam ſolertiora, eadémque corruptiora ſæcula imitata ſunt. Siquidem his propemodum ſimiles coronas innuit Propertius ad Cynthiam, *Propert. lib. 5. ſat. 3.*

Cùm tua prependent demiſſa in pocula ſerta,
Et mea deducta carmina voce legis,
Largiùs effuſo madeat tibi menſa falerno,
Spumet & aurato mollius in calice.

Serta, id eſt corollas, quo nomine ipſe alibi eas donat,

Me iuuet æternis poſitum madere corollis,

Quem tetigit iactu certus ad oſſa Deus.

Hic addendum, à mulieribus plerunque eas coronas quæ faciem tegerent, vſurpatas fuiſſe, tegendo, videlicet, ac velando pudori: Plutarch. Pelop. Extat locus Plutarchi vbi loquitur de viris qui thoracibus ſuperponunt indumenta muliebria, ϗ δασέσι στεφάνοις ac denſis coronis inumbrant vultus ſuos. Hæ ſunt illæ coronæ ſiue corollæ quæ Plauto ſunt dapſiles,

Plaut. Pſeud. actu 5. *Vnguenta, atque odores, lemniſcos, corollas dari dapſiles,*

Calices quoque in conuiuijs coronari, hoc eſt floribus redimiri priſcus mos fuit. Et qui è talibus poculis, ſeu ſcyphis bibebant, tantiſper dum ori calix admotus fuit, coronari dicebantur, hoc eſt vmbrari. Et hoc ſenſu lepidè dici poteſt, ipſum os hominis, totámque faciem coronari. Ipſum adeò vinum hac ipſa de cauſa coronatum & redimitum dicitur, Virgilius, *& vina coronant,* & Virgilij imitatione Statius,

Stat. lib. 3 Sylu. *——feſtáſque dapes, redimitáque vina.*
Abripiunt famuli ne quò conuiuia migrent.

Vinum quoque alia de cauſa dicitur coronatum. Quippe quia Tertull. de cor. mil. interdum conuiuiali quadam laſciuia & in ipſum poculum indebantur flores. Id quod, Tertulliano authore audacter firmare licet. Loquitur de corollis, ſiue coronis floreis, *Iam verò*, inquit, *& in ſinum conde, ſi tanta munditia eſt; nempe florum. In lectulum ſparge, ſi tanta mollitia eſt; In poculum crede* [l. inde] *ſi tanta innocentia eſt*; hoc eſt, ſi vſque eò ſunt ſynceri & innoxij, vt nulla ibi ſubſit vis venenata quæ bibenti noceat. Huc pertinet illud Propertij,

Propert. lib. 2. eleg. 33. *Cum tua prapendent demiſſa in pocula ſerta.*
Et mea deducta carmina voce legis.

Quod autem calices coronarentur, id eſt, floribus redimirentur, Tertull. de reſurr. carn. idem Tertullianus diſertim tradit. *At enim*, inquit, *& calix bene ſibi conſcius, & de diligentia miniſterij, commendatus de coronis quoque potatoris ſui inornabitur, aut aſpergine florum honorabitur.* Ipſos Macrob. Sat. 3. cap. 16. quoque miniſtros in conuiuiis conſtat fuiſſe coronatos. Qua de re hæc Macrobius, *Quippe qui dignatione veſtra cùm interſum conuiuio ſacro, animaduerto hunc piſcem à coronatis miniſtris cum tibicine introferri.*

CAP. III.

Vſus coronarum conuiuialium apud priſcos. Coronæ conuiuiales tres. Et cur. Coronæ in hoc tantùm inuentæ vt caput redimiant. Conuiuiales coronæ collum redimiebant. Duæ ſunt potiſſimùm coronæ conuiuiales. Coronæ conuiuiales factæ ſunt dona regum. Factæ quoque ſunt aureæ & gemmeæ. Alicui numini dicatæ, potiſſimùm Æſculapio. Dictæ ſunt hoſpitalia dona. Et his caput premi dicebatur. Coronæ hypothymidæ. Vnde dictæ. Hæ ceruicem ornarunt. In ſolemnibus conuiuijs fercula fuerunt coronata.

SCIENDVM eſt, priſcos homines triplici ratione vſos eſſe coronis conuiuialibus. Vt enim dicere cœpi, ſenſim coronæ ita contextæ ſunt, vt caput, frontem, collum, hæc, inquam, tria redimirent. Et hinc quandóque tres dictæ. Id quod diſertim tradit Anacreon;

Στεφάνους δ' ἀνὴρ τρεῖς ἕκαστος εἶχεν,
Τοὺς μὲν ῥοδίνους, τὸν δὲ ναυκρατίτην.

Coronas verò vnuſquiſque tres habuit, quaſdam roſeas, aliam naucratitem. Ex his vna, videlicet, capiti imponebatur; altera collum vinciebat; tertia frontem redimiebat. Hoc vltimum genus coronarum ſignat Achilles Tatius, *στέφανοι*, inquit, *περὶ τοῖς μετώποις διαδούμενοι* coronæ circa frontem religatæ. Cæterùm ne huic inſtituto ratio deeſſet, ſuper hac quoque re philoſophatum. Dixerunt enim id fieri *διὰ τὸ θυμηδὲς τῆς ἀρετῆς τῆς τριμεροῦς ψυχῆς*, propter oblectationem virtutis animæ tripartitæ. Id quod moneo, ne quis huius moris neſcius has coronas exiſtimet fuiſſe muliebris mundi partem, hoc eſt, *μανιάκην, περιτραχήλια, ςρεπτὰ, περιβραχιόνια, περικάρπια, δακτυλίδια.* Quæ omnia conſtabant è materia diuerſa à priſca illa coronaria, quæ erat florea, foliacea, herbacea. Neque etiam talia in hoc fiebant vt caput coronarent, ſed vt alias corporis partes ornarent. His accedit, quod coronæ ſumptæ in conuiuijs à conuiuis tantùm geſtabantur. At illa omnia quæ dixi, plerunque à mulieribus, & extra lætitiam conuiuialem. Enimuero coronæ, vt Artemidorus obſeruauit, inconcinnè aptantur alijs corporis partibus extra caput. Ac tales in ſomnis viſæ nihil portendunt non infauſtum. Et ſi quis coronis ita abutitur, dicitur laborare vitio intemperantiæ, quod homines adigit ad inſaniam. In hoc vitium dum acriter inuehitur Clemens Alexandrinus, memorat hunc morem circumponendi coronas ſeu corollas collo, ac ſi dicat, rem eſſe euidentiſſimæ ebrietatis, atque adeò dementiæ ſignum, ſi quis collo impo-

Achill. Tat. lib. 1.

Scholiaſt. Apoll. Rhod. lib. 2.

Artemidor. lib. 4. cap. 54.

nat coronas, quæ ſunt inuentæ capiti euinciendo & ornando.
Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 2. ὁρᾶν γοῦν ἔςι αὐτῶν τινὰς ἡμιμεθεῖς, ἐσφαλλομένους περὶ τοῖς τραχήλοις ἔχοντας στεφάνους, Videre igitur eſt ipſorum quoſdam ſemiebrios, habentes coronas errantes circa colla. Quòd hæ coronæ caput & frontem redimirent, ſupra ſatis eſt demonſtratum. Quòd & collum, id quoque à priſco more deriuatum, quo coronæ, vt dixi, compingebantur è floribus indiſtinctis, hoc eſt, indiſtinctè coaceruatis, qui fluebant per collum. Propertius,
Propert. lib. 4.

Candida nunc molli ſubeant conuiuia luco,
Blanditieque fluant per mea colla roſæ.

Et Horatius de Polemone,
Horat lib. 2. ſerm. ſat. 3.

——potus vt ille
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas.

Ergo duæ plerunque fuerunt coronæ conuiuiales, quarum vna caput euinciebat, altera collum. Quæ caput, eadem & frontem vmbrabat. Quæ collum, eadem vſque ad pectus deſcendebat. Vtrumque luxum M. Tullius Verri exprobrat. *Nam vt mos fuit Bithyniæ regibus*, inquit, *lectica octophoro ferebatur, in qua puluinus erat pellucidus Melitenſi roſa farctus. Ipſe autem coronam habebat, vnam in capite, alteram in collo.* Meritò ergo ſeuerioris frontis homines dixerunt haſce coronas conuiuiales eſſe στεφάνους ἡδονῆς non εὐσεβείας, voluptatis, non pietatis, quæ nulli ſint vſui, neque ſectentur appetitum naturalem. Certè tanto ſumptu, tantòque luxu necti cœperunt hæ coronæ, vt tandem facta ſint dona regum. Huius generis fuerunt illæ quas Perſæ miſerunt ad Ageſilaum. De hoc fortè genere fuit κύκλος ille χρυσοῦς περιδέραιος, circulus aureus circa collum quem rex Ægypti Ioſepho dedit, præter βασιλικὴν σφραγῖδα, καὶ ἱερὰν ἐσθῆτα regium annulum, & ſacram veſtem. Accedebant additamenta coronarum, hoc eſt vnguenta, ſecunda menſa reliquúſque conuiuij apparatus. Nempe ſic intelligo Plutarchi locum, vbi is Antigono exprobrat hunc luxum, dum is in quodam oppido, cuius potitus erat, non ſe continuit quin propter gaudij impotentiam ludens biberet in angiportis, & in foro pſaltrijs circumdatus, & coronis redimitus, vir ſenex, &c. Quid? Et ipſæ coronæ conuiuiales factæ ſunt aureæ & gemmatæ; taléſque pro diſcumbentium dignitate, & cuique pro meritis & fortuna datæ, videlicet, minores aut maiores, leuiores aut ponderoſiores. Quod ſanè diſcrimen probè intellexit Piſo homo ſuperbus, vixque ipſi Tiberio cedens, nedum Germanico. *Eius enim audita eſt vox in conuiuio*, inquit Cornelius Tacitus, *cùm apud regem Nabatæorum coronæ aureæ magno pondere Cæſari & Agrippinæ, leues ipſi & cæteris offerrentur, principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari.*

Cic. act. 7. in Verr. — *Plutar. ſymp. 3.* — *Æmil. Prob. Ages.* — *Philo περ. Ιωσ.* — *Plutar. Arato.* — *Tacit. lib. 3. Annal.*

Abiecitque ſimul coronam, & multa in luxum addidit. Notatus
quoque eſt luxus earum coronarum quæ exhibitę ſunt in quodam
conuiuio Ptolemæi Philadelphi. Nam quæ alibi vix ad vnius co- *Athen. lib. 5.*
ronæ contextum reperiri potuiſſent, ibi ingenti copia congeſta
ſunt in eas coronas quæ ſingulis conuiuis datæ. Ipſarum quoque
coronarum tantus fuit numerus, vt humi ſparſæ præbuerint ſpe- *Philoſtrat. in*
ciem prati gemmantis. Indorum qui apud regem epularentur, *vita Apoll.*
mos fuit, vt eſſent coronati. ſic Apollonius ab rege hoſpite ſuo ἐς
τὸ συσσίτιον ad locum conuiuij, vt ſolent Indi, deductus fuit. Nec
tantùm hoſpitibus præſentibus tales coronæ in conuiuijs dari ſo-
litæ, ſed ſi quando magnus hoſpes tectis excipi non poterat, ei
nihilominus mittebantur; ac tunc cenſebantur inter hoſpitalia
dona, οἷα φίλοι ξεῖνοι ξείνοισι διδοῦσι, qualia amici hoſpitibus dant, vt *Homer. Odyſſ. α.*
apud Tacitum, *Nec multò poſt legati Tigranocerta,* inquit, *miſ-*
ſi patere mœnia afferunt; intentos populares ad iuſſa. Simul hoſpitale *Tacit. lib. 14. Annal.*
donum coronam auream tradebant. Et hæ, ſcilicet, illæ erant, quibus
caput premi dicebatur. Statius, *Stat. lib. 1. Sylu.*

Hic thyrſos, hic plectra ferit, hic Enthea lauro
Tempora, Minoa crinem premit ille corona.

Denique videntur & hæ conuiuiales coronæ alicui numini dica-
tæ. Id quod colligi poteſt ex hiſce verbis Clementis Alexandrini
de his coronis verba facientis, ὅτι τοῖς εἰδώλοις κατωνόμασται, quoniam *Clem. Alex. pæ-*
idolis ſunt inſcriptæ. Cæterùm è conuiuialibus hiſce coronis *dag. lib. 2. c. 8.*
aliæ inter medios conuiuas appendebantur oblectandis ijs qui &
otioſi & ebrioli pendulas intuebantur, vt ſupra dixi de cyliſtis,
ſiue encyliſtijs. Has coronas ſic appenſas innuit aliptes ille apud
Plutarchum, qui cùm laudaretur eo quod manus haberet longas, *Plutarch. πε-*
tanquam id ſit proprium pugilis, ſiquidem, inquit, auferre opor- *φιλοπλουσ.*
tuit coronam ſuſpenſam. Huius generis dici poſſunt illæ quas ſu-
pra caput Metelli in Hiſpania ſuſpenſas & à victorijs allatas fuiſſe
memorat hic ipſe Plutarchus. Et hæc quidem de ijs coronis quæ *Plutar. Sertor.*
ſuſpendebantur. Ex alijs ſibi quiſque ab hoſpite donatam aut ca-
piti, aut ceruici imponebat. Neque enim, inquit Plutarchus, con- *Plutar. ſympoſ.*
uiuis diſtribui debent; ſed æquum eſt hanc ſibi vnumquemque ſu- *2.*
merę quę ſibi ſit complacita. Interdum tales coronæ pectori ap-
plicabantur, quæ eſt ſedes cordis. Nam pectus odorum flagrantia
recreari aiunt. Et has quoque ſeuerioris frontis homines voca- *Plutar. ſympoſ. 3.*
runt coronas voluptatis, eáſque dixerunt parum cõuenire ſapien-
tibus, quòd reuerā nulli ſunt vſui, neq; ſectantur appetitum natu-
ralem. In iſtis illæ ſunt quibus eſt inditum nomen hypothymidis,
ſiue hypothymiadis, quæ collo appenſæ deſcendebant ad pectus;
Etſi ſuper hoc genere coronarum multa fuit apud priſcos ſiue me-

dicos, ſiue Grammaticos cõcertatio. Et verò, referente Athenæo, *Athen. lib. 15.* Philetas ſcribit in Atactis hypothymida à Leſbijs vocari myrthi ramum, cui circumponunt violas, alióſque flores, nempe quorum fragrantia pectus iuuaret. Ego priuſquam legerem Plutarchum, *Arat. φαινομέν.* quòd inueneram apud Ariſtophanem, ὑποθυμὶν recenſeri inter auium genera, & quòd aues plerunque ſunt verſicólores, veriſimile putabam haſce floreas coronas ab omnigenis coloribus ita *Philoſtrat. in Imag.* dictas ſicuti præ ſe ferentes ſpeciem & pulchritudinem huius auis, eadem propè ratione, qua apud hunc ipſum Ariſtophanem Cupido pingitur coronatus floribus, id eſt diſtinctus pulcherrimis coloribus, atque vt ait quidam, αἰόλος ὄρνις, verſicolor auis, cui ſunt πτερὰ κυανᾶ, καὶ φοινικᾶ, καὶ χρυσᾶ, alæ cyaneæ, purpureæ, aureæ. Hic certè Cupido fuit in æde Veneris eximium opus Zeuxis,

Ariſtoph. Acharn. & ibi Schol.

ὥσπερ ὁ γεγραμμένος [ἔρως] ἔχων στέφανον ἀνθέμων.

Et verò hic ipſe Cupido, teſte Plutarcho, à ſapientiſſimis hominibus ex Helicone in Academiam deducitur coronatus. Quãquam *Plutarch. Erot.* alius quoque fuit inſigne opus Praxitelis, de quo videndus Calliſtratus in eius deſcriptione. vbi eius coronamentum ita pingitur, *Calliſtr. εἰς τὸ τῆ ἔρω ἄγαλ.* ὁ δὲ τῷ τελαμῶνι κατεστέφετο τὴν κεφαλὴν, καὶ ἐκ τῆ ὀφρύων ἀποθέμενος τῷ διαδήματι τὰς τρίχας γυμνὸν πλοκάμων ἐτήρει τὸ μέτωπον. Is autem redi- *Calliſtr. in deſcrip.* miculo religans caput, & è ſupercilijs reijciens diademate capillos, nudam cincinno ſeruabat frontem. Et hoc quidem ego ſic putabam ſuper corona hypothymiade. Sed mutaui ſententiam *Plutarch. ſymp. 3.* poſtquam legi Plutarchum cuius hæc ſunt verba, οὐ γὰρ ὅτι τῇ καρδίᾳ τὸ θυμὸν [l. τὸ θύμον] ἐγκατοικίζειν ᾤοντο τὰς περιδεραίους τῆ στεφάνων ὑποθυμίδας ἐκάλουν (ἐπιθυμίδας γὰρ αὐτοῖς διά γε τοῦτο μᾶλλον ἦν καλεῖν προσῆκον) ἀλλ᾽ ὡς λέγω, διὰ τὴν ἀποφορὰν καὶ ἀναθυμίασιν. non enim quòd exiſtimarent thymo, id eſt, odore qui eſt è quolibet flore, cor vallari monilia coronarum vocabant hypothymidas, ſiquidem eas vocari epithymidas conuenientius fuiſſet, ſed, vt dico, propter exhalationem & redolentiam. Ergo vt ipſe paulò antè ait, hypothymides dicuntur coronæ floreæ quas appendebãt collo; atque eâdem ijs vnguentis quæ fiebant è floribus, nempe coronarijs, vngebant pectora. Porrò ſiue pulchritudine florum, ſiue ſuauitate odorum, ſiue vtroque cenſerentur hæ coronæ, certè eas ceruicem ornaſſe *Heſych. ὑποθύμιος.* conſtat. Et ideo ab Heſychio hoc genus coronæ vocatur στέφανος ὑποτραχήλιος. corona ſubcollaris. Et hac quidem corona nihil fuit *Ouid. li. 2. Faſt.* vulgatius. Hanc diſertim ſignat Ouidius in his verſibus,

Ecce nurum regis fuſis per colla coronis,
Inueniunt poſito peruigilare mero.

Catull. eleg. 7. Has quoque coronas monſtrat Catullus in hoc loco,

Illius & nitido ſtillent vnguenta capillo;

Et

Et capite & collo mollia ſerta gerat.

Nulli ergo amplius poteſt eſſe dubium has coronas, quibus nomen hypothymiadis, circumdediſſe ceruicem. Nam ſuper ea quæ è noſtris citaui, hoc quoque diſcimus è verſu Alcæi,

ἀλλὰ ἀνήτῳ μὲν περὶ τὰς δέραις περ-
θέτω πλεκτὰς ὑποθυμιάδας τις. Athen. lib. 15.

At ceruici anethi plicatiles hypothymiadas quiſpiam apponat. Id ipſum tradit Sappho in hoc verſu, quem ego vſque adhuc ſic lego,

καὶ πολλαῖς ὑποθυμιάδες πλεκταῖς, ἄνθεα περιδέρεια.

Et multis hypothymiades cirris, ſiue flexuris, flores circumcollares. Quod autem hypothymiades circa pectus quoque ſtatuerentur, diſcimus ex Anacreonte,

πλεκτὰς δ' ὑποθυμιάδας περὶ στήθεσι λωτίνας ἔθεντο.

Plicatiles hypothymiadas è loto circa pectus ſtatuerunt. Quid, quod à collo & à pectore extendebantur quoque ad manus? Id diſcimus è loco Pindari, vbi is loquitur de floribus aureis qui ſunt in inſula beatorum,

ὅρμοισι τῶν χέρας ἀνα-
πλέκοντι καὶ στεφάνοις. Pindar. Oly. od. 2.

Quorum monilibus & coronis implicāt manus. Et hoc credibile eſt eſſe illud coronarum genus quas vocabant longas, quę quoque Dijs appendebantur, potiſſimùm Æſculapio. De his coronis exſtat locus apud Ariſtidem his verbis, *ἐδόκουν στέφανον πέμπειν τῷ θεῷ τῶν μακρῶν, οἳ εἰσὶν ὡς ἰδίᾳ τῷ ἀσκληπιῷ κομίζειν.* Videbar coronam mittere Deo ex ijs quæ ſunt aut dicuntur longæ, nempe vt eum propitiarent ſi quid ipſis morbi accideret ex intemperantia conuiuiali. (Ariſtid. orat. I. iep.) In ſolennibus quoque conuiuijs fercula coronata fuiſſe conſtat. Et verò, Athenæo authore, in ijs ludis quos apud Daphnen Antiochus edidit, fuerunt conuiuia, in quibus exhibiti ſunt viui anſeres, lepores, damæ cum aureis coronis. (Athen. lib. 5.) Qui ferculorum luxus quandoque diſpoſitus fuit per nomina cœleſtium ſignorum. Quippe ſingulis ſignis impoſitus fuit cibus vnicuique cōuenientiſſimus, in quibus eſt ferculum cui nomen corona. Qua de re exſtat inſignis locus apud Petronium Arbitrum his verbis, *Repoſitorium rotundum duodecim habebat ſigna in orbem diſpoſita; ſupérque proprium, conuenietémque materiæ ſtructor impoſuerat cibum; ſupérque arietem cicer arietinum; ſuper taurum bubale fruſtum; ſuper geminos, teſticulos ac rienes; ſuper cancrum coronam; ſuper leonem ficum Africanam.* (Petr. Arb. in ſatyr.) Horum verborum, *ſuper cancrum coronam*, interpretatio ſumi debet è loco Arati, vbi agit de ortu cancri, qui ita incipit,

Ara. φαινομ. & ſeq. & ibi Schol. & Feſt Auien.

Οὐ οἱ ἀφαυρότατοι, ὅτε καρκίνος, &c.

Vbi ſcholiaſtes ait, cùm cancer inibi eſt vt exoriatur, mediam partem coronæ videre eſt ſuper terram. Alteram partem occaſus occupat, & obſcurat, corona deſcendente in occaſum. Ergo corona præit cancro. Ad cuius rei imitationem ſtructor conuiuij inter illa fercula quæ imitabantur duodecim ſigna Zodiaci, coronam collocauit ſuper cancrum nempe ſeruato in ferculis ordine cœleſti.

CAP. IV.

Coronis conuiuialibus addita vnguenta; Quæ propriè erant nihil aliud quàm flores contuſi. Qua parte cœna cum coronis vnguenta ferri ſolita, è quibus vnguenta componantur. Pedes conuiuarum vnguentati. Ratio dandi vnguenta in conuiuijs. Unguentis additi cantus. De more canendi in conuiuijs. Corona ὑπογλωττὶς.

CORONIS conuiuialibus, eruditiore iam luxuriæ paratu, addebantur vnguenta, quibus eæ aut irrorabantur, aut etiam mergebantur; vt gratiæ florum quæ paſcit aſpectum, accederet voluptas olfactus. Nempe naturales cuiuſque rei dotes luxui vix vnquam ſatisfaciunt. Quin is cupidè circumſpicit ſiquid vſpiam eſt nouæ & inauditæ voluptatis. Huc totus vertitur. Hîc ſciri vult quantus ſit artifex, quámque efficax rei complacitæ promotor. Quid aut aſpectui gratius, aut naribus odoratius poteſt admoueri tot floribus montanis, pratenſibus, campeſtribus, hortenſibus? Attamen mirandum eſt, huic delicatulo natiuum illum florum odorem eſſe infra accerſitum & inductum. Ergo coronæ cumulantur vnguentis, id eſt, aut ipſum caput conſpergebatur & humeſcebat vnguento, aut ipſæ coronæ; aut caput tantùm, non item coronæ, vt in hoc loco Sidonij Apollinaris,

Sidon. Apoll. 3.

Et madeſcentes nardo capillos
Circumfuſa florum ſerta ſiccarent.

Sæpius, vt dixi, ipſæ coronæ aſpergebantur, aut etiam mergebantur vnguento. Qui ſanè luxus vix vnquam ſanæ mentis hominibus fuit probatus. Et hoc, ſcilicet, illud eſt, quod Plutarchus ait; cùm inuehitur in illos, qui non contenti proprijs bonis externa etiam accerſunt & ſuperinducunt. Nempe ibi improbat factum regis Perſarum qui miſerat Antalcidæ Lacedæmonio coronam plexam è roſis, & croco vnguento merſam; quod is extinguebat eo facto congenitum & propriũ bonum florum. Sed luxus Antalcidæ iam regi ſatis perſpectus regem excuſat. Neque enim neſciuit

Plutarch. ſympoſ. 7.

Plutarch. Artax.

cui coronam mitteret, illi, videlicet, qui degenerauerat à moribus Spartanis, ac tranſierat ad Perſicos. Sed in regibus, & apud ipſos tolerabilior fuit hic luxus quàm apud priuatos, ad quos tandem peruenit. Certè coronarum cum vnguentis miſtura vſque eò percrebuit, vt vix vnquam harum fiat mentio ſine vnguentis, vt apud Horatium, *Horat.lib.3. Carm.od.14.*

I pete vnguentum puer & coronas.

Alibi hic ipſe inuitans Mecœnatem ad delicias, ait, *Horat. lib 3. Carm.od.29.*

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verſo lene merum cado
Cum flore Mecœnas roſarum, &
Preſſa tuis balanus capillis
Iam dudum apud me eſt,

Alio item loco lætatur ſe huic voluptati indulſiſſe cum Pompeio Varo, *Horat. lib. 2. Carm.od.7.*

Cum quo morantem ſæpe diem mero
Fregi coronatus nitenteis
Malobathro Syrio capillos.

Plutarchus eum, qui redit è conuiuio, facit geſtantem coronam, & vnguento delibutum. Et hunc, ſcilicet, coronarum vſum imò abuſum Clemens Alexandrinus vocat *χρῆσιν κωμαστικὴν καὶ πάροινον*, vſum petulãtem & ebrioſum; in quem ipſe dum acriter inuehitur, citat locum alicuius veteris poëtæ his verbis, *μή μοι στέφανον ἀμφιθῇς κάρα. ἦρος μὲν γὰρ ὥρᾳ, λειμῶσιν ἐνδρόσοις, καὶ μαλακοῖς ποικίλοις χλοάζουσι, ἄνθεσιν ἐνδιαιτᾶσθαι καλὸν, αὐτοφυεῖ καὶ εἰλικρινεῖ τινὶ εὐωδίᾳ καθάπερ τὰς μελίττας τρεφομένους*, &c. Ne mihi corona caput euincias. Veris enim tẽpore pratis roruIentis, & mollibus diuerſis virentibus floribus immorari pulchrum, natiua & ſyncera quadam ſuauitate odorum ſicuti apes, paſtos. Hæc ergo fuit non minima ſanè pars eius luxus, qui in ſolennibus conuiuijs conſpectus. Quò notabilior fuit Abydenorum *ἀκαιρία* intempeſtiuitas & ſiniſteritas. è qua natum prouerbium, *ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα*, Abydenorum illatio. Nempe Abydeni cùm quempiam hoſpitem conuiuio excipiunt, poſt vnguentum & coronas circumferunt infantes ad oſculandum. Id quod minimè conueniebat cum ſuauitate eorum odorum, qui ad ſe luxurioſos trahebant, vt ait Clemens Alexandrinus. Cæterùm hos tam ſcitè conſociatos & flores & odores elegantiſſimè repræſentauit author horum verſuum, qui ſunt in aditu epiſtolarum Syneſij & aliorum.

Plutarch.ſymp. 3.
Clemen. Alex. pædag.li.2.c.8.
ἐν παροιμ.
Clemen.Alex. pædag li.2.c.8.

Ἐπιστολῶν ἄθροισις ἀνδρῶν πανσόφων
Οὓς ὁ πρὶν ἐβλάστησεν ὡς ῥόδα χρόνος
Ὧν ῥεῖ μὲν αὐτοῖς, ἡ δὲ τῶν μύρων χάρις

Μένει διαρκῶς εἰς πολὺν εὐωδίας.

Epiſtolarum aceruatio hominum omniſapientum quos priſcum tempus vt roſas produxit, quorum fluit quidem flos at vnguenti gratia manet ſufficienter in flatum ſuauitatis. Qua ætate luxus maximè inualuit, coronarum & vnguentorum miſſus præibat ſecūdæ menſæ, vt Athenæus probat è Nicoſtrato,

Athen. lib. 15.

Καὶ σὺ μὲ τὴν δευτέραν τράπεζαν εὐπρεπῆ ποίει,
Κόσμησον αὐτὴν παντοδαποῖς τραγήμασι,
Μύρον, στεφάνους, λιβανωτὸν, αὐλητρίδα λάβε.

Ac tu quidem concinnè ſecundam menſam appara, Eámque omnifarijs adorna bellarijs; Vnguenta, coronas, thus, tibicinam accipe. Tunc etiam crater qui ebibendus erat, ſtatuebatur in medio, & eâdem coronæ diſtribuebantur. Qua de re extitat locus Plutarchi, ᾄδει μὲν γὰρ ἴσως τὰ καλούμενα σκολιὰ κρατῆρος ἐν μέσῳ προκειμένου, καὶ στεφάνων διανεμομένων, &c. Canit enim fortè ea quæ vocantur ſcolia cratere in medio poſito, & coronis diſtributis. Poſtea dicit, loco & ordine datum fuiſſe vnguentum & coronas. Enimuero veriſimilius eſt, coronas ſumi debere exacta cœna quàm initio eius. Quippe eum qui eſuriat accipere coronam, & vnguenta ridiculum eſt. Interdum quoque ſimulátque conuiuæ edendi finem fecerant, illo ipſo tempore coronas ponebant. In quem morem grauiter Plutarchus inuehitur, cùm ait tunc maximè oportere iterum inſtrui menſas. Neque enim edendi, aut bibendi cauſa alij alios inuitamus; ſed combibendi & comedendi. Cæterùm hæc vnguenta apud priſcos nihil aliud fuerunt quàm flores contuſi & liquefacti. Veluti ſuſinum fit ex lilijs, euidentis vtilitatis vnguentum. Nam calfacit, aperit, attrahit, humectat, abſtergit, mollit. Narciſſinum fit ex narciſſo; myrſinum è myrto. Quod item fit ex roſis multiplicis eſt vtilitatis, multarúmque ſpecierum, nempe brenthium, metallium, regium, Plangonium, præter pſagdas Ægyptias. ῥόδινον roſaceum vnguentum quomodo fiat docet ſcholiaſtes Nicandri, qui eius tres ſpecies refert. Ne multa; Omnia vnguenta, authore Theophraſto, componuntur à floribus, à folijs, à ramulis, à radice, ab lignis, ab fructu, à lachrymis, à floribus, vt roſaceum, & violaceum, & ſuſinum. A folijs, vt myrrhinum & œnanthinum. A radicibus, vt ἴρινον, & nardinum & amaracinum. Certè hominum ſolertia paulatim vnguenta facta ſunt odoratiſſima & pretioſiſſima, qualia deſcripta ſunt ab Athenæo, iiſque qui hac vna de re volumina reliquerunt. Atque vt Plinius ait, in plenum dici poteſt, *vtique quæ odore præcellant, ea æternitate præſtare.* Nam etſi ibi Plinius loquitur de arboribus odoratis, nihilominus de odore omníque re odorata dici poteſt. De his nihil

Plutarch. συμποσ. προβλ. ιά. — *Lucia. de merc. cond.* — *Plutarch. ſympoſ. 1.* — *Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8.* — *Schol in Nicād. ther.* — *Theophraſt. de ὀσμ.* — *Plin. li. 16. cap 40.*

vſtra dicam, ne ſuſceptæ curæ fines egrediar. Moneo tantùm, id quod obſeruatum eſt à Plinio, non ſolùm caput, ſed & pedes conuiuarum quandoque fuiſſe vnguentatos. *Vidimus etiam*, inquit, *veſtigia pedum tingi. Quod M. Othonem monſtraſſe Neroni principi ferebát. Quæſo vt qualiter ſentiretur, iuuarétque ab ea parte corporis?* Obſeruauit quoque Athenæus, & à Poſidonio ſumpſit, apud Syros in epulis regum, vbi coronæ conuiuis datæ ſunt, ingredi quoſdam cum vtriculis vnguenti Babylonij, qui menſæ oberrantes diſcumbentium coronas eo irrorant. Et hæc quidem fuerunt illa vnguenta, additamenta coronarum conuiuialium, earum quas meritò cenſeo inter coronas lætitiæ, vt dixi in definitione. Nam vbicunque acciperentur, inibi nihil aſpiciebatur non iucundum & lætum. Sibi quiſque illa dicebat,

Plin. lib. 13. c. 3.

Athen. lib. 15.

> *Ἔργα δὲ κυπρογενοῦς νῦν μοι φίλα καὶ Διονύσου,*
> *Καὶ μουσῶν, ἃ τίθησ' ἀνδράσιν εὐφροσύνας.*

Plutarch. ἑπτ. σοφ. συμπ.

Opera verò Cypria geniti nunc mihi amica & Liberi, & muſarum, quæ ponunt hominibus lætitias. Certè Propertius in lætitiam effuſus die natali amicæ ſuæ, ſe ipſe alloquens, & floream, ſeu floralem coronam ſumens ait,

> *Dein qua primum oculos cœpiſti veſte Properti*
> *Jndue, nec vacuum flore relinque caput.*

Propert. lib 3. de mut. am.

Cæterùm hæc iucunditas & lætitia etiam cumulabatur hilaritate cantuum. Quippe ſcimus Bacchum ſoluere curas, & animum hilarare; ideóque dictum eſſe λυσίπονον ſoluentem curas. Ergo non mirum, ſi & ipſis iucunditatum & amœnitatum ſæculis, camœna quamlibet agreſti ac tenui conuiuiales illas qualeſcunque delitias diutiùs extendebant. Quippe

> *Ingenium potis irritat Muſa poëtis,*

Propert. lib. 4. cap 6.

Etſi dici poteſt, præter alios hunc quoque morem è tranſmarinis prouincijs, poſtea quàm vſque eò promotum imperium eſt, perueniſſe ad vrbem, vbi

> *—pueri patréſque ſeueri*
> *Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant.*

Horat. lib. 2. ep.

Illud adeò omnis immanitatis columen, illum, inquam, Cyclopem, poſtquam alterum ſcyphum ſibi ab Vlyſſe oblatum exhauſit, Euripides canentem facit,

> *καὶ δὴ πρὸς ᾠδὰς εἷρπε.*

Euripid. Cycl. actu 3.

& iam ad cantus tranſijt. Qui quoque mos peruenit ad inſequentes ætates. Et hoc illud eſt quod Anacreon ait, καλοῖς πίνοντες ἐν ὕμνοις, pulchris bibentes in hymnis. Nempe ſic putabant, non eſſe hominis ingenui bibere ſine cantu. Ergo apud Platonem Alcibiades ait, Quidnam agimus? nihil quicquam dicimus ad cali-

Plato in ſymp. 7.

cem, neque canimus? ſed ſedulò, ſicuti ſitientes potamus? Alibi
Plato lib. 2. de Repub. Socrates apud Platonem deſcribens epulas quæ celebrantur in vrbibus, Conuiuia, inquit, agitabunt ipſi & ipſorum liberi? Vino indulgentes coronati, & in Deorum honorem hymnos canentes, & alij cum alijs ſuauiter conuerſantes? Hunc autem cantum priſci Græci vocabant σκολιὸν, nempe propter obliquum circuitum, & poſitum lectorum. Verba Clementis hæc ſunt,
Clemen. Alex. pedag. li. 2 c. 4. ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς παλαιοῖς Ἕλλησι παρὰ τὰς συμποτικὰς εὐωχίας, καὶ τὰς ἐπιψεκαζούσας κύλικας, ἑβραϊκῶν κατ᾽ εἰκόνα ψαλμῶν ᾆσμα τὸ καλούμενον σκολιὸν ᾔδετο, κοινῶς ἁπάντων ἅμα φωνῇ παιανιζόντων. ἔσθ᾽ ὅτε καὶ ἐν μέρει διαπροπινόντων τὰς περιπόσεις τῆς ᾠδῆς. οἱ δὲ μουσικώτεροι αὐτῶν καὶ πρὸς λύραν ᾖδον, id eſt, verùm & apud priſcos Græcos in conuiuijs vbi vnà potabant, ac dum pocula irrorarent, ad Hebraïcorum pſalmorum ſimilitudinem canebatur canticum cui nomen σκολιὸν, communiter omnibus ſimul voce clamantibus, & nonnunquam etiam per cantici vices propinationem circumagentibus. Qui autem ex eis erant muſicę peritiores etiam ad lyram canebant.
Clemen. Alex. ſtrom. lib. 6. Sed hunc morem ad Chriſtianos quoque peruenisſe alibi teſtatur hic ipſe Clemens Alexandrinus. Cæterùm ex hoc more apud Græcos natum prouerbium,
ἐν παροιμ. 5. ᾄδειν πρὸς μυῤῥίνην, canere ad myrtum. Qui enim in conuiuio canere non poterat, pro hoc quiſpiam è conuiuis, capto ramo lauri aut myrti, canere ſolitus erat ſicuti victor illius.
Plutarch. ſymp. probl. 1. Quem morem operæ pretium eſt pleniùs explicare. Itaque primò canebant cantum Bacchi communiter, & ſimul omnes vna voce παιανίζοντες. Alteram cantionem ſinguli canebant, poſtquam alicui traditus erat ramus myrti, quem vocabant ἄσακον διὰ τὸ ᾄδειν τὸν δεξάμενον, quòd qui eum ramum acceperat, canebat. Addit Plutarchus eorum exiſtimationem, qui dicunt non ordine ire myrtum, ſed per vnumquemque digredi ad lectum. Nempe illum qui primus cecinit, dimittere illam ad eum qui in altero lecto ſit primus. Illum rurſus ad eum qui in tertio lecto eundem locum obtineat. Deinde ſecundum ſimiliter ſecundo. Ac diuerſitas, multúſque flexus circuitus, vt veriſimile eſt, dictum eſt σκολιὸν, quòd ab vno ordine ſubinde tranſiret ad alium. De hoc ipſo more paulo diuerſus à
Schol. Ariſtoph. σφηκ. Plutarcho ſcribit ſcholiaſtes Ariſtophanis. Nam is, inquit, qui primus ſedebat, tenens laurum aut myrtum canebat verſus Simonidis, aut Steſichori, donec ei libitum. Poſtea eum ramum cui volebat, tradebat, non quomodo ordo poſceret. Tum is qui à primo acceperat, perſequebatur cætera. Hic rurſus dabat ramum cui volebat. Ea re fiebat, vt, cùm omnes præter ſpem canere &
Pollux lib. 6. cap. 19. loqui neceſſe haberent, hi verſus vocarentur σκόλια διὰ τὴν δυσκολίαν propter difficultatem. Ergo σκόλια dicebantur παροίνιαι ᾠδαί,

ſiue παρθένια ᾁσματα, vinolenti & laſciui cantus. Et tunc, inquit Pollux, dextra manu myrtos circumferebant. Et hoc, ſcilicet, illud eſt quod Ariſtophanes dicit, accipere σκόλια, *Ariſtoph. σφηκ.*

— οἱ δὲ συμπόται

Εἰσὶ Θέωρες, αἰσχίνης, φάνος, κλέων
Ξένος τις ἕτερος πρὸς κεφαλῆς ἀκέστορος
Τούτοις ξυνὼν, τὰ σκόλια ὅπως δέξει καλῶς.

At conuiuæ ſunt Theorus, Æſchines, Phanus, Cleon peregrinus quidam, qui cum his conuerſatur; ſcolia vt capiat pulchrè. Apud eundem Ariſtophanem Stepſiades ait, ſe iuſſiſſe filio μυῤῥίνην λαβόντα τῶν Αἰσχύλου λέξαι τι, accepto ramo lauri dicere quidpiam Æſchyli. *Ariſtoh. νεφέλ. & ibi ſchol.* Certè is qui ſcripſit vitam Æſchyli tradit; hunc poëtam vſque eò apud Athenienſes fuiſſe in deliciis, vt poſtquam is fato functus eſt, inuitati ſint magno pretio ij qui eius ſcripta docere vellent. etſi locus ibi eſt mutilus. *In vita Æſchyli.* Ergo ſi quidpiam Æſchyli caneretur, tunc geſtabatur myrtus; ſi quidpiam Homeri, laurus. Huius item ſcolij exemplum extat apud Platonem. Socratis ſunt verba alloquentis Gorgiam, Exiſtimo enim te audiuiſſe in conuiuijs homines canentes hoc ſcolium, in quo hæc bona ordine connumerantur, Valere optimum; Alterum, pulchrum aut præclarum eſſe; Tertium (vt ait poëta author ſcolij) diteſcere nulla fraude. *Plato in Gorg.* Inter ſcolia canebantur quoque laudes præclariſſimorum hominum, illorum præcipuè qui fuiſſent tyrannicidæ, vt infra dicam de Harmodio & Ariſtogitone. Præter cantus inducebantur pſaltriæ & alia licentioſa nequitia, vt inquit Auguſtinus; tum tibicen & quidem coronatus; qualis à Plutarcho deſcribitur ille qui prohibitus certamine Pythico, poſtea tamen à Calliſtrato in conuiuium inductus eſt, ornatus veſte & coronis vnà cum choro ſicut in certamine. *Auguſt. lib. 3. de Ciuit. Dei c. 21. Plutarch. ſymp. 2. probl. 5.* Cantibus inſerebantur fabulæ ſimplices & conuiuiales, de quibus Statius, *Stat. li 8. Theb.*

Iſtis non deeſt ſua fabula menſis.

Et verò fuit genus coronæ, cui nomen ὑπογλωττὶς, ſiue ὑπογλωσσὶς quaſi dicas ſublingua, Athenæo & Polluce authoribus. Hanc coronam veriſimile eſt ſic dici, tanquam ea ſit frenum loquacitati, quæ plerunque oritur inter pocula. *Athen. lib. 15. Pollux lib. 4. cap. 25.* Hoc genus coronæ deſignat magis quàm nominat is qui apud Athenæum recitat hos verſus,

Καίτοι φορεῖτε γλῶτταν ἐν ὑποδήμασι, *Athen. lib. 15.*
Στεφάνους δὲ ὑπογλώττιον ὅτε πίνητ' ἐπὶ,
Καὶ κατεργάσητε γλῶτταν ἀγαθὴν πέμπετε.

Atqui linguam vos nunc fertis in calceis. Coronas verò ſub lingulis. Cùm bibitis alicubi, & pulchrè litatis [tunc verò] linguam bonam mittitis, id eſt loquaciores fitis. Vbi ὑπογλώττιον Dalecam-

pius vertit hypoglottidas. Id quod facilè ferri poſſet ſi legiſſet ὑπογλωττίδας. Sed manẽte vetere lectione, hoc dicit author horum verſuum, Vos inſeritis coronas ſub lingula, id eſt planè obmuteſcitis, qui corona quæ capiti imponi debet, ori inſerta ea abutimini ad impediendum vſum ſermonis. Doctiſſimus Caſaubonus leuiter tentauit legere στεφάνοις δ' ὑπογλωττίσι. Quæ lectio iuuaret meam interpretationem, ſi modò ibi non deeſſet particula καὶ. Ego nihil mutandum cenſeo, donec aliquid mea interpretatione verius emergat. Hæc verò colloquia apud elegantes homines ſolent eſſe lepida, & venuſtate appetibilia, & ſine affectatione arguta; non accerſita; ſed vt ſeſe res dabant, opportunè naſcentia; qualia progignit hilaritate mixta doctrina, & grauibus inſerti mores ſuaues, & iucundis temperata ſeria. Certè ſermo doctus à conuiuis interdum præſtarus eſt ipſi lyræ Apollinis. *Plutarch. ſymp. 2. probl. 7.*

CAPVT V.

Quæſtiones conuiuiales. Hæ fuerunt duorum generum. Quæſtiones amatoriæ. Ianua coronata quid ſignet. Mos amantium mittendi coronas ad amicas. Quæ ſit exiſtimatio de ea muliere quæ coronas plectit. Ianua potentiorum ornata coronis.

ENIMVERO quod in his conuiuijs pulcherrimum fuit, inibi oriebantur quæſtiones, quibus nomen μικροτέροις & κυλικίοις, non quales in ſcholis agitantur, anxiæ, & veritati inſidiatrices, non nodoſæ & odioſæ, non graues & ſeueræ; ſed enthymemata quædam lepida, minuta, arguta, atque, vt Gellius ait, florẽtem vino animum laceſſentia. Et hæc quidem, Polluce authore, fuerunt duorum generum, αἴνιγμα & γρῖφος. Hæc qui ſoluiſſet, huic partes è carnibus dari ſolitæ. Qui ſoluere nequiret, is poculum muriæ, ſiue ſalſuginis ingratijs ebibebat. Porrò hæ quæſtiones erant ſuper quauis placita re; plurimùm ſuper cibis & edulijs, cuiuſmodi ſunt plurimæ illæ apud Athenæum. Huius quoq; generis ſunt illæ quibus illi conuiuæ apud Xenophõtem alij alios hilarãt. In his ille ſapientia inclytus Socrates, ſe lenocinio fretum eſſe, cõpoſito in grauitatem vultu, dicere non erubuit. Sæpe etiam hæ quæſtiones erant ſuper amore & amica cuiuſque. Et quidem apud Athenæum ſpecimen eſt illatum, quas amatorias vocant. Huiuſmodi eſt hæc, Cur amator dominæ fores coronis ornet, haud ſanè minùs accuratè, quàm ſacerdos aut ædituus veſtibulum ſacræ ædis. Certè qualicunque modo ibi poſita corona teſtis erat amari illam quæ intus eſſet. De quo more hæc Ouidius coronam alloquens,

Pollux lib. 6. cap. 19.

Xenoph. cõuiu.

At

At tu non latis detracta corona capillis
Dura ſuper tota limina nocte iace,
Tu domina, cùm te proiectam manè videbit,
Temporis abſumpti tam malè teſtis erit. Ouid.li. 1.eleg.

Huic quæſtioni affinis illa eſt, Cur roſam, alióſque flores amato corpori amatores offerant. Quo abſente, eos flores, eáſque corollas ianuis affigant. Et huius quidem generis coronas ipſæ quandoque amicæ dabant amantibus, qualis illa fuit quam Liber accepit à Venere. Quam coronam cùm Bacchus depoſuiſſet in eo loco ex quo deſcenſurus erat ad inferos, is locus ex eo facto Stephanus eſt appellatus. Idem ferè de Stephano primo martyre ait Euſebius, nempe eum ob dignitatem martyrij reportaſſe coronam. Cæterùm Liber, matre ab inferis reuocata, quò res apud infinitam poſteritatem teſtatior eſſet, inter aſtra Ariadnes coronam collocauit. Mneſippus apud Lucianum mentionem facit earum coronarum quæ à muliere amante mittuntur ad amores ſuos. Quæ erant coronæ quædam ſemimarcidæ, & quædam poma admorſa. Certè ſi qua mulier præter στεφανοπλόκους, coronas plecteret, ea cenſebatur eſſe in cenſu cupidinis. Quam ſuſpicionem viris ingenerari mulier quædam fatetur apud Ariſtophanem de Euripide loquens, Hygin. Aſtron. lib. 2. Euſeb. hiſt. eccl. lib. 2. Lucian. in Toxari.

Τοιαῦθ' οὗτος ἐδίδαξεν κακὰ
Τοὺς ἄνδρας ἡμῶν ὥς' ἐάν τις πλέκῃ
Γυνὴ στέφανον, ἐρᾶν δοκεῖ. Ariſtoph. Θεσμοφ.

Talia hic docuit mala viros noſtros, vt ſiqua mulier plectit coronam, videatur amare. Sed vt illud rarius, & inuſitatius, nempe à puellis mitti coronas adoleſcētibus, ita hoc alterum fuit frequētiſſimum. Porrò hoc coronarum commercium veriſimile eſt cœpiſſe ab illa, quam Liber, vt ſupra dixi; Ariadnæ muneri dedit, *quo tempore is ad Minoa venit cogitans eam comprimere. Hac corona Ariadne delectata non recuſauit conditionem ſtupri.* His coronis annumerari poteſt illa aurea, quam Philomelus Phocenſium tyrannus Pharſaliæ cuidam ſaltatrici dono dedit. Hunc morem mittendi coronas vltro citróque nempe ab amatoribus ad amicas, & quandoque ab his ad illos expreſſit Theocritus, vbi Simetha Delphidis amore capta, déque ea pleraque audiens à Philiſta quadam anu, præter cætera dicit illum amare. Cui rei argumento eſt quod illi domus coronis eſt referta, Hygin. Aſtron. lib. 2. Plutarch. περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων.

Καὶ φατὸ οἱ στεφάνοισι τὰ δώματα τήνω πυκάσδεν. Theocrit. eidyll. 2.

Et dixit domum illi refertam eſſe coronis. Ac ſi dicat, ipſum non ſolùm amari, verùm & redamari. Cui rei coronarum multitudinem, quæ ſint apud ipſum, teſtem adeſſe. Ad hunc morem alluſit

Catullus, qui Atyn ſic loquentem facit,

Catul. de Berec. & Aty.

> *Ego gymnaſij fui flos; ego eram decus olei;*
> *Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida,*
> *Mihi floridis corollis redimita domus erat.*

Tibullus ſe verè & ſyncerè amare profitetur. Id quod hinc ſciri vult, quod fores dominæ corollis ornat,.

Tibull. lib. 1. el. 2.

> *Te meminiſſe decet quæ plurima voce peregi*
> *Supplice, cum poſti florida ſerta darem.*

Virgilius cùm firmat, innocenti ſe atque adeò diuino Muſarum amore captum, ait,

Virgil. in Cir.

> *Magna mihi cupido tribuiſtis præmia diuæ*
> *Pierides, quarum caſtos altaria poſtes*
> *Munere ſæpe meo inficiunt, foribúſque hyacinthi*
> *Deponunt flores, aut ſuaue rubens Narciſſus,*
> *Aut crocus alterna coniungens lilia caltha.*

Is quoque qui Rhodopes nempe dominæ ſuæ ſuperbiam accuſat, alijs queſtibus hunc addit, quod illa ſuperbis pedibus coronas quibus eam colit, calcat.

Ανθολογ. li. 7.

> Ἢν ποτὲ καὶ στεφάνους περὶ θυρῶν ἀπεκκρεμάσωμαι
> Ὀργισθεῖσα πατεῖ τοῖς σοβαροῖς ἴχνεσιν.

Si quando & coronas ante fores ſuſpendero, irata [eas] calcat ſuperbis plantis. Apud Ouidium Vertumnus ictus amore Pomonæ,

Ouid. l. 14 Metam.

> *Sæpe ferenda dedit blandis ſua verba tabellis.*
> *Interdum madidas lachrymarum rore coronas*
> *Poſtibus intendit, poſuitque in limine duro*
> *Molle latus.*

Et Paulò poſt,

> *Dixit, & ad poſtes ornatos ſæpe coronis*
> *Humentes oculos, & pallida brachia tollens,*
> *Cum foribus laquei religaret vincula ſummis.*

Huc pertinet epigramma Apuleij, cuius hoc eſt initium,

> *Florea ſerta meum mel, & hæc tibi carmina dono.*
> *Carmina dono tibi, ſerta tuo genio,*

Apul. apol. 1.

Hunc amantium morem diſertis verbis exprimit Plutarchus, αἱ μὲν γὰρ ἐρωτικαὶ πράξεις, οἷον ἐπικωμάσαι καὶ ᾆσαι, καὶ στεφανῶσαι θύραν, ἔχουσιν ἀμωσγέπως κουφισμὸν οὐκ ἄχαριν, οὐδ᾽ ἄμουσον. Et quidem amatoriæ actiones, veluti conuiuijs indulgere, & canere, & coronare ianuã, habent videlicet leuamen haud ingratum neque abſurdum. Alibi hic ipſe Plutarchus ponit inter ἐρωτικὰ amatorias res, ἀναδεῖν τὰ εἰκόνια redimire icunculas, nempe dominæ. Apud Propertium ianua queritur ſe pulſari petulantibus potorum manibus; ibíque non

Plutarch. π. ἀοργ.

Plutarch. ἐρω.

floridas ac nitentes coronas, ſed neſcio quid turpicularum corollarum ſuſpendi.

Et mihi non deſunt turpes pendere corollæ Propert. lib. 1.

Semper, & excluſis ſigna iacere faces.

Equidem non ſum neſcius ianuas potentiorum, vt infra dico, ornatas fuiſſe coronis; Et hoc ſenſu Syneſium dixiſſe, adulari ianuas. Tamen ſiquis vtrumque morem introſpiciat, cognatos fatebitur; vſque eò, vt quod de illo dicitur ad hunc noſtrum commodè referri poſſit. Loquitur de ſcriptoribus & Muſarum cultoribus, Syneſ. epiſt. 98. καὶ μὴ δευτέρους τίθεσθαι τῶν κολακεύειν τὰς θύρας εἰδότων. nec poſteriores ponere illos qui ſciunt adulari portas. Cæterùm talium coronarum vſus tam frequens fuit, vt coronæ promiſcuè emerentur vnà cum cætera ſupellectile, potiſſimùm ab amantibus in hoc, amicis vt mitterentur. Et verò illa anus luxurioſa apud Ariſtophanem ſibi ab iuuene amatore coronam emi vult his verbis, Ariſtoph. ἐκκλησ.

Ἤ μὴν ἔτ' ὠνήσῃ σὺ καὶ στεφάνην ἐμοί.

Quo loci ridiculè ſcholiaſtes ait, στεφάνην eſſe εἶδος κοσκίνου ſpeciē cribri. Etſi enim fateor quādóq; στεφάνην eſſe cribrū, vt apud Oppianū, Oppian. ἁλιευτ. lib. 4.

Πυροδόκος στεφάνη λευκαίνεται ἔνδον ἀλωῆς.

triticum recipiens cribrum albicat intra aream. Tamen hîc quidem eſt corona. Itaque ſibi ipſe habeat cribrum. At hæc anus expetit complexum adoleſcentis, cuius pignus, & quidem certiſſimum, ſibi coronam emi vult.

CAPVT VI.

Corona in conuiuio ſoluta quid ſignet. Flores diffluere vel cadere, vel ſcindi quid ſit. Coronatum vti Como, quid. Alia quæſtio conuiuialis.

DE hoc quoque genere eſt hæc quæſtio, Cur illi amare exiſtimentur quibus coronatis coronæ in conuiuio ſoluuntur. Etſi in Africano ſoluta inter epulas corona nihil tale, opinor, ſignificauit, cuiuſmodi hiſce quæſtionibus agitatur. *Africano illi maiori,* inquit M. Tullius, *coronam ſibi in conuiuio ad caput accommodanti,* Cic. lib. 2. de orat. *cùm ea ſæpiùs rumperetur, P. Licinius Varus, Noli mirari,* inquit, *ſi non conuenit. caput enim magnum eſt.* Quæ Vari interpretatio dignitati tanti viri haud dubiè conuenientior eſt, quàm ſi is quidpiam amatorium, & Africano indignum dixiſſet. Quamuis enim ea corona eſſet conuiuialis, tamen grauitas & magnitudo eius viri è corona voluptatis eam fecit coronam ſapientiæ, & maieſtatis. Cæterùm magnam coronam accommodare paruo capiti per ſe eſt res

ridicula. Et certè lepidus riſus oritur, inquit Plutarchus, cùm pue-
Plutar. παιδ. ros patrum crepidas ſibi aptare videmus, quomodo & illorum co-
παραγγελμ. ronas ſuo capiti. Redeo ad rem, & aio, non ſolùm amare, ſed & amorum ſuorum compotes exiſtimari illos, quibus in conuiuio coronæ ſoluuntur. Cui gaudio proximus eſt caprarius ille apud
Theocrit. eidyll. 3. Theocritum Amarillidem alloquens,

> Νύμφα πρὸς· πλυξαίμε τὸν αἰπόλον, ὥς τυ φιλάσω.
> Ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις.
> Τὸν στέφανον τιλαίμε καταυτίκα ποιήσεις.
> Τόν τοι ἐγὼν Ἀμαρυλλὶ φίλα κισσοῖο φυλάσσω
> Ἐμπλέξας καλύκεσσι καὶ εὐόδμοισι σελίνοις.

Nympha amplectere me caprarium, vt te deoſculer. Ineſt & in oſculis inanibus dulcis voluptas. Facies vt coronam hanc in minutas partes diſcerpam, Quam tua cauſa, ô chara Amarylli, ex hedera nexam gero, Implexis folliculis, & odorato apio. Ac ſi dicat, ſi modò te oſculatus fuero, id mihi abundè futurum eſt. Nam in oſculo eſt proxima ſpes potiundi. Cuius rei teſtis futura eſt hæc corona quam capite gero. Hanc ipſe, ſcilicet, hoc tantum boni adeptus minutatim concidam; qui eſt mos illorum, qui aut iam facti ſunt compotes amorum ſuorum, aut inibi ſunt vt ijs potiantur. Et hoc illud eſt quod priſci dicebant coronas in conuiuio cadere, ſeu diffluere, nempe coma & corona vnguento madidis, &
Ouid. lib. 1. eleg. hinc facilè fluentibus. Id quod ſignat Ouidius in his verſibus,

> *Ergo amor & modicum circùm mea tempora vinum*
> *Mecum eſt, & madidis lapſa corona comis.*

Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 4. Has coronas haud dubiè demonſtrat Clemens Alexandrinus, cùm dicit chromaticas harmonias relinquendas eſſe impudenti in vino proteruiæ, & muſicæ meretriciæ floribus redimitæ. Quippe coronis hiſce conuiuialibus addit ipſas meretriculas, & muſicam laſciuam, quorum vtrumque eſt incentiuum ad libidinem. Itaque & coronæ tunc ſolui, flores item è coronis fluere, aut cadere dice-
Athen. lib. 15. bantur, vt in hoc loco Callimachi,

> — τὰ δὲ ῥόδα φυλλοβολεῦντα
> Τῶν δένδρων ἀπὸ στεφάνων πάντ' ἐῤῥύοντο χαμαί.

Roſæ verò abiecta folia, E denſis coronis omnia in terram deflu-
Cic. lib. 5 Tuſcul. quæſt. xerunt. Cuius rei meminit & M. Tullius in his verbis, *Itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum; nec manum porrigebat in menſam. Iam ipſæ defluebant coronæ*, id eſt, ventum erat ad eam partem conuiuij quæ cuique præbebat facultatem exercendæ libidinis. Quippe illa intemperátia quandoque incipiebat à fluxu, quandoque à detractione & ſciſſione coronarum. A fluxu, quia coronæ eo artificio plectebantur, tum vn-

guentis vſque eò irrorabantur, vt facilè defluerent illa ex quibus coronæ conſtabant, nempe & folia, & flores. Si non fluerent, tunc verò ſcindebantur aut detrahebātur; ac proinde, velut ſigno dato, conuiuatum quiſque effundebatur in amplexus eius quæ ei proxima ſedebat. Itaque hanc ſiue ſciſſionem, ſiue detractionem, ſiue lacerationem coronarum Plutarchus vocat *σπαράγματα στεφάνων*, *Plutarch. π. ἀοργ.* eaque ait inueniri in ædibus luxurioſorū, quaſi certiſſima teſtimonia libidinis, & intemperantiæ. Quæ quò magis vera eſſe conſtet, omnia in talibus conuiuijs erant communia, ne pſaltriis quidem exceptis. Nam *ψαλτρίας καὶ αὐλητρίδας* vocabant has mulierculas, quæ *Plutar. ſympoſ. 2.* ebriorum libidines excipiebant, honeſto vocabulo turpitudinem rei velantes. Et ſi quis amicam, inquit Plutarchus, aut pſaltriam *Plutar. ſympoſ. 2.* adducat, nempe ad conuiuium, communia hæc amicorum. Et hoc illud erat quod enunciabant his verbis, coronatum vti Comio, vt de Alcibiade dictū, *μεθύοντα, καὶ κώμῳ κεχρημένον ἐστεφανωμένον Ἀλκιβιάδην*. *Plutar. ſymp. 3.* Id quod cuiuſmodi fuerit, paulò ante Plutarchus refert ſub perſona cuiuſdam ſophiſtæ barbati, qui inducit Platonem accuſantem eos qui in vino adhibent pſaltrias & cantrices, ſed ratione inter ſe conuerſari non poſſunt. Locus Platonis eſt in Protagora, *Plato in Protag.* vbi ait [verba ſunt Hippiæ] imperitos homines & circumforaneos quoniam in compotatione, mutuis colloquijs, propria vi & facultate cōtineri inter ſe non poſſunt, tibicinas in pretio habere, aut ſaltatrices, aut pſaltrias, nempe locata aliena voce. Hunc mo- *Quintil Inſtit. lib. 1. cap. 3.* rem ſignauit Quintilianus his verbis, *Omne*, inquit, *conuiuium obſcœnis canticis ſtrepit*; *pudenda dictu ſpectantur*. Ad hanc fœditatem alluſit, puto, Hieronymus in his verbis, Nunquid in lanci- *Hieron. ep. lib. 1. ep. 43.* bus idola cælata deſcripſi? Nunquid inter epulas Chriſtianas virginalibus oculis Baccharum, Satyrorúmque complexus innexui? *Philo περὶ βίου θεωρ.* Hanc ipſam conuiuiarum intemperantiam elegantiſſimè ſuóque more deſcribit Philo libro de vita contemplatiua. Hunc ipſum morem repræſentat Plautus in his verſibus,

Plaut. Pſeud. actu 5.

—— nam vbi amans complexu'ſt
Amantem, vbi labra ad labella adiungit,
Vbi alter alterum bilingui manifeſto
Inter ſe prehendunt, vbi mamma manicula
Opprimitur alia, aut ſi lubet corpora
Conduplicant, manu candida cantharum dulciferum
Propinare amiciſſimam amicitiam, neque ibi eſſe alium alio
Odio, ibi nec moleſtum, nec ſermonibus morologis uti,
Vnguenta atque odores, lemniſcos, corollas dari dapſiles, &c.

Et paulò poſt,

Illos accubanteis, potanteis, amanteis cum ſcortis

Reliqui, & meum ſcortum ibidem, corde atque animo ſuo
Obſequentes.

Hunc morem ſignat, opinor, Philoſtratus vbi loquitur de conuiuantibus λαμπάδες τε ὑποφαίνονται, παρ᾽ ὧν ἔστι τοῖς κωμάζουσι καὶ τὰ ἐν ποσὶν ὁρᾷν, καὶ ἡμῖν ὁρᾶσθαι Lampadéſque ſublucent, quarum ope conuiuantibus licet videre quæ ſunt ante pedes, & nobis videri. Hi quoque verſus à me antea citati hoc ipſum demonſtrant,

Philoſt. in Ima.

Plutarch. ἑπτ. σοφ. συμπ.

> Ἔργα δὲ Κυπρογενοῦς νῦν μοι φίλα, καὶ Διονύσου,
> Καὶ Μουσῶν, ἃ τίθησ᾽ ἀνδράσιν εὐφροσύνας.

Opera verò Veneris nunc mihi amica, & Liberi & Muſarum, quæ ponunt hominibus gaudia. Ergo tales feminæ, hoc eſt, procaces & impudicæ non fuerunt minima pars apparatus conuiuialis. Ariſtophanes,

Ariſtoph. Acha.

> Τὰ δ᾽ ἄλλα πάντ᾽ ἐστὶν παρεσκευασμένα,
> Κλίναι, τράπεζαι, προσκεφάλαια, στρώματα
> Στέφανοι, μύρον, τραγήματ᾽, αἱ πόρναι πάρα.

Alia verò omnia ſunt parata, lecti, menſæ, ceruicalia, ſtragula, coronæ, vnguentum, bellaria, meretrices, iuxta. Similiter Iuuenalis deſcribens conuiuium,

Iuuenal. ſaty. 9.

> *—dum bibimus, dum ſerta, vnguenta, puellas*
> *Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.*

Quos libidinis æſtus & effectus ſignat quoque Horatius inuitans Tyndariden in agrum Sabinum. Tibi, inquit, apud me nulla vis fiet in conuiuio,

Horat. lib. 1. Carm. ad Tyndar.

> *Hic innocentis pocula Lesbij*
> *Duces ſub vmbra; nec Semeleius*
> *Cum Marte confundet Thyoneus*
> *Prælia; nec metues proteruum*
> *Suſpecta Cyrum; ne malè diſpari*
> *Incontinenteis inyciat manus;*
> *Et ſcindat hærentem coronam*
> *Crinibus, immeritámque veſtem.*

Scindat coronam, id eſt potiatur te quamlibet inuita; vim tibi afferat. Huius quoque moris meminit Tyrius Maximus his verbis, οὐ μᾶλλον ἢ ἀκολάστων συμπόσιον νήφοντα ἄνδρα, ἀφαιρούμενον μὲν τὸν κρατῆρα, ἀπάγοντα δὲ τὴν αὐλητρίδα, καθαιροῦντα δὲ τοὺς στεφάνους, παύοντα δὲ τὴν μέθην, non magis quàm intemperantium conuiuium ieiunantem hominem, auferentem craterem, abducentem pſaltriam, frangentem coronas, ſedantémque ebrietatem. Et hæ erant comeſſationes cum pſaltrijs, tibicinis, & ſaltatricibus, quæ Platoni ſunt σὺν αὐλητρίσι κῶμοι. Hoc ipſum ſignauit Ariſtides in his verbis, quæ alibi alia de cauſa cito, φέρε δὴ καὶ τοὺς ἐπὶ τῶν στεφανιτῶν ἀγώνων

Tyr. Max. διαλ. λθ΄.

Plato in Theæt.

Ariſtid. κατὰ τῶν ἐξορχουμένων.

σκεψώμεθα, οἷον τὸν Δωριέα τὸν Ῥόδιον, καὶ Γλαῦκον τὸν Καρύστιον, καὶ Μίλωνα δὴ καὶ Πολυδάμαντα, καὶ πάντας ὧν εἰκόνες χαλκαῖ, πότερον θρυπτομένους καὶ παροινοῦντας καὶ ταῦτα ταῖς ὀρχηστρίσι, στρεφομένους ἐστεφάνουν, ἢ τῷ Διὶ τῷ ὀλυμπίῳ τὸν ἀγῶνα κοσμοῦντας. Agedum conſideremus eos qui coronarijs certaminibus ſunt intenti, qualis eſt Doricus Rhodius, & Glaucus Caryſtius, & Milo & Polydamas, & omnes quorum imagines æneæ, vtrum delicijs dediti & ebrioſi, atque adeò ſaltatricibus circumuoluti coronabantur, an Ioui Olympio certamen adornantes, &c. Nempe & ὀρχήστριαι, ſiue ὀρχηστρίδες ſaltatrices ψαλτρίαις καὶ αὐλητρίσιν pſaltrijs, ac tibicinis annumerabantur. Et hoc quidem illud eſt quod ſignauit ſolutio & ſciſſio, & detractio, coronarum; illa excepta, cuius mentio apud Plutarchum. Cùm enim ibi adoleſcentes audiſſent Ammonium differentem de coronis floreis conuiuialibus, quas modò memorabam, quæque vocantur coronæ voluptatis, eáſque is ſapientibus nequaquam conuenire diceret, enimuero illi ea ſeueritate perturbati, coronas ſenſim ſoluere cœperunt. Quo facto oſtenderunt coronas abſque vlla ſuſpicione aut nota turpitudinis ſolui poſſe. Cæterùm huius conuiuialis quæſtionis plures ab Athenæo rationes afferuntur, quas hîc referre nullum eſt operæ pretium. Eſt & illa à Platóne ſumpta, & ab eodem Athenæo relata, cur pluribus ſimul, paucioribus item mala coronæque diſtribuantur eâdem numerorum proportione, hoc eſt, manente inter conuiuas coronarum æqualitate. Plures huiuſmodi quæſtiones conuiuiales memorantur ab Athenæo & Polluce; tum ab authore Etymologici in κοτταβίζω, vbi interpretatur quid ſit κότταβος. Nam in conuiuijs exercebatur illud quod fuit κοτταβίζειν & συβαρίζειν. qui erant ludi in conuiuijs exerceri ſoliti. Equidem quicquid huius memoraui, id ea gratia feci, vt eâdem opera oſtenderem qualis eſſet vſus tum conuiuialium coronarum, tum earum, quibus amatorijs poteſt eſſe nomen; de quibus otioſi conuiuæ agebant inter epulas.

Plutarch. ſymp. 3.

Plato lib. 7. de leg. vt citat Athen. lib. 15.

Pollux lib. 6. cap. 19.

Ariſtoph. ep.

CAP. VII.

Priſca illa conuiuiorum lepidæ quæſtiones denique ſunt mutatæ in illiberales & libidinoſas. An matronæ conuiuijs intereſſent. A ſobrijs conuiuis corona vſurpata. Florea corona index ebrietatis ferebatur per vrbem. Corona Iacche. Homines delicijs & voluptatibus mancipati plerumque erant coronati. Heroum nullus, nec quiſquam homo Dei fuit coronatus.

EX ijs quæ ſupra dixi datur intelligi, priſcam illam & venuſtam quandam conuiuiorum ſuauitatem ſenſim exoleuiſſe ver-

ſamque eſſe in tripudia, ſaltationes, libidines. Vnde natum vetus
ἐν παροιμ.
illud, ἐκκέκοφθ' ἡ μουσικὴ perijt, excidit muſica, nempe illa Platonica.
Impudicitia omnem leporem, omnémque gratiam conuiuijs
dempſerat. Pro quæſtionibus illis φιλολόγοις lepidis & literatis laſciua
poſteritas induxerat, pſaltrias, citharíſtias, tibicinas, quicquid
petulans, laſciuum, & obſcœnum in moribus. Priſcorum
conuiuijs, quòd multa modeſtia agitabantur, quandóque legiti-
Plutarch. γαμ. παραγγ. 242. & li. 1. συμπ. probl. 1. Plutarch. ſym. probl. 1.
mæ vxores intererant, vt de reginis Perſarum memoriæ proditum
eſt, quæ cum regibus, & quidem cùm ſobrij eſſent, conuiuabâtur.
At cùm Rex vino incaleſcere, cùm libidine inflari incipiebat, tum
verò è conuiuio abſcedebat regina; tunc & citharíſtiæ & pellices
inducebantur; ſatis comperto meretriculas inuentas eſſe libidini
explendæ; At nomen & conditionem vxoris honeſtate ac dignitate
circumfundi. Ergo talibus epulis vxores conuiuatum vix vnquam
intererant; frequenter amicæ, vt cum quibus agitur licentiùs.

Plaut. Aſin. actu 5. ſc. 1.

Poſſis ſi fortè accubantem tuum virum conſpexeris
Cum corona amplexum amicam, ſi videas, cognoſcere?

Cic orat. 3. in Verr.
*Philodamus ille Siculus hoſpes Verris, homo magnæ dignitatis, cuius
filia ad ſtuprum vocabatur, negauit moris eſſe Græcorum, vt in conuiuio
virorum accumberent mulieres.* Quòd ſi qua mulier, aut nupta
talibus cõuiuïjs intererat, notabatur vt ea quæ corpore corpus
Cic pro M. Cœl. orat. 35.
alit. Locus exſtat apud M. Tulliũ, *Si qua non nupta mulier*, inquit,
*domũ ſuam patefecerit omnium cupiditati, palamque ſeſe in meretricia
vita collocarit, virorum alieniſſimorum conuiuijs vti inſtituerit, ſi
hoc in vrbe, ſi in oculis, ſi in Baiarum illa celebritate faciet; ſi denique
ita ſeſe geret non inceſſu ſolum, ſed ornatu atque comitatu, non flagrantia
oculorum, non libertate ſermonis, ſed etiam complexu, oſculatione,
aquis, nauigatione, conuiuijs, vt non ſolum meretrix, ſed
etiam procax, videatur, cum hac ſiquis adoleſcens fortè fuerit, vtrum
hic tibi L. Herenni adulter, an amator, expugnare pudicitiam,
an explere libidinem voluiſſe videatur?* Romæ tamen priſco
Sidon. Apoll. in lib. 2. ep. 9.
more mulieres intererant conuiuijs, nempe pudicæ epulis ijs,
quæ agitabantur, vt inquit Sidonius, ſenatorium ad morem.
In reliquis conuiuijs ipſi Romani vtebantur diſciplina &
inſtitutione Parthica, quam ſupra ſignaui. *Parthi enim*, inquit
Macrob. Sat. lib. 7. cap. 1.
Macrobius, *cum concubinis, non cum coniugibus ineunt conuiuia;
tanquam concubinas in vulgus produci, & laſciuire quoque; vxores
nonniſi domi abditas tueri deceat tectum pudorem.* Ergo quæ Romæ
propter ſæculi innocentiam, mulieribus fuerant conceſſa, poſterioris
ætatis dehoneſtamenta fecerunt inconceſſa. At in Græcia
quia vix vllo tempore conuiuia non helluationibus, ijſque quæ
helluationes

helluationes comitantur, infamia fuerunt, vix vnquam matronis permiſſum vt ijs intereſſent. Morem vtriuſque gentis aſſerit locus Æmilij Probi; *Quem enim,inquit,Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamilias non primum locum tenet adium, atque in celebritate verſatur? Quod multo fit aliter in Gracia. Nam neque in conuiuium adhibetur niſi propinquorum*,&c. An publicis cõuiuijs mulieres intereſſe par ſit, ſcilicet in bene morata ciuitate, diſputat Plato, & quidem contra morem ſuum ſatis obſcurè. Huiuſmodi conuiuia & comeſſationes intra minuſcula pocula interdum continebantur. Et tunc quidem à conuiuis corona nihilominus ſumebatur, emiſſaria Cupidinis. Ouidius loco ſupra citato, *Æmil. Prob. in præfat.* *Plato lib. 6 de leg.*

Ergo amor, & modicum circum mea tempora vinum
Mecum eſt, & madidis lapſa corona comis. *Ouid. li. 1. eleg.*

Nullam tamen libidinem cogitauit Hercules exceptus apud Admetum, ſed ſolam εὐωχίαν epulas, & hilaritatem menſæ. Qua mẽte horratur quendam vt ſecum epuletur, & coronas ſumat.

πίνε μεθ' ἡμῶν. τὰς δ' ὑπερβαλοῦσαν τύχας
στεφάνοις πυκασθείς. *Euripid Alceſt. actu 4.*

Bibas mecum. Superatis verò infortunijs, coronis coronatus. Ipſe paulò poſt hoc ipſum memorans, air ſe comeſſatum, & quidem redimitum ſertis.

κ' ἀπηκώμαζον κάρα
στεφάνοις πυκασθείς.

Demum actu quinto Admetum alloquens, Euinxi, inquit, caput ſertis, ac Dijs vina libaui in tua funeſtara domo,

κ' ἀστεψα κρᾶτα, κ) θεοῖς ἐσπεισάμην
σπονδὰς ἐν οἴκοις δυστυχοῦσι τοῖσι σοῖς,

Perinde ac ſi dicar, Inſcius apud te, qui luges mortuam vxorem, indulſi genio. Id quod, ſcilicet, intempeſtiuè à me factum eſt. Ergo & magnos viros non his coronis abſtinuiſſe conſtat. Et verò moris fuit, cum qui victor in ſacris certaminibus extitiſſet, coronatúſque eſſet, aut pro eo aliquem ex amicis, poſtquam domum redierat ἐπινίκια θύειν conuiuium ob victoriam adeptam celebrare. Ibi athleta coronatus conuiuium agitabat, vt de Autolyco in conuiuio Calliæ memoriæ proditum. Sæpius tales epulæ deſinebant in pocula capaciora; neque inde quiſquam ſurgebat niſi madidus. Et ſic affectus capiti floream coronam imponebat teſtem ebrietatis. Ariſtophanes, *Philo π. β. θυσ.*

Ὡς τ' μεθυσθεὶς αὐτῷ στεφάνῳ
Πᾶς τις ἄπεισι τὴν δᾷδα λαβών. *Ariſtoph. ἀχαρν.*

Vterque inebriatus ipſa corona Quilibet abeſt face ſumpta. Huius generis corona fuit illa quam Muſæus, referente Socrate apud

Plato lib. 2 de rep. Platonem è verbis Adimanti, dat iuſtis ijs qui perducti ad inferos & apud menſam ſtatuti, perpetua quadam ebrietate lætabundi vitam agunt; æternam ebrietatem exiſtimantes eſſe pulcherrimam mercedem virtutis. Eſt & illa quam filia Arnutij cuiuſdam impo-
Plutarch. παραλλ. ἑλλην. καὶ ῥωμ. ſuit capiti patris ab ſe inebriati. Quippe illa μεθύοντα τὸν πατέρα καὶ στεφανώσασα cum perductum ad aram fulguris interfecit. His adnecto coronam illam ἀκρατοποσίας bibendi intemperantiæ, quam
Plutar. Alex. Mag. Alexander ducibus ſuis propoſuit. E' quibus Promachus accepit τὸ νικητήριον στέφανον ταλάντου, præmium victoriæ coronam calamitoſam. Memorare poſſem hodiernos principes in hac fœditate Alexandri imitatores, non etiam in vlla è tot tantíſque virtutibus. Cùm ergo quiſpiam in conuiuio probè adpotus per vrbem incedebat, plerunque erat coronatus ea corona quam in conuiuio ac-
Plaut. Men. actu 4. ſc. 2. ceperat. Plautus,

Capiam coronam mi in caput; aſſimulabo me eſſe ebrium,

Et alibi,

Non ego te modo hic ante ædes cum corona florea
Vidi adſtare, quom negabas mihi eſſe ſanum ſinciput?

Rurſus in eadem comœdia,

Sed quid ego video? Menæchmum? Cum corona exit foras.
Sublatum eſt conuiuium, edepol venio aduorſum tempori.

Plaut. Pſeud. actu 5. ſc 2. Alio item loco,

Quid ego video? PS. cum corona ebrium Pſeudolum tuum.

Quem morem his verbis Horatius exprimit,

Horat. lib. 4. Carm. *Nec certare iuuat mero,*
Nec vincire nouis tempora floribus.

Et hoc, ſcilicet, illud ipſum eſt quod idem Horatius ait, piare Genium floribus & vino, id eſt, corona & ebrietate.

——priſci agricolæ
Tellurem porco, Syluanum lacte piabant
Floribus & vino Genium memorem breuis æui.

Plutar. Arato. Et hæc eſt illa Arati & ſociorum luxuriæ ſimulatio, cui inſertæ coronæ, id quod Plutarchus deſcribit his verbis, καὶ μετὰ μικρὸν ἑωρᾶτο τῶν οἰκετῶν αὐτοῦ δι᾽ ἀγορᾶς, ὁ μὲν στεφάνους φέρων, ὁ δὲ λαμπάδας ὠνούμενος, ὁ δὲ τοῖς εἰθισμένοις παρὰ πότον ψάλλειν καὶ αὐλεῖν γυναίοις διαλεγόμενος. Et paulò poſt ex eius familiaribus aſpiciebatur, vnus per forum ge-
Max. Tyr de amore, orat. 11. ſtans coronas, alius lampadas emens, alius cum ijs mulierculis loquens quæ poſt potum canere & tibia canere ſolent. Talis deſcribitur Anacreon à Tyrio Maximo. Cùm enim is & coronatus, & incertis veſtigijs pepuliſſet nutricem cum infante, atque adeò in infantem contumelioſus fuiſſet; nutrix illi nihil aliud eſt imprecata, niſi vt tot aliquando laudibus illum, qui tunc infans erat,

ornatet, quot eum probris impetijſſet. Huiuſmodi eſt illud συστεφανηφορεῖν ſimul coronari de conuiuis dictum, *Alcm. in carm.*

Σύν μοι πῖνε, συνήβα, συνέρα, συστεφανηφόρει

Σύν μοι μαινομένῳ μαίνεο, σὺν σώφρονι σωφρόνει.

Mecum bibe, mecum adoleſcenturi, mecum coronare, Me furente mecum fure, me ſobrio ſobrius eſto. Apud Ariſtophanem ebrij meritò dicunt illi qui odioſè ſobrius eſſet,

τῷ μὲν πίνειν ἐστεφανωμένῳ, *Ariſtoph. Acharn.*

σοὶ δὲ ῥιγοῦντι προφυλάττειν.

Coronato [ſuademus] bibere: Tibi verò frigenti præcauere. Quid? ante ſumptam coronam conuiuæ ſibi videbantur egregiè ſobrij. At corona capiti impoſita, vix quiſquam ſui compos erat. Propertius, *Propert. lib. 4.*

Sobrius ad lites. At cùm eſt impoſta corona,
Clamabis capiti vina ſubiſſe meo.
Cinge caput mitra, ſpeciem furabor Iacchi;
Furabor Phœbi, ſi modò plectra dabis.

Vbi adnoto, etſi mitra eſt Bacchi, vt alibi dico, íſque & fingitur & pingitur mitratus, tamen quòd & Iacchus dicitur, vt in hoc loco Propertij, & ſæpe apud alios poëtas, fuiſſe quoque coronam Iacche, ac ſi dicas Bacchicam. Nam & ἴακχον Græci vocant τὸν διόνυσον, & ἰάκχα στεφάνωμα εὐῶδες ἐν σικυῶνι, & ἰακχάζειν eſt φυλλολογεῖν pampinare, & καταβοᾶν vociferari. βάκχην quoque vocant ἄμπελον ἢ μυῤῥίνην. vitem & myrtum. Ea re meritò hæc corona reponitur inter conuiuiales. Hanc Heſychius vocat odoratam, Athenæus etiam inter pulchras memorat. Meritò. Siquidem veriſimile eſt eam nexam fuiſſe è diuerſis floribus. Nam is qui ea erat coronatus dicebatur τὴν κεφαλὴν τοῖς στεφάνοις διηνθισμένος caput corollis floridum habere. Et has coronas comirabantur non ſolùm tibicinæ & pſaltriæ, vt ſupra dixi, ſed & illud genus veſtis quæ ſobrio minimè conueniebat, vt ex his ſcire licet quæ Athenienſis Academia loquitur aduerſus ebrietatem, iudice iuſtitia. Polemon, inquit, poſtquam ad me acceſſit, reſipiſcere cœpit ad ſermones. Et ſimul auferebat coronas, & tibicinæ ſilentium imponebat, & purpureus veſtitus illi erat rubori. Certè quem diſciplina & eruditio ad ſobrietatem reuocant, huic quoque pudor τοὺς στεφάνους ἀφαιρεῖ, coronas detrahit. Ergo tria potiſſimùm erant argumenta ebrietatis & libidinis, vt molliries apud Lucianum ait, στέφανος, πορφυρὶς, τὸ μύρον, corona, veſtis purpurea, vnguentum. Redeo ad rem, & aio, eum qui in conuiuio coronatus eſſet, ita exiſtimaſſe, ſibi omnino licere effundi in omnem licentiam, laſciuiam, libidinem. Et hoc illud eſt quod Anacreon ait, ſe velle coronatum furere,

Heſych. ἰάκχα, & ἴακχον, & ἰακχάζει.

Scholia in ther. Nicand. in ἀχεάδα.

Lucian. bis accuſ.

Lucian. bis accuſat.

Lucian. bis accuſat.

Anacr. in car.

Ἐγὼ δ' ἔχων κύπελλον
Καὶ στέμμα τοῦτο χαίταις·
Οὐ τόξον, οὐ μάχαιραν,
Θέλω, θέλω μανῆναι.

Ego verò habens cyathum, Et coronam hanc [ſuper] capillis, non arcum, non gladium, volo, volo furere. Ad hoc exemplum ille apud Theocritum ait, ſibi quidem ſtatutum eſſe vino apud ignem ſeſe hilarare, & quidem pulchris coronis, ex anetho, è roſa, è viola, quas memorat, redimitum, & recubantem apud ignem,

Theocrit. θαλ.

Κἠγὼ τῆνο κατ' ἆμαρ ἀνήθινον ἢ ῥοδόεντα
Ἢ καὶ λευκοΐων στέφανον περὶ κρατὶ φυλάσσων,
Τὸν Πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρητῆρος ἀφυξῶ
Πὰρ πυρὶ κεκλιμένος.

Herodot. lib. 2. Strabo lib. 16. Plutarch. Alex. Mag.

Et quæ ſequuntur. Conuiuium quoque veriſimile eſt Babylonicas mulieres tunc agitaſſe, cùm ſemel in vita proſtabant ad templum Veneris & quidem coronatæ, vt cum alienigenis ſeſe ſtupro coinquinarent. Addit Srrabo, eas funiculo ſiue corolla aut laqueo coronari, θώμιγγι δ' ἐστέφθαι ἑκάστη. His coronis annumerari poteſt illa, qua redimitus Alexander cum lampade exilijt tanquam incenſurus τὰ βασίλεια regiam Perſarum. Apud Ouidium extant hæc Pentheu verba hos mores tam diſſolutos iuuenibus exprobrantia.

Ouid. lib. 3. Meta.

--- vosne acrior ætas
O iuuenes, propiórque meæ, quos arma tenere,
Non thyrſos; galeáque tegi, non fronde decebat.

Et paulò poſt,

Quem neque bella iuuant, nec tela, nec vſus equorum;
Sed madidus myrrha crinis, mollésque corona.

Dion Chryſoſt. de regno, orat. Plutarch. Pyrh. Lactant. lib. 6. cap. 22. Athen. lib. 1.

Et hac quidem de cauſa haſce coronas Dion Chryſoſtomus vocat ἑώλους marcidas. Et verò veriſimile eſt, ebrios è quacunque re obuia, quamlibet rancida, marcida, & obſoleta ſibi coronas plexiſſe. Plutarchus memorat, Metonem Tarentinum ſeſe ebrium ſimulantem ſumpſiſſe coronam τῶν ἑώλων rerum marcidarum, ὥσπερ τοὺς μεθύοντας quomodo ſolent ebrij; eóque habitu veniſſe in concionem. Lactantius cùm inuehitur in voluptates olfactus & guſtatus, non omiſit has coronas conuiuiales. *Turpe*, inquit, *eſt ſapienti ac bono, ſi ventri ac gulæ ſeruiat; ſi vnguentis oblitus, ac floribus coronatus incedat. Quod qui facit, vtique inſipiens, ineptus, ac nihili eſt, vt quem ne odor quidem virtutis attigerit.* Hoc etiam illud eſt quod Athenæus ex Homero obſeruatum omnibus obſeruandum tradidit, hunc tantum poëtam heroum nullum facere vnguentatum; ac ne vllum quidem coronatum; etſi quid eſſet coronas Homerus non neſciuit, vt ex eius verſibus probat. Similiter Ter-

tullianus, cæteroqui perpetuus coronarum oſor, obſeruauit nullum hominem, qui Deo commendatus eſſet, inueniri coronatum. *Quis denique patriarches*, inquit, *quis propbetes, quis leuites, aut ſacerdos, aut ἄρχων, quis vel poſtea Apoſtolus, aut euangeliʒator, aut epiſcopus inuenitur coronatus?* Hinc colligit, homines Dei coronari non oportere, niſi coronentur vt Chriſtus. Saluianus deſcribens vitia & impuritatem Carthaginenſium, harum coronarum meminit his verbis, *Vincentes ſe inuicem homines nequitia flagitiorum ſuorum, alios rapacitate, alios impuritate certantes, alios vino languidos, alios cruditate diſtentos, hos ſertis redimitos, illos vnguentis oblitos.* Plato quoque inter ea quæ hominis probitatem, famámque lædunt, ponit ἐπιθυμίας θυμιαμάτων τῆς γεμούσας καὶ μύρων, καὶ στεφάνων, καὶ οἴνων, καὶ τῶν ἐν τοιαύταις συνουσίαις ἡδονῶν, cupiditates nidore refertas, vnguentis, coronis, mero, & eas voluptates quæ in huiuſmodi congreſſibus vſurpantur.

Tertull. de cor. mil.

Saluian lib. 7.

Plato lib 9. de Rep.

CAPVT VIII.

Corona inſigne Herculis effœminati. Ebriorum mos circumferendi coronas conuiuiales. Ebrius coronatus tutus fuit ab iniuria. Corona inſignia ingenuitatis. Alia corona conuiuialis præmium ebrietatis. Ebrij capite non ſolùm coronam, ſed & vuam geſtabant. Corona ebrietatis geſtata à mulieribus. Coronatus, id eſt, diſſolutus & intemperans.

SED illud inprimis notatu dignum quod ait Tertullianus, vt augeat dedecus harum coronarum, vbi inuehitur in Herculem; Hunc enim facit coronatum, ſed poſtquam mutatus eſt in feminam. *Vetus*, inquit, *iam hydræ, centaurorúmque ſanguis in ſagittis pumice ſpeculi excludebatur* [f. elidebatur] *inſultante luxuria; vt poſt monſtra transfixa coronam forſitan ſumeret.* Idem alibi, *Sed & qui arte* [ante] *Tyrinthium acceſſerat, pugil Cleomachus poſt Olympia, cùm incredibili mutatu de maſculo fluxiſſet, inter cutem cæſus, & vltra, inter fullones iam Nouianos coronandus; meritóque mimographo Lentulo in Catinienſibus commemoratus, vtique ſicut veſtigia ceſtuum viria occupauit, ita & endromidis ſolocem aliqua multitia ſyntheſi extruſit.* Quorum verborum, etſi ſatis deprauatorum ſenſum Tertullianus ex hoc loco Luciani mutuatus videtur, vbi agit de picto hoc Hercule effœminato, Veriſimile enim, inquit eſt alicubi te vidiſſe eum ſeruientem Omphale prorſus abſurdo habitu; illam quidem circumamictam pelle leonis, & lignum habentem in manu, vtique vt ſi ſit Hercules. At ipſum in

Tertull. lib. de pallio.

Luciã Quom. hiſt. ſcrib. ſit.

crocota & purpurea veſte lanas carpentem, & calceo percuſſum ab Omphale. Porrò vſque eò verum eſt, menſis ſublatis, conuiuas per vrbem coronatos incedere ſolitos, vt hoc ipſo habitu ſæpè ab ebrietate conſopirentur. Statius de Hœdo coronato,

Stat. lib. 10. *Theb.*

> *Tagus haurit & Hœdi*
> *Terga coronati*,

nempe dormientis, & crapulam ebullientis. Vbi aduertendum, eum qui tali corona redimitus incedebat, fuiſſe tutum ab iniuria, etiam ſeruum à domino. Hac fiducia Carion ille ſeruus apud Ariſtophanem ita confidenter loquitur, vt ſi ſit tutus ipſo iure gentium.

Ariſtoph. Plut.

> Οὐ γὰρ με τυπήσεις στέφανον ἔχοντά γε.

Non enim me verberabis coronam habentem. Ac ſi dicat, pro monſtro eſſe ſi ſeruus coronatus vapulet. Nempe quiſquis coronam geſtabat, is erat pro ingenuo. At inter inſignia ingenuitatis erant coronæ, illæ præcipuè quæ partæ erant è certaminibus. Non ergo mirum, ſi homo ſeruus indignatur ſe tunc haberi pro ſeruo, cùm geſtat coronam inſigne libertatis. Has coronas intelligit Plutarchus loquens de conuiuijs, & de coronis quæ inibi conuiuis diſtribuuntur, καὶ στεφάνων διανεμομένων, οὓς ὁ θεὸς ἐλευθερῶν ἡμᾶς ἐπιτίθησι, & coronis diſtributis, quas Deus liberans nos imponit.

Plutarch. ſymp. probl. 1.

Enimuero alibi Plutarchus tradit, ex ingenuis eos, qui in otio vitam agebant, tempúſque terebant fabulis, geſtatione coronæ sciri voluiſſe quàm eſſent enerues ac diſſoluti. ἐλεύθεροι γεγονότες, ὡς ὁρᾷς, ἐστεφανωμένοι περὶ λόγους διατρίβομεν, καὶ ἀλλήλοις συνέσμεν, Liberi facti, vt vides, coronati circa ſermones verſamur, & alij cum alijs congredimur. Neque ſolùm is qui in conuiuio celocem oneraſſet, ſibi ipſe qualemcunque, & parem cæteris coronam imponebat, ſed ſæpe aliam accipiebat vt ſtrenuus athleta Bacchi, nempe τὸ νικητήριον ἆθλον καὶ στέφανον, victoriæ præmium & coronam, authore Plutarcho. Si verò & ipſe quempiam percuſſerat ſagitta Bacchica, tum verò, ac tum potiſſimùm corona donabatur ob rem bene geſtam. Qua ſuper re Athenæus citat Euripidem in Oeneo his verbis.

Plutarch. conu. ſap.

Athen. lib. 15.

> Πυκνοῖς δ' ἔβαλλον Βακχίου τοξεύμασι
> Κάρα γέροντος, τὸν βάλλοντα δ' ἐστέφειν
> Ἐγὼ πεπάγγελον ἆθλα κοττάβου διδούς.

Crebris percuſſerunt Bacchi ſagittis caput ſenis. At qui percuſſit, eum coronari iuſſi, cottabúmque præmium dedi. Iſti quoque conuiuæ iam ebrioli facti non ſolùm coronam, ſed & vuam quandoque addebant capiti. Statius,

Stat. li. 5. *Theb.*

> --- *non ille quidem turgentia ſertis*

Tempora, nec flaua crinem diſtinxerat vua
Nubilus.

Ipſæ mulieres, ne minùs quàm viri intemperantes eſſent, talibus quoque coronis inſignes incedebant. Locus eſt Æliani, πῶς δὲ οὐ διέῤῥεον ὑπὸ τρυφῆς αἱ πολλαὶ γυναικῶν; ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς στεφάνην ἐπετίθεντο ὑψηλὴν, τοὺς δὲ πόδας σανδάλοις ὑπεδοῦντο. Quomodo autem luxuria non diffluebant multæ mulieres? Siquidem ſuper capite coronam imponebant altam, pedes autem ſandalijs induebant. Hinc eſt quòd quandoque coronatus & redimitus, ἀναδούμενος, ταινιούμενος, στεφανούμενος ſignat diſſolutus, intemperans, vino & voluptatibus mancipatus, qualem Syneſius deſcribit his verbis, ὁ γὰρ ἰδὼν τὸν πορνότριβα σοβοῦντα διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐν στεφάνῳ καὶ μύροις μεθύοντα καὶ κωμάζοντα, καὶ πάσης ἀκολασίας ἐμπεπλησμένον, καὶ ᾠδὰς ᾄδοντα πρεπούσας τῷ βίῳ, ἐπὶ τοὺς ἔχοντας αὐτὸν τὴν αἰτίαν ἀνήγαγε. Qui enim viderit maſculorum ſubagitatorem inſolenter ambulantem per forum in corona & vnguentis ebrium & conuiuia agitantem, & omni intemperantia plenum, & cantiones canentem vitæ conuenientes, cauſam retulit ad eos qui illum habent in poteſtate. Ergo Iuuenali Tarentum hoc ſenſu eſt coronatum, id eſt intemperans ac diſſolutum.

Ælian. var. hiſt. li. 1. cap. 18.

Syneſ. ep. 32.

Iuuen. ſat. 6.

Atque coronatum, & petulans, madidúmque Tarentum.

Neque verò ab eo qui iam in conuiuio coronam acceperit, quicquam ſerij expectes. Ouidius,

Nulla coronata peraguntur ſeria fronte,
Nec liquido iuncta flore bibuntur aquæ.

Ouid. li. 5 Faſt.

Et hoc quidem ſenſu interpretor vocem *coronatos* apud Senecam in hoc loco, *Vulgus autem tam chlamydatos, quàm coronatos voco*, ac ſi dicat, tam imperatores, ac ſeria quæque tractãtes, quàm iſti diſſoluti ac luxurioſi apud me quidem eo loco ſunt, quoties de intellectu felicitatis agitur, quo eſt viliſſimus quiſque.

Sen. de vi. beat. cap. 2.

CAP. IX.

In luctu nefas eſt coronari. In luctu coronæ franguntur, lacerantur, ſcinduntur, detrahuntur. In luctu ſiquis eſſet coronatus, accuſabatur & plectebatur. Qui de hominis capite cognoſcit, capiti coronam detrahit. Id ipſum vſurpant ij qui adeunt pericula nauigationis. Mos illorum qui permittebant ſe longinquæ peregrinationi. Naues coronatæ. Proijcere coronam quid. Sumere coronam ſalutis qui dicantur. Propter indignationem proijciuntur coronæ.

Clemen. Alex. pedag. li. 2. c. 8. Halic. lib. 9. antiq. Rom. Athen. lib. 15.

CVM ſola appellatio coronæ lætitiam ſignificet, non mirum eſt, tradi ab Athenæo, & Halicarnaſſæo, in luctu nefas eſſe

Plato lib. 7. de leg. coronari. Ac præter hos Plato loquens de funebribus cantibus, ait, eos qui funus proſequuntur, pallam lugubrémque veſtem magis decere quàm coronas, & aurea ornamenta. Ergo mœrori conuenientius eſt caput turpari, atque adeò puluere deformari, vt lugentibus mos eſt. *Virg. 10. & 12 Æneid.* Nec ſolùm tali re caput non floreſcens aſpicitur; quin potiùs capillus poni ac radi ſolet. *Plato in Phæd.* Phædoni, caput eius contrectans Socrates eo die quo venenum bibit, Craſtino, inquit, die, Phædo pulchras haſce comas demes. Itaque nihil neque intempeſtiuius, neque abſurdius dici poteſt, quàm cum qui luget, aſpici coronatum, hoc eſt, geſtantem inſignia lætitiæ, potiſſimùm eo tempore quo publicè, priuatímque vota ſuſcipiuntur auerruncandis ijs quæ imminent, aut iam cadunt, tempeſtatibus. Æſchylus,

Æſchil. ἑπτ. ἐπὶ Θήβ.

Πέπλων ϗ στεφέων
Πότ', εἰ μὴ νῦν, ἀμφὶ λιτὰν ἕξομεν;

Quæ verba Scholiaſtes ita interpretatur, πότε στέφη ῥίψομεν ἢ πέπλους ἐπὶ γῆς, ἢ νῦν τραπεῖσαι ἐπὶ λιτανείαν τὴν περὶ ἡμῶν αὐτῶν καὶ τῆς πόλεως; Ecquando coronas aut pepla proijciemus in terram potiùs quàm nunc, conuerſæ ad ſupplices preces tum pro nobis tum pro ciuitate? Hęc Polluci eſt ἀνάῤῥηξις στεφάνων, Nam tunc temporis coronę, ſi iam eſſent allatæ, & frangebantur & lacerabantur, & abijciebantur. *Plutar. Phoc.* Hoc exemplo equites Athenienſes, Phocione condemnato, ἀφείλοντο τοὺς στεφάνους, detraxerunt ſibi coronas velut in publico luctu. *Plutarch. παραμυθ. ἐς Ἀπολλ.* Minois quoque memoratur haud abſimile factum, cùm ſacrificio tibiam & coronam præ mærore dempſiſſe dicitur. Æſchines Demoſtheni probro vertit, quòd ſeptimo die quàm mortua eſſet filia eius, ac priuſquam luctum peregiſſet, eique iuſta feciſſet, coronatus & in albis veſtibus aduerſus præſcriptum legis, rem diuinam feciſſet. *Plutarch. ὑγ. παραγγ.* Quod tamen factum Plutarchus non ſolùm excuſat, ſed & laudat. Equidem priſcos, quoties lugerent, quicquid ornamentorum fuit, abieciſſe video; abſtinuiſſe publico, comeſſationibus, conuiuijs; atque adeò cibo, potu, coronis, vnguento. Omnia excludebantur indicia & inlicia hilaritatis. Viri barbam, mulieres capillum ponebant. Omnia adſumebantur triſtitiæ his argumenta, his incitamenta. Tantum abeſt, vt inter gemitus & ſuſpiria coronari quiſquam ſuſtineret. Ideo ſoror illius *Dionyſ. Halic. lib. 3. Antiq.* qui milites Albanos, inſpectante vtroque exercitu, ſingulari certamine ſuperauerat, vt fratrem vidit à quo ſuus conſobrinus, idémque ſponſus occiſus fuerat, lætum & coronis victricibus, quibus rex eum honorauerat, redimitum, præter alia his quoque verbis exclamauit, Quaſi præclaro aliquo facinore edito, inſanis præ lætitia, & coronas geſtas in tantis malis. Cuiuſnam feræ ani-

mum induiſti? Theſeus apud Euripidem, cognito atroci caſu coniugis, quæ ſibi laqueo gulam fregerat, Quid ego, inquit, vltra redimior, homo tam infelix? *Euripid. Hippo. actu 4.*

αἶ, αἶ τί δῆτα τοῖς δ' ἀνέστεμμαι κάρα
πλεκτοῖσι φύλλοις δυστυχὴς θεωρὸς ὤν;

Apud eundem Admetus poſt obitum vxoris, ait ſe deſerturum conuiuia & coronas, & muſicam, & lyram. *Euripid. Alceſt. actu 4.*

παύσω δὲ κώμους, συμποτῶν δ' ὁμιλίας,
στεφάνους τε, μοῦσάν τ' ἣ κατεῖχ' ἐμοὺς δόμους.

Et alibi chorus ait reſtare ſibi infelici monimenta filij, lugubres raſuras, & coronas comæ, & mœſtos cantus, quas Apollo non recipit. *Euripid. ſuppli. actu 4.*

—παιδὸς ἐν οἴκοις
Κεῖται μνήματα, πένθιμοι
Κουραὶ, καὶ στέφανοι κόμας,
Ἀοιδαὶ, τὰς χρυσοκόμας
Ἀπόλλων οὐκ ἐνδέχεται.

Coronas comæ, id eſt redimicula quibus caput ornabam, quæ ſcilicet, in luctu poſui. quem locum citat alicubi Plutarchus. In Troadibus Hecuba, audita ſua, & Caſſandræ filiæ ſorte, ait, Abijce filia ſacras vittas, & ſolenni exue Corpus ornatu, coronas abdica, *Plutarch. π. τῦ ει. τῦ ἐν Δελφ.* *Euripi. Troad. actu 2.*

—ῥῖπτε τέκνον ζαθέυς
κλῇδας, κἀπὸ χροὸς ἐν-
δυτῶν στεφέων ἱερὺς στολμούς.

Dij Ægyptij cognito Babyn, qui Typhon eſt, regnare, nempe Oſiride fratre interfecto, ſibi coronas detraxerunt. Caſſandra, cùm prædixiſſet ſuam & Agamemnonis mortem, tum Oreſtis μητροκτονίαν cædem matris, exilijt, vt moritura, abſcindẽs τὰ στέμματα coronas quibus erat redimita. Apud M. Tullium ſcribentem Attico extant verba, ex quibus licet colligere, accuſatum fuiſſe eum, qui repub. ancipiti, aut in publico luctu aſpiceretur coronatus. *De coronatis*, inquit, *cùm ſororis tuæ filius à patre accuſatus eſſet, reſcripſit ſe coronam habuiſſe honoris Cæſaris cauſa; poſuiſſe luctus gratia.* Alibi ipſe M. Tullius vehementer miratur Q. fratrem viſum fuiſſe coronatum Feſto die Paliliorum. *Itera dum eadem iſta mihi. Coronatus Q. noſter Parilibus? Parilibus; ſoluſne? Ac ſi dicat*, Prorſus abſurdè ac temerè feciſſe Quintum, qui ſolennibus illis ſacrorum intereſſe ſuſtinuiſſet, & quidem coronatus, eo tempore quo Reſpub. in maximas perturbationes erat coniecta. Adeſt & Plinius, cuius hæc ſunt verba, *L. Fuluius argentarius bello Punico ſecũdo cum corona roſacea interdiu è pergula ſua in forum proſpexiſſe*

Athen. lib. 15. *Scholiaſ. Æſch. in Agam.* *Cic. lib. 14. ad Att. ep. 15.* *Cic. lib. 14. ad Att. ep. 11.* *Plin. lib. 21. c. 3.*

dictus, ex authoritate Senatus in carcerem adductus non ante finem belli emiſſus fuit. Quò notabilior fuit ſæuitia non tam principis Romani, quàm importunæ, crudeliſque belluæ. Hic, videlicet,
Sen. li. 2. de ira. cap. 33. *occiſo filio, patri inter epulas propinauit heminam vini, & poſuit illi cuſtodem. Perdurauit miſer non aliter quàm ſi filij ſanguinem biberet. Unguentum & coronas miſit. Et obſeruare iuſſit an ſumeret.* O animum inuictum qui ſæuitiæ principis non modò illuſit, ſed & hoc facto eam proſtrauit. Certè ego illam coronam dixerim fuiſſe indicem tantæ aduerſus illam belluam partæ victoriæ. Nam qui ferro filium, idem mœrore patrem interficere decreuerat. Id
Sen ad Mart. cap. 12. quod non modò non aſſecutus eſt, ſed & ſe, crudelitatémque ſuam triumphati vidit. *Græcia eſt admirata illum patrem, qui in ipſo ſacrificio, nuntiata filij morte, tibicinem tantùm tacere iuſſit; & coronam*
Val. Max. lib. 5. cap. 6. Plutarch. παραμυθ. πρὸς Ἀπολλ. *capiti detraxit; cætera ritè perfecit.* De hoc ipſo [Pericles fuit] Valerius Maximus & Plutarchus tradunt, illum accepto tanto vulnere, caput patrio more coronatum gerere ſuſtinuiſſe, καὶ λευχειμονοῦντα δημηγορεῖν, & in albis veſtibus concionari ſolitum; vt nihil ex vetere ritu propter domeſticum vulnus detraheret. Pari
Plutarch ibid. animo fuit mulier illa Spartana, quæ, audito filium in acie viciſſe, ſed ex multitudine vulnerum animam efflare, minimè coronam
Val. Max lib. 5. cap. 10. Ælian. lib 3. Var. hiſt. cap. 3. Plutarch. παραμυθ. πρὸς Ἀπολλ. poſuit ſicuti lugens. Quin vltro iactabunda ad proximas, Quanto, inquit, ſatius eſt, ô meæ ſodales, in acie victorē mori, quàm apud Olympiam viciſſe; indéque ſuperſtitem redire? *Xenophon amiſſo filio, non ideo inſtitutum cultum Deorum omittendum putauit, ſed tantummodo coronam deponere contentus fuit. Quam ipſam percontatus quonammodo occidiſſet, vt audiuit fortiſſimè pugnantem interijſſe, capiti repoſuit; numina, quibus ſacrificabat, teſtatus maiorem ſe ex*
Hieron ep. li. 2. ep. 22. Stob. ὅτι δεῖ γενναίως φέρ. τὰ συμπτώμ. Pollux lib. 8. Achill. Tat. lib. 2. *virtute filij voluptatem, quàm ex morte ægritudinem ſentire.* Tradit Pollux, cum magiſtratum, qui Athenis rex dicebatur, quoties vnà cum Areopagitis de capite cognoſcebat, capiti coronam detraxiſſe. Illi quoque qui longinquæ nauigationi ſeſe permittebant, coronis abſtinebant, ſicuti adeuntes pericula naufragij. Feréque cùm è portu egrederentur, πανευφημὸς ἦν καὶ πολλή τις εὐχή. θεοὺς γὰρ σωτῆρας ἐκάλουν, εὐφημοῦντες αἴσιον τὸν πλοῦν γενέσθαι. Ibi tum plauſus excitatus, multæque Deis ſeruatoribus, quò proſpera nauigatione vti liceret, preces effuſæ. His addo, moris tunc fuiſſe, vt è naui
Schol Apoll. Rhod. lib. 2. Geneſ. cap. 8. emitteretur columba. Id quod ex Aſclepiade obſeruauit ſcholiaſtes Apollonij Rhodij. Forte ob id quod ſicuti ab Noe coruus emiſſus non redijt, ita, quoque columba bis redijt, quam Noë venientem exerta manu, recepit & in ore geſtantem folium oleæ.
Artemidor. lib. 2. c. 60. Cęterùm priſci eos qui ibant in longam legationem dicebant proficiſci ad inferos. Naues tamen eorum qui nauigaturi eſſent,

boni ominis cauſa coronabantur. Et verò Athenienſes inſtructa claſſe aduerſus Syracuſios, cùm adhuc eſſent in portu, tantóque apparatu mirum in modum lætarentur, inter cætera alacritatis argumenta illud fuit quòd naues coronarunt. & apud Virgilium, *Diodor Sic. lib. 13. bibl.*

— vocat iam carbaſus auras, *Virgil. lib. 4. Æneid.*

Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

Ipſe Æneas ſoluens è Sicilia, ac tendens in Italiam, credo ob lætitiam, eſt *Virgil. lib. 5. Æneid.*

— caput tonſæ folijs euinctus oliuæ.

Sic etiam qui è nauigatione domum redituri erant μετὰ τὸ ἀποσεφθῶσαι τοὺς στεφάνους poſt depoſitas coronas canebant ἀποστεπτικὸν ἐν τοῖς μυάσι, & coronas reſumebant. Ac tunc potiſſimùm coronam ſalutis ſumere dicebantur. Sic nuntius Theſei Athenas præmiſſus, cùm plurimi inibi eſſent vt ei alacriter imponerent hanc, quam dico, coronam ſalutis, ille accepta corona, caduceum coronauit. In hanc ſententiam Pindarus monet eos qui emerſerunt ex ijs, quibus premebantur, malis, ne coronis abſtineant. *Etymol. ἀποστεπτικόν.* *Plutarch. Theſ.*

ἐκ μεγάλων *Pindar. Iſth. od. 8.*
δὲ πενθέων λυθέντες
μήτ᾽ ἐν ὀρφανίᾳ πέσωμεν
στεφάνων, μήτε κά-
δεα θεράπευε.

Magnis igitur luctibus liberati neque in orbitatem coronarum cadamus neque mœrores foue. Vt id quod ſupra dicebam verum ſit, coronam vix vnquam non eſſe argumentum lætitiæ. Certè apud Ariſtophanem boni, viſo Pluto, ei ſe comites addunt læti & coronati. *Ariſtoph. Pluto.*

Οἱ [δίκαιοι] ἠκολούθουν κατόπιν ἐστεφανωμένοι,
Γελῶντες, εὐφημοῦντες.

Itaque eleganter Plutarchus ait, ſuperſtitioſum hominem, & coronatum palleſcere, ἐστεφανωμένος ὠχριᾷ, θύει καὶ φοβεῖται, coronatus pallet, ſacra facit ac timet. ac ſi dicat, ô hominem læuum, qui capite geſtans præcipuum inſigne lætitiæ, tamen tunc maximè percellitur. Nemo certè fuit pudoris tam perditi qui, ſi non abundabat lætitia, ſuſtineret coronari. Ideo ſacerdos apud Sophoclem Oedipo de Creonte aduenienre dicit, *Plutarch. de ſuperſt.*

Ἀλλ᾽ εἰκάσαι μὲν ἡδύς. οὐ γὰρ ἂν κάρα *Sopho. Oed. tyr.*
Πολυστεφὴς ὧδ᾽ εἷρπε παγκάρπου δάφνης.

id eſt, Aſpectu quidem hilaris apparet. quod niſi eſſet, non ita coronatus incederet lauri frondibus. Ergo verum eſt in luctu poſitas fuiſſe coronas, atque adeò ipſa regum diademata, vt infra dicam. Sed hinc eximi ſanè debet ſummus Pontifex apud Hebræos, cui,

Philo π. τῆς ἐν ει. το. ob dignitatem cœleſtis ſacerdotij luctus cùm fuerit interdictus, ne mortuo quidem quopiam è ſuis licuit ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἀφαιρεῖν τὸ παράσημα τῆς ἱερωσύνης capiti detrahere inſignia ſacerdotij. Luctui proxima eſt indignatio. Nam plerunque ob magnitudinem indignationis coronæ vnà cum cæteris ornamẽtis proijciuntur. Certè cùm Bacchæ viderent Penthei inſolentiâ ſacra Bacchi profanari, mœrore correptæ coronas tẽporibus detractas humi proiecerunt.

Oppian. κυνηγ. lib. 4.

Παχνώθη δὲ κέαρ Βασσαρίσι· πάντα δ' ἔραζε
Ῥῖψαν ἀπὸ κροτάφων στεφανώματα.

Contriſtatum autem eſt cor Bacchis, omniaque humi proijciebant de temporibus coronamenta.

CAPVT X.

Sine conuiuialibus coronis vix vlla vllius conuiuialis apparatus mẽtio fit. Coronis locus eſt in domeſtica ſupellectile. Coronæ connumerantur inter eſculenta & poculenta. Corona pars ſupellectilis militaris. μαίνε. In priuata lætitia ſibi quiſque coronam imponebat aut alij mittebat. Coronæ dignitatis.

MONEO conuiuialium coronarum vſum fuiſſe tam frequentem, vt ſine his vix vlla vllius conuiuialis apparatus mentio fiat, vt diſcimus ex Ariſtophane,

Ariſtoph. ἐκκλησ.

Κρατῆρα συγκιρνᾶσιν αἱ μυροπώλιδες
Ἑστῶσ' ἐφεξῆς, τὰ τεμάχη ῥιπίζεται,
Λαγῷ' ἀναπηγνύασι, πόπανα πέττεται,
Στέφανοι πλέκονται, φρύγεται τραγήματα.

Craterem commiſcent venditrices vnguentorum ſtantes ordine, piſcium edulia aſſantur, Pulpamenta coagulantur, placentæ coquuntur, Coronæ plectuntur, bellaria torrentur. Apud eundem Ariſtophanem cùm præco hortatus eſſet populum ad compotationes; eúmque ſequutus Dicæopolis, pueris & mulieribus ſuaderet εὐωχίαν, lætitiam conuiuialem, ait,

Ariſtoph. Achar.

Ἀναβράττετ', ἐξοπτᾶτε, στρέφετ', ἀφέλκετε
Τὰ λαγῷα, ταχέως τοὺς στεφάνους ἀνείρετε.

Lixate, aſſate, verrite, detrahite [à veru] lepores; illico corollas nectite. In eadem comœdia, vbi ait, conuiuium, eáque omnia, quæ ad conuiuium pertinent, præſto eſſe, coronas inter cætera nominat, in verſibus quos ſupra dixi,

Τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἔστιν παρεσκευασμένα,
Κλῖναι, τράπεζαι, προσκεφάλαια, στρώματα.

Στέφανοι, μύρον, τραγήμαθ' αἱ πόρναι πάρα.

Quibus ex locis palam fit, coronas cenſeri inter præcipuas delicias conuiuiales; tum ex hoc M. Tullij, *Aderant vnguenta, coronæ; incendebātur odores; menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur.* Quid, quod in cætera ſupellectile, ea quæ reſpicit vſus vitæ quotidianos, præcipua fit mentio coronarum? Id quod argumento eſt, coronam iamdiu inter res non ſolùm voluptatis aut decoris fuiſſe receptam, ſed inter neceſſarias. Ariſtophanes,

Cic. lib. 5. Tuſcul. quæſt.

––– τούτοισι δ' ἦ δωροδοκοῦσιν

Ὕρχας, οἶνον, δάπιδας, τυρὸν, μέλι, σήσαμα, προσκεφάλαια,

Φιάλας, χλανίδας, στεφάνους, ὅρμους, ἐκπώματα, πλουθυγίειαν.

Ariſtoph. σφῆκ.

His verò donant vaſa, vinum, tapetes, caſeum, mel, ſeſama, puluinaria, phialas, veſtes, coronas, torques, pocula, ſanitatis opulentiam. Et paulò poſt,

Τούτων εἴκοσιν ἄνδρας βόσκειν, εἴ τις προσέταξεν ἑκάστῃ,

Δύο μυριάδες τῶν δημοτικῶν ἔζων ἐν πᾶσι λαγῴοις,

Καὶ στεφάνοισιν παντοδαποῖσιν.

Harum ſingulis ſiquis imperet vt viginti homines nutriat; Bis dena millia popularium commodiſſimè viuerent, & coronas [haberent] omnis generis. Atque adeò coronæ numerantur inter illa ipſa quæ dicuntur eſculenta & poculenta; perinde ac ſi abſque coronis nulla ſit viuendi copia. Verba ſunt Praxagoræ mulieris apud Ariſtophanem,

Ariſtoph. ἐκκλ.

Οὐδεὶς δ' ἐν πενίᾳ δράσει, πάντα γὰρ ἕξουσιν ἅπαντες;

Ἄρτους, τεμάχη, μάζας, χλαίνας, οἶνον, στεφάνους, ἐρεβίνθους.

At nullus deget in paupertate, omnia enim habebunt omnes, panes, placentas, pulmentaria, veſtes, vinum, coronas, legumina. Artemidorus recenſens ea, ex quibus colligitur coniectura iudiciúmque ſomniorum, quæque adeò pertinent ad ſtatum hominis, cuiuſcunque modi illa ſint, inter cætera agit περὶ μύρων καὶ στεφάνων de vnguentis & coronis. Id quod minùs mirabitur is, qui non neſcit, coronam fuiſſe partem ſupellectilis militaris. Ariſtophanes,

Artemidor lib. 1. cap. 2.

Ἦν δ' ἂν ἡ πόλις πλέα, καδίσκων ἀτιμοδέων,

Σκορόδων, ἐλαῶν, κρομμύων ἐν δικτύοις,

Στεφάνων, τριχίδων, αὐλητρίδων, ὑπωπίων.

Ariſtoph. Acharn.

Eſſet vrbs plena ementibus cados, allijs, oleis, cepis intra retia, coronis, piſcibus, tibicinis, liuoribus. Ergò is qui vniuerſo bellico apparatui præire ſolitus fuit, cui nomen μάντις, geſtabat ramos lauri, tum coronas & lampadem. Huic ſoli hoſtes vt parcerent, lege cautum erat. Et hæc quidem de coronis conuiuialibus & quotidianis habeo quæ dicam; quas refero ad eam definitionis partem quæ lætitiam reſpicit; lætitiam, inquam, cuiuſque priua-

ἐν παρεμ.

tam, ortam in conuiuijs, aut ob aliam quamlibet cauſam. Nam vt cuique ſua ſors præbebat quo gauderet, ita ſibi ipſe hanc aut illam coronam imponebat. Pindarus, — ἀείσομαι

Pindar. Iſthm. od. 7.

χαίταν στεφάνοισιν ἁρμόζων.

Cantabo comam coronis aptans. Anacreon ſibi ipſe & plectit & imponit coronam.

Anacr in car.

Ὅτ' ἐγὼ πίω τὸν οἶνον
Στεφάνους πλέξας,
Ἐπιθεὶς δὲ τῷ καρήνῳ
Βιότου μέλπω γαλήνην.

Vbi ego poto vinum, Coronis floreis plexis, impoſitis verò capiti vitæ oblecto ſuauitatem. Quandoque etiam in communi propinquorum & adfinium lætitia vltro citróque mittebantur coronæ, vt colligimus ex hoc loco Luciani, οἱ δὲ ἄλλοι, οἱ μὲν στεφάνους, οἱ δὲ λιβανωτοῦ χόνδρους πεμπέτων. Porrò reliqui, coronas alij, alij thuris fruſtula mittunto. Harum ſpecimen illa πεχυσιδύμενος στέφανος, tragœdijs celebrata corona, eſt quam Medea exuit, fecítque auream; cámque veneno perunctam filios ſuos nouercæ dare iuſſit. De quo ferali munere ſæpe Euripides in Medea, atque his potiſſimùm locis;

Lucian. Crono. Hygin. 9.

Plutarch. Alex. Magno.

Euripid Med. actu 4.

πέμψω γὰρ αὐτῇ δῶρ' ἃ καλλιστεύεται
τῶν νῦν ἐν ἀνθρώποισιν, οἶδ' ἐγὼ, πολὺ,
λεπτόν τε πέπλον, καὶ στέφος χρυσήλατον
παῖδας φέροντας.

Mittam enim illi dona quæ multis antecant modis cæteras quas nunc homines [norunt]. Noui probè, tenue peplum, & coronam auream, Quæ ei pueri ferant. Et paulò poſt de hac ipſa corona & peplo funeſtis donis;

πείσει χάρις, ἀμβρόσιός τ' αὐγὰ πέπλου,
χρυσότευκτον στέφανον περιθέσθαι,
νερτέροις δ' ἤδη πάρα νυμφοκομήσει.

perſuadebit gratia, diuinúſque fulgor pepli vt auro textam circumponat capiti coronam. Iámque apud inferos ſponſa ornabitur. Et infrà.

καὶ δὴ τὸ κρατὶ στέφανος, ἐν πέπλοισί τε
νύμφη τύραννος ὄλλυται.

Et iam ſuper capite [eſt] corona, ac in peplis, regia ſponſa perijt. & actu quinto,

πέπλοις ποικίλοις ἠμπέχετο,
χρυσοῦν τε θεῖσα στέφανον ἀμφὶ βοστρύχοις.

Apul. Metam. lib. 1.

picturatos induit peplos, & auream coronam plexis imponit crinibus. Et alijs locis paulò infrà. Hoc Medeæ donum Apuleius

vocat flammas coronales in his verbis, *vt illa Medea vnius diecula à Creonte impetratis inducijs, totam eius domum, filiámque cum ipſo ſene flammis coronalibus denſſerat, ſic hæc &c.* Quem locum explicant hæc verba Plinij, *Ita ferunt, à Medea pellicem crematam, poſtquam ſacrificatura ad aras acceſſerat, corona igne rapta.* Similis quoque coronæ ſimile extat donum apud Valerium Flaccum. *Plin. lib. 2. cap. 105.*

Deficit in thalamis, turbatáque pellice coniux
Pallam & gemmifera donum exitiale corona
Apparat, ante omnes ſecum dequeſta labores.

Valer. Flacc. lib. 5. Argon.

Iſtis priuatæ lætitiæ coronis illas addi poſſe puto, quæ dicebantur coronæ dignitatis, quibus nec ij donabantur qui quæſtuarias artes exercebant; neque item ijs conueniunt quibus eſt tenuior cenſus, ſed tantùm diuitibus & honeſtiſſimo cuique. Has demonſtrauit Artemidorus, vbi dixit, vt viros monilia non decent, ita nec pauperibus conuenire coronas, & magnam ſupellectilem, & multitudinem numiſmatum. Quæ ſcilicet, omnia ſunt ſupra dignitatem pauperis. Huius generis eſt illa corona quam geſtat Cyrenæus ille, quicum Iupiter ſermonem inſtituere vult, ἄλλον κάλει τὸν Κυρηναῖον. τὸν ἐν πορφυρίδι ἐστεφανωμένον. Alium voca Cyrenæum, qui veſte purpurea coronatus [incedit.] *Lucian. Vitarũ auct.*

CAP. XI.

In publica lætitia coronis locus fuit, & quidem eminentiſſimus. Harum coronarum exempla. Coronæ feſtæ. Coronæ conijciebantur in eum qui vniuerſorum ſtudijs excipiebatur. Coniectus tæniarum.

SI in priuata, multò magis in publica lætitia coronis locus fuit. Publica lætitia tunc eſt, cùm & ſinguli & vniuerſi ob rem proſperè feliciterque geſtam diuinæ bonitati gratias agunt iuſtitio indicto, celebrandis diebus feſtis, inſtaurandis ſacris, frequentando cultu diuino, votis, ſupplicationibus, fauſtis acclamationibus, epularum ſolennijs, πόλεως· λυχνοκαυτίαις, verſicolorum ignium luminibus, eo ritu qui cuique genti acceptiſſimus eſt; cùm Reſp. principi gratulatur, hic Reipub. magiſtratibus, primoribus, ſibi quiſque alij alijs. Nempe inter illa quæ prodendæ huic lætitiæ tali tempore vſurpantur, coronis aſſignatur locus ſanè eminentiſſimus. Cuius rei exempla etſi per totum huius operis contextum diffuſa, nuſquam ferè non obuia ſunt, hoc tamen loco vt proprio & conuenientiſſimo paucula huius generis exhibere certum eſt. Ergo tales coronæ fuerunt illæ, quibus apud Virgilium hortatu *Xiphil. Ner.*

Virgil. 8. Æneid. Euandri conuiuæ redimiuntur ob Cacum ab Hercule extinctum,

Quare agite ô iuuenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris.

Hoc coronamentum fuiſſe è populo, nempe fronde Herculea, docet, cùm addit,

Dixerat, Herculea bicolor cùm populus vmbra
Velauitque comas, foliiſque innexa pependit.

Qui quoque fuit habitus Saliorum, vt ibidem,

Tum Salij ad cantus, incenſa altaria circum
Populeis adſunt euincti tempora ramis.

Ariſtid. in Panath. Athenis in Panathenæis feſtis vniuerſi coronabantur. Neque verò iubente lege, aut præſtituto temporis ambitu populus illò conueniebat, ſed ex rerum proſpero euentu ſinguli & viri & oppida indicebant ſibi & lætitiam, & coronas, & ſollennes gratiarum *Ariſtid. πανηγ. ἐπὶ σμυρ. καὶ τῷ παν. ἀνοικισμῷ.* actiones. Cuius feſti lætitiam his verbis deſcribit Ariſtides; Veris, inquit, portæ ac æſtatis præ coronis, hoc eſt propter multitudinem coronarum aperiuntur. Chori quoque nympharum & muſarum in ipſo, & circa ipſum diem feſtum choreas ducunt. Nec zephyri ſpirare deſinũt. Tales fuerunt illæ coronæ, quibus euincti fuerunt *Plutarch. Lyſ.* Lacedæmonij vnà cum ſocijs, cùm, duce Lyſandro, murus Athenarum dirutus, ac triremes incenſæ ſunt. Tales illæ, quibus & po*Plutarch. Phoc.*puli & vrbes eæ inſignes erant, quæ aduentanti ad ipſos Phocioni obuiam ibant lætæ & gratulabundæ. His addo illam, qua ſe De*Plutarch. Demoſth.*moſthenes conſpicuum fecit, nuntiata Philippi morte. His quo*Plutarch. Arat.*que annumero illas quas populus Athenienſis ſumpſit cùm primùm audita fuit mors Arati, ἐστεφανηφόρησε ὅτι πρῶτον ἠγγέλθη τεθνηκώς. His annumero illas quibus populus Rom. coronatus fuit illo die quo Nero Tiridati diadema impoſuit. Quippe diſpoſitus per tri*Xiphil. Ner.*bus in albis veſtibus lauro redimitus inceſſit, illo item die quo ipſe Nero è Græcia rediens inijt vrbem, vniuerſa ciuitas fuit coronata. *Xiphil. Seu.* Seuero quoque ingrediente Romam vniuerſa multitudo fuit co*Zonar. in Ner.*ronata floribus & lauro. Huc refero illas quibus, Nerone pulſo, præ lætitia populus Romanus vrbem impleuit. Tum illas, qui*Iuſtin. lib. 24.*bus Lyſimachus & Philippus filij Arſinoës Ptolemæo venienti ad vrbem Caſſandriam iuſſu matris inſignes occurrerunt. Talibus coronis multitudo interdum iuſſa eſt vti, ſicuti plerunque fit in nuptijs principis. Et has quidem cum Ouidio meritò feſtas appellaueris. Loquitur de Cippo, cui multitudo coronam im*Ouid. lib. 15. Metam.*poſuit.

Atque illud meritis clarum [caput] *nec honore carere*
Vlterius paſſi feſtam impoſuere coronam.

Corona feſta, inquit Seruius, *dictæ ſunt quòd more Romano feſtis ludis*

ludis omnis ætas coronata ſpectabat, Virgilius vbi agit de ludis & *Seru in lib. 5.*
ludorum præmijs, ait, *Æneid.*

Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis.

Et quidem has coronas ludis, hoc eſt, ſpectaculis ſuis Craſſum diuitem primum dediſſe, teſtis eſt Plinius. Nempe hic primus argento, auróque folia imitatus dicitur. Tales fuerunt illæ quibus multitudo vtebatur diebus feſtis, illis qui celebrabantur apud Delphos. Id quod & in feſto Veneris, aliorúmque Deorum obſeruari tradit Ariſtides. Huius generis fuerunt illæ, quas ſumere iuſſæ ſunt vrbes quæ Antiocho Hieraci parebant. Quippe cùm is audiſſet Seleucum fratrem eſſe mortuum, purpura poſita lugubrem veſtem ſumpſerat. Paulò poſt, cognito fratrem viuere, εὐαγγέλια τοῖς θεοῖς ἔθυσε, καὶ τὰς πόλεις στεφανηφορεῖν ἐποίησεν, id eſt, vt alibi loquitur, θύειν καὶ στεφανηφορεῖν ἐπήγγειλεν, ob tam fauſtum nuntium Dijs ſacrificauit, & ciuitatibus imperauit vt & ſacrificarent & coronarentur. His quàm proximè accedunt illæ, quibus Troiana multitudo inſtantis ſibi cladis neſcia onerabat iubas equi illius fatalis, quem ſuperſtitione decepta totis nixa viribus in vrbem trahebat. Tryphiodorus,

Virgil. li. 5. Æn. Plin. lib. 21. c. 3. Plutarch. Nicia. Ariſtid. συμβουλ. Plutar. ἀποφθ. βασιλ. καὶ στρατ. & περὶ φιλαδελφ.

--- ἀμησάμενοι δὲ Σιμοῦντος
Ἔστεφον αὐχενίοις πλοκάμοις σφετέροιο φονῆος.

Tryphiod. Ἰλ. ἁλ.

Demetentes autem Simoentem coronabant collares iubas ſui interfectoris. Ipſæ potiſſimùm mulieres Troianæ breui fallacíque lætitia hunc feralem equum feſtis hiſce, certè infauſtis coronis onerabant.

Αἱ δὲ θαλασσαίης ἐπιμάζια νήματα μίτρης
Λυσάμεναι κλωστοῖσι περίστεφον ἄνθεσιν ἵππον.

Aliæ verò mammillaria fila tranſmarinæ mitræ ſoluētes, connexis floribus vndique coronabant equum. Vbi aduertendum, Tryphiodorum floribus cōnexis indere nomen coronis. Et ſic intelligendus eſt Tacitus, vbi agens de victoria Othonis, *populus,* inquit, *cum lauru ac floribus Galbæ imagines circum templa tulit, conſectis in modum tumuli coronis iuxta lacum Curtij,* id eſt, tulere imagines Galbæ redimitas corollis laureis & floralibus, quas in eum aceruatim conieceranr. Quanquam & coronæ & flores ſæpe iaciebantur in aliquem ob rem bene geſtam. Qua fauſtitate exceptum fuiſſe Titum ob liberatam Senatus decreto Græciam, memorant Polybius, & Appianus. Et apud Appianum hoc eſt obſeruandum, quòd non coronas tantùm, ſed & tænias in T. Flamininum coniectas ait, στεφάνους τε καὶ ταινίας ἐπέβαλον τῷ στρατηγῷ, quem locum ego ſic interpretor, In eum coniecerunt coronas cum tænijs. Id quod alibi, quale ſit vberiùs dico. Curio Cæſari fauens ſuperato

Tacit. hiſtor. lib. 2. Polyb. ecl leg. Appian. Alex. παρεκβ. περὶ πρέσβ.

O

Plutarch. Pompeio.

in ſuffragijs Pompeio, tali honore cultus eſt. Plutarchus. κἀκεῖνος μὲν ὥσπερ νικηφόρος λαμπρὸς ὑπὸ χαρᾶς εἰς τὸν δῆμον ἐξήλατο, κρότῳ καὶ βολαῖς στεφάνων καὶ ἀνθῶν δεξαμένων αὐτόν. Et ille quidem ſicuti victor clarus præ gaudio prodijt in vulgus plauſu & coniectu coronarum & florum exceptus. Nempe talium florum, taliúmque coronarum coniectu multitudo ſtudia ſua in eum qui tali fauſtitate excipiebatur, profiteri ſueuerat. De hoc quoque genere conſtat eſſe illas quas montani quidam & Alpini Annibali aduentanti obuiam procedentes capite geſtarunt. Id quod apud barbaros Polybius ait eſſe pacis atque amicitiæ ſignum, qualis apud Græcos eſt caduceus. Huius quoque publicæ gratulationis index illa corona eſt, de qua Ouidius deſcribens triumphum Cæſaris ob victam Germaniam,

Polyb. lib. 3. hiſt.

Ouid. lib. 4. de triſt.

> *Jam fera Cæſaribus Germania, totus vt orbis*
> *Victa poteſt flexo ſuccubuiſſe genu.*
> *Altáque velantur fortaſſe palatia ſertis,*
> *Thuráque in igne ſonant, inficiúntque diem.*

Et hæc quidem ſiue ſerta, ſiue corollæ & coronæ plerunque erant dona multitudinis, cáque florea, quibus & plateæ & theatra, & templa conſpergebãtur, quibúſque principum ſtatuæ, domúſque honeſtabantur. In veteri Rep. Rom. mittebantur à prouincijs in Capitolium donum Ioui, vt alibi fuſiùs dico. Sed quia tali re ac tempore, non ſolùm vrbana, aut etiam ex agris collecta multitudo hac ratione ſuæ lætitiæ fidem faciebat, verùm & ipſæ longinquæ prouinciæ, ipſique adeò reges in hoc ipſum ſimiles coronas mittebant, quo genere muneris hanc quoque lætitiam teſtabantur aut ſimulabant, de his coronis dicam, ſed loco idoneiore. Illud tantùm addo, ſuperioribus coronis affines eſſe illas, quibus ornaturis qui beneficium dedit ab eo qui beneficium accepit, ſiue publicum, ſiue priuatum, ἀλλ' ὡς εὐεργέτης στεφανώσει); ſed vt benefactor coronabitur? Memorat Ariſtoteles Cliſthenem Athenienſem coronaſſe iudicem qui victoriæ ſuæ contradixerat. Nempe à quo maius beneficium acceperat ea aduertendo quæ eius laudem obſcurate poterant, quàm ſi prauo ſilentio cum alijs conſenſiſſet, cúmque deprauaſſet.

Appian. παρεκβ. περσικ.

Ariſtid. π. τ. συμ. β.

Ariſtot. lib. 5. politic. cap. 12.

CAPVT XII.

Corona χυδαίας. Corona ἔρως. Solertia plectendi coronas vnde manarit. στεφανοπώλιδες, στεφανοπωλήτριαι, στεφηπλόκοι, στεφανηπλοκοῦντες. Artificium nectendi coronas. Philyra quid. Tiliæ. Lemniſci. Corona lanea. Tori in coronis.

QVAS huc vſque recenſui verè connumerari poſſunt inter coronas lætitiæ, cuius teſtis erat gratia florum lectiſſimorum quibus addebantur herbæ odoratiſſimæ, vt infra dicam, dum ſingulos & flores & herbas legam non quidem in hortis aut in pratis, ſed, quod eſt multò operoſius, in veterum monumẽtis. Et primò quidem hi flores vt indiſcriminatim legebantur, ita ex indiſtinctis corollam ſeu coronam ſibi quiſque plectebat. Nullũ, aut exiguum ibi fuit iudicium colorum, odorum, nitorum. Ea re has coronas ſolertiora ſæcula vocarũt χυδαίας, ac ſi dicas χύδην πλεκτὰς, confuſè plexas ac nullo ordine ac diſpoſitu florum, ſed inordinatas ac tumultuarias. *Athen. lib. 15.* Tales cùm eſſent, vt conuicium dabantur ijs qui iubebantur exigi conuiuio; planè diſſimiles illis quibus omnis generis flores inſerebantur, & quidem multa cura, multo delectu paríque diſpoſitu. Ibi enim florum multitudo verſicolorum certabat cum ordine & collocatione. Ideóque proceſſu temporis corona tam accuratè plexa vocabatur ἔρως, inquit author Etymologici, ἐκ πάντων ἀνθέων, τοῖς νέκυσι πωλούμενος, *Etymol. ἔρως.* ex omnibus floribus mortuis comparata; dicebaturque παρὰ τὸ ἔραν τὴν γῆν, ὥσπερ στέφανος ἐρανισμένος ἐκ γῆς, ſicuti corona è terra collecta. Cuius generis fuit illa quam geſtabat illa mulier cuius Apollonius in ſomnis viſæ amplexus cupiebat. καὶ ἦν αὐτῇ στέφανος πάντ' ἔχων τὰ ἐκ γῆς καὶ θαλάττης. *Philoſtrat in vita Apollo. lib. 4.* Etſi hæc non ſolùm omnis generis flores habuit, ſed omnia quæcunque terra, quæcunque mari continentur. Cæterùm ſequentibus ſæculis quæri cœptum quid colorato coloratius, quid odorato odoratius, quid pulchro pulchrius, fortè & quid medicamentoſo medicamentoſius eſſet. Vnius, inquam, cuiuſque rei coronariæ dotes ſolertiùs & ſcrupuloſiùs, & ingenioſiùs exquiri cœptæ. Ac ſenſim natum eſt hoc artificium nectendi corollas & coronas pulchriores & operoſiores, quod à Sicyonijs manaſſe Plinius eſt author. *Hi dicuntur accẽdiſſe odores & colores ex ingenio Pauſiæ pictoris, & Glyceræ coronariæ dilectæ admodum illi.* Nempe hæc στεφανηπλόκος hunc pictorem ſedula prouocabat ad varianda opera ſua; dum ipſa artifici pulcherrimos naturæ fœtus vndique conquiſitos oſtentat. Artifex hinc acuit ingenium, & artem intendit; dum certant res &

ſimulachrum, exemplar & exemplum; dum is vnà cum coloribus ipſos prope dixerim, odores arte comprehendit. De hac Glycera, déque hoc ipſo Pauſia pictore qui eſſet amator eius, hæc tradit hic ipſe Plinius, *Amauit in iuuenta Glyceram, municipem ſuam,* Plin. lib. 35 c. 11. *inuentricem coronarum; certandóque imitatione eius, ad numeroſiſſimam florum varietatem perduxit artem illam. Poſtremò, pinxit illam ſedentem cum corona. Quæ è nobiliſſimis eius tabula appellata eſt Stephanoplocos, ab alijs Stephanopolis; quoniam Glycera venditando coronas ſuſtentauerat paupertatem.* Ergo huius imitatione prodierunt aliæ στεφανοπώλιδες, ſertorum, ſeu corollarum & coronarum venditrices, eædémque opifices, qualem Horatius Europam nominat.

Horat. li. 3. car.

Nuper in pratis ſtudioſa florum, &
Debitæ nymphis opifex coronæ
Nocte ſubluſtri nihil aſtra præter
Vidit & vndas.

Itaque muliebre munus fuit texere ſeu plicare hæc ſerta, ſeu corollas & coronas; in vrbe quidem harum, quas dixi, στεφανοπωλίδων, ruri puellarum & virginum; præſertim cùm illa ſerta imponebātur alicui agreſti numini. Apud Longum Daphnis effuſus in queſtus Long. lib. 2. ob raptam Chloën, & nymphas alloquens, hæc, inquit, illa erat quæ vobis plectebat coronas, ἡ τοὺς στεφάνους ὑμῖν πλέκουσα. Quòd ſi Pollux lib. 7. cap. 30. viri coronas plecterent & venderent, hi dicebantur στεφανοπῶλαι; & στεφανηπλοκοῦντες, quo nomine eos Plutarchus donat, cùm monet hominem politicum, ne ſermonem ſuum nectat ἐξ ἁπαλῶν καὶ Plutarch. πολιτ. παραγγ. ἀνθηρῶν ὀνομάτων è mollibus & floridis dictionibus. Si mulieres Plin. lib. 37. cap. 6. eſſent, dicebantur στεφανοπώλιδες, vt μυροπώλιδες, & στεφανοπωλήτειαι quomodo λαχανοπωλήτειαι. Ad harum exemplum dicuntur fuiſſe Tertull. de cor. mil. *compoſitores gemmarum* quales nominantur à Plinio. Noſtri has mulieres coronarias dixerunt. Vocātur & à Plutarcho αἱ στεφανηπλόκοι Plutarch. περὶ τοῦ ἀκ. vbi componit has feminas cum apibus. Dicebātúrque non ſolùm πλέκειν, ſed & ἀνείρειν, & ἀναπείρειν τοὺς στεφάνους, nectere & traijcere Etymol. ἀνείρειν. coronas; Et ἀνέρσις χρυσῶν στεφάνων fuit nexus aurearum coronarum. id opificij tanta aſſiduitate exercebatur, vt ſe eo mulieres pauper- Plutarch. περὶ τοῦ ἀκ. culæ ſuſtentarent, vt ſupra Plinius tradidit. Et ideo illud Plutarchus vocat, ἡδὺ μὲν, ἐφήμερον δὲ καὶ ἄκαρπον ἔργον, dulce quidem, ſed diurnum & infructuoſum opus, hoc eſt, tenuis admodum lucri. Id ipſum quædam mulier apud Ariſtophanem ingenuè profitetur,

Ariſtoph Theſmoph.

Ἐμοὶ γὰρ ἀνὴρ ἀπέθανεν μὲν ἐν Κύπρῳ
Παιδάρια πέντε καταλιπὼν· ἁγὼ μόλις
Στεφανηπλοκοῦσ' ἔβοσκον ἐν ταῖς μυρρίναις.

Mihi enim vir mortuus eſt in Cypro Puerulis quinque relictis;

quos ego vix Coronario quæſtu paui in myrtetis. Porro hoc arti-
ficium conſiſtebat in floribus, folijs, herbis, ramulis in orbem
nectendis; adeò vt ſic nexi redimiendo capiti eſſent idonei. Ne-
ctebantur autem in filo & in ſcirpo. *Hoc ſint tibi flores*, inquit *Tertull. de cor. mil.*
Tertullianus, *& inſerti & innexi & in filo & in ſcirpo quod liberi,*
quod ſoluti, hoc eſt, ne pluris facito coronam, quam flores nullo
ordine diſpoſitos, è quibus verbis colligimus duplici ratione nexas
fuiſſe coronas. Quippe quædã cõſtabant è floribus inſertis, id eſt,
qui alij alijs eſſent impliciti, & innexi. In alijs ſinguli flores rema-
nebant integri, ſed ordinati nunc filo nunc ſcirpo. Vbi ego ſcirpũ
à Tertulliano pro philyra vſurpatũ aio. Nã philyra ſicuti filo omnis *Tertull. lib. de*
illa corollaria & coronaria materia nectebatur. Tertullianus de *pallio.*
Mercurio loquens, vtriuſque mentionem facit. *Dúmque pertenta-*
tat quod facilitas materiæ ſuadebat, tractu proſequente filum eliquaſſe,
& in veſtis priſtinæ modum, quam philyra texui vinxerat, texuiſſe.
Eſt autem philyra, vt ait author Etymologici, φυτὸν ἔχον φλοιὸν βυ- *Etym. φίλυρα.*
βλῶντα πυρῷ ὅμοιον, ἐξ οὗ τοὺς στεφάνους πλέκουσι, planta habens corticem
papyraceum frumento ſimilem, ex quo coronas plectunt. εὐκαμπτὴς
ἡ φίλυρα, διὰ τὸ γλίσχρον ἔχειν τὴν ὑγρότητα, inquit Theophraſtus, fle- *Theophraſt. de plant. lib. 1.*
xibilis eſt philyra, quòd habet humiditatem lubricam, ſeu viſco-
ſam. Certè eſt materia tam tenuis, támque teres, vt ex ea quoque
libri compingantur, authore Q. Septimio Romano, illo qui D- *Q. Septim poſt*
ctyn Cretenſem Latinè vertit, in ea epiſtola quam ſcripſit Q. Ar- *Dict. Cret.*
cadio. *Ac theſaurum*, inquit, *rati mox diſſoluunt non aurum, nec*
aliud quicquam prædæ; ſed libros ex philyra in lucem producturi. Id
quod fit confirmatius teſtimonio Martiani Capellæ, vbi loquitur *Martian. Cap.*
de libris; *Alij carbaſinis voluminibus complicati libri; ex ouillis multi* *lib. 2.*
quoque; rari verò in philyræ cortice ſubnotati. Et Xiphilinus ait,
Domitianum eorum nomina quos coniurationis in ſe ſuſpectos *Xiphilin. Dom.*
habebat, ſcripſiſſe in tabella philyracea duplici. Ergo materia tam
teres etiam tenuabatur in fila, quibus flores interiùs vinciebantur;
nec flores tantùm, ſed & herbæ, & folia, & ramuli vnde coronæ
conſtabant. Ideò à Plinio nominantur vincula, vbi agit de tilia,
Inter corticem, inquit, *ac lignum tenues tunicas multiplici membrana* *Plin. lib. 16.*
è quibus vincula tiliæ vocantur, tenuiſſimæ earum philyræ coronarum *cap. 14.*
lemniſcis antiquorũq; [ſ. antiquoq;] *honore celebres.* Quæ verba non
negant philyram eſſe plantam cui eſt cortex papyraceus, vt tradit
author Etymologici; ad cuius ſimilitudinem Romæ vtebantur
mẽbrana tiliacea, quæ vnà cũ effectu & vſu cui philyra deſtinata eſt
philyræ quoq; nomen adepta eſt, ſiue ea fuit eadem cum philyra,
ſiue philyræ ſimilis. Et verò tale quidpiam illud eſt quod Solinus
tradit, *Indicos reges quoddam genus gemmarum ſingere in longiſſimos* *Solin. cap. 55.*

cylindros; eóſque perforatis elephantorum ſetis ſubligantes, monilia habere. Ergo quod Ægyptijs dum monilia necterent, fuit philyra, quod Indicis regibus fuerunt elephantorum ſetæ, idipſum noſtris ſunt membranæ tiliæ, eæque tenuiſſimæ; quæ quòd inſertandis in orbem folijs & floribus adhibebantur, Græcorum & Ægyptiorũ imitatione dictæ ſunt philyræ. Nec me mouet interpretamentũ additũ fabulæ, quæ eſt in eo Cõmentario Germanici, qui ſcriptus eſt in Arati phænomena. Fabula ſic habet, Saturnum, cùm Iouem filium quæreret in Thracia, in equum verſum concubuiſſe cum Philyra Oceani filia, & ex eo compreſſu natum Chironem Centaurum artis medicæ peritiſſimum, atque adeò ipſius medicinæ inuentorem, ipſámque in arborem philyram, hoc eſt tiliam [ita enim ibi ſcriptum eſt] verſam eſſe. Equidem eum commentarium, ſiue Cæſaris eſt, ſiue Germanici, ſiue Baſſi, eruditum opus & antiquum iudico, ſed alicubi contaminatum ab aliquo recentiore, qui ibi auſus eſt inſerere verba parum candida, quale illud eſt, ſaluauit, & ſaluata eſt, & paucula alia huius notæ, qualia puto eſſe hæc, hoc eſt tiliam, certè gloſſema hominis ſemidocti. Quiſquis fuit, Chriſtianum ſe eſſe vel hinc fatetur quòd Gentiles nominat, quorum aureis inſeruit ſua ænea. Nobis ergo potior ſit authoritas etymologici, apud quod philyra eſt φυτὸν non δένδρον planta non arbor, tritico ſimilis; cùm conſtet tiliam eſſe arborem; atque ideo non poſſe dici tritico ſimilem. Ac ſic ſtatuamus illa minutiſſima vincula quæ ſunt in tilia, quos Tertullianus vocat ſcirpos, à noſtris dictas eſſe philyras, imitatione philyræ Ægyptiæ, quæ vt filum, & ſcirpus nectendis coronarum floribus adhibentur, vt ſupra vidimus in loco Plinij à me citato, & in his verſibus Horatij,

Horat. lib. 1. Carm. od. 38. *Perſicos odi puer apparatus;*
Diſplicent nexæ philyra coronæ.

Neque tamen inficior philyram quoque fuiſſe arborem, de qua ſæpiùs Theophraſtus, cuius corticem ait idoneum eſſe conficiendis ciſtis aliiſque, καὶ ὅλως, inquit, χρήσιμος ἐπὶ πρὸς τὰ πολυτελῆ τῶν ἔργων, prorſus, vtilis eſt ad ſumptuoſiſſima quæque opera, ſcilicet, conficienda. *Plin. lib. 21. cap. 3. Theophraſt lib. 5 de plant. Plin. ibid.* Porrò philyræ, authore Plinio, primùm ſimplices, hoc eſt, nulla arte fucatæ, aut diſſimulatæ fuerunt, *hiſque vel ludicro quæſitis ſemper authoritas fuit, ijs tamen P. Claudius Pulcher primus bracteas dedit*, id eſt, bracteatas fecit, nimirum in dies creſcente luxu. Certè oportuit philyras poſt Craſſum fieri bracteatas, cùm ipſa folia coronarum ipſe Craſſus diues primus argento, auróque imitatus ſit; nempe vt in corona nihil non eſſet aureum, aut deauratum. Et hac quidem ratione philyra, ſeu ſcirpus, ſiue filum,

ſiue ſeta texendis, nectendiſque coronis neceſſaria fuit. Philyræ acceſſerunt lemniſci, qui Feſto ſunt faſciolæ coloriæ dependentes ex coronis. Vbi colorias interpretor albas, & natiuo colore, non fucato, aut ſanè vnius coloris, vt diſtinguantur à verſicoloribus. Quam interpretationem videor poſſe aſſerere è Paulo Iureconſulto, cuius hæc ſunt verba, *Titia mundum muliebrem Septimia legauit. Ea putabat ſibi legata & ornamenta & monilia in quibus gemma & margaritæ inſunt, & annulos, & veſtem tam coloriam, quàm verſicoloriam*, id eſt, tam vnius coloris, quàm plurium. Pergit Feſtus & ait, Propterea dicuntur, quòd antiquiſſimum fuit genus coronarum lanearum. Quibus in verbis etſi plus eſt obſcuritatis quàm lucis, tamen hoc quoque ſic interpretor, Antiquiſſimum fuiſſe coronarum genus, quæ coronæ fiebant ex lana, vt veriſimile eſt, non fucata ſiue tincta. Idipſum fermè tradit Iſidorus his verbis, *Huius* [coronæ] *principium à Libero quodam Gentiles exiſtimãt quòd is in potando mota vino capita vincire faſciolis inſtituerit. Idcirco olim linei ac lanei generis coronas fuiſſe. Sic enim erat in ſacerdotibus gentilium.* Hoc ergo dicit Feſtus, lemniſcos fuiſſe faſciolas colorias, nempe laneas, ac proinde albas, nullo, inquam, colore infectas, atque eiuſdem materiæ cum coronis è quibus dependebant. Cùm enim coronæ eſſent laneæ, aut etiam, vt Iſidorus addit, lineæ, ne rei additamentum ipſa re pluris eſſet, lemniſci quoque facti ſunt & lanei & linei. Et hoc quidem antiquitus. Nam poſtea vnà cum coronis facti ſunt aurei. Cuius rei apud Plinium cauſa eſt his verbis, *Acceſſerunt* [coronis] *& lemniſci, quos adyci, ipſarum coronarum honos erat propter Hetruſcas, quibus iungi niſi aurei non debebant.* Certè aureos lemniſcos Athenæus memorat additos fuiſſe coronis conuiuialibus. Nec aureos tantùm, ſed & cælatos fuiſſe tradit Plinius in his quæ ſequuntur, *Puri diu fuère hi. Calare eos primus inſtituit P. Claudius Pulcher.* Cæterùm qua ratione lemniſci coronis adhiberentur, & quis eorum eſſet vſus, id quoque dicendum. Vt philyra omnis coronaria materia nectebatur; ita ſæpe lemniſcis inuoluebatur, quò, ſcilicet, & corona firmior, ac tota res aſpectui gratior eſſet. λημνίσκους enim Syracuſij vocant τὰς στενὰς ταινίας arctas tænias, id eſt, anguſtas quidem faſciolas, ſed oblongas ligando & circumuinciendo idoneas. Vt hanc quoque dictionem veriſimile ſit Græca prognatam, ac deriuatam ἀπὸ τοῦ λημνίσκου, quod noſtris eſt linamentum oblongum, illud quod vulneribus inditur ſimile tæniæ. Ergo coronæ tali faſciola concinnè inuoluebantur, atque adeò tanta gratia, vt ſolidarentur flores, non abſconderentur. Cui decori augendo reliquæ partes faſciolæ vtrinque relinquebantur, vt vtrinque dependerent vſque

Feſt. lemniſci.

Paul l. pediculi. §. Titia, ff. de aur. & arg. leg.

Iſidor. lib. 19. cap. 30.

Plin. lib. 21. c. 3.

Athen. lib. 4.

Heſych. λημνίσκους.

ad humeros. Et quicquid hinc illinc dependebat, ij verò propriè fuerunt lemniſci. Et corona hoc modo obligata dicebatur lemniſcata. M. Tullius ait multas eſſe infames palmas. Hanc primam eſſe tamen lemniſcatam quæ Romæ deferretur. Quod autem lemniſcis, hoc eſt faſciolis inuoluerentur flores coronarij; iam coacti in coronam, docet locus Theocriti,

Cic. pro Sex. Roſc. Amer.

Theocr. φαρμ. εἰδ. β.

Κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν, Ηρακλέος ἱερὸν ἔρνος,
Πάντοσε πορφυρέῃσι περιζώστρῃσιν ἑλικτάν.

In capite habens populum Herculi ſacram plantam Vndique purpureis vinculis inuolutam. Vbi Theocritus non quidem diſertim nominat lemniſcos, ſed ita deſcribit ac pingit, nempe his dictionibus περιζώστρῃσιν ἑλικτὰν, vt interpres non dubitarit vertere lemniſcis inuolutam. Quod autem purpureos vocat, id quoque oſtendit, ſenſim receſſum eſſe ab illa priſca ſynceritate quæ Lemniſcos exhibuit colorios, laneos, lineos. Nam vt Romæ facti ſunt aurei & cælati, ita alibi pro laneis, lineis, albis, facti ſunt è materia pretioſiore & coloratiore. Cæterùm in corona quoque ſunt tori, de quibus ita loquitur M. Tullius deſcribens oratorem temperatum & æqualem; *Iſque vno tenore, vt aiunt, in dicendo fuit, nihil afferens præter facultatem & æqualitatem; Aut addit aliquos, vt in corona, toros; omnémque orationem ornamentis modicis verborum ſententiarúmque diſtinguit.* id eſt leniter aſſurgit, ac leniter redit ad eam, quam vbique ſeruat, æqualitatem. Quid toros fuiſſe credimus in coronis? Certè nihil aliud, niſi partes quaſdam in circulo coronæ collectiores & eminentiores; cuiuſmodi ſunt in tauro tori, aut etiam in homine; vnde proximæ partes redduntur firmiores ac robuſtiores. De infula dicam ſuo loco; tum de pileo, mitra & ſimilibus. Quæ omnia coronæ affinia quidem ſunt, ſed diuerſa à corona.

Cicero de Orat.

CAPVT XIII.

Coronæ pancarpiæ. Flores coronarij. Quædam loca & vrbes denominatæ à copia florum. Flores id eſt corona. Corona, id eſt flores. Coronare floribus. Corona Romano more propriè quid ſit. Rami ſiue ramuli, id eſt, corona. Corona florea. Serta id eſt corona florea. Sertum pro ἱκετηρία. Sertorum & coronarum vſus laſciuiæ adhibitus. Coronæ floreæ; id eſt, vincula, & capiſtra florea. Sermo floridus, Veſtes florales.

ETSI quandóque luxus, quandoque ratio & dignitas è floreis coronis fecit metallicas, tamen primis, iiſdémq; receptiſſimis &

& vulgatiſſimis, hoc eſt floreis manſit, manebítque honos perpetuus. Nam inuenta & additamenta artis ſunt infra pulcherrimos naturæ fœtus, cuiuſmodi ſunt flores, à quibus noſtri coronas dixerunt florales, & floreas; atque adeò eas Græco vocabulo pancarpias nominarunt. Quo & ſenſu & elegãtia Anacreon vocat μίτρας πολυανθέμους. Quod ad exemplum feminæ coronatæ floribus dicebantur ἀνθοχάρηνοι. Et qui ſtudioſè legebant hos flores vocabantur φιλοστέφανοι amatores coronarum. Flores item è quibus hæ coronæ plectebantur, coronarios dici conſtat, numero propemodum innumerabili; *Quos*, videlicet, vt cum Plinio loquar, *homini non tam facile eſt recenſere, quàm rerum naturæ facere.* Nec immeritò Callimachus ait, aras Apollinis producere innumeros flores, id eſt in honorem huius numinis aras eius cumulari multis, & omnis generis floribus,

reſt. Pancarpia. *Oppian. κυνηγ. lib. 4.* *Philoſtr. in Heroic.*

— σεῖο δὲ βωμοὶ *Callimach 10.*

Ἄνθεα μὲν φορέουσιν ἐν εἴαρι τόσσα περ Ὧραι
Ποικίλ' ἀγινεῦσι.

Tuæ quidem aræ flores ferunt vere quotquot [anni] tempora varia producunt. Ergo quidni mihi liceat hîc præfari cum Chloride, ſeu Flora Dea, quæ ſuorum florum numerum exequi non poteſt?

Sæpe ego digeſtos volui numerare colores. *Ouid. li. 5. Faſt.*
Non potui; numero copia maior erat.

Res eſt à priſcis ac recentioribus tractata, illis præcipuè quibus hæc fuit præcipua cura, aut inter præcipuas, Theophraſto, Plinio, Dioſcoridi, Matthiolo, Dodonæo, alijs. Hi, inquam, omnes rem floream coronariam ab ea ferè parte complexi ſunt, qua medicam reſpicit; dum florum, foliorum, frondium, fruticum, plantarum facultates exquirunt. Vnde tanta ipſis in re neceſſaria diligentia. Neque enim minùs flores conferunt ad ſanitatem, quàm ad voluptatem, vt ex Ariſtotele tradit Plutarchus. Apud hunc ipſum Plutarchum quidam ait, conuiuium plenum floribus & coloribus eſſe tantùm delicium oculorum & narium, excluſa voluptate aurium. Cùm tamen nullam voluptatem par ſit eſſe ἀσύμβολον, non aliqua vtilitate cenſeri. Ego qui non rem medicam, ſed coronariam examino, non horum florum colores & odores, non herbarum, non frondium poteſtates anxiè perſequar, niſi quatenus texendis, diſponendis, examinandis, noſcendis & ornandis hiſce coronis ipſi ſeſe offerent. Ex innumerabilibus illos excerpam qui in veterum monumentis frequentiùs promicant. Plures conſultò omittam etſi cognitos haud minùs quàm incognitos; quippe

Plutarch. π. Ισιδ. καὶ Οσιρ. *Plutarch. ſymp. 3.*

— ſunt & ſine nomine flores. *Ouid. li. 4. Faſt.*

Vt coronis non inſeruntur flores indiſcriminatim, ita ego ex his

ipſis floribus, ijs, inquam, qui in rerum natura frequentiùs aſpiciuntur, & quos coronarum vſus admiſit, legam celebratiores. In paucis & notiſſimis erit omnium ſpecimen; ac rem diffuſiſſimam ex aliqua parte breuitas commendabit. Sæpe dicam ſignificatus florum; ſæpe reticebo, ne neſciens fallar & fallam. Vt enim cum

Strabo lib. 10. Strabone loquar, ἅπαντα μὲν τὰ αἰνίγματα λύειν ἐπ' ἀκριβὲς οὐ ῥᾴδιον, omnes obſcuritates exactè ſoluere non eſt facile. Porrò cùm hoſce flores nomino, eâdem coronarum materiam vſque eò demonſtro, vt vbicunque abundarent flores, is quoque locus plectendis coronis præ cæteris non ſolùm idoneus, ſed & inſignis eſſet. Id quod vſque eò verum eſt, vt hinc quoque quibuſdam vrbibus nomen & epithetum, & quidem percelebre, inditum fuerit. Nam

Steph. Τίβυρις Tibur, vrbem Italiæ vocatam fuiſſe πολυστέφανον tradit Stephanus.

Strabo lib. 8. Et authore Strabone, vrbs quædam priùs dicta Ἄνθεια, ac ſi dicas florifera, florida, floribus abundans, poſtea vocata eſt Κορώνη, iam, ſcilicet, & in Græcia & in Aſia non tantùm recepto, ſed & percelebri coronæ nomine, quod ἀπὸ τῆς κορώνης deriuatum eſſe, ſupra ſatis eſt demonſtratum. Sed & Stephanus aliam vrbem memorat, cui nomen Trallis, in Lydia poſitam, quæ & ipſa priùs dicebatur

Steph. Τράλλις. Ἄνθεια διὰ τὸ πολλὰ ἄνθη ἐκεῖ πεφυκέναι, quòd florum copia ibi erat enata. Ita Ptolemais dicta eſt Rodophoros, ab copia, ſcilicet, roſarum. Huiuſmodi eſt illud Archytæ Amphiſæi relatum à Plutar-

Plutarch. κεφάλ. ἑλλην. κεφ. λγ. cho de regione Locrenſium, eorum qui dicebantur Ὀζόλαι. Sic enim ſcripſit, τὴν βοτρυοστέφανον μυρίπνουν Μακύναν ἐρατεινάν, botryonum ſiue racemorum ſertis redimitam, vnguentorum odore ſpirantem Macynam Eranem. His ſimile eſt illud quod idem Plutarchus re-

Plutarch. παραλλ. ἑλλην. καὶ ῥωμ. fert, nomen Elæuntis vrbis ab oliua deriuatum. Cùm enim Phœbus Hegeſiſtrato reſpondiſſet, vt vbi videret ruſticos ſaltantes oleaginis coronis redimitos, eo loci conderet vrbem, conſpectis agricolis qui erant coronati folijs oleæ, ijdémque choreas duce-

Plutarch. ibid. bant, ibi condidit vrbem, eámque vocauit Elæunta. Ipſa quoque Præneſte vrbs iuſſu oraculi ibi condita eſt vbi Tilegonus vidit agricolas ſaltantes, ſimúlque coronatos ramis pineis. Denique

Steph. ἄστυ Παλαιά. Stephanus tradit, Palæam vrbem vocatam fuiſſe θεῶν τράπεζαν Deorum menſam, διὰ τὸ ἀνθηρὸν αὐτῆς, propter floridum ipſius. Neque verò tantùm in locis eximiæ celebritatis nectebantur co-

Long. lib. 1. ποιμεν. ronæ, ſed ſanè vbicunque naſcuntur flores. Ergo non immeritò queritur Daphnis hiſce verbis, ἀκμάζει τὰ ἄνθη κἀγὼ στεφάνους οὐ πλέκω, vigent flores & ipſe coronas non plecto. Quid quod ipſos flores nonnunquam pro coronis vſurpatos legimus?

Heſiod. ἔργ. καὶ ἡμ.

---ἀμφὶ δὲ τήν γε

Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι.

Ipſam porrò horæ pulchricomæ coronarunt floribus vernis. Sic apud Pindarum,

—κοιναὶ χάρι-
τες ἄνθεα τεθρίππων
δυοδεκαδρόμων
ἄγαγον. *Pindar. Oly. od. 2.*

Communes gratiæ quadrigarum duodecim curſus conficientium flores attulerunt. Et alibi,

τῶν ἄνθεσι Διαγόρας
ἐστεφανώσατο δίς.

Quorum floribus Diagoras coronatus eſt bis. Apud Longum nymphæ queruntur Pana nec à Daphnide, nec à Chloe cultum eſſe floribus, id eſt coronis, ὃν [Πᾶνα] ὑμεῖς οὐδέποτε οὐδὲ ἄνθεσιν ἐτιμήσατε, quem [Pana] vos nunquam neque floribus honoraſtis. Noſtris quoque flores quandoque ſunt coronæ plexæ è floribus. Virgilius, *Λόγ. ποιμεν. δ.*

Vt Linus hæc illi diuino carmine paſtor
Floribus, atque apio crines ornatus amaro
Dixerit. *Virgil. ecl. 6.*

Similiter Ouidius,

Ferte Deæ flores; gaudet florentibus herbis
Hæc Dea. De tenero cingite flore caput. *Ouid. li. 5. Faſt.*

Tenerum florem dixit, id eſt, ἁπαλὸν καὶ τελείως νέον, νεοθηλῆ, recenter natum. Imitatione Heſiodi,

Ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνους νεοθηλέας ἄνθεσι ποίης
Ἱμερτοὺς περίθηκε καρήατι Παλλὰς Ἀθήνη. *Heſiod. Theogon.*

circùm verò ei ſerta recens florentis è floribus herbæ optata impoſuit capiti Pallas Minerua. Huiuſmodi eſt illud,

Tellus ſydereos vibrat diſtincta colores
Semper flore nouo. *Claud. Mar. Vict. lib. 1.*

Propertio quoque flores capiti impoſiti, ſunt coronæ,

Nec flos vllus hiat pratis, quin ille decenter
Impoſitus fronti langueat ante mea. *Propert. lib. 4.*

Necnon Horatio collubitum fuit nominare flores pro coronis,

Martijs cælebs quid agam Calendis:
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris. *Horat. lib. 3 car.*

Idem alibi,

—non ſine floribus
Cras donaberis hædo.

Et Prudentius,

Tunc fortes ſocios parta pro laude coronat *Prudent. Pſychom.*

Floribus, ardentíque iubet veſtirier oſtro.

Supra obſeruabam, Tryphiodorum floribus connexis indere nomen coronis. Certè tanta eſt inter flores & coronas cognatio, quanta eſt inter materiam & formam. Vtique tanta, vt non ſolùm flores ſignificent coronam, ſed è conuerſo corona quoque ſumatur pro floribus, vt apud Propertium,

Propert. lib. 4. *Non iuuat ex facili lecta corona iugo.*

Ariſtid. εἰς τὸ φρέαρ τοῦ ἀσκληπ. Et diſertiſſimus Ariſtides, ὅτι ᾧ τοὺς καλλίςους ςεφάνους ἀνῆκεν ἡ γῆ περὶ τὴν ὄχθην ἑκατέραν πηνειὸν, neque cui pulcherrimas coronas remiſit terra circa vtrámque ripam Penæi. Simili loquendi forma vſi ſunt noſtri cùm dixerunt, coronare floribus, vt apud Petrum Chryſologum. Verùm, inquit, ſicut procedente rege, & plateæ mundátur, & omnis ciuitas diuerſis floribus & ornatibus coronatur. Denique Tertullianus coronam vocat faſcem florum, nempe lectorum.

Petr Chryſol. ſerm 149.

Tertull. de cor. mil. *Coronam ſi fortè faſcem exiſtimas florum per ſeriem comprehenſorum, vt plures ſemel portes, vt omnibus pariter vtaris.* Si circularem addidiſſet, certè coronam expreſſiſſet. Nam qui florum numerus naribus admouetur, ac proinde manibus geſtatur non eſt corona, ſed faſciculus. At quicquid floreũ in orbem actũ capiti imponitur eſt ſertum ſiue corona, vt apud M. Tullium, *Expones quæ ſpectet florida & varia? faſciculum ad nares admouebis? incendes odores? & ſertis redimiri iubebis & roſa?* Et verò haſce floreas coronas antiquitùs nihil ferè fuiſſe conſtat niſi ſerta, hoc eſt, in orbem diſpoſitos flores, *inter ſacra tantùm & bellicos honores*, vt Plinius ait, *coronis ſuum nomen vindicantibus.* Nimirum, appellatio coronæ tam auguſta viſa eſt, vt vulgari eam, & flecti ad alios vſus quàm ad maximos, auguſtos & ſactos, aut ad bellicam virtutem & felicitatem demonſtrandam, prudentia Romana indignum duxerit. Sed, videlicet, Græcus mos, & è Græco Romanus factus obtinuit, vt quæ propriè erant ſerta, aut corollæ, eæ quoque dicerentur coronæ, vt in hoc loco Theocriti,

Cic. lib. 3. Tuſcul. quæſt.

Plin. lib. 21. c. 2.

Theocrit. in Hel. epith. εἰδ. ιή.

Ἄμμες δ' ἐς δρόμον ἦρι, καὶ ἐς λειμώνια φύλλα,
Ἑρψεῦμες, στεφάνως δρεψεύμεναι ἁδὺ πνέοντας.

Nos verò ad curſum [in] vere, & ad folia in pratis, naſcentia Ibimus, vt colligamus ſerta ſuauiter redolentia. Et paulò poſt

Πρᾶται τοι στέφανον λωτῶ χαμαὶ αὐξομένοιο
Πλέξασαι, σκιερὰν καταθήσομεν ἐς πλατάνιστον.

Primæ tibi coronam ex humi naſcente loto Nectentes in vmbroſa ſuſpendemus platano. Hac quoque tam nobili appellatione honeſtati ſunt ramuli aut rami, vt apud Callimachum,

Callimach. hym. εἰς Ἄρτεμ.

Τὸ δὲ στέφος ἤματι κείνῳ Ἢ πίτυς, ἢ σχῖνος.

At ſertum illo die pinus aut lentiſcus. Placita res placitam eius

appellationem aſſeruit non ſolùm apud multitudinem, ſed apud eos poëtas qui cultiſſimè loquuntur, vbi iſti ſeu coronatij flores, id eſt, ex quibus coronæ plectuntur, ſeu iam factæ ex his coronæ nunquam non ſignificant fauſtitatem, vt ſuis locis vberiùs dico. Id quod vel hinc ſciri poteſt, quod priſca ſimplicitas Dijs & Deabus excipiendis vix vnquam non adhibuit flores. Certè Sapphus apud Athenæum teſtatur omnia florida Dijs eſſe chariora. Inachus fluuius in quo Pallas ablui debebat, quò ſuas vndas faceret gratiores, nempe & colorum pulchritudine inſignes, & odorum ſuauitate commendabiles, eas permiſcet auro & floribus, *Athen. lib. 15.*

> Καὶ γὰρ δὴ χρυσῷ τε καὶ ἄνθεσιν ὕδατα μίξας *Callimach.*
> Ἥξει φορβαίων Ἴναχος ἐξ ὀρέων· *hym. εἰς λουτ.*
> Τᾷ Ἀθάνᾳ τὸ λοετρὸν ἄγων καλόν. *τῆς Παλλάδ.*

Etenim auro & floribus mixtis aquis Veniet paſcuis Inachus è montibus Mineruæ lauacrum aduehens pulchrum. Simile eſt illud Nicandri, ἄνθεα δὲ χρύσεια φαείνεται, Auratique micant flores. Ouidius facit Tithoniam, coronatam innumerabilibus coronis floreis, *Nicand. ther.* *Ouid. li. 4. Faſt.*

> *Cùm Priami coniux Tithonia, fratre relicto*
> *Suſtulit immenſo ter iubar orbe ſuum,*
> *Mille venit varijs florum Dea nexa coronis.*
> *Scena ioci morem liberioris habet,*
> *Exit & in Maias feſtum florale Calendas.*

Idem alibi alloquens terram Tomitanam facit ver cinctum florente corona, id eſt floribus omnis generis,

> *Tu neque ver ſentis cinctum florente corona.* *Ouid. lib. 3. de Ponto.*

Alibi ſcribens Rufino de triumpho, coronã floream duce dignam à ſe legi non potuiſſe ait,

> *Quid mirum lectis exhauſto floribus horto,*

nempe ab tot poëtis qui nunc Romæ ſunt,

> *Si duce non facta eſt digna corona ſuo?*

Coronas quoque conuiuiales Athenæus facit contextas ex omnigenis floribus, qui caput contegunt, & inumbrant. Et huius quidem generis videtur eſſe illa quam Hieronymus vocat coronam deliciarum. *Corona quoque deliciarum proteget te,* id eſt, vmbrabit, Prudentius alloquens principem Romanum cupit eum colere coronis floreis, *Athen. lib. 4.* *Hieron. ep. lib. 2. ep. 12.*

> *Si potui miſeras ſertis redimire ruinas,* *Prudent. cõtra Sym. lib. 2.*
> *Et male pendentes lauro præcingere turres,*
> *Quo te ſuſcipiam gremio fortiſſime princeps,*
> *Quos ſpargam flores, quibus inſertabo coronis*
> *Atria?*

Claudianus nuptialem principum coronam vult necti è floribus,

Claudian. de nupt. Hon. li. 1.

Tu feſtas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige; tu geminas concordia necte coronas.

Hæ ſunt floreæ illæ coronæ quas dixi etiam nominari ſerta. Nimirum hæc dictio in eandem qua corona ſublimitatem euecta eſt. Virgilius,

Virgil in epigr. ad Ven.

Non ego thure modò, aut picta tua templa tabella
Ornabo, & puris ſerta feram manibus.

Et alibi,

Semper ſerta tibi dabimus, tibi ſemper odores.
Non vnquam ſitiens, florida ſemper eris.

Florida, id eſt coronata, ſertis recentibus identidem culta. Incertus ſcriptor Venerem ornat ſertis florentibus,

Vere Venus gaudet florentibus aurea ſertis.

Ouid. lib. 4. de Triſtib.

Ouidius ipſius Cæſaris domum velat ſertis,

Altáque velantur fortaſſe palatia ſertis.

Itaque ſertum non tantùm manu geſtatur, ſed & coronæ dignitatem vſque eo adeptum eſt, vt & triumphis, & ipſi ſummo culmini decus ſit. Huc accedit, quod ſertum interdum ſignat illum oleæ ramum quem ferunt legati, ἱκετηρίας. Statius,

Stat. li. 3. Theb.

---- Sidonias legatus ad vrbes,
Hæc pacem tibi ſerta dabunt.

Poſtremò, floreæ hæ coronæ ſiue ſerta tam grata fuerunt támque adlubentia, vt ijs non ſolùm redimiendo capiti, ſed & aliter ad laſciuiam vterentur. Claudianus,

Claudian. de nupt. Hon.

---- ſerta per omnes
Neptuni diſperſa domos Cadmeïa tulit
Leucothoe; frenátque roſis delphina Palæmon.
Alternas violis Nereus interſerit algas.
Canitiem Glaucus ligat immortalibus herbis.

Similis quædam & ingenua, quamlibet laſciuiens talium coronarum gratia eſt apud Anacreontem,

Anacr. in car.

Αἱ μοῦσαι τὸν Ἔρωτα
Δήσασαι στεφάνοισι
Τῷ κάλλει παρέδωκαν.
Καὶ νῦν ἡ Κυθέρεια
Ζητεῖ λύτρα φέρουσα
Λύσασθαι τὸν Ἔρωτα.

Muſæ florea vincla capto nuper amori iniecere coronas, & vinctũ dant pulchritudini. Et nunc Cytheræa [eum] quærit pretium redemptionis ferens vt liberet Amorem. Quas venuſtates Virgilius imitatus eſt in Sileno,

Aggreſſi (nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambos
Luſerat) inijciunt ipſis ex vincula ſertis. — *Virgil. ecl. 6.*

Hæc vincula Ouidio ſunt capiſtra purpurea, id eſt, florea.

Tu modò texebas varios per cornua flores, — *Ouid. lib. 10. Metam.*
Nunc eques in tergo reſidens huc latus & illuc
Mollia purpureis frenabas ora capiſtris.

Idem alibi Silenum vincit coronis.

At Silenus abeſt. titubantem anniſque meròque
Ruricolæ cæpêre Phryges; vinctúmque coronis
Ad regem duxere Midam.

Huius generis ſunt illæ apud Lucianum, οἱ δὲ δήσαντες ἡμᾶς ῥοδίνοις στεφάνοις (οὗτος γὰρ μέγιστος παρ᾽ αὐτοῖς δεσμός ἐστιν) ἀνῆγον ὡς τὸν ἄρχοντα, At illi vbi nos ligaſſent roſeis coronis (hoc enim eſt maximũ apud ipſos vinculum) retraxerunt ad præſidem. Paulò poſt ait hæc vincula ſponte ſenſim diffluiſſe, αὐτομάτων ἡμῖν τῶν στεφάνων περιρρυέντων ἐλελύμεθα. Alibi heroës nauem aſphodelinam reuinciunt roſea catena. His vinculis ſimile illud ſupplicium quo in lucta Cupidinum alter alterum obruit, καὶ μήλοις αὐτὸν καταλιθοῦσι, & pomis ipſum lapidant. Iſtis affines ſunt illæ quas Strabo memorat conijci in Eurotam & Alpheum. Quæ de re fabuloſa memorantur. Nam vt quis coronas proiectas in communem vtriuſque fluminis aquam alterutri commendauerit, illam ipſam vter eam recepit in ſuis aquis repræſentat. Id quod alij aliter narrant. Nam feſtis Olympicis aiunt in vortices Alphei conijci hęc & illa. Quas res Alpheus amore Arethuſę captus ſtatim defert ad eam. Huius generis illæ ſunt quæ in Eurymenis deiectæ fontẽ lapides fiũt; & illæ quas amãtes per laſciuiam alij in alios conijciunt, vt in tabula Boſpori, vbi ſe alij alios coronis excipiunt & oſculis. Poſtremò & illas quas Plato apud Ægyptios diſtribui memorat in ludis qui fiunt certa numerorum proportione, μήλων τε τινῶν διανομαὶ καὶ στεφάνων πλείοσιν ἅμα καὶ ἐλάττοσιν, ἁρμοττόντων ἀριθμῶν τῶν αὐτῶν. Pomorum coronarúmque pluribus ſimul & paucioribus diſtributiones [fiunt] conuenientibus iiſdem numeris. Iſtis addi poſſunt illæ quæ fiunt ex iis floribus quos Nilus nunc è ſinu promptos, nunc ex vlnis dimiſſos dat pueris ludentibus. Et hæc quidem in genere de coronis floreis ſiue floralibus, atque adeò de ipſis floribus dici poſſunt. Quibus addere libet, tantam eſſe gratiam florum, vt ſermonem cultum & elegantem, ſumpta à roſa metaphora, vocent floridum vt roſam. Veſtium quoque floralium multa apud priſcos mentio. Ἄγαμαι τὴν Λακεδαιμονίων τὴν πόλιν τὴν παλαιάν, ἣ μόναις ταῖς ἑταίραις ἀνθινὰς ἐσθῆτας καὶ χρυσοῦν κόσμον ἐπέτρεψε φορεῖν. Admiror priſcam Lacedæmoniorum vrbem quæ ſolis meretricibus floridas veſtes geſtare permiſit, inquit Clemens Ale-

Lucian. ver. hiſtor. lib. 2.
Strabo lib. 6.
Philoſtrat. in imagin.
Achill. Tat. lib. 1.
Philoſtrat. in Imag.
Plato lib. 7. de leg.
Philoſtrat. in Imag.
Plutarch. ſym. 3.
Clem. Alex. pædag. lib. 2 c. 8.

xandrinus. Idem infra dicit, veſtes quæ ſunt floribus ſimiles, Bacchicis nugis, & initiorum myſterijs relinqui oportere fortaſſe Sericas intelligit, pellucidas, ac teneritudine floribus ſimiles.

CAPVT XIV.

Coronæ quæ fiunt ex vno flore. In his præter cæteras ſunt ſtruthia, pothos, Aciniæ, Ægyptiæ. Lyra Apollinis flore coronata. Cithara deaurata. Coronæ è pluribus floribus.

FLORALIVM coronarum quædam ex vno, quædam è pluribus floribus nectuntur. Quæ ex vno, eius floris vnde conſtant, nomen ſortiuntur, vt roſea illa quæ texitur apud Propertium,

Propert. lib. 3. *---- illa manu texit vtrámque roſam.*

Athen. lib. 15. Huius generis ſunt hypoglottis, Iſthmia, ſiue Iſthmiaca, Antinoia, lotina, pyleo, iacche, è palma, melilotina, cyliſton, ſtruthia, pothos, è ſerpyllo, è myrto, riliacea, præter alias de quibus ea quæ
Theophraſt lib. 6. de plant. c. 7. comperi ſuis locis trado. Hic tantùm dico, ſtruthiam, quòd alibi de hac non ago, dici eam, cui nectendæ adhibetur is flos, quem ſtruthion vocant, τῇ ὄψει καλὸν τὸ ἄνθος, ἄοσμον δέ. flos aſpectu gratus,
Theophraſt. ibid. ſed inodorus. Pothos corona ea eſt, quam nectunt è flore ſic appellato; cuius floris duæ ſunt ſpecies, Vna eſt hyacintho ſimilis. Altera, quæ eſt decolor, vtuntur in ſepulchris. Memorantur & coronæ aciniæ, nempe nexæ ex acino planta; fortaſſe ex aci flore
Plin. lib. 21. c. 2. verno coronario, de quo ago in floribus coronarijs. Huius generis ſunt illæ quibus nomen eſt Ægyptijs, veluti è perſæa, perſoluta, alijs. Ad harum exemplum innumerabiles reperiuntur materia, pulchritudine, nomine ſingulari. Hiſce coronis vt ita dicam, vni-
Petr. Arb. ſaty. floribus illam addi poſſe puto, ſiue illum modò natum florem quo Apollo ſuam lyram coronabat. Quam rem Statius elegantiſſimè expreſſit Apollinem faciens lyra canentem, eáque laureata; tum ipſum coronatum;

Stat. li. 6. Theb. *Dúmque chelyn lauro, textúmque illuſtre coronæ*
Subligat, & picto diſtinguit pectora limbo.

Hic ipſe alibi quoque redimit chelyn,

Stat. li. 4. Sylu. *---- non venit nuntia curſu*
Litera, quæ feſtos cumulare altaribus ignes
Et redimire chelyn, poſtéſque ornare iuberet.

Hoc exemplo citharistæ in ſolennibus pompis ſuas citharas deau-
Athen. lib. 5. rabant. Cuius moris mentio eſt apud Athenæum in pompa Ptolemæi, in qua trecenti citharistæ auratas citharas pulſarunt cum aureis

aureis coronis. Aliæ coronæ conſtabāt ex artifice mixtura plurium florum; eáſque neceſſe erat fieri, vt Ouidius ait, docta manu,

Hic vbi fit docta multa corona manu. Ouid.

Doctam dixit, id eſt artificem, quæ, vt ait Hieronymus, *de ſpecioſiſſimis floribus coronam texebat.* Et hæ, videlicet, erant illæ, πο- Hieron. ep. lib. 1. ep 19.
λυανθεῖς ϗ εὐώδεις πλοκαὶ ἐκθηλυνόντων δὶ αἰσθήσεων τὴν ψυχὴν, è varijs Clemen Alex.
floribus odoratæ contexturæ per ſenſus animam effœminantes. ſtrom. lib. 7.
Certè tales coronarum nexus emerſerant ad ſummam ſolertiam, multis ingenioſè tam à Glycera illa Pliniana, quàm ab alijs, vt veriſimile eſt, repertis. Nam quod Plinius omnem huius inuenti laudem Glyceræ tribuit, id mihi quidem verum eſſe ægrè perſuaſerit, qui inuenio hoc artificium multis ſæculis præceſſiſſe illam ætatem, qua Pauſias & Glycera claruerunt. Certè Circen Ouidius facit peritam huius artis,

Gramina diſponunt; ſparſóſque ſine ordine flores Ouid lib. 14. Metam.
Secernunt calathis, variſque coloribus herbas
Ipſa quod hæ faciunt opus exigit; ipſa quis vſus,
Quoue ſit in folio, quæ ſit concordia mixtis
Nouit, & aduertens penſas examinat herbas.

Quibus in verſibus poëta docet quale, quantúmque fuerit hoc artificium. Et ordinem quidem florum deſcribit his verbis, Secernũt calathis, id eſt, pulcherrimos quoſque flores ſecernunt, & vnumquemque digerunt in calathos; cuiuſque gratiam & pulchritudinem cumulant varietate colorum. Nec verò temerè, inquit, copulantur flores, ſed colorum ſignificatibus accedit vis vnius cuiuſque floris aut folij ingenita, & naturalis illa facultas, quę flores aut copulat, aut diſiungit. Et in his, videlicet, omne artificium. Apud Euripidem Hermione cùm mori deſtinaſſet, Valeat, inquit, ſublimis meæ comæ faſcia, quam ſubtiliter neuit manus artifex. Vt veriſimile ſit, ipſam de hac florum, colorum, facultatum naturalium miſtura loqui, quæ iam tunc in honore erat.

ἔῤῥ' αἰθέριον πλοκάμων ἐμῶν Euripi. Andro. actu 4.
ἄπο, λεπτόμιτον φάρος.

Enimuero in quo honore fuerit omne hoc artificium texendi coronas hinc diſcimus, quod priſcus ille Amaſis ob munus coronæ Athen. lib. 15.
contextę è floribus regi Ægyptio miſſum die eius natali, è plebeio aſſumptus eſt in amicitiam regis; denique & ipſe rex factus. Itaq; credibile eſt, hoc artificium antiquitùs ortum, ſenſim fuiſſe à pluribus ingenioſè excultum; neque ad vnius alicuius decus & ingenium referri poſſe, pluribus in huius laudis ſocietatem venientibus. Nulla cuiuſquam, vt puto, inuidia hoc inuentum adſcribi poteſt ipſi Floræ, vel Chlori, in cuius perpetua tutela ſunt flores, potiſſi-

mùm coronarij, hoc eſt omnium florum lectiſſimi, lætiſſimi, laudatiſſimi. Id quod ipſa apud Ouidium videtur profiteri, vbi hos ipſos flores vocat coronas.

Ouid.li. 5.Faſt.

Forſitan in teneris tantùm mea regna coronis
Eſſe putas? tangit numen & aſtra meum.

Lactant. lib. 1. de fal. relig.c. 20. Idipſum tradit Lactantius. *Deam finxerunt eſſe quæ floribus præſit; eámque oportere placari, vt fruges cum arboribus, aut vitibus bene proſperéque floreſcerent.* Eum colorem ſecutus in Faſtis poëta non ignobilem nympham fuiſſe narrauit quæ ſit Chloris vocitata, eámque Zephyro nuptam, quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito, vt haberet omnium florum poteſtatem.

CAPVT XV.

In coronamentis florum, plantarum, arborum copula fit imitatione naturæ. Corona συνθηματιαῖοι. Quid ſignent. Floreis coronis quid propriè demonſtretur. Corona florea impoſita virgini quid præſagiat. Coma ſoluta inſigne virginitatis; coacta, inſtantium nuptiarum. Chorea coronata. Virginum corona vnde potiſſimum conſtarent. Corona è fœniculo & populo. Choreas ducentes erant coronati.

FLORES coronarios plerunque nectebant eos quos vnum idémque anni tempus ferret, vt quos natura propè gemellos feceratt eoſdem ars ſociaret. Nempe coniunctis colorum pulchritudinibus accedebant multiplicati odores ſi non Arabici, at Arabicis, quamuis noſtrates, quàm proximè accedentes, cuiuſmodi plures pauciſſimis lineis feſtiuiſſimus Lucianus complexus eſt. *Lucian ver. hiſtor. lib. 2.* Iam verò, inquit, non procul aberamus [ab inſula] cùm mira quædam nos afflauit aura ſuauis & odorifera, qualem hiſtoricus Herodotus à felice Arabia ſpirare dicit. Nam qualis à roſis, narciſſis, hyacinthis, lilijs, violis, myrto vel lauro redolere conſueuit, talis nobis odor aſpirauit, &c. Cæterùm hi flores per anni tempora à ſcriptoribus enumerantur, nec autumno, ac ne hyeme quidem exceptis. Nam & autumnales coronæ contexuntur, vt è roſa coroneola; & hybernæ veluti ex amarantho. Et verò quamliber ſinguli flores, folia, fructus proprijs dotibus cenſeantur, tamen ſi alia alijs implicentur, omnium haud dubiè conduplicatur honos & pulchritudo. Huiuſmodi ſunt illæ apud Achillem Tatium γείτονες τῶν *Achill.Tat.lib. 1.* πετάλων περιπλοκαὶ, τῶν φύλλων περιβολαὶ, τῶν καρπῶν συμπλοκαὶ, proximi ramulorum circumplexus; foliorum implicationes, fructuum connexiones. Quod totum vocat τὴν ὁμιλίαν τῶν φυτῶν, congreſ- *Philoſtrat. in Heroic.* ſum ſiue conuentum plantarum. Phœnix apud Philoſtratum ſic

alloquitur vincatorem, σὺ δὲ σκιαὰς φυτεύεις, ξυμπλέκων τὰ δένδρεα, ὡς οὐδ' ἂν στέφανόν τις ἐκ λειμῶνος ἀκηράτου ξυμβάλοι. Tu vero vmbracula plantas, connectens arbores, adeò vt ne coronam quidem quiſquam è prato intenſo connectere queat. Neque vero ſingulæ aut plantæ aut arbores arboribus in ſua ſpecie implicantur, ſed ipſa arborum genera alienis truncis inſeruntur, & inibi innaſcuntur per inoculationem & emplaſtrationem. Vocantúrque δένδρεα παντοδαπῶς πεποικιλμένα τοῖς ἐνοφθαλμισμοῖς, arbores omnifariam variatæ inoculationibus; cuiuſmodi ſunt è lentiſcis oleæ pullulantes; è malo granato myrti; è quercu pyra; è platanis mala; è moris cuneatæ ficus. Vnam oleam aiunt eſſe talis miſturæ impatientem, id eſt, quicquid oleum gignit, qualis eſt pinus, cypreſſus, arbor picea. Arbores quoque integræ alieno ſolo miſcentur, nempe calidioribus frigidiores, comatiores, vmbroſiores; paluſtres item ſicciori- bus & exilibus. Huiuſmodi illud fuit, quod Alexander iuſſit Harpalū Græcanicas arbores immittere in hortos Babylonicos. Quid? eò tandem proceſſit hoc artificium miſturæ, vt coronæ ſic nexæ facta ſint opera publica. Et hæ, ſcilicet, illæ fuerunt quas proprio vocabulo vocant συνθηματιαίους στεφάνους, hoc eſt, ἠργολαβημένους καὶ ὀνοθνίμους, quas ære publico texendas locant, & quas redemptores accepta publica pecunia nectunt. Sic eas vocat mulier illa στεφανηπλόκος apud Ariſtophanem,

Plutarch. ſymp. 2. probl. 6.

Plutarch. ſymp. 31.

Athen. lib. 15.

> Ἀλλ' εἰς ἀγορὰν ἄπειμι· δεῖ γὰρ ἀνδράσιν
> Πλέξαι στεφάνους συνθηματιαίους εἴκοσιν.

Ariſtoph. Θεσμοφ.

Verùm ad forum abeo: oportet enim viris plecti coronas ſynthematiæas viginti. Taléſque coronæ nunquam non deſignabant honorem qui habebatur illi, cuius capiti circumponebantur. Atque adeò ſolo nomine harum coronarum eximiæ alicuius rei præſtantia ſemper demonſtratur. Apud Nicephorum extat epiſtola eccleſiarum Lugdunenſium & Viennenſium ad Aſiaticas & Phrygias, vbi per nomen harum coronarum quæ conſtant ex artificio foliorum mixtorum, excellentia martyrij ob oculos luculenter ponitur. Ibidem vocabulo florum Chriſtianæ virtutes adumbrantur. Ipſi martyres è floribus omnigenis & verſicoloribus coronam ſibi nectunt, Chriſtóque eam offerunt. Denique ſummum illud immortalitatis præmium accipiunt. Apud Prudentium fides proſtrato cultu idolorum, martyres coronat floribus, id eſt, remunerat eo genere honoris qui ſummus eſt,

Niceph. lib. 4. cap. 17.

> *Tunc fortes ſocios parta pro laude coronat*
> *Floribus, ardentique iubet veſtirier oſtro.*

Prudent. pſychom.

Hi flores myſtico ſenſu apud eundem Prudentium ſunt gemmæ virtutum.

Prudent. pſychom.

Donec præſidio Chriſtus Deus adſit, & omnes
Virtutum gemmas componat ſede piata.

Hanc ipſam florum myſturam ſiue ſocietatem hic ipſe Prudentius alibi ſignat,

Prudent. pſychom.

Proh pudor! armigeris amor eſt perferre lacertis
Lilia luteolis interlucentia ſertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas;
His placet aſſuetas bello iam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodis innectier vlnas?

Scilicet, hoc loco Prudentius homini Chriſtiano, atque adeò militi veterano exprobrat luxum harum coronarum quæ conſtant è floribus, quæque capiti imponuntur; hîc quidem ὁμόφρων eâdem mente cum Tertulliano, qui flores nequaquam capiti ornando, ſed naribus tantùm oblectandis inuentos ait, vt ex eius locis quæ ſupra citabi, tum ex hoc ſciri maximè poteſt in quo flores diſertim dicuntur eſſe ſubſtantia coronarum. *Quis igitur fructus*, inquit, *ex floribus? ſubſtantia enim propria, certè præcipua coronarum flores agri.* Apud Plutarchum quidam diſſerens de floribus coronarijs, ait eos tantùm cenſeri colore & odore, quamuis vtroque inimitabili. Cæterùm tam Tertullianus quàm Prudentius inſectatur flores laſciuiæ. At etiam Prudentius commendat flores ſanctimoniæ eos, quibus & virgines & martyres redimiuntur. In illos qui Cupidini & voluptatibus ſunt anteambulones, Chriſtiana ſeueritas, atque adeò paſtoritia vigilantia vix vnquam non eſt diſtricta. Et verò hæ floreæ coronæ frequentiſſimè ſignant meros iocos, meram feſtiuitatem, meros amores. Flores, inquit Longus, ſunt ἐρῶντος ἔργα, amoris opera, hi præcipuè qui ſociantur in vno eodémque coronamento, vt hîc,

Tertull. de cor. mil.

Plutar. ſymp. 3.

Long lib. 2. ποιμ.

Euripid. Cycl. actu 4.

Στεφάνων δ' οὐ μία χεῖρα
Πλεκε τὸν κρᾶτα πάγχ' ἐξημμένον.

Plato in ſymp.

tunm portò circa caput ſerpet non vno diſtincta colore corolla. Apud Platonem Agathon ait, Amorem, qui ſit Deus, vitam degere inter flores. Idque ſignificari pulchritudine eorum colorum, quibus totus inſignitur. Cæterùm florea corona impoſita capiti virginis eſt index, atque adeò augurium inſtantium ei nuptiarum. Claudianus de Proſerpina,

Claudian. de rap. Proſerp. lib. 2.

Nunc ſociat flores, ſeſéque ignara coronat,
Augurium fatale tori.

Clytemneſtra apud Euripidem alloquens Achillem, Tibi, inquit, adduxi Iphigeniam natam meam, & quidem coronatam in hoc vt nubat,

Euripid. Iphig. in Aul.

--- ἀλλ' ὅμως

Σοὶ καταστέψας ἐγώ νιν ἄγον, ὡς γαμικὸν βίον.

Hoc adeò inde factum eſt, quod priſcis temporibus coma ſoluta & libera fuit quoddam veluti inſigne virginitatis; virginéſque in priſcis monumentis plerúmque tales deſcribuntur. Virgilius de Venere, *Virgil.1. Æneid.*

> *Námque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum*
> *Venatrix, dederátque comas diffundere ventis.*

At coma coacta & coronata erat argumentum inſtantis, aut iam præſentis lætitiæ coniugialis. At tunc & cogi & frænari coma dicebatur, vt apud Claudianum in hiſce verſibus, *Claudian de rap. Proſerp l. 2.*

> *Nec quæ Parthenium canibus ſcrutatur oderis*
> *Aſpernata toros; libertatémque comarum*
> *Iniecta voluit tandem frænare corona,*

id eſt, à virginitate cupijt tranſire ad vota coniugialia. Ipſæ quoque virgines cùm ducebant choreas erant inſignes corollis, ſicuti eas haud multò poſt mutaturæ coronis nuptialibus. Homerus,

> *ἔνθα μὲν ἠΐθεοι καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι*
> *ὀρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες.* *Homer. Iliad. σ.*

Ibi quidem adoleſcentes, & virgines Alpheſibœæ tripudiabant, inuicem in vola manus habentes. Et paulò poſt,

> *Καί ῥ' αἱ μὲν καλὰς στεφάνας ἔχον, οἱ δὲ μαχαίρας*
> *Εἶχον χρυσείας ἐξ ἀργυρέων τελαμώνων.*

Et hæ quidem pulchras coronas habebant; hi autem gladios geſtabant aureos ab argenteis cingulis. Et hoc illud eſt, quod Euripides choreas facit coronatas. *Euripid. Bacch. actu 2.*

> *— σὺ δέ με ὦ μάκαιρα Δίρκα*
> *Στεφανηφόρους ἀπωθῇ θιάσους ἔχουσ' ἐν σοί.*

Tu autem ô beata Dirce, me prohibes apud te feſtas, & coronis florentes agitare choreas. Atque hæ quidem puellarum & virginum coronæ, vt ego quidem puto, non ſolùm è meris floribus, verùm etiam conſtabant ἐκ τῶν θαλλῶν è ramulis feſtis, lætiſque frondibus, potiſſimùm oleaginis. Vtrúmque enim θαλία ſignificat. Porrò his ramulis στεφάνων præſules erant Muſæ, Eratò in primis. Id quod tradit Scholiaſtes Apollonij Rhodij in primum verſum libri tertij. Id præcipuè hanc Muſam eſſe inuentricem choreæ, ſiue ſaltationis τῆς ὀρχήσεως quæ ſe nuptijs comitem præbet. *Scholiaſt. Apoll. Rhod. lib. 3.*

Quòd autem eæ coronæ vt plurimùm erant oleagineæ, id à Pallade ſumptum puto quæ puellarum choreis delectatur. Sed & apud nos, inquit Plato, Pallas puella & domina choreæ ludo delectata vacuis manibus minimè cenſuit eſſe ludendum, ſed eam quæ ſit omni armorum genere inſtructa, illo habitu ſaltationum peragere. Sed præter virginales cœtus aliæ quoque choreæ fuerunt coro- *Plato lib. 7. de leg.*

natæ non quidem olea, ſed fœniculó & populo, nempe intemperantiores choreæ. Hoc diſco è loco Demoſthenis vbi is exprobrat Æſchini quod is tales choreas interdiu per plateas duxerit coronatas fœniculo & populo; ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοὺς καλοὺς θιάσους ἄγων [Αἰσχίνης] διὰ τῶν ὁδῶν τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ καὶ τῇ λεύκῃ. Nec ſolæ virgines, ſed & quiſquis choreas duceret, fuit coronatus. Certè Anacreon ait, velle ſe coronari, & coronatum ſaltare,

Demoſth. de cor.

- θέλω στέφεσθαι
Πολιὸν δὲ γῆρας ἐκάς
Νέος ἐν νέοις χορεύσω.

Euripid. Iphig. in Aul.

Volo coronari, Canam verò ſenectam procul Iuuenis in iuuenibus ſaltabo. Et hæc quidem dici poſſunt de coronis virginum, iiſque quæ ferebantur in choreis. Quibus lubet addere illam qua Iphigenia fuit coronata, cùm ſicuti victima duceretur ad ſacrificium. Quippe tam clarus obitus, cui pro ſalute vniuerſæ Græciæ deſtinata erat, ei fuit pro nuptijs optatiſſimis. Tales coronas, & omnem illam εὐθυμίαν eloquẽtiſſimus Ariſtides, vt omnia alia bona quibus mortales fruuntur, acceptas refert Serapidi ſummo Deorum.

Ariſtid. εἰς τὸν Σαραπ.

CAP. XVI.

Sponſus & ſponſa coronati. Horum item familia & domus coronata. Lectus nuptialis coronatus. Comus. Corona abiegna & piceæ.

CORONA florea quæ virgini imponi ſolita fuit, tunc ponebatur cùm virgo conueniebat in manum viri. Martianus Capella in carmine Hymenæi,

Martian. Cap. lib. 9.

Conſcia iam Veneris noua ſerta parate Napeæ,
Crocúmque lecto ſpargite.

Ac ſi dicat, Quia eam coronam quam virgines geſtare ſolent, noſtra hæc noua nupta iam poſitura eſt, cõcinnate ei aliam ex earum genere, quibus coronantur illæ quæ nuptum dantur. Valeant illa quæ ſolebant obnubere pudorem virgineum, & in locum illorum ſuccedant decora matronalia; In quibus primus eſt nuptialibus coronis locus. Cæterùm nuptiales hæ coronæ necti cœperunt è floribus aureis, addito pretioſo gemmarum decore. Qui tamen flores & aurei & gemmei imitabantur naturales. De hoc genere coronarum illa eſt, qua Claudianus Serenam redimiri ſolitam ait,

Claud. de laud. Ser.

Dic mihi Calliope, tanto cur tempore differs
Pierio meritam ſerto redimire Serenam?
Vile putas donum ſolitam conſurgere gemmis,
Aut rubro radiare mari, ſi floribus ornes

Regina regina comam?

Quibus in verſibus duarum coronarum mētio fit, nempe & aureę gemmatæ, & floreæ. Solent, inquit, Reginæ aſpici inſignes coronis gemmeis. Tu tamen ne vile donum putes, ſi Serenam redimieris ſerto, id eſt corona florea, qualem tu, videlicet, geſtare ſolita es. Nam & Muſas, & è Muſis hanc præcipuè coronari, alibi trado, ſiquidem hæc florea corona propriè futura eſt nuptialis, diuerſa ab illa aurea & gemmea reginali. Coronam floream nuptialem haud dubiè deſignat M. Tullius in his verſibus, quos refert è vetere comœdia, *Cic. lib. 3. de orat.*

Sed mihi cum retulit, coronam ob collocandas nuptias
Tibi ferebat, cum ſimulabat ſeſe alteri dare.
Tum ad te ludibunda doctè & delicatè detulit.

Ergo nouæ nuptæ loco virginalis corollæ vel coronæ ſumebant coronam nuptialem, quæ videtur fuiſſe perpetuum geſtamen & ornamentum matronarum, præcipuè illarum quæ eſſent primores, principes, reginę, vt ex eo loco Homeri colligi poteſt, quo is recenſet omnem ornatum capitis Andromachæ.

Κρήδεμνόν θ' ὅ ῥά οἱ δῶκε χρυσῆ Ἀφροδίτη
Ἤματι τῷ, ὅτε μιν κορυθαιόλος ἠγάγεθ' Ἕκτωρ *Homer. Iliad. χ.*
Ἐκ δόμου Ἠετίωνος, ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα.

Coronámque quam ei dedit aurea Venus die illo, quando ipſam criſtatus duxit Hector ex domo Eetionis poſtquam præbuit ingentem dotem. háncque coronam vocabant γαμήλιον, nuptialem, vt in epitaphio Adonidis vbi ea rumpitur, *Bion in epitaph. Adon.*

Αὐταὶ ταὶ Κυθέρειαν ἐπαιάζουσιν Ἔρωτες.
Ἔσβεσε λαμπάδα πᾶσαν ἐπὶ φλιαῖς Ὑμέναιος,
Καὶ στέφος ἐξεπέτασσε γαμήλιον.

Ipſam Cythercam deplorant Amores. Extinxit totam facem in limine Hymenæus, Et coronam nuptialem expandit non amplius Hymen. Nec verò ſponſa tantùm erat coronata ſed & ſponſus. Achillem non mortuum fuiſſe cum armis, ſed coronatum, vt ſolēt ſponſi, tradit Philoſtratus. Plutarchus de ſene, γαμεῖν παρασκευαζόμενον. γέροντα ἐστεφανωμένον καὶ μυριζόμενον, ſenem vxorem ducere paratum, coronatum, & vnguentatum. Et alibi de Pompeio, cui extra ordinem, atque adeò contra leges datus fuerat cōnſulatus, nempe vt is Reipub. malis ſtrenuè obuiam iret, cùm tamen ipſe tunc temporis nuptijs intentus eſſet, ὁ δὲ, inquit, στεφανοῦται καὶ θύει γάμους illc autem coronatur & ſacrificat nuptias. Huius generis coronas ſignat Ariſtides his verbis, ὦ νυμφίε τ' ἐλεεινότερε ἄρτι χαομένων, καὶ στεφάνοις μᾶλλον πρέπων ἢ θρηνεῖν. O qui magis miſerandus es quàm ſpōſus modò rogo conſumptus, & cui coronæ magis conueniunt,

Philoſtr. in Heroic.
Plutarch. ei πρεσ. πολιτευ.
Plutarch. Pōp.
Ariſtid. in epic. Eteon.
Tertull. de cor. mil.

quàm fletus. Diſertim Tertullianus, *coronant*, inquit, *& nuptiæ ſponſos.* Tum etiam Claudianus in verſibus quos ſupra citaui,

Claudian. de nupt. Hon. *Tu feſtas Hymenæe faces, tu Gratia flores*
Elige; tu geminas Concordia necte coronas.

Id quoque diſcimus è Plauto,

Plaut. Caſ. actu 4 ſc. 1. *Villicus hic autem cum corona candidè*
Lautè veſtitus, exornatúſque ambulat.

Alexander tunc dicitur fuiſſe coronatus, cùm ipſe ſponſus vnius *Plutarch. π. τῆς Ἀλεξ. τύχ.* centum Macedonas & Græcos cum Perſidibus legitimo coniugio copulauit. Certè inter præcipua argumenta & ſolennia nuptiarum numerantur faſces, corona, veſtis. Cæterùm hoc nuptialis coronæ *Pollux lib. 3. cap. 3.* decus non ſolis hæſit ſponſorum capitibus, ſed in ſponſorum ſiue adulationem, ſiue honorem vniuerſa familia aut coronas plectere, aut flores inferre, aut odoramenta ſimulachro ſuccendere conſue- *Fulgent. myth. lib. 1.* uerat. Ergo omnes affines ac domeſtici, qui intererant lætitiæ nuptiali, aſpiciebantur coronati coronis floreis, quales fuerant Argonautæ in nuptijs Iaſonis & Medeæ.

Apollon. Rhod. lib. 4. *Κράατα δ' εὐφύλλοις ἐστεμμένοι ἀκρεμόνεσσιν*
Ἐμμελέως, Ὀρφῆος ὑπαὶ λίγα φορμίζοντος,
Νυμφιδίαις ὑμέναιον ἐπὶ προμολῆσιν ἄειδον.

Capita verò pulchricomis coronati ramis accuratè Orphæi ſub *Apul. metam. lib. 4.* ſuauiter modulantis ſponſalibus hymenæum in cacuminibus cantabant. Tota denique domus ornata fuit corollis, plerunque laureis. *Domus tota*, inquit Apuleius, *lauris obſita, tedis lucida conſtre-* *Iuuenal. Sat. 6.* *pebat hymenæum.*

Ornatas paulo ante fores [cùm nupſit] *pendentia linquit*
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Phornut. in Como. His accedit, quod Comus neſcio quis è vulgo Deus, certè iuuenili aſpectu, ſponſis adeſt. Eſt enim Deus hilaritatis ac lubentiæ, παρὰ τὸ κωμάζειν à quo dictum eſt κωμάζειν conuiuium agitare. Ea re ele- *Ariſtid. ῥοδιακ.* ganter dictum eſt ab Ariſtide, ὁ δὲ κῶμος ἦν ἄγριος. At Comus erat *Philoſtrat. in imag.* agreſtis, ſiue immitis ac trux, quaſi rem admirabilem proferens, nempe illum ipſum Deum qui ſit author lætitiæ, factum fuiſſe truculentum. Id quod Ariſtides ideo dixit, vt hac loquendi forma oſtenderet quanta fuerit illa Rhodiorū calamitas, hoc eſt horribilis ille terræmotus, quo Rhodus non ſolum tremefacta, ſed & planè *Lucian. Amor.* deleta eſt. Hunc Comum Lucianus vocat δυσέρωτα, perditè amantem. Cæterùm quia hic Deus in nuptijs mulieri virum agere per- *Philoſtrat. in imag.* mittit, & viro ſtolam induere, καὶ θῆλυ βαίνειν, moréque mulierum perfluo gradu incedere, pari quoque laſciuia ipſorum coronis illudit. Quippe vtriuſque ſponſi coronæ ipſorum capitibus concinnatæ, ac per luxum, laſciuiámque currentes non ampliùs aſpiciuntur

ciuntur floridæ & vernantes ἀλλ' ἀφήρηται αὐτοῖς τὸ ἱλαρὸν, ſed ſanè dempta priori hilaritate. Nempe, florum libertas manum auerſatur. Atque adeò viuida quædam in floribus contumacia eſt. Nolunt atteri. Certè manu triti continuò flacceſcunt. Ac ne legi quidem niſi lepida manu volunt. Vnde illud aut prouerbiale dictum, aut ſimile prouerbiali, μὴ παράδῳς εὔμορφον τρυγῆσαι ῥόδον ἀμόρφῳ γεωργῷ, Ne tradas lepidam roſam legere illepido agricolæ. Denique ſponſus nuptialem coronam quandoque tradebat ſponſæ. Et verò inſignis illa tabula, opus Ætij, exhibita in celebritate Olympica oſtendebat Alexandrum ſponſum Roxanæ ſponſæ offerre coronam. Præter ſponſos & familiam, ipſum quoque thalamum coronari mos fuit, hoc eſt, lectum nuptialem, cuiuſmodi fuit ille in quo Iaſon concubuit cum Medæa, *Achill. Tat. lib. 1.* *Lucian. Heroi. vel Aet.*

> ——ἄνθεα δ' σφι·
> Νύμφαι ἀμεργόμεναι λευκοῖς ἐνὶ ποικίλα κόλποις
> Ἐσφόρεον. *Apoll. Rhod. lib. 4.*

At flores diuerſos ipſis Nymphæ collectos candidis ſinubus inferebant. Quem morem expreſſit Martianus Capella in his verſibus,

> *Nam thalamum redimire iuuat, tu ſerta probato*
> *Tuis placere ritibus.* *Martian. Cap. lib. 9.*

Tradit Plutarchus, in nuptijs Banconis & Iſmenodoræ ianuas vtriuſque ſponſi fuiſſe redimitas olea & lauro. Certè veſtibulum, omnéſque aditus eius domus in qua celebrabantur nuptiæ aſpiciebantur corollis & ſertis redimiti. Vnde eleganter Hierocles ait eos qui inconſultè vxorem ducunt, θύραις κατεστεμμέναις τύραννον ἀντὶ γυναικὸς ἐπισάγειν ἑαυτοῖς, oſtijs coronatis tyrannum pro vxore inducere ſibi. *Plutarch. ἐρω.* *Lucian. dial. meretr.* *Stob. ὅτι καλλ. ὁ γάμος. ξέ*

CAPVT XVII.

Materia coronarum nuptialium. Sponſorum coronamenta ex aſparago, è ſiſymbrio, è verbenis, ex abiete, & picea arbore. Corona florea. Menſa floribus conſpergi ſolita. Florea corona munus ruſticorum. Corona florea admonent hominem ſuæ fragilitatis.

HÆ coronæ nuptiales, vt eſt veriſimile, conficiebantur ex eo genere florum qui rei lætiſſimæ condecorandæ inueniri poterant, lætiſſimi & pulcherrimi, niſi repugnaret mos gentis. Nimirum, Plutarcho authore, ſponſa coronatur ſpinoſo cortice aſparagi. Cuius moris ibidem Plutarchus rationem reddit. Vt enim hæc planta ex aſperrima ſpina ſuauiſſimum fructum edit, ita ſponſa ei viro, qui primâ eius duritiem non auerſetur, ſuauem conuictum *Plutar. nupt. precep.*

præbet. Alibi ſponſi coronabantur ſiſymbrio. Qua de re infra dico in enarratione huius floris. Sunt qui tradant, nouam nuptam compoſuiſſe coronam è verbenis à ſe lectis, cámque ſub amiculo tuliſſe. Certè moris fuit vt noua nupta ianuam viri lana coronaret. Id quod cur fieret ex ingenio quiſque aliquid ſi non omnino verum, at veriſimile comminiſci poteſt. Vt vt eſt, id quod ſupra dixi verum eſt, haſce coronas floreas vbicunque aſpicerentur, fuiſſe indices ac teſtes lubentiæ, hilaritatis, lætitiæ, gratulationis, tam in nuptijs quàm extra nuptias. Ideo chorus apud Euripidem alloquens Martem, ait illum abhorrere à iocis feſtíſque nuptialibus, quòd abſtinet his coronis,

ἐν παροιμ. & ſchol. Ariſtoph. — *Feſt.* — *Plutarch. κεφάλ. καταχ. ῥωμ.* — *Eurip Phœn. actu 3.*

— οὐκ ἐπὶ καλλιχόροις στεφάνοισι
Νεάνιδος ὥραις, βόστρυχον ἀμπετάσας, λωτοῦ.
Κατὰ πνεύματα μέλπῃ
Μοῦσαν, ἐν ᾇ χάριτες χοροποιοί.

Non inter decentes coronas Maturæ in nuptijs puellę Comam religans Per flatus tibię ſonas Carmen in quo Gratiæ lætificę. Non ergo mirum, in ſollenni lætitia menſas, aliáque loca floribus plerunque conſpergi. Horatius,

Horat ad Torq. lib. 1. epiſt.

Parcus ob heredis curam, nimiúmque ſeuerus
Aſſidet inſano; potare & ſpargere flores
Incipiam.

Philoſtrat. in vita Apollo. lib. 2. — *Steph. ἄστυ Παλαιά.*

Sic apud Indos moris eſt menſas conſpergere laureis ramis, &, ſi non myrteis, at myrto ſimilibus. Supráque dicebam è Stephano Palæam vrbem vocatam fuiſſe θεῶν τράπεζαν, διὰ τὸ αὐθηρὸν αὐτῆς. Ipſi ruſtici & villici quoties rure adueniebant, præter cætera munuſcula quibus colebant heros ſuos, eos quoque donabant floreis hiſce coronis. Huiuſmodi eſt ſenex ille Euripidæus,

Euripid. Elect. actu 3.

Ἥκω φέρων σοὶ τῶν ἐμῶν βοσκημάτων
Ποίμνης νεογνὸν θρέμμ᾽ ὑποσπάσας τόδε,
Στεφάνους τε, τευχέων τ᾽ ἐξελὼν τυρεύματα.

Adſum tibi è grege mearum ouium, Hunc tenerum fœtum ſelectum ferens, Et ſerta, ac è fiſcellis hæc exempta lactaria. Hæ tamen coronæ nexæ è floribus vernantibus, adlubeſcentibus, tam varijs, tam odoratis, quæ caput, frontem, collum, pectus honeſtant gemmeis honoribus, quæ ſponſalia virginibus, ſponſis fauſtitatem promittunt, matronas condecorant, vel in media lætitia admonēt homines ipſis congenitæ fragilitatis, inſtantíſque adeò mortalitatis. Nihil, videlicet, tam citò marceſſit, quàm omnis illa florida materia. Quæ eſt admonitio ſapientium,

Stob. π. τοῦ βίου ὅτι βραχ. ἐκτιναχ. ς.

Ἡμεῖς δ᾽ οἷα φύλλα φύει πολυάνθεμος ὥρη
Ἔαρος ὅτ᾽ αἶψ᾽ αὐγῇ αὔξεται ἠλίου,

Τοῖς ἴκελοι πηχύιον ἐπὶ χρόνον ἄνθεσιν ἥβης
Τερπόμεθα, πρὸς θεῶν εἰδότες οὔτε κακὸν
Οὔτ' ἀγαθόν.

Nos verò ſicuti folia producit floridum tempus veris, cùm illico ſplendor augetur ſolis, his ſimiles cubitale ad tempus floribus adoleſcentiæ delectamur, proh dij neſcientes nec malum nec bonum. Qua de re hæc Plinius, nunquam ſine laudis præfatione nominandus, *Flores verò odoréſque in diem gignit*, [terra] *magna, vt palam eſt, admonitione hominum, Quæ ſpectatiſſimè floreant celeriter marceſcere.* *Plin. lib. 21 c. 1.* In hanc ſanè ſententiam Clemens Alexandrinus ait vſum florum eſſe noxium, & celeriter præterire pœnitentiæ ſupplicio affectum. *Clemen. Alex. pædag. li. 2. c. 8.* Additque hinc probari vitæ eorum breuitatem, quòd ambo flacceſcunt, nempe flos & pulchritudo. Ea re Artemidorus monet, etſi coronæ è roſis per quietem viſæ omnibus bonæ ſunt, id eſt fauſtæ, hinc tamen ægrotantes excipi. Hos enim, inquit, occidunt, id eſt morituros prædicunt *διὰ τὸ εὐμάραντον*, quòd facilè marceſcunt. Ipſa roſa non tantùm Locrenſis, ſed quælibet, cùm ſit ſpecimen omnium florum, tamen eodem prope momento, quo naſcitur, ſeneſcit. *Lycophr. Caſſ.* Virgilius de hoc flore. *Virgil. in epigr.*

Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas.

Hoc ipſum Latinus Callimachus, *Propert. lib. 4.*

Vidi ego odorati victura roſaria Pæſti
Sub matutino cocta iacere noto.

Et Auſonius,

Quàm longa vna dies, ætas tam longa roſarum,
Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit. *Auſon.*
Quam modò naſcentem rutilus conſpexit Eous,
Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.

Hic ipſe paulò poſt admonens virginem proximę mortalitatis, ait,

Collige virgo roſas dum flos nouus, & noua pubes.
Et memor eſto æuum ſic properare tuum.

Scitè hercle à Domitiano dictum eſt, nec gratius eſſe quicquam decore nec breuius. *Sueton Domit.* Hinc eſt quod Paulus nominãs coronas haſce floreas, eas vocat corruptibiles; Qui in agone, inquit, certat, ab omnibus ſe abſtinet. Et illi quidem *ἵνα φθαρτὸν στέφανον λάβωσιν, ἡμεῖς δὲ ἄφθαρτον*, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. *Paul ep. priori ad Corinth. c. 9 quem locum citat Clemen. Alex. lib. 3. Strom.* Meritò igitur Tertullianus coronas ex hiſce floribus plexas vocat quoque corruptibiles exemplo Apoſtoli, diſſimiles incorruptibilibus hoc eſt, vt ipſemet ait, coronis nẽpe æternitatis & vitæ; *Tertull. lib. ad marty.* Cùm illæ floreæ, vt diximus non ſolùm ſint fluxæ, corruptibiles, marceſſibiles, verùm etiã tales, vt ſi ex ipſis flores decide- *Tertull. de cor. mil.*

rint, nihil quoque ſit neque aridius neque ſpoliatius. Propertius,

Propert. lib. 2.

Ac veluti folia arentes liquere corollas
Quæ paſſim calathis ſtrata natare vides;
Sic nobis qui nunc magnum ſperamus amantes
Forſitan includet craſtina fata dies.

Ergo Achilles, ſiue Achillis vmbra in aureis illis monitis quæ Neoptolemo dat, ait genus humanum eſſe perſimile floribus plãtarum, & quidem vernis, quorum alij intereunt dum alij naſcuntur.

Q. Calab. li 14.

Ἀνδρῶν γὰρ γένος ἐστὶν ὁμοίϊον ἄνθεσι ποίης
Ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι· τὰ μὲν φθινύθει, τὰ δ᾽ ἀέξει.
Τοὔνεκα μείλιχος ἔσσο.

Quæ etſi verè dicuntur, non tamen deſunt homines præpoſterè arguti qui roſam hoc ipſo formoſiorem iudicant quòd eius pulchritudo continuò vaneſcit. Cuius exiſtimationis rationem reddit Menelaus quidam Ægyptius adoleſcens apud Achillem Tatium. Sed quicquid ille more amantium argutius quàm verius inuenerit, non ego id compoſuerim cum dignitate eorum qui contra ſentiunt. Quàm iuuat videre Poëtarum columina certantium quis omnium luculentiſſimè exprimat generi mortalium tam ſalutare præceptum; quo, ſcilicet, nobis identidem ſuggeritur, momento ipſum hominem non minùs quàm quicquid ad ipſum pertinet, vaneſcere. Itaque nec tacitus præterire poſſum verſus doctiſſimi poëtæ Statij, qui omnem hanc florum hilaritatem funere terminari ait,

Achill. Tat. lib. 2.

Stat. lib. 3. Syl.

Qualia pallentes declinant lilia culmos;
Pubentésque roſæ primos moriuntur ad auſtros;
Aut vbi verna nouis expirat purpura pratis,
Illa ſagittiferi circumuolitaſtis amores
Funera, maternóque rogos vnxiſtis amomo.

Quę omnia confirmant id quod ab Iſidoro traditur, nempe flores dici quaſi fluores, quod citò decidant & citò ſoluantur. Poſtremò hæc omnia continentur illo præcepto quod his verſibus Pindarus concluſit.

Iſidor. lib. 17. c. 6.

Pindar. Nem. od. 11.

εἰ δέ τις ὄλβον ἔχων   Μορφᾷ παραμεύσεται ἄλλων,
ἔν τ᾽ ἀέθλοισιν ἀρι-   στεύων ἐπέδειξεν βίαν,
θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη.
καὶ τελευτὰν ἁπάντων γᾶν ἐπιεσσόμενος.

Sed ſiquis opes poſſidens forma anteibit alios, & in certaminibus primas obtinens ſpecimen ediderit roboris, mortalibus ſe meminerit amictum eſſe membris, & poſtremam omnium terram ſibi futuram amiculum,

CAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

DE CORONIS LIBER TERTIVS, QVI EST DE FLORIBVS CORONARIIS.

CAPVT PRIMVM.

Qui ſint ij flores quibus propriè coronarijs nomen inditum. Horum ſociatio & miſtura. Folia arboribus & fruticibus miſcebantur, vt ipſi flores ramulis, & ſoli ramuli ramulis, & ramulis foliculis & floribus, & his baccæ & fructus, & floribus herbæ. Coronæ coronis inſerta. Corona è perſaa.

HVc vſque egi de coronis floreis, quas dixi eſſe coronas lætitiæ. Vnde datur intelligi flores eſſe materiam harum coronarum, flores, inquam, quandóque vt dixi ſolos, ſæpe alijs floribus, perſæpe alijs rebus mixtos, & inſertos. Sed ex ingenti copia florum, mihi ſunt ſecernendi illi non quibus omnibus nomen eſt coronarijs, ſed qui propriè tales, eò quòd ex his coronæ necterentur. Quanquam hoc quoque nomen ad multos flores tranſlatum eſt, quos medici fecerunt coronarios, etſi horum nulla apud poëtas, alióſque talium decorum ſcriptores mentio. Vt hoc agam, Flores coronarios Athenæus enumerat hos, violam, Iouis florem, Iphyum, phloga, hemerocallem præter alios quos dicam. Ac primum ex omnibus ait emicare albam violam, deinde luteam, ſiue flammeam. Poſt narciſſum, leirion, bulbicodion. Sequuntur

œnanthæ & nigra viola, & è Syluestribus elychryſus, anemone, gladiolus, hyacinthus. Idem Athenæus montanos ferè omnes ait eſſe coronarios. Nouiſſima, inquit, roſa poſt alios naſcitur, eadémque prima deficit. Et hos quidem ait eſſe vernos. Æſtate ait florere lychnin, Iouis florem, iphyon, amaracum Phrygium, pothon, elychryſum, violam, narciſſum, hemerocallen, ſerpyllum, Iſidis flores, ſiue lupos, calcham, roſam. Diſtinctior & ordinatior

Pollux lib. 1. cap. 10. enumeratio florum eſt apud Pollucem. Recenſet enim ῥόδα, κρίνα, ἴα, κρόκον, λωτὸν, νάρκισσον, ὑάκινθον, θρυαλλὶν, σισύμβρια, ἕρπυλον, ἀνεμώνας. οἱ δὲ ποιηταὶ, inquit, καὶ ἀδίαντον τὸ ἄνθος καλοῦσι, καὶ ἀμάραντον καὶ λευκόϊον. Et quamuis hos Pollux non hîc diſertim coronarios nominet, ta-

Pollux lib. 6. cap. 18. men ex his plerique cognoſcuntur eſſe tales. Atque adeò alibi eos vocat flores coronarios his verbis, τὰ δὲ ἐν τοῖς στεφάνοις ἄνθη, ῥόδα, ἴα, κρίνα, σισύμβρια, ἀνεμῶναι, ἕρπυλος, κρόκος, ὑάκινθος, ἑλίχρυσος, ἡμεροκαλλὶς, ἑλένειον, ſiue ἑλένιον, θρυαλλὶς, ἀνθρίσκος, νάρκισσος, μελίλωτον, ἀνθεμὶς, παρθενὶς, καὶ τ' ἄλλα ὅσα τοῖς ὀφθαλμοῖς τέρψιν, ἢ ῥισὶν ἡδεῖαν ὄσφρησιν ἔχει. His addit, Cratinum plurium meminiſſe ἐν μαλθακοῖς, ὥσπερ καὶ κοσμοσανδάλου, καὶ μήλου, ὅπερ ἐστὶ τὸ μήλακος ἄνθος. Ouidius aliter enumerat flores coronarios, cùm facit filiam Cereris alloquentem ſuas comites, cum quibus ipſa legit hos flores,

—comites accedite, dixit,

Ouid. lib. 4. Faſt. *Et mecum plenos ore referte ſinus.*

Præda puellares animos delectat inanis,
Et non ſentitur ſedulitate labor.
Hæc implet calathos lento de vimine nexos,
Hæc gremium; laxos degrauat illa ſinus.
Illa legit calthas; huic ſunt violaria curæ;
Illa papauereas ſubſecat vngue comas.
Has hyacinthe tenes; illas amaranthe moraris,
Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amant.
Plurima lecta roſa eſt. ſunt & ſine nomine flores,
Ipſa crocos tenues, liliáque alba legit.

Theophraſt. lib. 6. de plant. c. 1. Theophraſtus collocat φρυγανικὰ virgultea quædam inter στεφανωτικὰ inter coronaria qualia ſunt ῥοδωνιὰ, ἰωνιὰ, διὸς ἄνθος, ἀμάρακος, ἡμεροκαλλὶς ἔτι δὲ ἕρπυλος, σισύμβριον, ἑλένιον, ἀβρότονον. Quibus certè locis, & ſi quæ his ſimilia ſunt, non tam id agitur, vt ſingillatim omnes coronatij flores enumerentur, quàm vt quidam ex his indicentur, ex quorum nexu, miſtura, diſpoſitione, conſtit omnis illa coronarum gratia. Quò maius onus me ſubiſſe intelligo, qui eos enumerandos, ſociandóſque ſuſcepi ea ratione quam ſupra dixi. Sed quia hæc omnis coronariæ materiæ coniugatio naturam imitatur, non mirum eſt imitatione naturę, flores floribus, floribus folia, ramu-

los, frutices, baccas ſociari. Certè natura flores & folia ipſis arboribus, & fruticibus miſcet, vt in hoc loco Tatij, ἐκόμα πολλοῖς ἄνθεσιν ὁ λειμών. δένδρων αὐτοῖς ἀνεμέμικτο φάλαγξ καὶ φυτῶν. συνεχῆ τὰ δένδρα. συνηρεφῆ τὰ πέταλα. συνῆπτον πτόρθοι τὰ φύλλα. καὶ ἐγίνετο τοῖς ἄνθεσιν ὄροφος ἡ τῶν φύλλων συμπλοκή. pratum multa florum varietate diſtinctum, arborúmque & fruticum copia interſitum erat; rami atque frondes mutuo complexu ita ſeſe nectebant, vt tecti vſum floribus præſtarent. Simili ratione opifices coronarum ſociarunt flores & ramulos. Et verò apud Theocritum elichryſo flori iungitur hedera, *Achill. Tat. lib. 1.*

> *Τῷ περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσὸς,* *Theocrit. Thyr. eidyll. 1.*
> *Κισσὸς ἑλιχρύσῳ κεκονισμένος.*

Cui circùm labra innectitur ſuperne hedera, Hedera elichryſo adglutinata. Quandóque ſoli ramuli diuerſarum arborum ſociabantur. Quo exemplo apud Euripidem hedera adhæret ramis lauri,

> *Προσείχεθ' ὥς τε κισσὸς ἔρνεσιν δάφνης* *Euripid. Med. actu 5.*
> *Λεπτοῖσι πέπλοις.*

Hanc ipſam ſociationem agnoſcit Virgilius,

> *-- accipe iuſſis* *Virgil. ecl. 8.*
> *Carmina cœpta tuis; atque hanc ſine tempora circùm*
> *Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.*

Quercui quoque adhæret hedera, vt ſuprà dicebam. Interdum ramuli, foliculi & flores miſcentur. Theocritus,

> *Τόν τοι ἐγὼν Ἀμαρυλλὶ φίλα κισσοῖο φυλάσσω·* *Theocrit. Amar. eid. 3.*
> *Ἐμπλέξας καλύκεσσι καὶ εὐόδμοισι σελίνοις.*

Quam [coronam] tua cauſa, ô chara Amarylli, ex hedera nexam gero, implexis foliculis, & odorato apio. Et verò in plantis vtráque ſæpe ſunt odorata, & folia & flores. In quibuſdam flores magis quàm folia. In alijs folia & ramuli magis quàm flores, ὥσπερ τῶν στεφανωματικῶν, veluti coronariorum, inquit Theophraſtus; Qui alibi ait, τὰ ἄνθη καὶ τὰ στεφανώματα εἶναι ἀσθενέστερα τῆς ὀσμῆς flores & coronarias plantas eſſe infirmiora odoribus, hoc eſt, odorem qui eſt ex vtriſque eſſe breuis æui. Vnde licet intelligere, flores, quamlibet coronarios, diſtingui ab ijs quæ Græcis ſunt στεφανωματικὰ, cuiuſmodi ſunt plantæ, & alia folioſa, vt alibi dico. Floribus quandóque miſcentur baccæ & fructus. Et id quoque imitatione naturæ, vt apud Apuleium, vbi is repræſentat pallam ſuæ Deæ, *Quaqua, inſignis illius pallæ perfluebat ambitus, indiuiduo nexu corona totis floribus totíſque constructa pomis adhærebat.* Similem texturam ruſtici quidem, ſed lepidi moris deſcribit Petronius,

Theophraſt. lib. 1. de plant. *Theophraſt. π. ὀσμ.* *Apul. lib. 11. Metam.*

> *-- mitia ſorba.* *Petr. Arb. in Satyr.*

Inter odoratas pendebant texta coronas,
Et thymbræ veteres, & paſſis vua racemis.

Quarum mixturarum ego hîc quidem paucula exempla refero, quia his ſimilia diligens lector aduertere poteſt in contextu totius operis. Satis mihi eſt rem indicare, & ſubinde quid notatu dignũ putem, monere. Porrò quoties remedio corona inuenta erat, herbæ & flores ſalutares pro ſuis quiſque dotibus in eius nexu miſcebantur. Si ſola pulchritudine cenſebatur, colores lectiſſimi inibi adhibebantur; Si odore, è floribus, herbíſque odoratiſſimis nectebatur, dicebantúrque εὐώδμοι ϛέφανοι, odoratæ coronæ. Si victoriam, ſi triumphum, ſi potentiam demonſtraret, tum verò corona conſtabat ex ea materia, quam hiſce deſignandis aptiſſimam longa ſæculorum ſeries aſſeruerat. Materiam, vt ex ijs quæ ſupra dixi, planum fit, cõſtat fuiſſe multiplicem, ac propemodum infinitam; hodie quidem cuilibet diligentiæ inacceſſam. Qua tamen olim nulla fuit vulgatior. Nam veluti per manus tradita commeabat à prioribus ad poſteros, à vicinia in viciniam, à manu perita & artifice ad illos quos hæc notitia potiſſimùm oblectabat. Neque enim flores, non herbæ, non folia temerè congerebãtur in coronaměta. Multa ibi aſpiciebatur diuerſitas formarum, & colorum denique artificis mixturæ, *ſiue alterni flores*, vt Plinius ait, *inter ſe necterẽtur; ſiue priuatis generum* [quæ verba parum ſunt ſyncera] *funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum*. Denique in coronis nihil non diſcretum, nihil non proprio ſignificatu validum, nihil non propria indole fuit notabile. Tantum abeſt, vt ibi quicquam fuerit vile, inutile, mutum, otioſum. Omnia neſcio quid peculiare deſignabant tempori, rebus, perſonis, præſenti ſiue lætitiæ, ſiue dignitati, ſpei naſcenti aut adultæ, meritis, virtuti, felicitati congruum. Res mutæ efficaciter loquebantur. Ab odoribus occulta ſagiebant; à coloribus abſtruſa, à materia ſiue ſimplici, ſiue mixta rem omnem cognoſcebant. Quædam leuiter indicabantur. Alia tanquam digito demonſtrabantur, Plura coniectanda relinquebantur. Cuiuſmodi illud eſt quod traditur de corona è perſæa, quæ eſt planta Iſidi Ægyptiæ ſacra, cuius fructus cordi, folium linguæ ſimile eſt. Si quidem hæc planta, ſiue corona ex ea nihil aliud ſignat, niſi inter illa omnia quibus natura hominem donauit, nihil eſſe diuinius ratione, neque quod habeat maiorem imperium ad felicitatem. Certè hoc negotium, olim cognitiſſimum ac protritum, nullus è tot, qui ſuperant, ſcriptoribus enarrandum ſuſcepit. Omnia ferè tacita & preſſa; quorum propterea coniectura eſt perdifficilis. Nihilominus tamen hanc quoque qualemcunque curam meam ad hæc quandoque extendam, ne vſpiam lectori deſim, is, qui

Stob. π. χαμ. εϑ'.

Plin. lib. 21. cap. 1.

Plutarch. π. Iσ. ϗ Oσιρ.

qui eius vtilitati vſquequaque conſultum cupio. Qui mihi finis ſi non eſſet propoſitus, poteram hoc labore ſuperſedere, nec multo conatu magnas nugas agere, & diligentiam in ſuperuacuis, cuiuſmodi hæc videri poſſunt, affectare.

CAPVT II.

Vt flores variantur à natura, ſic & ab arte. Verni flores coronarij qui. Verni hortenſes qui. Ver στεφανηφόρον.

ETSI natura varia ſatorum genera pulchritudinis gratia in fœdus & ſocietatem adigit; ideóque arbores, plantas, baccas, flores, frondes miſcet, nuſquam tamen ſe æque atque in florum miſtura iactat. Illud aliquando facit; hoc ſæpiùs, imò ſemper. Nempe natura quia hominem edidit mutabilem, haud neſcit, eum & mutabilibus, & mutatis, variatíſque potiſſimùm oblectari. Ergo naturæ

— auget meritum dulcis miſtura colorum,
Vt ſemper varium plus micat artis opus.
Nam quæcunque ſolent per ſe perpenſa placere,
Alterno potius vincta decore placent.

Maximil. el. 1. pauculis mutatis.

Cæterùm vt flores variantur à natura, ſic & ab arte. A natura, in praris, campis, locis deuexis & accliuibus, ad ripas, in valle, in monte. Ab arte, in faſciculis, ſertis, corollis, coronis. Gratiſſima florum amœnitas eſt vernorum, eáque dicebantur verna coronamina. Quippe natura hunc ſuum, & quidem primum fœtum eo decore donat, qui eſt proprius Gratiæ ridentis, fruteti germinãtis, vitis gemmantis, ſegetis viridantis. Verni flores hi potiſſimùm numerantur à Philita quodam ſene apud Longum, in horto, ῥόδα, κρίνα, καὶ ὑάκινθος, καὶ ἴα ἀμφότερα, roſæ, lilia, hyacinthus, & violæ vtræque. Alibi hos tantùm recenſet, vt veris primitias, quibus coronaturi erant Deos. ἴα, καὶ νάρκισσος, καὶ ἀναγαλλὶς violæ, narciſſus, anagallis. Vernos quoque flores, aut ſanè ex ijs præcipuos (qui omnes ſunt coronarij) memorat author horum verſuum apud Athenæum,

Apul. Metam. 11.

Long. lib. 2.

Long lib. 3.

ἵματα μὲν χροΐας τοῖς αἱ χάριτές τε καὶ ὧραι
ποίησαν, καὶ ἔβαψαν ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
οἷα φοροῦσ' ὧραι, ἔν τε κρόκῳ, ἔνθ' ὑακίνθῳ,
ἔν τ' ἴῳ θαλέθοντι, ῥόδου ἔν τ' ἐνὶ ἄνθεϊ καλῷ
ἡδέϊ, νεκταρέῳ, ἔν τ' ἀμβροσίαις καλύκεσσιν,
ἄνθεσι ναρκίσσου καλλιρρόου, δι' Ἀφροδίτη
ὥραις παντοίαις τεθυωμένα εἵματα ἕστω.

Athen. lib. 15.

Veſticolorem & aurę & Gratię Illeuerunt, verníſque floribus eam

tinxerunt, Qualibus exornant ſeſe horæ, croco, hyacintho, Florenti viola, roſæ pulchro flore, Iucundo nectareo, ambroſijs calycibus Floris narciſſi eleganti colore formoſi, te ſancta Venus Id nunc precor, veſtis hæc vt omni tempore ſacra ſit. Alius quidam apud eundem Athenæum flores coronarios ita enumerat,

> Σὺ μαλάχας μὲν ἐσορῶν ἀναπνέων διὰ ὑάκινθον,
> Καὶ μελιλώτινον λαλῶν, καὶ ῥόδα προσσεσηρώς, ὦ
> Φιλῶν μὲν ἀμάρακον, προσκινῶν δὲ σέλινον,
> Καὶ κοσμοσάνδαλα βαίνων.

Age tu, qui maluam intueris, hyacinthum ſpiras, Melilotum loqueris, roſas diſtractis labris, rides; Amaracum oſcularis, Dimoto corpore apium oles, Coſmoſandalum incedis. In vernis floribus præcipua & gratia & pulchritudo eſt hortenſium. Nempe in hortis flores lętiùs proueniunt, ſcilicet, in areolis diligēter ac ſtudioſè cultis, ſiue, vt Virgilius ait, in quadruis compitis. Hoſce hortenſes

Long. lib. 4. Lemon ille apud Longum recenſet, dum multo queſtu ſuum hortum deformatum indignatur. *Heu, inquit, roſaria, vt fracta ſunt! heu violaria, vt calcata ſunt! heu hyacinthos & narciſſos quos aliquis improbus effodit. Abibit ver; at hæc non florebunt. erit æſtas; at hæc non vigebunt. Autumnus; verùm hæc neminem coronabunt. Neque tu here*

Theophraſt. lib. 6. de plant. c. 7. *Liber miſeratus es flores, quibus ſæpe fuiſti coronatus.* Primi verni coronarij Theophraſto hi ſunt, τὸ λευκόϊον, τὸ φλόγινον, ſiue φλόγιον, & ipſum genus violæ, denique roſa. At æſtiui λύχνις, Διὸς ἄνθος, τὸ κρίνανθον, τὸ ἴφυον, ἀμάρακος ὁ φρύγιος, ὁ πόθος, τὸ σφυθίον. Ergo in coronamentis prima ratio eſt florum vernorum, qui ordine naturæ ſunt

Clem. Alex. ſtromat. li. 5. primi, & in his vernis hortenſium. Et verò priſca ſapientia quicquid erat ἄνθιον floridum, vocabat τὸ ἔαρ ver, ac ſi totum ver ſit floridum, aut ſolo nomine florum ſignetur tempus vernum. Huc

Clem. Alex. ſtromat. li. 5. pertinet illud,

> Σὸν μὲν ἔαρ λάμπει νέον ἄνθεσι πορφυρέοισιν.

Tuum quidem ver ſplendet nouum floribus purpureis. Honorem talium florum commendat Horatius; eâdem tamen eorum gratiam defloreſcere ait,

Horat li. 2. car.

> *Non ſemper idem floribus eſt honos*
> *Vernis; neque vno luna rubens nitet vultu.*

In hanc ipſam ſententiam Theocritus ex hiſce floribus tres nominat pulcherrimos & odoratiſſimos, nempe roſam, violam, lilium,

Theocr. edy. 24.

> Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.
> Καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾷ.
> Λευκὸν τὸ κρίνόν ἐστι, μαραίνεται ἁνίκα πίπτει.

Et roſa pulchra eſt, & tempus eam exſiccat. Et viola pulchra eſt vere, & ſtatim ſeneſcit. Pulchrum lilium, tabeſit quando cadit.

Hac de cauſa ſcitè Anacreon ver nominat στεφανηφόρον, ſiue quod alijs nectit coronas, ſiue quòd ipſummet aſpicitur coronatum. *Ouid. lib. 1. Metam.*
Prima cauſa eſt apud Ouidium in hoc verſu,

Ver placidum vario nectit de flore coronas. *Incoati.*

Altera apud hunc ipſum poëtam,

Vérque nouum ſtabat cinctum florente corona.

Ipſa Venus vernis floribus coronari amat, vt in his verſibus,

Vere Venus gaudet florentibus aurea ſertis.
Vere nouo vario gemmaſcunt flore corona.

CAP. III.

Viola primus flos vernus coronarius. Vnde dicatur. Violæ quot ſpecies. Viola λευκόϊον. Viola lutea. Pallor in alijs coloribus quàm in albo. Viola nigra.

IN vernis floribus coronarijs primum locum eſſe violæ, vno ferè conſenſu veteres tradunt. Certè hunc florem verè dixeris deliciam vernam. Eſt enim viola prænuntia, & præmonſtratrix omnium pulchritudinum veris. Ea re Græci, à quibus vocatur ἴον, eam dici volunt παρὰ τὸ ἀνθεῖν ταχύ, ab eo quod ſtatim ſurgit, aut apparet. Nam ſtatim vt gelu & frigore terra ſoluitur, hic flos exoritur. Id quod diſertim tradit Horatius, *Etymol. ἴον.*

Nunc decet aut viridi caput impedire myrto, *Horat. li. 1. car.*
Aut flore, terra quem ferunt ſoluta.

Nempe, de hoc flore loquitur. Quod etymon mihi quidem haud magis probatur, quàm illud Iſidori, qui ait violam ſic dici propter vim odoris. Solertiùs alij tradunt, τὸ ἴον violam dici ab Ione puella, cum qua Iupiter concubuit. Quod factum adulter celare ſtudens Ionem mutauit in iuuencam. Terra in honorem puellæ ab Ioue adamatæ produxit florem illi cognominem, pabulum iuuencæ. Et verò hic flos ab ſeſe memorat infortunium puellæ. Quippe erubeſcit vt virgo; itémque fit luteus, ſiue purpureus vt iuuenca. Denique albeſcit, vt inde fides fiat, puellam fuiſſe conuerſam in ſtellas. Vſque eò quicquid fuit in illa virginali indole, nunc quidem aſpicitur in hoc nobiliſſimo germine. Cæterùm vt primùm viola conſpicitur, ver adeſſe intelligitur. Quod anni tempus his verſibus deſcribit Ouidius, *Iſidor. lib. 17. cap. 9.* *Conſtātin Caſ. lib. 11. cap. 23.*

Iam violas puerique legunt, hilaréſque puellæ *Ouid. lib. 3 de triſt.*
Ruráque quæ nullo nata ſerente vehunt.
Pratáque pubeſcunt variorum flore colorum;
Indociliſque loquax gutture vernat auis.

Plin. lib 21. cap. 11. & li. 34 c. 12. & Theophraſt. lib. 6 de plant. cap. 7.

Violæ tres faciunt ſpecies. Vnam vocant leucoion, hoc eſt, albam violam; *cui*, inquit Plinius, *vita longiſſima trimatu eſt.* Et hanc quoque adſumi in coronamenta, diſcimus è Theocrito.

Theocrit. θαλυσ. eidy. ζ.

Ἢ καὶ λευκοΐων στέφανον περὶ κρατὶ φυλάσσων
Τὸν πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρητῆρος ἀφυξῶ.

aut ex albis violis coronam in capite geſtans, Vinum in Ptelea natum è cratere hauriam. Hanc violam Plutarchus ex aliquo vetere poëta vocat mollem,

Plutarch. π. φιλαδελφ.

ἵνα φύονται μαλακῶν ἄνθεα λευκοΐων.

Plutarch. συμπ. προβλ. α. κεφ. δ.

vbi naſcuntur mollium flores violarum, quem verſum ipſe alibi repetit. Alteram violam vocant luteam, &, vt quidam ait, aſpectu ſimilem auro. Et hæc, meo quidem animo, eſt illa ipſa quam Virgilius pallentem nominat,

Virgil. ecl. 2.

--tibi candida Naïs
Pallentes violas, & ſumma papauera carpens.

Solin. cap. 23.

Neque enim in albo ſolùm, ſed & in alijs coloribus pallor exiſtere poteſt. Certè aſpicitur in callai, viridi lapide quem in Germania reperiri aiunt, *qui honore & pretio ad ſmaragdos viret pallidum.* Virgilius hederæ viriditatem facit pallentem,

Virgil. in Cul.

Ipſæque excedunt ad ſumma cacumina lentæ;
Pingúntque aureolos viridi pallore corymbos;

Et ſub finem huius carminis,

-- hederaque nitor pallente corymbo.

Ouid. lib. 8. Metam.

Quo exemplo Ouidius frondes & ramos querceus facit pallentes,

--gemitúmque dedit decidua quercus,
Et pariter frondes, pariter palleſcere glandes
Cœpêre, ac longi pallorem ducere rami.

Aurum quoque pallere dicitur, aut quidpiam auro pallere,

Ouid. lib. 11.

--ſaxum quoque palluit auro.

Audentiùs Virgilius alicubi auras facit pallentes,

Pallebant aura liuentis ad omina viſus.

Alibi inferna loca facit pallentia,

Pallentéſque lacus, & ſqualida Tartara terrent.

Steph. καῦνος.

Eſt & in hominibus viridis quidam pallor. Vnde Stratonius, authore Stephano, cùm videret Caunios inſigniter pallentes, & quidem pallore viridi, οἵη περ, inquit, φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν, qualis eſt progenies foliorum, talis quoque hominum. Horatius pallorem amantium aſſimilat violæ,

Horat li. 3 car. od. 10.

Nec tinctus viola pallor amantium.

Propert. lib. 1.

Propertius ad Cynthiam,

Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum inuitis ducere luminibus?

Statius electrum facit pallidum, *Stat. li. 4. theb.*

-- & aſpera plumis

Terga cydonea corythos arundine pulſat

Electro pallens, & Iaſpide clarus Eoa.

Murrhina quoque pallere dixit Plinius. Eſt & in aſtris pallor, nimirum, propinquante ſole, & ſua face iam detergente cætera cæleſtia numina. Statius, *Plin. lib. 37.*

-- iam ſydera pallent *Stat. lib. 12. Theb.*

Vicino turbata die.

Pallentem hanc violam vocarunt quoque croceam; ex qua coronari, nempe per quietem, Artemidorus ait, ſignificare minùs inſignes incommoditates, quàm è prima. Tertium violæ genus, quod ipſe quidem omnium nobiliſſimum cenſeo, eſt odoris gratiſſimi, & coloris præſtantiſſimi, vtpote purpurei, ſiue amethyſtini, ſiue ianthini. Nempe, hoc eſt illud rutilum quod commendatur in hoc flore. Quæ viola vocatur quoque nigra, ἴον τὸ μέλαν. Vnas haſce violæ ſpecies videtur agnoſcere Theophraſtus τὸ δὲ ἴον τὸ μέλαν, inquit, τοῦ λευκοῦ διαφέρει κατὰ τ' ἄλλα εἰ καὶ αὐτὴν τὴν εἰκόνα, ὅτι πλατύφυλλος καὶ ἐγγειόφυλλος, καὶ σαρκόφυλλός ἐστι, πολλὴν ἔχουσα ῥίζαν. Hæc verò viola nigra ab alba differt & per alia, & per ipſam ſpeciem ſiue formam violæ. quòd latis folijs, & continuis, & carnoſis eſt, multam habens radicem. Hanc in coronamentis vnà cum hyacintho primum locum obtinere Theocritus firmat, *Artemidor lib. 1. cap. 79.* *Conſtātin Cæſ. lib. 11. cap. 20.* *Theophraſt. lib. 1. & lib. 6. de plant. cap. 6.* *Theocrit. eid. 1.*

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος,

Ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρᾶτα λέγονται.

Et viola nigra eſt, & inſcriptus hyacinthus, Sed nihilominus in coronamentis præcipuè nominantur. Virgilius quoque eam vocat nigram, quomodo Athenæus in catalogo florum coronariorum.

Quid tum ſi fuſcus Amyntas? *Virgil. ecl. 10.*

Et nigra violæ ſunt, & vaccinia nigra.

Eædem Claudiano ſunt fuſcæ, *Claud. de rapt. Proſerp.*

--hac lilia fuſcis

Intexit violis.

Scitè & eleganter Achilles Tatius, qui ait, lachrymam à pulchro oculo fluentem, ſi candida pingueſcit, hyacintho, ſi nigra purpuraſcit, violæ, ſimilem effici. Oppianus nubem fœtam imbri, ſiue, vt loquitur Martianus Capella, *imbrificatam*, vocat νεφέλην ἰοειδέα, ſpecie violæ, aut violæ ſimilem, nempe à colore, qui ita purpuraſcit, vt nigredini ſit affinis. Certè apud Homerum oues Cyclopis deſcribuntur opertæ lana violacea, ἰοδνεφὲς εἶρος ἔχοντες. Atque hos quidem omnes violæ colores Iuuenalis agnoſcit in hoc hemiſtichio, *Achill. Tat. lib. 6.* *Oppian. ἁλιευ. lib. 1.* *Homer. Odyſſ. 1.* *Iuuen ſat 10.*

--atque omnes violæ iactabo colores.

CAP. IV.

Viola cenſetur pulchritudine. Anagrammatiſmus ἀφωνόης. *Epitheta à viola. Viola ſymbolum virginitatis. An Muſæ ſint virgines. Viola omnibus pulchritudinibus inſeritur.* κορωνὶς *corona è violis. Viola deſignantur ſuauitates ſermonis. Violacea teneritudo. Eſſe in viola, quid. Viola lares coronantur. Violacea corona medetur* τῇ καρηβαρίᾳ. *Quibus floribus viola ſocietur.*

CERTANT priſci ſcriptores, quis plurimùm tribuat violæ pulchritudini: apud Theocritum votum exſtat vt rubi & ſpinæ ferant violas, iuniperi narciſſum; id eſt, vt è rebus aſperrimis naſcantur ſuauiſſimæ, ex ingratiſſimis gratiſſimæ, è deformibus pulcherrimæ.

Theocrit. in Thyrſi.

Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι.

Nunc violas feratis rubi, feratis ſpinæ. Anacreon ait Venerem eſſe veluti lilium violis inſertum,

Anacr.

μέσον αὔλακος δὲ Κύπρις
κρίνον ὣς ἴοις ἑλιχθὲν
διαφαίνεται γαλήνας.

Lucian. de Imag.

Medio ſulco Venus quaſi lilium violis implicatum renidet placidum per æquor. Et ideo inuenimus huic Deæ tribui epithetum ἰοβλέφαρον violaceis palpebris, hoc eſt, pulchris. Propertius deſcribens priſcarum virginum agreſtem, ſed eandem iucundiſſimam vitam, facit eas legentes violam;

Propert. lib. 3. de auar. puell.

Felix agreſtum quondam pacata iuuentus,
Diuitiæ quarum meſſis & arbor erant.
Illis pompa fuit decuſſa cidonia ramo,
Et dare puniceis plena caniſtra rubis.
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
Lilia virgineos lucida per calathos.

Certè viola legitur propter pulchritudinem coloris, propterque ſuauitatem odoris; vt in his Oppiani verſibus, qui ſunt de puella legente hunc florem, eóque ſe coronante,

Oppian. κυνηγ. lib. 4.

Ὡς δ' ὅτε παρθενικὴ γλαγόεντος ἐν εἴαρος ὥρῃ
Ἀβλαύτοισι πόδεσσιν ἀν' οὔρεα παίτ' ἀλάληται
Ἄνθεα διζομένη. τὸ δέ οἱ μάλα πλοῦθ' εὕσῃ
Νηδύμιον προπάροιθεν ἴον μινύουσιν ἀϋτμήν.
Τῇ δὲ μάλ' ἰάνθη, μεθήσει δὲ θυμὸς ἐλαφρός.
Ἀλᾶται δ' ἀκόρεστος. ἀναψαμένη δὲ κάρηνον
Εἶσιν ἐς ἀγραύλων δόμον ἀείδουσα τοκήων.

Vt autem cùm puella lactei in veris tempore
Nudis pedibus per montes omnes oberrat
Flores quærens. Huic autem valde procul remotæ
Suauem anterius violam indicant halitus,
Eique valde lætatur, ridétque animus leuis;.
Errátque inexplebilis ac reuinciens caput
Vadit in agreſtium ædes cantillans parentum.

Inter Lycophronis anagrammatiſmos numerant eum qui eſt de Arſinoe regina. Eã enim vocarunt ἴον ἥρας violam Iunonis, manentibus iiſdem ex ἀρσινόη literis, ac tantummodò mutatis. Certè in dictione trium ſyllabarum reperire tantam materiam laudis, nonniſi ad eximiam ingenioſi poëtæ laudem referri poteſt. Homerus vbi deſcribit pulchritudinem eius loci in quo habitabat Calypſo Dea, violam non omiſit,

ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ ἴου ἠδὲ σελίνου
θήλεον. — Homer. Odyſſ. ε.

Circa verò prata mollia violæ & apij florebant. Idem Homerus vt oſtendat quanta ſit huic flori gratia, ipſam Venerem vocat ἰοστέφανον viola coronatam, hoc eſt comptam & ornatam,

εἶδος θαυμάζοντες ἰοστεφάνου Κυθερείης. — Homer. in alt. hym. εἰς Ἀφροδ.

Speciem admirantes viola redimitæ Cythereæ. Ad exemplum Homeri Solon eam donat hoc ipſo epithero, in his verſibus,

Αὐτὰρ ἐμὲ ξὺν νηὶ θοῇ κλεινῆς ἀπὸ νήσου
Ἀσκηθῆ πέμποι Κύπρις ἰοστέφανος. — Plutarch. Sol.

Verùm me cum naui celeri ab inclyta inſula incolumem mittat Cypris viola coronata. Ariſtophanes Athenas ornat hoc epitheto,

Ἐν ταῖσι ἰοστεφάνοις οἰκεῖ, ταῖς ἀρχαίαισιν ἀθήναις. — Ariſtoph. Ἱππ.

Viola coronatis antiquis habitat Athenis. Et paulò poſt,

Ὦ ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀριζήλωτοι ἀθῆναι.

O opimæ & viola coronatæ, & præclaræ Athenæ. Et in Acharnenſibus,

πρῶτον μὲν ἰοστεφάνους ἐκάλουν, nempe
ἀθηναίους, κἀπειδὴ τοῦτό τις εἴπῃ
Εὐθὺς διὰ τοὺς στεφάνους, ἐπ' ἄκρων τῶν
πυγιδίων ἐκάθησθε,

Id eſt, primùm quidem vos Athenienſes vocarunt ἰοστεφάνους coronis violaceis præditos, & cùm quis hoc diceret, ſtatim propter coronas inuſitata lætitia vix pedibus terram contingebatis. Muſas Pindarus vocat ἰοπλοκάμους violaceo capillitio. Eodem epitheto Theognis in ſententijs eaſdem muſas donat, — Theogn. ſenten.

ἄγλαα μουσάων δῶρα ἰοστεφάνων

Clara muſarum dona viola coronatarum. Et Theocritus in eidyl-

lio cui nomen Σύριγξ, muſam donat eodem epitheto. Idem repe-
Plutarch. π. ἀδλ. ritur in fragmento veteris cuiuſdam poëtæ, quod memoratur à
Plutarcho. Cœleſtes quoque pleiadas Simonides facit ἰοπλοκάμοις.
Simon. in frag. Ergo iure optimo hic flos cuilibet eſt in delicijs; ipſis potiſſimùm
puellis & virginibus; poteſtque eſſe haud abſurdum ſymbolum
Long. lib. 3. virginitatis. Certè Chloë apud Longum plectit corollam è violis,
eámque nempe virginale munus, Daphnidi imponit. Vt virginitas
Ariſtot in prob. ſect. 13. eſt integritas impolluti corporis, ita hic flos coronamentis integer
inſeritur. Vt virginitas cõpreſſu amittitur, ita hũc florẽ Ariſtoteles
ait eſſe in numero illorum qui contuſi exoleſcunt. Ea re ipſa nu-
mina, ipſæque, vt dixi, Muſæ amant donari hoc epitheto. Etſi non
ſum neſcius, non omnes Muſas eſſe virgines. Nam Terpſychorem
Apollon. Rhod. lib. 4. vnam Muſarum Apollonius Rhodius dicit concubuiſſe cum
Acheloo, & ex eo compreſſu prognatas Sirenas. Nec fortè ipſa
Scholiaſt. Apol. Rhod. in princ. lib 3. Erato planè eſt virgo, quam volunt dici ἀπὸ τοῦ ἐρᾶν, ab amando.
Certè τῇ Ἐρατοῖ, inquit Plato, τοὺς ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς [πειθοῖ προσφιλεστέρας]
Plato in Phæd. Eratonem illis propitiam reddunt, qui in rebus amatorijs ver-
ſantur. Orpheum Calliope Muſa prognatum ait. Polymniæ amo-
German. in Cõm. ad Ara. φαινόμ. in lyr. rem Eryximachus apud Platonem diſcriminat ab amore Vraniæ.
huius amor, inquit, eſt honeſtus & præclarus; at Polymniæ
ὁ πάνδημος ille vulgaris. Id quod obiter mihi dictum ſit contra
Plato in ſymp. Lucianum, qui facit Venerem dicentem, Muſas ab Cupidine ne-
Lucian. in dia. Deor. quaquam ici, quòd ei ſunt σεμναὶ reuerendæ. Certè ipſe Lucianus
Lucian. in dia. Deor. alibi eas facit iniuſtas, quæ fauerint Apollini contra Marſyam. Ip-
ſamque adeò Dianam, illam impenetrabilis pudicitiæ virginem
ait non fuiſſe obſtetricaturam ſi virgo eſſet. Qua tota de re, hoc
Tzetz. in Heſi. eſt, an, & quæ Muſæ ſint virgines, videndus Tzetzes. Nam ibi
Ialemus & Hymenæus ſunt filij Clio, Rheſus Euterpes, Thaliæ
Palæfatus, Vraniæ Linus, Melpomenes, aut Terpſychores &
Acheloi Syrenes, Erato Thamyris, ille ὁ πρῶτος τὰ ἐρωτικὰ συνταξά-
μενος, qui primus amatoria ordine diſpoſuit, Polymniæ Tripto-
Diog. Laert. in proœm. lemus, Calliopes Orpheus. Etſi hæc omnia allegoricè dici aiunt.
Redeo ad rem, & aio, violam omnibus pulchritudinibus, quarum
ipſa pars eſt, ſcitè inſeri. Et quidem Homerus facit colum Helenæ
habentem lanam violaceam.

Homer. Odyſſ. δ.
—αὐτὰρ ἐπ' αὐτῷ
Ἠλακάτη τετάνυστο ἰοδνεφὲς εἶρος ἔχουσα.

Cæterùm ſuper eum colus extenſa erat violaceam lanam habens.
Achill. Tat. lib. 3. Quid, quod iam marcida, ſiue areſcens viola adhuc pulchra eſt?
Pulchritudinem oculorum Achilles Tatius aſſimilat huic violaceo
marcori, ὅτε τῶν ὀφθαλμῶν ἄνθος ἐστὶν ἀκόσμητον, ἀλλ' ἔοικε τοῖς ἄρτι μαραινο-
μένοις ἴοις. Neque oculorum flos eſt ſine cura; ſed ſimilis eſt violis
quæ

quæ paulo ante aruerũt. Nam huic ſiue marcori ſiue pallori paulò poſt indit nomen pulchri timoris. Has ob cauſas, quia, inquã, viola tam grata, tam pulchra, támque odorata eſt, priſci coronã ex hoc flore plexam vocarunt κορωνίδα, quaſi ſummitatem & excellentiam corollarum ſiue coronarum; & κορωνίδας interpretantur è violis plexas coronas, ſicuti omnium pulcherrimas. Et verò κορωνὶς, vt ſupra dixi, ſumma quæque ſignificat, vt ex hoc loco Plutarchi luculenter intelligi poteſt, εἴ τις ἔπεισε Μάριον θύειν ταῖς Ἑλληνικαῖς μούσαις καὶ χάρισιν, ὡς ἂν εὐπρεπεστάταις στρατηγίαις καὶ πολιτείαις ἀμορφοτάτην ἐπέθηκεν κορωνίδα. Siquis perſuaſiſſet Mario vt Græcis muſis & charitibus ſacrificaret, minimè vero præclariſſimis ducatibus & publicis adminiſtrarionibus turpiſſimam impoſuiſſet coronidem. Quid, quod hæc dictio, viola, vnà cum re, diſertiſſimis hominibus, vſque eò placita eſt, vt ea quoque ſignarint ipſas eloquentiæ pulchritudines? *Epicurus*, inquit Martianus Capella, *mixtas violis roſas, & totas apportabat illecebras voluptatum*. Id quod potiſſimùm ad ſuauitatem ſermonis referri debet. Siquidem viola nihil quicquam nec mollius eſt, nec delicatius. Steſichori ſunt verba, ποτεῤῥίπτουν ἴων τε κορωνίδας οὔλας, proijciebant [ad currum regis] violarum apices teneros. Quam violaceam teneritudinem expreſſit Prudentius, cùm violas vocauit molles,

Etymol. κορωνίς.

Heſych. κορωνίδες.

Plutarch. Mario.

Martian. Cap. lib. 2.

Steſich. in frag.

Prudent. cathe.

> *Et molles violas, & tenueis crocos*
> *Fundit fonticulis vnda fugacibus.*

Sed & multò ante Prudentium Virgilius,

Virgil. ecl. 5.

> *Pro molli viola, pro purpureo narciſſo*
> *Carduus, & ſpinus ſurgit paliurus acutis.*

Cæterùm eſſe in viola aut in roſa, vetus dictum fuit, hoc eſt, immergi delicijs & voluptatibus, vt apud M. Tullium, vbi docet eos, qui gaudent animi bonis, id eſt, virtutibus, omnes item ſapientes, qui ijs perfruantur, eſſe beatos, *Etiamne*, inquit, *in cruciatu atque tormentis? An tu me in viola putas, aut in roſa dicere?* nempe, ibi Cicero alludit ad Smindyridem illum Sibaritam, qui cùm in folijs roſarum aut violæ recubuiſſet, expergefactus dixit, ſe φλυκταίνας hoc eſt, puſtulas ex nimia duritie lecti habere. Certè apud Indos Bacchicum eſt, id eſt diſſolutorum ac delicijs perditorum mos eſt, μιτροῦσθαι, μυροῦσθαι, βάπτεσθαι ἄνθινα, mitris redimiri, vngi, floribus mergi. Non omitto, hoc potiſſimùm flore lares coronari. Hoc diſcimus è Iuuenale,

Cic. li. 5. de fin.

Ælian var. hiſt. lib. 9. c. 24. Sen. li. 2. de ira. cap. 25.

Strabo lib. 15.

Iuuenal ſat. 10.

> *Inde domum repetam gracileis vbi parua coronas*
> *Accipiunt fragili ſimulachra nitentia cera*
> *Hic* [l. his] *noſtrum placabo Iouem, laribúſque paternis*
> *Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.*

Cùm Tibullus ait coronam de verno flore factam puerum impo-
Tibul. li. 2. el. 1. ſuiſſe laribus, non de alio flore loquitur quàm de viola,

Rure puer verno primùm de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit laribus.

M. Cato de re ruſt. Et hæc videlicet, eſt in illis coronis, quarum apud Catonem mentio, *Kalendis, Idibus, Nonis, Feſtus dies cùm erit, coronam in focum indat; per eoſdémque dies lari familiari pro copia ſupplicet.* Supe-
Plutarch. ſymp. 3. rioribus dotibus accedit alia. Nam corona violacea ſicuti roſacea ϛέλλει τῇ ὀσμῇ τὰς καρηβαρείας, odore ſiſtit grauitatem capitis. Omnibus vernis floribus viola lepidè ſociatur, præcipuè roſis & lilijs; Virgilius,

Virgil. in Copa.

Sunt etiam croceo violæ de flore corollæ,
Sertáque purpurea lutea miſta roſa.
Et quæ virgineo libata Achelois ab amne
Lilia vimineis attulit in calathis.

Hieron. lib. 2. epiſt. 19. Hieronymi ſunt verba, *Suſcipe viduas, quas inter virginum lilia, & martyrum roſas, quaſi quaſdam violas miſceas. Pro corona ſpinea, in qua Chriſtus mundi delicta portauit, talia ſerta compone.* Solis quandoque lilijs viola iungitur. Anacreon,

Anacr.

Μέσον ἄυλακος ϗ Κύπρις
Κεῖνον ὡς ἴοις ἑλιχθὲν
Διαφαίνεται γαλήνας.

Et Propertius,

Propert. lib 3.

Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
Lilia virgineos lucida per calathos.

Et Ouidius,

Ouid. lib. 5. Metam.

Perpetuum ver eſt, quo dum Proſerpina luco
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit.

Athen. lib. 15. Soli quoque roſæ ſola viola ſociatur, vſque eò, vt vetus dictum fuerit, ϛέφανος ἴων ϗ ῥόδων, corona violarum & roſarum, quaſi ſint flores gemelli, ac propemodum indiuidui. Viola quoque iungitur ijs omnibus floribus quibus connaſcitur, veluti hyacintho, vt in
Long lib. 1. queſtu Daphnidis, τὰ μὲν ἴα, ϗ ὁ ὑάκινθος ἀνθεῖ, Δάφνις ϗ μαραίνεται.
Iungitur & ſerpyllo, Theocritus,

Theocrit Eidyl. θ.

ἁ δ᾽ ἴον, ἁ δ᾽ ἕρπυλλον ἀπαίνυτο.

Hæc verò violam, hæc ſerpyllum decerpebat. Sociatur quoque cythiſis & thymo, vt apud Ouidium,

Ouid lib 5. Faſt.

Ad violam & cythiſos, & thyma grata voco.

Et croco, Ouidius

Ouid. ibid.

Lilia deciderant, violas arere videres,
Filáque punicei languida facta croci.

Et Prudentius in verſibus ſupra citatis,

Et molles violas, & tenueis crocos *Prudent. cathemer.*
Fundit fonticulis vnda fugacibus.

Denique viola ſcitè ſociatur narciſſo, Virgilius,

Pro molli viola, pro purpureo narciſſo *Virgil. ecl. 5.*
Carduus, &c.

CAPVT V.

Roſa flos vernus coronarius. Propriè & κατ' ἐξοχὴν dicitur flos. Roſæ vocabulo ſæpe ſignantur alij flores. Roſa regina florum. Corona roſacea deſignat potentiam & imperium. Roſa ſparſa index publicæ lætitiæ & priuatæ. Corona roſea in conuiuijs dari ſolita. Roſa menſæ conſperguntur. Dignitas roſæ.

IN *Italia*, inquit Plinius, *viola ſuccedit roſa.* Nempe vltra maria alius eſt ordo florum. Eſt ergo roſa vernus flos, Propertius, *Plin. li. 21. c. 11.*

Me iuuat & multo mentem vincire lyæo, *Propert. lib. 3.*
Et caput in verna ſemper habere roſa.

Eſtque adeò ſpecimen veris, Prudentius,

Quàm multas hyemes voluerit, & roſas *Prudent. cathemer. in præfat.*
Pratis poſt glaciem reddiderit, nix capitis probat.

Quæ res ſcilicet, eſt tam vulgaris, támque trita vt M. Tullius hinc occaſionem captarit illudendi ſocordiæ Verris, qui nihil neque ſciret neque ſaperet ſupra vulgum. *Cùm autem*, inquit, *ver eſſe cœperat, cui initium iſte non à Fauonio, neque ab aliquo aſtro notabat; ſed cùm roſam viderat, tum incipere ver arbitrabatur.* Roſę herbarij centum ſpecies inueniunt, quas exequi non eſt inſtituti mei, qui id ago vt cognitiſſimi floris dignitatem repræſentem, quatenus recipitur in coronas. Etſi inuenio apud Plinium vſum huius floris eſſe minimum in coronamentis. Id quod ego à Plinio prolatum magnopere mirarer, & reijcerem vt falſum, ſi neſcirem Plinium ibi potiſſimùm agere de coronis ijs, quæ in hoc tantùm ſunt inuentæ vt capiti medeantur. Quamuis & ipſa roſa hoc ipſum præſtet, vt alibi dico, illa potiſſimùm quæ hinc nomen adepta vocatur coroneola autumnalis. Cæterùm vna roſa propriè dicitur flos κατ' ἐξοχὴν. Id quod firmat Scholiaſtes Ariſtophanis in hunc locum, *Cic. in Ver. orat. 7.* *Plin. lib. 21. c. 4.*

ὥσπερ ὁ γεγραμμένος ἔχων στέφανον ἀνθέμων. *Ariſtoph. Acha.*

Quemadmodum pictus habens coronam florum. Nam τὸ ἀνθέμων florum ait poſitum ἀντὶ τῶν ῥόδων pro roſarum. Et verò aduerto interpretem Strabonis pro ſua cętera eruditione hęc verba, αἱ δὲ γυναῖκες ἐν ἐνδύμασι καὶ ἀνθεινοῖς ἴδησι διάγουσιν, vertiſſe, mulieres in roſeis de- *Strabo. lib. 3.*

gunt ornamentis. Meritiſſimò id quidem, cum roſa præ cæteris florere dicatur, vt apud Theocritum,

Theocrit. εἰδυλ. ις'. --Πολλὸς δ' ἁ κισσὸς ὡς ῥόδα καλὸς ἐπανθεῖ,

multa hedera floret ſicut roſa. Et apud Virgilium,

Virgil. in Cir. -- *ſparſáque liminibus floret roſa.*

Et apud incertum,

Epigr. lib 4. *Alæ, colla, comæ, pectus, femur, vngula, cauda*
Paſtanis lucent floridiora roſis.

Et hoc, ſcilicet, florere proprium eſſe pulchritudinis, hinc diſcimus, quod ipſa pulchritudo ex oculis florere dicitur, ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν *Achill. Tat. l 3.* ἀνθεῖ τὸ κάλλος. Neque verò tantùm flos ſimpliciter prolata dictio ſæpe ſignat roſam, ſed & roſæ vocabulo ſæpe ſignificantur alij *Sapho. in car.* flores, vt in his Sapphicis verbis, πῶς οὐχί σοι μᾶλλον ἐξέσται μέγα φρονεῖν ἐφ' ἑαυτῇ, καὶ λαμπρὸν ἂν μὴ τῶν ῥόδων, ἀλλὰ τῶν καρπῶν μετέχῃς ὧν αἱ Μοῦσαι φέρουσι καὶ χαρίζονται τοῖς παιδείαν καὶ φιλοσοφίαν θαυμάζουσι; Quomodo non magis tibi licebit magnificè de te ſentire & ſplendidè, ſi non roſarum, ſed fructuum ſis particeps quos Muſæ producunt & largiuntur ijs qui doctrinam & philoſophiam admirationi habent. Similiter Dracontius omnes flores vocat roſeos in his verſibus,

Dracõt. de opif. V I. dier. *Qui roſeis ſtellare nemus vel floribus agros*
Imperat, autumni qui dulcia poma ſaporat.

Hinc roſa dicta eſt regina florum, vt in hoc eius pereleganti encomio, quod fuit tantæ celebritatis, vt vulgo caneretur Hęc quidem verba Leucippe lepidiſſima virgo canit apud Achillem Tatium, *Achill. Tat. lib. 2. & in fragm. Sapph.* εἰ τοῖς ἄνθεσιν ἤθελεν ὁ Ζεὺς ἐπιθεῖναι βασιλέα, τὸ ῥόδον ἂν τῶν ἀνθέων ἐβασίλευσε. γῆς ἐστι κόσμος, φυτῶν ἀγλάϊσμα, ὀφθαλμὸς ἀνθέων, λειμῶνος ἐρύθημα, κάλλος ἀστράπτον· ἔρωτος πνεῖ, Ἀφροδίτην προξενεῖ, εὐειδέσι φύλλοις κομᾷ, εὐκινήτοις πετάλοις τρυφᾷ, τὸ πέταλον τῷ ζεφύρῳ γελᾷ. Si regem floribus conſtituere Iupiter voluiſſet, non alium certè quàm roſam tali honore dignatus eſſet. hæc eſt terræ ornamentum, plantarum ſplendor, oculus florum, prati purpura, pulchritudo coruſcans. hæc amorem ſpirat, Venerem conciliat, ſpecioſis folijs luxuriat, tremuliſque delectat, eius frondes zephyri afflatu rident. Atq; adeò vſque eò verum eſt, roſæ tribui regnum florum, vt corona è roſis præter cætera deſignet potentiam, regnum, imperium. Certè Cleon ille humilis adorator populi Athenienſis apud Ariſtophanem dicit illi in os,

Ariſtoph. ἱππ. Ἀλλ' οἵ γε ἐμοὶ λέγουσιν [χρησμοὶ] ὡς ἄρξαι σε δεῖ
Χώρας ἁπάσης ἐστεφανωμένον ῥόδοις.

At oracula mihi dicunt fore vt imperes vniuerſæ regioni coronatus roſis. Pindarus de maioribus Meliſſi Thebani, corúmque virtutibus & felicitate loquens, poſt multas acceptas clades, denique

eos comparat roſis, veluti in culmine omnis decoris, omníſque potentiæ poſitos,

χθὼν ἅτε φοινικίοις ἄνθησε ῥόδοις. — *Pindar. Iſth. od. 4.*

Sicut terra purpureis floruerunt roſis. Huc accedit, quod quoties roſa iacitur aut ſpargitur, ſanè eſt index publicæ lætitiæ. Huiuſmodi eſt illud in fragmentis Steſichori,

πολλὰ μὲν κυδώνια μᾶλα ποτερρίπτουν ποτὶ δίφρον
ἄνακτι, πολλὰ δὲ μύρρινα φύλλα, καὶ ῥοδίνους στεφάνους, — *Steſichor. in carm.*
ἴων τε κορωνίδας οὔλας.

Multa quidem cydonia mala proijciebāt ad currum regi, multáſque myrteas frondes, & roſeas coronas, violarúmque apices teneros. Similiter Lucretius de Idæa matre, ſiue terra, — *Lucret. lib. 2.*

Ergo cùm primùm magnas inuecta per vrbes
Munificat tacita mortales muta ſalute,
Aere atque argento ſternunt iter; omnia circùm
Largifica ſtipe ditantes; ningúntque roſarum
Floribus, vmbrantes matrem, comitúmque cateruas.

Nec publicæ tantùm lætitiæ, verùm & priuatæ roſa nunquam non teſtis eſt Anacreon ille feſtiuiſſimus vult redimiri roſis, — *Anacr.*

ῥόδοις δὲ κρᾶτα
Πύκασον, κάλει δ' ἑταίρην.

Roſis verò caput corona. Voca autem amicam. Et alibi,

τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων
Μίξωμεν Διονύσῳ.
τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυλλον
Κροτάφοισι ἁρμόσαντες.

Roſam amorum miſcebimus Dionyſio, Roſam pulchris folijs capiti aptantes. Alio item loco,

Ἐμοὶ μέλει ῥόδοισι
Καταστέφειν κάρηνα.

Mihi curæ eſt roſis coronare caput. Nempe dum agitur conuiuium. Quippe corona roſea in conuiuijs potiſſimùm dari ſolita. Propertius, — *Propert. lib. 3.*

Me iuuat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna ſemper habere roſa.

Et Anacreon,

Στεφάνους δ' ἀνὴρ τρεῖς ἕκαστος εἶχεν,
Τοὺς μὲν ῥοδίνους, τὸν δὲ ναυκρατίτην.

At coronas vir quiſque habuit tres, illas [duas] quidem roſeas. hanc verò naucratiten. Certè quod ſupra dixi roſam regnare, id quoque verum deprehenditur in conuiuijs, Martialis, — *Martial. epigr. lib. & Plin. li. 3. epiſt. ep. 21.*

Hæc hora eſt tua dum furit Lyæus,

Cùm regnat roſa, cùm madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Philoſtrat. in imag.

Eſt autem corona roſacea propria conuiuij, quia Comus à quo *κωμάζειν* conuiuium celebrare, redimitur hac corona. Ipſæ adeò menſæ hoc lætiſſimo flore conſperguntur, vt apud Ouidium.

Ouid. lj. 5. Faſt.

Tempora ſutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta ſplendida menſa roſa.

Et paulò poſt,

Annuit, & motis flores cecidêre capillis,
Decidere in menſas vt roſa miſſa ſolet.

Horat. lib. 1. car. od. 38.

Quem morem expreſſit Horatius,

--neu deſint epulis roſa.

Et alibi,

Horat. lib. 2. carm. od. 3.

Mitte ſectari roſa quo locorum
--Sera moretur.

id eſt, vbi protrahatur conuiuium. Qui mos è prouincijs tranſmarinis vnà cum cætero luxus apparatu Romam delatus tam frequẽs fuit, vt apud Poëtas nihil quicquam ſit magis obuium quàm roſa adhibita potationibus, & conuiuijs. Horatius,

Huc vina & vnguenta, & nimiùm breuis
Flores amœna iube ferre roſæ.

Horat. lib. 2. carm. od. 11.

Alio item loco,

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes ſic temerè & roſa
Canos odorati capillos
Dum licet, Aſſyriáque nardo
Potamus vncti?

Horat. lib. 3. carm. od. 19.

Denique alibi,

Parcenteis ego dexteras Odi ſpargere roſas,

In ipſo Deorum ſolenni cultu, & in apparatu ſacrificali ſuus roſæ locus ſemper fuit. Columella,

Colum. de cul. hort. lib. 10.

--ingenuo confuſa rubore
Virgineas adoperta genas roſa præbet honores.
Cœlitibus, templíſque Sabæum miſcet odorem.

Hinc fit, vt roſæ nullum florem componere auſis. Id quod Theocritus diſertim dicit,

Theocrit. ὁδοιπός. eid. ε.

Ἀλλ' οὐ σύμβλητ' ἐστὶ κυνόσβατος, οὐδ' ἀνεμώνα
Πρὸς ῥόδα, τῶν αἱ δήεα, παρ' αἱμασιαῖσι πεφύκει.

Sed non conferenda ſunt rubus caninus & anemone cum roſis, quorum flores circa ſepes naſcuntur. Extat & verſus Perſij in quodam fragmento relatus à Hieronymo, quo roſæ præſtantia luculenter demonſtratur,

-- quicquid calcaueris, hoc roſa fiat, *Hieron. lib. 1. epp. ep. 16.*
roſa, hoc eſt, quod in odoribus, coloribus, floribus ſuauiſſimum, pulcherrimum, gratiſſimum eſt.

CAPVT VI.

Roſa delicata & mollis. Eſſe, dormire, potare in roſa. Roſa Veneri dilecta. Comus roſa coronatur. Sertum Veneris ex vtraque roſa nexum candida & nigra. Roſeus color, id eſt Venereus, pudicus, verecundus. Oſculum roſeum. Roſa vnde nata, vnde dicta. Roſa purpura.

ATQVE hæc quidem roſæ dignitas conficitur è pluribus dotibus eius; Quarum prima eſt, vt ſit delicata & mollis. ἐπαινεῖν χρὴ, τὸ χαῦνον τοῦ στεφάνου [ῥοδίνου] καὶ ἁπαλὸν, laudare oportet laxitatem & mollitiem roſaceæ coronæ. *Philoſtrat. in imag.* Nempe, regibus, iiſque qui viuebant luxu regio, puluini farciebantur è roſa. Cui vſui præcipuè Melitenſis apta fuit vt delicatiſſima. *Cic. act. 7. in Verr.* Porrò iſti delicatuli & nauſeatores, qui quantum eſt voluptatum conſumpſerunt, dicebãtur eſſe in viola aut in roſa, vt dixi in viola, ac præterea dormire in roſa. Pedo de victore,

Sic eſt, victor amet, victor potiatur in vmbra; *Epigr. in obit. Mœcen.*
Victor odorata dormiat inque roſa.

nec in roſa tantùm, ſed & in omnibus vernis floribus. Oppianus,

Οἷος μὲν γλυκὺς ὕπνος ἐπ' ἄνθεσιν εἴαρος ὥρῃ, *Oppian lib. 2. κυνηγ.*
Οἵη δ' αὖτε θέρευς γλυκερὴ σπήλυγγι χαμευνή.

Quàm dulcis eſt ſomnus in floribus veris, quàm item rurſum æſtate dulcis in antro eſt cubatio humi. Dicebantur quoque potare in roſa, vt apud M. Tullium loquentem de M. Regulo, *Clamat, virtus beatiorem fuiſſe, quàm potentem in roſa Thorium.* *Cic. li. 2. de fin.* Inter portenta deliciarum fuit Veneri dare operam in roſa, Certè Horatius quærit è puero quis ipſo fruatur in roſa,

Quis multa gracilis te puer in roſa *Horat. li. 1. car. od. 5.*
Perfuſus liquidis vrget odoribus?
Grato Pyrrha ſub antro.

Nempe, deliciæ roſæ Venerem quoque demonſtrabant, quia, vt ſuprà ex Achille Tatio dicebam, hic flos ἔρωτος πνεῖ, καὶ Ἀφροδίτην προξενεῖ, amorem ſpirat, & Venerem conciliat. Quemadmodum cæteri flores verni, atque adeò omnia verna. Oppianus,

Καὶ δ' αὐτοῖς μερόπεσσιν ἐν εἴαρι μᾶλλον ἔρωτες, *Oppian. lib. 1. κυνηγ.*
Εἴαρι καὶ πάνδημος ἐπιβρύθει Κυθέρεια.

Martian. Cap. lib. 1. Vere ipſis hominibus magis [feruent] amores. Vere namque vulgata, ſeu vulgiuaga ingruit Venus. Certè Martianus Capella Veneri plectit coronam è roſis. *Huic*, inquit, *roſis decuſſatim vinculatis ſertata contextio.* Et ne quis dubitet ipſum loqui de Venere, addit, *Quam & conſpicere nitentem, & fantem audire dulces illecebras, & attrahere fragrantiſſimi ſpiritus halitibus redolentem, & oſculis lambere, & cõtingere corpore, eiúſque velles cupidine ſuſpirare. Quę quidem licet amorum, voluptatúmque mater omnium crederetur, tamen eidem deferebant pudicitię principatum.* *Himer. μελ. ἐκλ.* Venus item proprijs creditur gaudere roſis, id eſt natis in horto ſuo, ἔρωτες δὲ ῥόδων στεφάνους πλεξάμενοι, ὃς ἐξ Ἀφροδίτης κήπων, ὅταν θέλωσι, δρέπονται, τὴν παστάδα πᾶσαν ἀνάπτουσιν. Cupidines autem plexis coronis quas è Veneris hortis, cùm volunt, decerpunt, porticum omnem incendunt. Eſt ergo roſa in tutela Veneris διὰ τὸν ἀφροδισιασμὸν, propter vſum rei Venereę, cuius videtur eſſe ſymbolum. Et ideo amatores plerunque hoc munere colunt dominas. *Theocrit. Cycl. eidyll. ιά.* Theocritus de Polyphemo amatore Galateæ,

> Ἤρατο δ' οὔτι ῥόδοις, οὐ μάλοις, οὐδὲ κικίνοις,
> Ἀλλ' ὀλοαῖς μανίαις.

Amauit verò non roſis, aut pomis, aut cīcinnis, (ac ſi dicat, vt ſolēt cęteri amatores,) Sed pernicioſis furijs. De tali quoque corona veriſimile eſt loqui Propertium, cùm luſitans cum ſua domina coronam ei imponebat, *Propert. lib. 1.*

> *Et modo ſoluebam noſtra de fronte corollas,*
> *Ponebámque tuis Cynthia temporibus.*

Philoſtrat. in imag. Cùm Bacchum Amor inebriaſſet, venit ad Ariadnem redimitus corona roſacea. Ergo illa libidinoſa Palęſtra apud Lucianum, cùm *Lucian. Luc. ſiue aſ. aur.* appeteret complexùs hoſpitis, plurimis roſis lectum conſperſit; τὰ μὲν [ῥόδα] οὕτω γυμνὰ καθ' αὐτὰ, τὰ δὲ λελυμένα, τὰ δὲ στεφάνοις συμπεπλεγμένα. Quædam roſæ erant ſingulæ ſiue nudę per ſe, aliæ ſolutę, aliæ coronis implexæ. *Fulgent. lib. 2. myth. in Vene.* *Roſa*, inquit Fulgentius, *& rubent & pungunt, vt etiam libido. Rubet verecundia opprobrio; Pungit etiam peccati aculeo. Et ſicut roſa delectat quidem, ſed celeri motu temporis tollitur, ita & libido libet momentaliter, & fugit perenniter.* Has *Phornut. in Como.* ob cauſas roſeam coronam tribuunt Como cuidam numini, cuius ſupra mentionem feci, qui adſtat in thalami foribus aureis *Philoſtrat. in imag.* ſicuti conciliator vtriuſque ſponſi, & primi complexus coniugialis author. Cuius corona laudatur propter laxitatem & mollitiem, & roſidum illud roſarum, quæ, prope dixerim, vnà cum odore ſunt pictæ. Hunc ſanè Comum, aut quempiam coronatum Comi *Oppian. lib. 1.* munia obeuntem deſcribit Oppianus in his verſibus,

> Ὡς δέ τις ἠϊθέων ὑπὸ νυμφοκόμοισι γυναιξὶν

Εἵμασιν ἀργεννοῖσι καὶ ἄνθεσι πορφυρέοισι
Στεψάμενος, πνείων τὸ παλαιστίνοιο μύροιο
Ἐς θάλαμον βαίνησιν ὑμῖν ὑμέναιον ἀείδων·

Quomodo aliquis iuuenum à pronubis mulieribus, Veſtibus candidis, & floribus purpureis Redimitus, ſpiránſque Palæſtinum vnguentum. In thalamum aſcendit vobis hymenæum canens. Fingitúrque & pingitur hoc numen ferè in comitatu amantium è quibus ὁ μὲν κυανόπρωρον, ὁ δὲ χρυσόπρωρον· ὁ δὲ ἄλλος ἄλλοτι, τῶν ποικίλων ἀκατίων ἐμβεβηκὼς πλεῖ. καὶ κῶμος αὐτὸς, καλοί τε καὶ ἐστεφανωμένοι. καὶ ὁ μὲν αὐλεῖ, ὁ δὲ κροτεῖ φησὶν· ὁ δὲ ᾄδει, οἶμαι. Quorum alius cyanea, alius aurea prora, alius aliquam aliam è verſicoloribus cymbis ingreſſus nauigat. Et Comus ipſe & pulchri & coronati. Et hic quidem tibias inflat. Alius plaudit, inquit. Alius canit, opinor. Hæc quoque roſea corona eſt Veneris propter eius colorem, qui conſtat è duobus coloribus candido & rubro. Neque enim Venus ῥοδόχρους ex vno tantùm coloris genere plexam coronam gerit; ſed vt originem roſei, hoc eſt, ſui coloris repræſentet, capite geſtat ſertum διχρώχοον, nempe ex vtraque roſa contextum candida & rubra, id eſt nigra purpuraſcente; cuiuſmodi eſt illa Indica quam deſcribit Achilles Tatius; etſi is eam non roſam nominat, ſed florem, ac ne florem quidem, ſed frondem. Et hic, ſcilicet, eſt ſenſus horum verſuum qui ſunt apud Valerium Flaccum, vbi is coronam Veneris facit duplicem, ob vtriuſque coloris mixturam, ex qua conficitur roſeus.

Philoſtrat. in imag.

Achill. Tat. lib. 4.

--ipſa ſuam duplicem Cytherea coronam
Donat, & arſuras alia cum virgine gemmas.

Valer. Flacc. lib. 8. Argo.

vbi gemmas arſuras non interpretor lapillos ignitos aut igneſcentes, ſed ipſas roſas quæ propter colorem ardere dicuntur, vt apud Plutarchum ἄνθεσι φλέγοντα τοῖς ῥοδίνοις στέφανον, floribus ardentem roſeis coronam. Id quod à Græcis ſumpſit Apuleius deſcribens coronam ſuæ Deæ, *nunc*, inquit, *albo candore lucida, nunc croceo flore lutea, nunc roſeo rubore flammida*. Hinc eſt quod in roſa commendant verecundiam. Certè ob hunc ruborem hæc è roſis ſiue roſacea corona propriè dicitur purpurea, ſiue purpuraſcens, vt in his verbis, τὴν χρυσῆν κόμην ῥόδων στεφάνῳ πορφύροντι. Auream comam roſarum corona purpurante. Cæterùm cùm Euripides capillis Veneris innectit ſerta roſea, vtrumque roſæ genus intelligit.

Plutarch. ſymp. 3.

Apul. lib. 11. Metam.

Conſtant. Caſ. lib. 11. cap. 20.

Himer. μελ.

αἰεὶ δ' ἐπιβαλλομέναν
χαίταισιν εὐώδη ῥοδέ-
ων πλόκον ἀνθέων
τᾷ σοφίᾳ παρέδρους

Euripid. Med. actu 3. de Ven

πέμπειν ἔρωτας,
παντοίας ἀρετᾶς ξυνεργούς,

vbi ſemper innectit capillis aurea ſerta nectareis ex floribus, vt excitet amores Sophiæ contubernaleis, omnigenæ virtutis cooperatores. Nempe roſaceus color mammis Veneris eſt concolor, quas ei Anacreon roſeas tribuit, vbi deſcribit hanc Deam ſculptam in diſco, & quidem natantem,

Anacr.
ῥοδέων δ' ὕπερθε μαζῶν
ἁπαλῆς ἔνερθε δειρῆς
μέγα κῦμα πρῶτα τέμνει.

Roſearúm verò ſuper mammillatum tenera ſub ceruice, magnum fluctum prima ſecat. Huius quoque Deæ ceruix eſt roſea. Virgilius de Venere,

Virgil 1. Æneid. *Dixit, & auertens roſea ceruice refulſit.*

Tum os roſeum, Virgilius de hac ipſa,

Virgil. 2. Æne. *– roſeóque hæc inſuper addidit ore.*

Veneris plantas Apuleius facit roſeas. Apud eundem Venus eſt *totum reuincta corpus roſis micantibus.* Vt ergo Venus pulchritudine omnes Deas antecellit, ita hic ipſe roſeus, hoc eſt, Venereus color & cœleſtis quidam rubor cæteris omnibus antiſtat, vel ob id potiſſimùm quòd eſt argumentum pudoris, eiúſque quæ adoleſcentulos, virgines, mulieres decet, verecundiæ *Erubuit*, inquit ille, *Salua res eſt.* Laudatur etiam ob pulchritudinem. Vix enim in femina probatur candor non aliquo rubore ſuffuſus.

Apul. lib. 4. Metam. *Apul. lib. 6. Metam.* *Terent. Andr.*

Maximian. ſiue Cornel. Gall. el. 1.

Candida contempſi, niſi quæ ſuffuſa rubore
Vernarent proprijs ora ſerena roſis.
Hunc Venus ante alios ſibi vindicat ipſa colorem;
Diligit & florem Cypris vbique ſuum.

Hunc ergo ruborem Virgilius tribuit Lauiniæ virgini,

Virgil. 12. Æne.
Accepit vocem lachrymis Lauinia matris
Flagrantes perfuſa genas; cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per oſſa cucurrit.
Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si quis ebur; vel miſta rubent vbi lilia multa
Alba roſa. Tales virgo dabat ore colores.

Virgil. 9. Æneï. Iridi quoque hic ipſe poëta tribuit os roſeum,

Ad quem ſic roſeo Thaumantias ore locuta eſt.

Hunc colorem & florem alibi Virgilius vocat rutilum, eiúſque comam Punicam,

Virgil. in roſa.
Ecce & defluxit rutili coma Punica floris
Dum loquor, & tellus tecta rubore micat.

Idem ſuam puellam facit roſeis digitis,

Aut roſeis digitis viridem decerpſerit vuam. — *Virgil. in Dir.*

Cùm Horatius queritur Telephum Lydiæ videri pulchrum, ait illam laudare roſeam eius ceruicem,

Cùm tu Lydia Telephi Ceruicem roſeam, — *Horat. lib. 1.*
— & cerea Telephi —laudas. — *Carm. od. 13.*

Achilles Tatius deſcribens Melittæ pulchritudinem, ait illam re-uera eſſe pulchram, ac diceres, inquit, illius vultum lacte perun-ctum, & genis eius innatam eſſe roſam. Heſiodus Euricem vnam filiarum Oceani vocat ῥοδόπηχυν roſeis lacertis; Theocritus Helenam διὰ τὸ καλλίστευμα roſeam, ſiue roſei coloris,

(*Achil. Tat. li. 5.* — *Heſiod. Theog.*)

ὧδ' ἁ καὶ ὁ ῥοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος. — *Theocri. in Hel. epith. eid. 18.*

Callimachus ait, poſtquam Pallas ſe perfricuit oleæ vnguento, quod Græcis eſt ῥόδινον, ei recurriſſe ruborem, qualis eſt roſæ, aut grani mali Punici.

ὦ κῶραι· τὸ δ' ἔρευθος ἀνέδραμε πρώϊον οἵαν — *Callimach. in*
Ἢ ῥόδον, ἢ σίβδας κόκκος ἔχει χροίαν. — *λουτ. τῆς Πάλλα.*

Virgilius Niſo tribuit crinem roſeum, id eſt pulcherrimum,

Et roſeus medio fulgebat vertice crinis. — *Virgil. in Ciri.*

Et Tibullus,

Carmine purpurea eſt Niſi coma, — *Tibul. li. 1. el 4.*

purpurea, id eſt roſea, vt infra dico. Quid, quod oſculum pulchræ feminæ, propter indolem, vt ille ait, dicitur roſeum? Capella de Ioue implicante ſe Danaë,

Sic admouetur ori, — *Martian. Cap.*
Roſeúmque circumacta — *lib. 9.*
Rapit oſculum puella;
Gremióque complicatus
Pretium tulit pudoris.

Similiter Muſæus Herus virginis genas facit roſeas,

Ἄκρα δὲ χιονέων φοινίσσετο κύκλα παρειῶν — *Muſ. in poema.*
Ὡς ῥόδον ἐκ καλύκων διδυμόχροον· ἦ τάχα φαίης
Ἡροῦς ἐν μελέεσσι ῥόδων λειμῶνα φανῆναι.

Summi niuearum rubebant circuli genarum, Vt roſa ex thecis bicolor. Certè diceres Herûs ex membris roſarum pratum apparere. Tatius de vultu Leucippes, τὸ στόμα ῥόδον ἄνθος ἦν ὅταν ἄρχεται τὸ ῥόδον ἀνοίγειν τῶν φύλλων τὰ χείλη, Os ſeu vultus roſarum flos erat, cùm incipit roſa aperire labra foliorum. Poſtremò, roſa eſt Veneris, quia nata eſt è ſanguine Adonidis. Bion,

(*Achill. Tat. lib. 1.*)

Αἲ αἲ τὰν Κυθέρειαν, ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις — *Bion in epithal.*
Δάκρυον ἁ Παφία τόσσον χέει ὅσσον Ἄδωνις — *Adon.*
Αἷμα χέει· τὰ δὲ πάντα ποτὶ χθονὶ γίγνεται ἄνθη.
Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν.

Væ væ Veneri, interijt pulcher Adonis. Lachrymarum Venus tantum effundit quantum Adonis Sanguinis fundit. Hæc verò omnia in terra conuertuntur in flores. Sanguis roſam gignit, ſed lachrymæ anemonem. Similiter Ouidius facit Venerem flentem Adonidem ſuum, ac dicentem,

Ouid. lib. 10. Metam.

— at cruor in florem mutabitur.

Et paulò poſt,

— ſic fata cruorem
Nectare odorato ſparſit, qui tactus ab illo
Intumuit; ſic vt fuluo perlucida cœlo
Surgere bulla ſolet, cùm flos de ſanguine concolor ortus
Qualem qua lento celant ſub cortice granum
Punica ferre ſolent.

Conſtātin Caſ. lib. 11. cap. 18. Alij paulò aliter narrant hanc fabulam. Quippe aiunt, Adonide occiſo, Venerem nudis pedibus ingreſſam eſſe ſyluam; ibíque ſpinis compunctam emiſiſſe cruorem. Inde roſam, quæ prius eſſet alba, cœpiſſe rubere, ac magis magíſque adlubeſcere. Alij tradunt conuiuium agitantibus Dijs, inibi fuiſſe magnam copiam nectaris. Sed Cupidine choream ducente, altera alarum mouiſſe, atque adeò vertiſſe pedem eius crateris vbi erat nectar. Hinc roſæ purpureum, ſiue puniceum colorem extitiſſe. Roſarum genus aliter tradit Anacreon in his verſibus,

Anacr.

Φέρε δὴ φυλὴν [τῶ ῥόδου] λέγωμεν.
Χαροπῆς ὅτ' ἐκ θαλάττης.
Δεδροσωμένην Κυθήρην
Ἐλόχευε πόντος ἀφρῷ,
Πολεμόκλονόν τ' Ἀθήνην
Κορυφῆς ἐδείκνυε Ζεύς,
Τότε καὶ ῥόδου ἀγητὸν
Νέον ἔρνος ἣν ἔθηκε χθὼν,
Πολυδαίδαλον λόχευμα.

Agedum originem roſæ dicamus. Cùm cærulis ab vndis Sale roſidam Cytheren Spuma edidit profundi, Iouiſque cùm Mineruæ E' vertice exiliuit Armata ſcuto & haſta, Tunc nobilis roſarum Stirps edita eſt beato Terræ ſinu, venuſtus, Miræque fœtus artis. Cæterùm colorem roſæ Theocritus vocat ſplendorem purpureæ roſæ, ἀγλαΐαν πυρσοῖο ῥόδου. Hinc eſt, quod Prudentio roſaria ſunt purpurea, id eſt, vt Plinius ait, coloris ardentiſſimi,

Theocrit. Europa eid. 19.
Plin. lib. 21. c. 4.
Prudent. Cathe.

Jllic purpureis tecta roſarijs
Omnis fragrat humus.

Vbi roſaria credibile eſt ſumi non tantùm pro virgultis è quibus roſæ naſcuntur, ſed pro omnis generis floribus. In quo ſignificatu

hæc vox placita eſt poëtæ Chriſtiano. Dracontius de Adamo & Eua,

Ibant per flores, per tota roſaria læti Dracõt.de opif. VI. dier.
Inter odoratas meſſes, lucóſque virenteis.

Hanc purpuram eleganter expreſſit Martianus Capella his verbis,

Ac ni roſetis purpuraret culmina Martian. Cap. lib.1.cap.79.
Aurora primo conuenuſtans habitu,&c.

Ergo ingenioſè noſtri roſam à ſpecie floris nuncupatam volunt, Iſidor. lib.17. *quod rutilanti colore rubeat.* Quem Dracontius vocat roſeum ru- cap 9. borem. Certè roſam Græcorum imitatione plerũque purpuream vocant. Virgilius,

Et roſa purpureo creſcit rubicunda colore Virgil. in Cul.

Et Horatius,

Te lanæ prope nobilem Horat. li.3 car. od.10.
Tonſæ Luceriam, non citharæ decent,
Nec flos purpureus roſæ.

Hanc purpuram alibi Horatius punicantem facit,

Nunc & qui color eſt puniceæ flore prior roſæ. Horat. lib.4. car. od.10.

Equidem, ſi non mihi ipſe neſciens impono, purpuram in coloribus eum dici puto, cui ineſt tantum ardoris & viuacis efficaciæ, vt propriè opponatur pallori. Et hoc ſenſu flores dicuntur purpurei, hoc eſt, natiuis coloribus præditi, vt in his verſibus,

Et quæ marmoreo pede Naiades vda ſecantes Aurel. Nemeſ. ecl.2.
Littora, purpureos alitis per gramina flores.

Idem paulò poſt ait, ſibi ſine Donace lilia videri nigra, & roſas pallentes,

At tu ſi venias, & candida lilia fient,
Purpuréæque roſæ, tum dulce rubens hyacinthus.

Vbi manifeſtum eſt, pallorem & purpuram in floribus eſſe oppoſita.

CAPVT VII.

Roſæ color cœleſtis. Purpura cur dicatur nigra. Roſæ odor. Sermo ſuauis vocatur roſa. Roſa eſt Gratijs flos dilectus. Eſt coronamentum Muſarum. Eſt medicamentoſa. Alij & quidem admirabiles effectus roſæ. Centenariæ roſa, ſiue centaureæ malè legitur apud Tertullianum; iſque locus emendatus. Centenarius numerus eſt ſymbolum caſtitatis. Quibus floribus roſa ſocietur. Roſæ munus quid ſignet.

TANTA gratia, tantáque pulchritudine cenſetur purpureus, ſiue puniceus roſæ color, vt etiam cœlo ſit exceptus. Certè

Luciferum poëtæ faciunt roſeum; quippe qui eſt Auroræ nuntius, & Veneris emiſſarius. Valerius Flaccus,

Valer. Flacc. lib. 2. Argon. *-- qualis roſeis & Lucifer alis,*
Quem Venus illuſtri gaudet producere cælo.

Nempe Lucifer è ſe eiectat illum nitorem roſulentum qui ſe Auroræ & Veneri anteambulonem præbet; qui cum ſit roſeus, eſt quoque purpureus, ſcilicet, ὑπ' ἀμφιλύκη, ſub diluculo. Dracontius,

Dracõt. de ope. VI. dier. *Aſt vbi purpureum ſurgentem ex æquore cernunt*
Luciferum vibrare iubar, flammaſque ciere.

Ipſi adeò Auroræ poëtæ tribuunt veſtem roſeam. Virgilius,

Virgil. de ortu ſol. *Surgit ab Oceano Tithoni fulgida coniux,*
Et veſte ab roſea ſubruit ipſa pedes.

Hunc ipſum in Diris vocat roſeum amictum. Ab alijs poëtis Aurora
Q. Calab. lib. 3. dicta eſt ῥοδόπεπλος roſeo inſignis peplo. Virgilius quoque Auroræ tribuit roſeos capillos,

Virgil. in Cul. *Crinibus & roſeis tenebras Aurora fugarat.*

Et alibi,

Virgil. in Ciri. *Aurea fulgebat roſeis Aurora capillis,*

Alio item loco,

Et roſeus medio fulgebat vertice crinis.

Alibi Auroræ dat nunc quadrigas, nunc bigas roſeas,

Virgil. 6. Ænei. *Hac vice ſermonum roſeis Aurora quadrigis*
Iam medium æthereo curſu traiecerat axem.
Virgil. 7. Ænei. *Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.*

Alibi ei tribuit roſeas manus,

Virgil. in epigr. *Et roſeis manibus ſydera diſpulerat.*

Ouid. lib. 7. Metam. Ouidius eam donat ore roſeo; eiúſque atria facit plena roſarum,

Ouid. lib. 2. Metam. *Ecce vigil nitido patefecit ab ortu*
Purpureas Aurora fores, & plena roſarum
Atria.

Et Theocritus tribuit ei roſeos lacertos.

Theocrit. Pharmac. eid. 2. — ἁνίκα οἱ τὸ ποτ' ὠρανὸν ἔτρεχον ἵπποι
Ἀῶ τὰν ῥοδόπαχυν ἀπ' Ὠκεανοῖο φέροισαι.

Ipſa lora cœleſtes currus, illius quo ſol vehitur, operta ſunt roſis, ac proinde purpurea, Prudentius,

Prudent. contra Symm. lib. 1. *Immotáſque rotas, & flecti neſcia lora*
Aut ornat redimita roſis, aut thure vaporat.

Ipſe adeò Phœbus poëtis quandoque eſt roſeus, Virgilius de Ænea & Turno pugnaturis,

Virgil. 11. Ænei. *Continuóque ineant pugnas, & prælia tentent,*
Ni roſeus feſſos iam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos.

Cæterùm purpuream roſam verè poſſumus vocare illam Indicam; qui eſt flos planè mirabilis, ſi ijs fides eſt, quæ de ea memorantur apud Achillem Tatium, quamuis eam ipſe vocet nigram, *μέλαν τοῦτο ῥόδον Ἰνδῶν*. Et verò propriè nigra purpura dicitur, quia *color purpuræ*, inquit Caſſiodorus, *eſt obſcuritas rubens, & nigredo ſanguinea*. Eximio roſæ colori accedit odor iucundus, quamuis anguſtus; qui certè perperuò certat cum colore. Vt roſæ rubor contendit cum rubore auroræ, ita odor huius floris certat cum ſuauiſſimo odore ſurgentis diei. Quas venuſtates expreſſit Virgilius in illo epigrammate, quod inter alia carmina eſt illud ipſum quod roſa inter cæteros flores,

Achill. Tat. lib. 6.
Caſſiod. lib. 1. Var. ep. 2.
Plin. lib. 21. cap. 4.

Ambigeres, raperétne roſis Aurora ruborem,
An daret, & flores tingeret orta dies.
Ros vnus, color vnus, & vnum mane duorum;
Syde is & floris eſt domina vna Venus.
Forſan & vnus odor; ſed celſior ille per auras
Difflatur; ſpirat proximus iſte magis.

Virgil. in epigr.

Enimuero Græci ῥόδον dici volunt *παρὰ τὸ ὄζω, καὶ κατ' ἀντίφρασιν τὸ μὴ ὄζον, ἀλλ' εὔοσμον ὄν*. Vt Plutarchus ait, roſa certè inde dicta, *ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδωδῆς ἀφίησι* quòd multam affluentiam odoris emittit, Quæ verba alicubi referuntur à Clemente Alexandrino. Nec mirum ſi eam noſtri vocarunt odoratam, veluti proprio epitheto. Tibullus,

Etymol. ῥόδον.
Plutarch. ſym. 3.
Clem Alex. pædag. lib. 2 c. 8.

Fert caſiam non culta ſeges, totóſque per agros
Floret odoratis terra benigna roſis.

Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Quippe eius odor eſt tantę efficaciæ, vt diſſimulari nequeat. Ea re Artemidorus eam in ſomnis viſam ait portendere perniciem *διὰ τὴν ὀσμὴν* propter odorem. Qui ſanè odor tantæ ſuauitatis eſt, vt fit pars luxus regij, quem M. Tullius Verri exprobrat; *Reticulum ad nares*, inquit, *ſibi apponebat* [Verres] *tenuiſſimo lino, minutis maculis, plenum roſæ*. Porrò *μεταφορικῶς* quicquid in ſermone ſuaue & iucundum eſt honeſtatur nomine roſæ. vt apud Ariſtophanem, *ῥόδα μ' εἴρηκας*, roſas mihi dixiſti, id eſt rem gratam nuntias. *ἐμοὶ τὰ παρὰ σοῦ εἰρημένα ῥόδα 'στιν*, ſuauiſſima verba mihi locutus es. Contra ſiquid inconueniens & abſurdum & ſpurcum demonſtrandum eſt, id fit per hoc adagium, *ὗς διὰ ῥόδων*, ſus per roſas. Tantæ dignitatis roſa cùm ſit, non ſoli Veneri, ſed & ipſis Gratijs eſt flos dilectiſſimus. Anacreon,

Artemidor. lib. 1. cap. 79.
Cic. 7. Verr.
Ariſtoph. νεφ.
ἐν περισμ.

Ἴδε πῶς ἔαρος φανέντος
Χάριτες ῥόδα βρύουσι.

Anacr.

Vide vt ineunte vere Charites roſis abundant. Vt enim Gratia ea eſt quæ ſine vlla arte eſt, ita roſa nullo extrinſecus accerſito lenocinio, ſed per ſe ipſa placet. Propertius,

Propert. lib. 4. *Et facilis ſpargi munda ſine arte roſa.*

Apul. lib. 3. Metam. *Roſa virgines*, inquit Apuleius, *matutino rore florebant.* Quid, quod roſa quoque eſt coronamentum Muſarum? Thaliam Statius donat corona roſea,

Stat. li. 2. Sylu. *-- crinémque decorum*

Plutarch. ſymp. 3. *Fregiſſet roſea laſciua Thalia corona.*

Apud Plutarchum Ammonius ait, coronam roſaceam eſſe conſecratam Muſis. Theocritus roſam & ſerpyllum dicat Muſis.

Theocrit. epig. 1. Τὰ ῥόδα τὰ δροσόεντα, καὶ ἡ κατάπυκνος ἐκείνα
Ἕρπυλλος κεῖται ταῖς Ἑλικωνιάσι.

Roſæ illæ roſcidæ, & denſum illud Serpyllum dicatum eſt Heliconiadibus. Præterea roſam, & coronam roſaceam capiti ſalutarem eſſe, ſupra ſatis eſt demonſtratum. Cui doti alia ſimilis, nec ſanè minor accedit, quòd & alijs morbis medetur. Id quod inter laudes huius floris recenſet Anacreon,

Anacr. τὸ δὲ νοσοῦσιν ἀρκεῖ,

morbo laborantibus hæc ſubuenit. Id quod ego quidem puto eſſe illud quod Propertius innuit in hoc diſticho, in quo Vertumnum eas dotes, quibus ipſe præſtat, memorantem facit.

Propert. lib. 4. *Paſtorem ad baculum poſſum curare, vel idem*
Serpiculis medio puluere ferre roſam.

Superiores roſæ dotes alijs inſuper Anacreō cumulat. Addit enim,
τὸ δὲ καὶ νεκροῖς ἀμύνει, mortuos propugnat, nempe διὰ τὸ ῥόδινον, propter roſeum vnguentum.
τὸ δὲ χρόνον βιᾶται,
tempori vim affert. Huc accedit; quod roſa eum qui obbrutuerit, reuocat ad dignitatem hominis. Ergo Palæſtra illa Lucium, qui ex homine factus eſſet aſinus, ſic alloquitur,

Lucian. Luc. ſiue aſi. ῥόδα γὰρ μόνον εἰ φάγοις, ἀποδύσῃ μὲν αὐτίκα τὸ κτῆνος, τὸν δὲ ἐραστήν μοι τὸν ἐμὸν αὖθις ἀποδώσεις. ἀλλά μοι φίλτατε, μίαν νύκτα ταύτην ὑπομεῖνον ἐν τῷ ὄνῳ· ὄρθρου δὲ δραμοῦσα οἴσω σοι ῥόδα, καὶ φαγὼν ἰαθήσῃ. Quòd ſi roſas ederis, certè illico exues beſtiam, ac mihi meum amatorem continuò reddes. Verùm, chariſſime, vnam hanc noctem perfer in aſino. At ipſa mane currens feram tibi roſas quas vbi comederis, ſanaberis. Infra hic Lucius adeptus in theatro roſas, iiſque paſtus humanæ formæ ſtatim eſt redditus. Denique homo factus coronatùr roſis, στεφανοῦμαι τῷ φιλτάτῳ, καὶ εἰς ἀνθρώπου με ἀνασώσαντι ῥόδῳ, coronor amiciſſima, quæque me ad homines reſeruauit, roſa. Ipſius Lucij hoc ipſum

Apul. lib. 11. Metam. fatentis hæc ſunt verba, *Tunc ego trepidans aſſiduo pulſu micanti corde coronam quæ roſis amœnis intexta fulgurabat, auido ore ſuſceptam cupidus promiſſi deuoraui. Nec me fefellit cœleſte promiſſum.* Poteſt etiam roſa, ſed Pieria tantùm, amiſſam memoriam reuocare, vt

care, vt ex his Sapphicis verbis quamlibet non ſanis colligo, κατθα- *Stob. lib. 2.*
νοῖσα δ' κεῖσαι οὐδέποτε μναμοσύνα σέθεν ἔσετ' οὐδὲ ποθ' ὕστερον. Denique talis eſt prærogatiua roſæ, vt, ſi quidpiam exemplo adſumendum eſt exprimendæ rei alicuius excellentiæ, ſi potiſſimùm hic honor habetur floribus, ex his omnibus nulla cuiuſquam inuidia eligatur roſa. *Apul. lib. 2. Metam.* Tertullianus, ait, *Roſam tibi ſi obtulero, non faſtidies creatorem.* *Tertull. lib. 1. aduerſ. Marc.* Apud eundem ſcriptorem, dum is coronam plectit è lectiſſimis floribus memorantur centenariæ roſæ, vt quidem & legit & emendauit Beatus Rhenanus. Verba Tertulliani hęc ſunt: *vti nunc laurea & myrto, & olea, & illuſtriore quaque fronde, &, quod magis vſui eſt, centenarijs quoque roſis ex horto Midæ lectis, & vtriſque lilijs, & omnibus violis coroneris; etiam gemmis forſitan, & auro.* *Tertull. de cor. mil.* Sic, inquam, Rhenanus legit; & centenarias ait eſſe illas quæ Plinio ſunt centifoliæ, ac Theophraſto (vt ego addo; quod ipſum inde Plinius ſumpſit) ἑκατοντάφυλλα ῥόδα, *Theophraſt lib. 6. de plant. c. 6.* Primò quidem rectè Rhenanus qui locum aduertit eſſe deprauatum; legebatur enim centaurijs, pro qua dictione ipſe repoſuit centenatijs. Etſi ea vox non ſolùm homini erudito, vt ille fuit, ſed & cuilibet in literis tyroni vel primo aſpectu ſuſpecta eſſe debuit. Sed quod pro centaureis repoſuit centenarijs, & quod centenarias interpretatus eſt centifolias, id verò excuſari non poteſt. Quippe id pugnat cum Plinio, quo authore Cepio Tiberij Cæſaris principatu negauit centifoliam in coronis addi, præterquam extremos velut ad cardines, nec odore nec ſpecie probabilem. Nec eò moueor, quod dici poteſt, centenarium numerum eſſe ſymbolum caſtitatis, vt diſcimus è Hieronymo, cuius hæc ſunt verba ad Lætam, *Sit in gremio auiæ, quæ repetat in nepte quicquid præmiſit in filia; quæ longo vſu didicit nutrire, ſeruare, docere virgines. In cuius coronam centenarij quotidie numeri caſtitas texitur.* *Hieron. lib. 2. epiſt. ep. 15.* Non ideo hinc quiſquam conficiet vllas eſſe roſas quæ dicantur centenariæ. Quòd ſi his verbis fortè nixus eſt Rhenanus, arundine nititur, & rem parum exploratam obtrudit pro vera. Hic enim Hieronymus tantùm dicit, centenarij numeri caſtitatem texi in coronam Lætæ filiæ, hoc eſt, hanc virginem metere centuplicem fructum ſuæ caſtitatis. Nam hîc quidem corona ſignat fructum, ſeu præmium. Ergo texitur ei centuplex corona caſtitatis, centeno, inquam, fœnore ſuæ virtutis diteſcit & lætatur hæc virgo. Quid, quod haſce roſas, quæ Rhenano ſunt centenariæ & centifoliæ, Tertullianus diſertim ait, eſſe lectas ex horto Midæ? At in hoc horto, ſiue roſeto nullæ centifoliæ, nullæ centenatiæ, ſolæ ſexaginta foliorum prouenerunt, & quidem cæteris omnibus odoratiores, lectiores, pulchriores. Quid ergo coniectare licet? Equidem pro centaureis aſſeueranter lego

ſpontaneis, totidem ſyllabis, nec planè diſſimili literarum ductu. Hoc enim vocabantur roſæ Midæ. Certè Herodoto ſunt αὐτόματα ῥόδα ſpontaneæ roſæ. οἱ δὲ ἀπικόμενοι ἐς ἄλλην γῆν τῆς Μακεδονίης, οἴκησαν πέλας τῶν κήπων τῶν λεγομένων εἶναι Μίδεω τοῦ Γορδίεω. ἐν τοῖσι φύεται αὐτόματα ῥόδα, ἓν ἕκαστον ἔχον ἑξήκοντα φύλλα, ὀδμῇ τε ὑπερφέροντα τῶν ἄλλων. Illi verò profecti in aliam terram Macedoniæ habitarunt iuxta hortos qui dicuntur eſſe Midæ filij Gordij; In quibus naſcuntur ſpontaneæ roſæ, ſingulæ habentes ſexaginta folia, quæ odore excellunt inter alias. Vbi videre eſt roſas Midæ non eſſe centifolias, ſed ſexagenûm foliorum: non item odore & ſpecie parum probabiles, vt cẽtifolias, ſed odoratiſſimas; Et propter vtramque dotem coronis, vt veriſimile eſt, adhibitas; vnde reijciebantur centifoliæ; poſtremò ſpontaneas dictas. Id quod, ſcilicet, in illo ſingulari horto ſingulare fuit.

Herodot. lib. 8.

Dracōt. de ope. Vil. dier. nonnullis mutatis.

Js cunctis hortis fertur felicior hortus
Floribus ambroſijs præclaro ceſpite pictus;
Plenus odoriferis nunquam marcentibus herbis.

Et quia earum roſarum quæ centifoliæ dicuntur, obiter mentionem feci, obiter quoque addam è Theophraſto, ῥόδων τὰ πλεῖστα εἶναι πεντάφυλλα, τὰ δὲ δωδεκάφυλλα, καὶ εἰκοσάφυλλα, ἔνια δὲ καλοῦσιν ἑκατοντάφυλλα, roſarum plurimas eſſe quinque foliorum, alias duodecim, & viginti; quaſdam quas vocant centifolias. Cæterùm roſa omnibus vernis floribus, ſi modò coronis inſeruntur, rectè ſociatur, vt violæ narciſſo, lilijs, vt dixi in viola. Quandoque ſoli narciſſo, Tatius, μία μὲν τῷ ῥόδῳ καὶ τῷ ναρκίσσῳ ἡ κάλυξ. vnus roſæ & narciſſo calyx vel theca. Quandoque narciſſo & myrto. Idem Tatius, αἱ δὲ περιστοιχίαι τῶν ἀνθῶν ὑπὸ τὰ πέταλα τῶν φυτῶν στιχηδὸν ἐπεφύκεσαν νάρκισσος, καὶ ῥόδα, καὶ μυῤῥίναι. Areolæ florum ſub folijs plantarum ordinatim innatæ erant, narciſſus, roſæ, myrti. Illud quoque conſtat, roſam apud omnes gentes eſſe in tanto honore, vt cuipiam data aut muneri miſſa ſit nobile argumentum beneuolentiæ mittentis erga eum qui hoc munere colitur. Roſam plerunque, nec refert natiuam, an effigiatam, collegia & legitimi hominum cœtus offerunt illi, cuius in aliquo artium, ſcientiæue genere eminet ingenij doctrinæque præſtantia? Roſam Romanus Hierarcha adeunti ad ipſum alicui principi Chriſtiano honoris cauſa mittere ſolet. Roſam quoque hic ipſe Pontifex in ijs ſupplicationibus quæ habentur poſt Imperatorem inauguratum, ac diademate inſignitum, manu geſtat. Hanc ipſam, cùm peruenit ad ędem Sanctæ Mariæ in Coſmedin ipſe eques Imperatori equiti donodat. Hanc quoque Imperator manu geſtat, dum redit ad pontem Hadriani, vbi equites creat. Denique hæc ſunt verba eius libri, cui titulus eſt Cæremoniale Romanum. *Et Dominica quarta qua-*

Theophraſt. lib. 6. de plant. c. 6.

Achill. Tat. lib. 1.

Achill. Tat. lib. 3.

Plat. in Paulo II.

Pontific. Rom. in rubr. de proceſſ. Pont. & Caſ per vrbem.

Cærem. Rom.

dragesimæ, in qua cantatur Lætare, Pontifex roſam benedicit, & illam poſt miſſarum ſolennia alicui magno principi, ſi præſens eſt in Curia, ſolet dono dare. Sin minus, mittitur ad aliquem regem, vel principem de conſilio Cardinalium. Finita benedictione, inungit cum balſamo roſam auream, quæ eſt in ipſo ramuſculo; & ſuperimponit muſcum tritum; & aſpergit roſam aqua benedicta, & adolet incenſo. Ponitur ſuper altari, dum à Pontifice celebratur miſſa. Eam deinde Pontifex defert ad cameram ſuam. Et ſi ille cui eam dare vult, eſt præſens, vocatur ad eius pedes, & genu flexo dat ei roſam, multa dicens in eius laudem. Roſam quoque, ob præclaras dotes huius floris video eſſe luculentiſſimum ſymbolum Anglici regni. Enimuero tot, tantáque huius præclariſſimi floris decora ſatis valida ſunt commendandæ coronæ hinc nexæ, ſiue ea plectitur è ſola roſa, ſiue roſa coronaria alios flores admittit in conſortium. Certè eius honoris qui roſæ habetur, plures cauſas attuli, nimirùm, vel quòd eo odore fragrat, quo Dij oblectantur, & quo mortales eriguntur; vel quòd Gratijs eſt voluptati, vel quod Veneri eſt in delicijs, vel quod eſt nobile opus & argumentum poëtarum, & lubentia Muſarum; vel quòd tenera quælibet manus eam, nihil verita ſcabritiem & ſpinas, legere amat; vel quòd eſt flos Cupidinis; vel quòd epulas etiam hilarat, & Libero it comes; vel quòd Aurora, Nymphæ, Venus, ſunt roſeis digitis, lacertis, ore, ceruice, planta, mammis, colore, & ſpecie; vel quòd ægrotantibus opitulatur; vel quòd mortuos propugnat; vel quòd tempori vim affert; vel quòd bruteſcentes homines reddit humanæ maieſtati, vel quòd & in ſenecta retinet odorem iuuentæ; vel quòd genere & ætate eſt Veneri & Mineruæ æqualis & cöæua; vel quòd purpura punicat, & candore nitet, & flammeo colore rutilat. Quas omnes roſæ dotes & laudes Anacreon complexus eſt illo carmine, cui eſt initium,

Στεφανηφόρου μετ' ἦρος
Μέλπομαι ῥόδον θερινὸν, &c.

Non ergo mirum, ſi cùm quempiam omnibus laudibus cumulatum ſignificamus, eum roſæ nomine honeſtare ſoliti ſumus. Hieronymus de puella laudatiſſima, *Et vniuerſa*, inquit, *propinquitas roſam ex ſe natam gaudeat.* *Hieron. lib. 1. epp. ep. 15.*

CAPVT VIII.

Lilium flos vernus coronarius. Unde prognatum, vnde dictum. Proceritate & pulchritudine commendatur. Lilij candor. Lilium rubens, ſiue purpureum. Lilium dicitur flos florum. λείριον *&* λειριόεις. *Lilium eſt oblectamentum virginum.* σοῦσα. *Venus aſſimilatur lilio. Album, hoc eſt, ſplendidum. Excellens pulchritudo lilij. Amantes dominas lilijs donant. Omnes flores vocati* λείρια. *In ſummitate ſceptri eſt lilium. Quibus floribus ſocietur lilium.*

Plin. lib. 21. c. 5. Clem. Alex. pedag. li. 2. c. 8. ROSÆ proximus eſt lilio locus; quod ipſum eſt inter præcipua decora veris. Quippe *incipit medio roſarum prouentu.* Eſtque inter vtrumque florem multa cognatio olei, id eſt eius vnguenti quod vocant λείρινον. *Conſtãtin. Caſ. lib. 11. cap. 20.* Hac ratione lilium dicitur eſſe prognatum. Herculem Iupiter ex Alcumena ſuſceperat, nempe è mortali matre mortalem. Sed cùm Iupiter id ageret vt eam immortalitate donaret, infantem ſuppoſuit vberibus Iunonis tunc quidem dormientis. Infans ſuctu ſatur ſugere deſtitit, cùm tamen è mamma lac adhuc vberrimè ſtillaret. Quicquid ex eo lacte cœlo ſparſum eſt, confecit lacteum circulum. Is Græcis eſt γαλαξίας. Sed illa pars quæ terram humectauit genuit lilium, quod colore eſt conſimile lacti. Hinc lilij puritas commendatur; quomodo in roſa verecundia, in viola purpura, in gemmis rutilum. *Iſidor. lib. 17. cap. 9.* Dici aiunt lilia *quaſi liolia, quorum etſi candor eſt in folijs, auri tamen ſpecies intus effulget.* De lilij generibus etiam certant herbarij, potiſſimùm ſuper cognitione hemerocallis, quod volunt eſſe genus lilij ſylueſtris, cui quoque inter flores coronarios locus eſt aſſignatus. Cæterùm in hoc flore prima proceritas commendatur. Certè quæ Liuio, Halicarnaſſæo, alijs ſunt papauera, illa, inquam, quæ Tarquinius decuti vult, Ouidio ſunt lilia, nimirum, ob excelſitatem.

Ouid. lib. 2. Faſtor.

Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit, & virga lilia ſumma metit.
Nuntius vt redijt, decuſſáque lilia dixit,
Filius, Agnoſco iuſſa parentis, ait.

Huic præclariſſimi floris excelſitati adhæret inſignis pulchritudo. Eſt enim lactei candoris, hoc eſt, alboris intaminati; vſque eò, vt, ſi quidpiam notabili candore viſendum dicimus, id, quicquid eſt, cum lilio comparemus, aut lilium albedine anteire hyperbolicè firmemus; vt apud Propertium commendantem pulchritudinem Cynthiæ ſuæ, *Propert. lib. 2.*

Lilia non domina ſint magis alba mea.

Martialis enumerans ea quæ cenſentur eſſe candidiſſima, lilij meminit,

Toto candidior puella cycno, — Martial. lib. 1.
Argento, niue, lilio, liguſtro.

Hic ipſe alibi magnificat lilium intactum,

Nec modò politum pecudis Indicæ dentem, — Martial. lib. 5.
Niuéſque primas, liliúmque non tactum.

Alio item loco puellam ſuam componit cum lilio & liguſtro,

Lilia tu vincis, nec adhuc dilapſa liguſtra, — Martial. lib. 8.

Eſt tamen & rubens lilium, quod Plinius indicat eſſe illud quod Græcis eſt ſimpliciter κρίνον. ἔνια, inquit Theophraſtus loquens de lilijs, καὶ πορφυρᾶ ἤ. Quædam & ſunt purpurea. Et verò Græci ſignantes ea lilia quæ ſunt alba, ea quidem vocant κρίνα, ſed ſæpiùs addunt, λευκὰ, alba, vt infra videbimus. Nos ergo in coronamentis agnoſcimus duplex lilium, album & purpureum. Nempe, hoc illud eſt quod Tertullianus ait, cùm nominat vtraque lilia, *Et vtriſque liliis*, inquit, *& omnibus violis coroneris.* Sunt autem lilia purpurea illa quæ *monſtrificis hominum ingenijs fieri* tradit Plinius. Non, inquam, talia naſcuntur, ſed fiunt. *Mirum,* inquit Plinius, *ita tingi aliquid, vt naſcatur infectum.* Id qua ratione fiat, hoc eſt, quomodo lilia quæ natura ſunt candida, ars faciat purpurea, docet Conſtantinus Cæſar. Quicunque lilio color adſit, certè eſt flos tantæ gratiæ & pulchritudinis, vt Iunoni ſit dilectus. κρίνῳ δὲ ἥδεσθαι τὴν Ἥραν φασὶ, lilio Iunonem delectari aiunt, inquit Clemens Alexandrinus. Certè hic flos ſicuti roſa, dicitur ἄνθος ἀνθῶν flos florum. Et vt apud Græcos ῥόδον non ſolùm ſignat roſam, ſed & rem quamlibet grati odoris, ita λείριον dici aiunt quicquid floridum, ſuaue, & expetitum eſt, vt in hoc verſu Nicandri;

Plin. lib. 21. c. 5. Theophraſt lib. 6. de plant. c. 6. Tertull. de cor. mil. Plin. lib. 21 c. 5. Conſtãtin. Caſ. lib. 11. cap. 21. Clemen. Alex. lib. 2 pædag. c. 8.

—λείρια δ' ὡς ἴα, τοῖα περιστρέφει. — Nicand. ther.

Lilia verò vt violas, qualia circumuertit. Vſque eò, vt λειριόεις ſignet floridus, ſuauis, gratus. Oppianus de odore myrrhæ,

ὀδμὴ δ' αἶψα θάλασσαν ἐπέδραμε λειριόεσσα. — Oppian. lib. 3. ἁλιευ.

Odor verò ſtatim mare incurrit vt lilij. οἱ ἀγορηταὶ τῶν Τρώων τὴν ὄπα τὴν λειριόεσσαν ἀφιᾶσι, inquit Lucianus, Troianorum oratores lilialem, hoc eſt, floridam quandam vocem emittunt. Pindaro λείριον eſt ἀνθεμον floridum, & λείρια κηρία μελισσᾶν. Oppianus vocat floridos ac ſuaues apum fauos. Petronius Arbiter lilia facit ridentia.

Lucian. Herc. Gall. Pindar. Nem. od. 7. Oppian. κυνηγ. lib. 1.

Albáque de viridi riſerunt lilia prato. — Petr. Arb. Sat.

Non ergo mirum, ſi hic flos eſt oblectamentum virginum. Certè Theocritus facit Europam carpẽtem lilia. Et Idon ſuam Donacem inducit legentem hunc florem.

Theocrit eid. 10.

Aurel. Nemeſ. ecl. 2. *Dicite quo prato Donacen, qua fortè ſub vmbra*
Inueniam roſeis ſtringentem lilia palmis.

Ouidius, alijs nymphis legentibus hos & illos flores, vnam Proſerpinam facit colligentem crocos & alba lilia,

Ouid. li. 4. Faſt. *Ipſa crocos tenues, liliáque alba legit.*

Hic ipſus alibi de hac eâdem Proſerpina,

Ouid. lib. 5. Metam. *— quo dum Proſerpina luco*
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit, &c.

Etymol. σοῦσα & σούσιον. Hîc obiter dico, à Phœnicibus lilia vocari σοῦσα. Vnde σοῦσα ἡ πόλις ἀπὸ τῶν περιφυκότων κρίνων, Suſa vrbs ab circumnaſcentibus lilijs. καὶ σοῦσον τὸ κρίνον ὑπὸ φρυγῶν λέγεται. Et lilium à Phrygibus vocatur Suſum. Cæterùm hic flos tanta pulchritudine cenſetur, vt ipſa Venus interdum aſſimiletur lilio, Anacreon in verſibus quos ſæpe cito,

Anacr. Μέσον αὔλακος δὲ Κύπρις
Κρίνον ὡς ἴοις ἑλιχθὲν
Διαφαίνεται γαλήνας.

Quaſi lilium implicatum violis renidet illa Placidum maris per æquor. Idque non ſolùm propter cādorem, verùm etiam propter eum, qui in candore eſt, nitorem, ac ſplendorem. Quo exemplo Callimachus ver album, & ipſam æſtatem vocat albam,

Callimac. hym. in Cerer. λευκὸν ἔαρ, λευκὸν δὲ θέρος καὶ χεῖμα φέρουσα.

In quo verſu interpres ait, λευκὸν eſſe λαμπρὸν ſplendidum. Id quod Callimachi imitator Propertius æmulatus eſt in hoc diſticho, vbi lilia vocat argentea.

Propert. lib. 4. *Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,*
Romula ne faciem læderet haſta Tati.

Corydon ille Virgilianus, cùm deperiret Alexin puerum formoſum, gratulatur ei ob excellentem pulchritudinem; quæ quanta ſit, vel ex ipſo Nympharum iudicio & cōſenſu ſciri poteſt; quippe quæ ipſum omnigenis floribus cumulant, in quibus primus eſt lilio locus,

Virgil. ecl. 2. *Huc ades, ô formoſe puer! Tibi lilia plenis*
Ecce ferunt Nymphæ calathis. &c.

Quidam apud Ariſtophanem innuens, quicquid dicitur eſſe pulchritudinis eximiæ ſibi tribui, ait, Κρίνοισι στεφανοῖς, lilijs me coronas, ac ſi dicat, iſtam quam mihi tribuis laudem tanti equidem facio, vt ſi mihi coronam omnium excellentiſſimam impoſueris. *Ariſtoph. ve.* Ouidius enumerans queſtus Chloridos, ſeu Floræ Deæ, quòd à priſcis Romanis non coleretur ſicuti cætera numina, inducit illam dicentem, ideo ſe quoque tunc quidem officio ſuo deſtitiſſe; atque illico vernos, eóſque pulcherrimos flores exaruiſſe; in quibus primus eſt lilijs locus.

Excidit officium triſti mihi; nulla tuebar *Ouid. lib.*
Rura, nec in pretio fertilis hortus erat.
Lilia deciderant; violas arere videres;
Filáque punicei languida facta croci.

Valerius Flaccus ſimilitudinem pulchritudinis ſumit à lilijs,

Lilia per vernos lucent velut alba colores *Valer Flacc. lib. 6. Argon.*
Precipuè queis vita breuis, totúſque parumper
Floret honos.

Lilium tale cùm ſit, hoc flore amantes dominas ſuas donare conſuerunt. Cyclops ille apud Theocritum alloquens Galateam, Si ad te, inquit, natando peruenire poſſem, afferrem tibi lilia ſicuti munus lectiſſimum,

Ἔφερον δέ τοι ἢ κρίνα λευκὰ, *Theocrit. eid. ια.*
Ἢ μάκων' ἁπαλὰν ἐρυθρὰ πλαταγώνι' ἔχοισαν.

Cæterum tanta eſt huius floris dignitas, vt Homerus omnes flores vocauerit λείρια, teſte Polluce. Scholiaſtes Apollonij Rhodij, καθόλου, inquit, τὰ ἄνθη λείρια λέγεται, vbi interpretatur hos pulcherrimos verſus, *Pollux lib. 6. cap. 19. Scholiaſt. Ariſtoph. Plut.*

Ὡς δ' ὅτε λείρια καλὰ περιβρεμέουσι μέλισσαι *Apollon. Rhod.*
Πέτρης ἐκχύμεναι συμβληΐδος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
Ἐρσήεις γάνυται, ταὶ δὲ γλυκεῶν ἄλλοτ' ἄλλον
Καρπὸν ἀμέργουσιν πεποτημέναι· ὡς ἄρα ταί γε.

Vt verò cum lilia pulchra circumfremunt apes effuſæ ſiue aggeſtæ ad ſaxum ſymplcidum, circa verò pratum roſcidum lætatur. At hę hic & illic fructum premunt volantes. ſic certè hæ, &c. λείρια καλεῖται, εἴγε μέμνημαι, τὰ ἄνθη, inquit Lucianus, lilia vocantur, ſi memini, flores. Et Chriſti in Euangelio hæc ſunt verba, καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ πῶς αὐξάνει, Obſeruate lilia agri quomodo augentur, vbi manifeſtum eſt, κρίνα ibi eſſe quod τὰ ἄνθη in genere. Quid quod lilia cœlo quoque ſunt excepta? Nam in pallio Iouis ex omni florum genere hunc florem inprimis eſſe cœlatum, author eſt Pauſanias. Strabo memorat, Babylonios geſtare ſigillum, & inſigne ſceptrum, in cuius ſuperiori parte eſt malum, aut roſa, aut lilium. Ac ſi dicat, tantam, támque arctam eſſe inter roſam & lilium cognationem, vt vtrum ex his decori & ornamento adſumatur, vtique nihil referat. Et in hoc quidem omnes ſcriptores conſentiunt. Quippe hi flores videntur à natura ſic ſociati, vt propemodum ſint indiuidui, vt apud Hieronymum, *Iungitur ei germana, roſarum & liliorum calathus, eboris oſtrique commercium.* Prudentius deſcribens ſceptrum ſapientiæ, illud ornat roſis, quibus mixta ſunt lilia;

Lucian. Herc. Gall. — *Matth. cap. 6.* — *Pauſan. lib 5.* — *Strabo lib. 16.* — *Hiero ad Salu. de ſer. vid.* — *Prudent. pſychom.*

Prudent. pſychom. *In manibus dominæ ſceptrum non arte politum,*
Sed lignum viuum eſt, viridi quod ſtirpe reciſum
Quamuis nullus alat terreni ceſpitis humor
Fronde tamen viret incolumi; tum ſanguine tinctis
Intertexta roſis candentia lilia miſcet.

Horatius lilia ſociat roſis & apio,

Horat. lib. 1. carm. od. 36. *Neu deſint epulis roſa,*
Neu viuax apium, neu breue lilium.

breue lilium vocat non ob exiguitatem & humilitatem plantæ, de cuius excellſitate ſupra dixi, ſed quòd eſt vitæ breuis, vt docent illa quæ ſupra citaui è Valerio Flacco,

Valer. Flacc. lib. 6. Arg. *Lilia per vernos lucent velut alba colores;*
Præcipuè queis vita breuis, totúſque parumper
Floret honos.

Propertius lilia miſcet papaueribus,

Propert. lib. 1. carm. *Et circùm irriguo ſurgebant lilia prato*
Candida purpureis mixta papaueribus.

Tertull. lib. de cor. mil. *Petr. Arb. in Satyr.* Tertullianus & Petronius Arbiter ſociant roſas, lilia, violas,

Emicuêre roſa, violæque, & molle cyperon,
Albáque de viridi riſerunt lilia prato.

CAP. IX.

Narciſſus flos coronarius, Et priſcum coronamentum Cereris & Proſerpinæ & Furiarum. Coronæ è narciſſo viſa per quietem quid ſignificent. De pulchritudine huius floris. Narciſſus flos vnde ſic dictus. Narciſſi color purpureus, & croceus, & niger. Narciſſus flos odoratus. Quibus floribus ſocietur.

TRES flores à me ſupra memorati omnium ſcriptorum conſenſu ſunt verni coronarij. De ijs quos infra recẽſebo, diuerſę ſunt ſententię eorum qui hos & illos collocant nunc inter vernos, nunc inter æſtiuos, quoſdam etiam inter hybernos. Ea re non tam ordinem anni temporum in his deſcribendis mihi ſeruandum propoſui, quàm id ſpectaui, an ſint inter coronarios eos, quos lectori ſpectandos propono vt omnium pulcherrimos & celebratiſſimos. Inter hos præcipuæ nobilitatis eſt narciſſus, qui flos, au-
Theophraſt. lib. 6. de plant. c. 6. thore Theophraſto, à quibuſdam vocatur τὸ λείριον, quamuis ipſe paulò poſt diſtinguat narciſſum ἀπὸ τοῦ λειρίου. Erroris cauſam veri-
Pollux lib. 6. cap. 19. ſimile eſt inde eſſe, quòd narciſſus eſt lilio flos haud quaquam abſimilis, cuius herbarij plures ſpecies faciunt. Non eſſe vernum,
Theophraſt. lib. 6. de plant. c. 6. ſed Autumnalem florem Theophraſtus diſertim tradit, ὄψιον γὰρ

σφόδρα

σφόδρα,inquit, μετ' γὰρ ἀρκτοῦρον ἡ ἄνθησις, καὶ περὶ ἰσημερίαν, Valde ſerus flos. Quippe floret poſt arcturum, & circa æquinoctium. Plinius, vbi quid quoque menſe in agris fieri debeat, quærit, narciſſum ter florere dicit; & primo flore primam arationem oſtendere, medio ſecundam, tertio nouiſſimam. Idipſum tradit Theophraſtus, tam de narciſſo quàm de Scylla. Eſſe autem florem coronarium hinc diſcimus, quòd eodem loco Plinius, dum narciſſum nominat, diſertim exprimit coronamenta narciſſi. Sed Sophocli hic flos præcipuè eſt commendatus, dum eum vocat priſcum coronamentum magnatum Dearum, τοῦτ' ἔστι τῶν χθονίων, hoc eſt terreſtrium; etſi ipſe Scholiaſtes paulò infra aliud ait, vt mox dicam. *Plin. li. 18. c. 26.* *Theophraſt. lib. 7. de plant. c. 12.* *Plutarch ſymp. 3.*

θάλλει δ' οὐρανίας ὑπ' ἄχνας
ὁ καλλίβοτρυς κατ' ἦμαρ αἰεὶ
νάρκισσος, μεγάλαιν θεαῖν
ἀρχαῖον στεφάνωμα. *Sophocl. Oed.*

floret verò à rore cœleſti narciſſus pulchros flores gignens quotidie, vnde magnis Deabus coronæ de more priſco plectuntur. Vbi Scholiaſtes ait, è priſcis commentarijs, Narciſſum eſſe coronamentum Cereris & Proſerpinæ. Et quidem Proſerpinæ, Quia priuſquàm à Plutone raperetur, hoc flore Dea delectabatur, eóque redimiri amabat. Sed poſt raptum vtramque Deam, nempe Cererem & Proſerpinam auerſatas eſſe coronamenta florea. Eſſe autem narciſſum quoque coronamentum furiarum, probat idem Scholiaſtes è quibuſdam verſibus Euphorionis in quibus Eumenides filiæ Phorcynis dicuntur habere comas coronatas narciſſo. Porrò eſt coronamentum Erinnium ob id fortaſſe quod vt plurimum naſcitur circa monumenta; vel quod hæ Deæ homines terrore afficiunt, aut torpore, vſque eò vt vel nominis gratia hæc planta ſit illis familiaris. Qui locus Sophoclis alicubi citatur à Clemente Alexandrino. Artemidorus ait, coronas è narciſſo ſi quis per quietem viderit, potiſſimùm ſi is ex aqua ſibi victum quærit, ac ſi nauigaturus eſt, malum ei portendi. Tantæ hic flos pulchritudinis & venuſtatis eſt, vt, authore Pauſania, creditum ſit, Proſerpinam, quæ dum luderet, floréſque legeret, rapta fuit, non violis fuiſſe deceptam, ſed narciſſis. Et verò hic quoque flos, vt ſupra dixi de viola, roſa, lilio, propter pulchritudinem florere dicitur, ac cæteris exemptus nominatur. Virgilius, *Clemen. Alex. pedag. li. 2. c. 8.* *Artemidor. lib. 1. cap. 79.* *Pauſan. lib. 9.*

-- aurea duræ *Virgil. ecl. 8.*
Mala ferant quercus; narciſſo floreat alnus.

Atque adeò Poëtæ videntur certare quis ipſorum ei plurimùm tribuat, dum eum & pulchrum & purpureum, & croceum, & odoratum vocant. Et quidem Theocrito hic flos eſt pulcher.

Theocrit. in Tyr. id 9.

Ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀκρεύθοισι κομάσαι.

pulchra narciſſus iuniperis floreat. Virgilius poſt enumeratos multos flores id ipſum diſertis verbis firmat.

Virgil. in Cul.

Non illinc narciſſus abeſt, cui gloria formæ
Igne Cupidineo proprios exarſit in artus.

Conſtãt. in Caſ. lib. 11. cap. 25. *Plin. li. 21. c. 19.* *Plutarch. ſymp. 3.* *Clem. Alex. pædag. li. 2. c. 8.*

Nam vt adoleſcens formę fuit ſpectatiſſimæ, ita qui è pulcherrimo adoleſcente factus ſit flos, inſigni pulchritudine cenſetur. Etſi non ſum neſcius Plinium idem ſentire cum ſcholiaſte Sophoclis. Nam vterque vult narciſſum, vt dixi, denominari à narce, hoc eſt à ſtupore. Cuius ſententiæ eſt quoque Plutarchus, τὸ νάρκισσον ὠνόμασαν ὡς ἀμβλύνοντα τὰ νεῦρα, καὶ βαρύτητας ἐμποιοῦντα ναρκώδεις. tum Clemens Alexandrinus, νάρκισσος βαρύοδμόν ἐστιν ἄνθος. ἐλέγχει δὲ αὐτὸ ἡ προσηγορία, νάρκαν ἐμποιοῦν τοῖς νεύροις. Narciſſus eſt graueolens flos. Hoc probat appellatio, ſtuporem inijciens neruis. Nos tamen hîc quidem libentiùs amplectimur famam vulgatiorem, ipſáque adeò commenta poëtarum, quorum amœnitates è veſtigio ſequimur in iſtis qualibuſcunque coronarum venuſtatibus. Hanc ergo tam ſpecioſi adoleſcẽtis metamorphoſin miſeratur Ouidius his verſibus,

Ouid. lib. 5. Faſt.

Tu quoque nomen habes cultos narciſſe per agros;
Infelix quod non alter & alter eras.

Et hæc quidem pulchritudo eſt è colore purpureo, quo inter flores conſpicuus eſt. Virgilius,

Virgil ecl. 5.

Pro molli viola, pro purpureo narciſſo,
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Alibi vocat narciſſum ſuaue rubentem,

Virgil. in Cir.

-- aut ſuaue rubens narciſſus.

Theophraſt. lib. 6. de plant. c. 6.

Theophraſtus hunc florem facit nigrum, μέλανα τῇ χρόᾳ, hoc eſt, vt ſupra dixi de roſa, purpureum. Qui Virgilio eſt purpureus, Ouidio eſt croceus, vbi narrat hanc fabulam. Cùm enim Narciſſo mortuo, Naiades,

Ouid. lib. 3. Metam.

-- rogum, quaſſáſque faces, pheretrúmque pararent.
Nuſquam corpus erat; croceum pro corpore florem
Inueniunt, florem medium cingentibus albis.

Oppian. lib. 2. κυνηγ.

Denique Narciſſo conuenit quod ille dixerit de bubalo, ἐρατὸς χρόα φαιδρὸς ἰδέσθαι, amabilis color, aſpectu ſpecioſus. Cum colore & pulchritudine certat odor; cúmque Theocritus vocat εὔπνοον bene ac ſuauiter ſpirantem,

Theocr. Euro. ed. 18.

Τᾶς μὲν ἡ μὲν νάρκισσον εὔπνοον, ἡ δ' ὑάκινθον,
Ἡ δ' ἴον, ἡ δ' ἕρπυλλον ἀπαίνυτο.

Harum quidem hęc Narciſſum odoratum, hęc verò hyacinthum, Hæc violam, hæc ſerpillum decerpebant. Vnde miror, quid ita

Clemens Alexandrinus in loco ſupra citato cum vocet *βαρύοδμον* grauçolentem. Id quod cùm non probem, multò magis reijcio cauſam quam ipſe affert, *ἐλέγχει δ' αὐτὸ ἡ προσηγορία, ναρκᾶν ἐμποιοῦν τοῖς νεύροις.* Quid enim hic torpor commune habet cum odore? Virgilius frequens imitator Theocriti cum caſia, herba odorata facit eum olentem, hoc eſt, bene olentem & odoratum,

At nutrix patula componas ſulphura teſta — *Virgil. in Cir.*
Narciſſum caſiámque, herbas incendit olentes.

CAPVT X.

Hyacinthus flos coronarius factus è puero. Obſides quo redimiculo caput euincti. Hyacinthi pulchritudo. Corona hyacinthina index hilaritatis. Muſæ delectantur hoc flore, eóque Apollo redimitur. Hyacinthus flos literatus. Sepulchra hyacinthis ſpargi ſolita. Fructus arborum inſcripti. Hyacinthus adhibitus ſacris Cereris. Quibus floribus ſocietur.

SEQVITVR hyacinthus flos vernus coronarius, noſtris vacinium, præcipuæ nobilitatis. Cuius laudes veriſimile eſt Bionem complexum fuiſſe illo carmine quod huic flori dicarat. Sed perijt ſcriptio tam luculenta, excepto principio, hoc eſt quatuor verſibus, in quibus ipſis nihil eſt de hyacintho. Huic flori proprium quoque dicarat opus Nicander, quod ſcholiaſtes eius citat his verbis, *ὡς μνημονεύει Νίκανδρος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὑακίνθῳ.* Porrò eſſe florem coronarium, diſcimus è Theocriti verſu quem ſupra citaui, vbi loquitur de viola & hyacintho, qui flores, — *Scholiaſt. in ther. Nic. Βουπλεύρῳ.*

ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρᾶτα λέγονται. — *Theocrit. εἰδ. eid. 1.*

Qui inter flores primi dicuntur. Vt Narciſſus, ita Hyacinthus è puero Spartano mutatus eſt in florem ei cognominem. Fabula eſt apud Lucianum, vbi eum Apollo miris modis deflet, diſco ab ſe quidē, ſed zephyri aſtu occiſum. Nam *δισκεύοντι τῷ Ἀπόλλωνι πλάγιος ἐμπνεύσας, ἐμβαλεῖ τῷ ὑακίνθῳ τὸν δίσκον.* cùm Apollo diſcum iaceret, ſpirans à latere iacit diſcū in Hyacinthum. E cuius ſanguine terra florem produxit ſuauiſſimum & odoratiſſimum omnium florum, literis inſcriptum, quæ deflent adoleſcentem. Ac præter Scholiaſten in Alexipharmaca Nicandri, hanc fabulam memorat Ouidius in luculentiſſimis hiſce verſibus, — *Lucian. in Dial. Deor. Philoſtrat. in Imag.*

Te lyra pulſa manu, te carmina noſtra ſonabunt, — *Ouid. lib. 10. Metam.*
Flóſque nouus ſcripto gemitus imitabere noſtros,
Tempus & illud erit quo ſe fortiſſimus heros
Addat in hunc florem, folióque legatur eôdem.

Talia dum vero memorantur Apollinis ore,
Ecce cruor, qui fuſus humi ſignauerat herbas.
Deſinit eſſe cruor, Tyrióque nitentior oſtro
Flos oritur.

Hic duplicis fabulæ mentio fit. Quidam, videlicet, non ex Hyacinthi, ſed ex Aiacis cruore hunc florem editum firmabant. Sed vtramque & fabulam & famam conciliat Ouidius; cùm ait, ventutum tempus quo ſe Aiax addat in hunc florem. Quâ de re hæc *Plin. lib 21. c. 11.* Plinius, *Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens eius quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore editi.* Ergo vterque admittitur in hunc honorem; ad vtrumque authorem refertur hæc nobiliſſima planta. Quidam exiſtimauerunt hunc florem eſſe *Pauſan. lib. 2.* illum ipſum quem vocant Coſmoſandalum. In his eſt Pauſanias. Eſt enim, inquit, ei magnitudine perſimilis; & habet eaſdem luctus indices literas. Coſmoſandali ſic meminit Cratinus in effæmi- *Athen. lib. 15.* natis, παντοίοις γε μὴν κεφαλὴν ἀνθέμοις ἐρέπτομαι, λειρίοις, ῥόδοις, κρίνοις κοσμοσανδάλοις. Omnigenis caput chamæmelis mihi paſcitur, leirio, roſa, lilio, coſmoſandalo. Et coronam è coſmoſandalis purpureis *Athen. lib. 15.* Ariſtophanes, quem Athenæus citat, vocat purpureum reticulum in his verſibus,

οὐκ ἐφύσων οἱ Λάκωνες ὡς ἀπόρθητοι ποτέ;
Νῦν δ' ὁμηρείας ἔχοντες πορφύρεοις κεκρυφάλοις.

Non tumebant olim Spartani vt inexpugnabiles? Nunc autem purpureo reticulo caput ijs vincitur vt obſidibus. Quibus ex verbis, vt adnotauit interpres Athenæi, colligimus, obſidibus caput redimiri ſolitum purpureo reticulo, videlicet, vt hac nota tuti eſſent ab iniuria; aut ne his facile eſſet ad ſuos transfugium. Cæterùm, vt de ſuperioribus floribus dixi, Hyacinthus propter pul- *Philoſtrat: in imag.* chritudinem florere dicitur, hoc eſt, colore, odore, nitore ſuo *Long. lib. 1.* homines in ſe conuertere. Et hac fortaſſe de cauſa Hyacintho puero corona plectitur ex omnibus floribus, στέφανον φέρει πάντων ἀνθέων. τὰ μὲν ἴα, inquit Daphnis apud Longum, καὶ ὁ ὑάκινθος ἀνθεῖ. Δάφνις δὲ μαραίνεται. Violæ quidem & hyacinthus florent. Daphnis verò flaceſcit. Neque verò è pulchro & venuſto adoleſcente potuit progigni flos niſi eâdem pulchritudine & venuſtate. Quòd autem Hyacinthus inter egregia forma, gratiáque adoleſcentes numeraretur, tradit Oppianus,

Oppian. lib 1. κυνηγ. Τοὺς πάρος ἀστράψαντας ἐν ἀνθρώποισιν ἐφήβους,
Νιρέα, καὶ Νάρκισσον, ἐΰμμελίην θ' ὑάκινθον.

Qui olim emicuerunt inter homines adoleſcentes, Nereum, & Narciſſum, venuſtúmque Hyacinthum. Certè apud Longum cùm deſcribitur forma, decúſque Daphnidis, adſcribitur ei coma

hyacinthino flori ſimilis. ὁρᾷς ὡς ὑακίνθῳ μὲν τὴν κόμην ὁμοίαν ἔχει, imitatione, ſcilicet, Homeri, qui, vt Vlyſſes eſſet gratior Nauſicaæ Alcinoi filiæ, ait Palladem è capite eius demiſiſſe comas hyacinthino flori ſimiles, *Long. lib. 4.*

— κὰδ δὲ κάρητος *Homer. Odyſſ.*

οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας. *2.*

Quem verſum alicubi citat Ariſtænetus. Capillitium item formoſum vocabāt hyacinthinum, ὑακινθίνας χαίτας. Et de muliebri capillitio ſic alibi loquitur Lucianus, καὶ δαψιλεῖς μὲν ἀπὸ τῆς βοστρύχων τῆς κεφαλῆς ἕλικες ὑακίνθοις τὸ κλιὸν ἀνθοῦσιν ὅμοια πεφυκότες, Et longæ capillorum capitis texturæ perinde ac ſuauiter floreſcentes hyacinthi nigricantes. Et de nymphis Philoſtratus, αἱ δὲ ἀνθοῦσαι τὰς χαίτας ἐκπεφύκασιν ὑακινθίνοις ὁμοίαις ἄνθεσιν. At florentes coma exibant hyacinthinis ſimiles floribus. Himerius in comitatu Apollinis lyram pulſantis, tum Gratiarum & Cupidinum colludentium facit Venerem ſtrinxiſſe comam ſuam hyacintho, etſi hic dici poteſt hyacinthum fuiſſe lapidem. Huic Hyacinthi pulchritudini aſſimilatur formoſiſſimus quiſque adoleſcens, vſque eò vt pueri egregia forma olim vocati fuerint Hyacinthi. παῖδας δὲ αὐτῶν, inquit Lucianus, τοὺς ὡραίους καὶ κομήτας, οὓς ὑακίνθους, ἢ Ἀχιλλέας, ἢ ναρκίσσους ὀνομάζουσι. Pueros ipſorum ſpecioſos & comatos, quos hyacinthos, aut Achilles, aut Narciſſos nominant. Catullus item formam Iuliæ aſſimilat hyacinthinæ pulchritudini.

Lucian. de imag. *Lucian. Amor.* *Philoſtrat. in imag.* *Himer. μελέτ.* *Lucian. in epiſt. Sat.*

— non tibi
Herculeia periculum eſt *Catull. in epith. Iul. & Manl.*
Ne qua femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario ſolet
Diuitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.

Aurelius Nemeſianus inducens Idonem ſecum querentem quòd totis iam tribus diebus non viderit Donacen ſuam, ait ſine ipſa ea quæ pulcherrima ſunt, non ſibi talia videri; in his hyacinthum non ſibi dulce rubere, hoc eſt, nec tam gratæ, nec tam adlubentis pulchritudinis eſſe,

Te ſine væ miſero mihi lilia nigra videntur, *Aurel. Nemeſ. ecl. 2.*
Pallentéſque roſæ, nec dulce rubens hyacinthus.
At tu ſi venias, & candida lilia fient,
Purpureaq́ roſæ, tum dulce rubens hyacinthus.

Et hoc, ſcilicet hyacinthi epithetum Nemeſianus mutuatus eſt à Virgilio apud quem ſuaue rubet hyacinthus. Enimuero etſi hic *Virgil. ecl. 3.*

flos in luctu, vt ita loquar, natus eſt, tamen tam hilari ſpecie prouenit, vt corona hinc plexa ſit index hilaritatis & animi ſoluti, vt apud Anacreontem,

Anacr. Στεφανίσκοις δ' ὑακίνθων
Κροτάφοισιν ἀμφιπλέξας
Μετὰ παρθένων ἀθύρειν
Φιλέω μάλιστα πάντων.

Hyacinthinis corollis Caput implicatus, Cum puellis iocari Amo maximè omnibus. Et ideo nymphis hic quoque flos eſt in delicijs. Ille apud Theocritum Cyclops, qui Galateam depetibat, ait ſe tunc primùm eam amare cœpiſſe, cùm vnà cum matre ſua ipſe ductor viæ montem conſcendit ad legenda folia hyacinthina.

Theocrit. Cycl. eidyl. ια. Ηράσθην μὲν ἐγώ γε κόρα τεῦ, ἁνίκα πρᾶτον
Ἦνθες ἐμᾷ σὺν ματρὶ, θέλοισ' ὑακίνθινα φύλλα
Ἐξ ὄρεος δρέψασθαι, ἐγὼ δ' ὁδὸν ἁγεμόνευον.

Certè virgines hyacintho virente, hoc eſt, florente redimitæ choreas inſtituunt.

Theocrit, eidyl. κη. Παρθενικαὶ θάλλοντα κόμαις ὑάκινθον ἔχοισαι
Πρόσθε νεογλάπτω θαλάμω χορὸν ἐστάσαντο.

Iſidor. li. 17. c. 9. *Hic flos*, inquit Iſidorus, *pueros à pubertate retinet*. Id quod ſi non barbarè at perobſcurè prolatū, meo quidē animo, hoc ſignificat, hyacinthū florem pueris perpetuū præſtare pueritię florem nullius participem pubertatis. Propemodū illi ſimilem qui ob teneritudinem comæ nō patitur corollas aptari capitibus Cupidinum. Smyrnæ vrbis pulchritudinem deſcribens Ariſtides, ait quemdam ſeu ſplendorem, ſeu ſerenitatem inſidere toti vrbi, quæ quidem minimè eſt hyacintho ſimilis, ſed qualem nullam neque terra neque ſol hominibus oſtenderunt, ὑακινθίνῳ μὲν ἄνθει οὐδαμῶς ὅμοιον, ἀλλ' οἷον οὐδὲν πώποτε γῆ καὶ ἥλιος ἀνθρώποις ἔφηναν, ac ſi dicat, ſi hyacintho ſimilis eſſet hæc vrbs, eximiè pulchra eſſet. Sed ne quidem hyacinthus lepidiſſimus flos tantæ venuſtatis eſt, vt eam pulchritudinem repræſentare poſſit. Virgilius hoc flore veneratur Muſas,

(Margin: Philoſtrat. in Imag. — Ariſti. μονωδ. ἐπὶ σμυρ.)

Virgil. Cir. *Magna mihi cupido tribuiſtis premia diuæ*
Pierides; quarum caſtos altaria poſtes
Munere ſæpe meo inficiunt, foribúſque hyacinthi
Deponunt flores.

Idem quoque hoc ipſo flore colit Apollinem,

Virgil. ecl. 3. *Phœbo ſua ſemper apud me*
Munera ſunt lauri, & ſuaue rubens hyacinthus.

Et verò hyacintho Apollo coronatur. Quippe is vtitur his verbis de Daphne & Hyacintho queſtus ſuos aduerſus Venerem efferēs, quòd parum ſit felix in amoribus ſuis, ἐγὼ δὲ καὶ ἄμφω ἀναφρόδιτος

(Margin: Lucian. in Dial. Deor.)

εἰμι εἰς τὰ ἐρωτικά, καὶ δύο γοῦν, οὓς μάλιστα ὑπερηγάπησα τὴν Δάφνην καὶ τὸν Ὑάκινθον, ἡ μὲν ἀποδιδράσκει με, καὶ μισεῖ, ὥστε εἵλετο ξύλον γενέσθαι μᾶλλον ἢ ἐμοὶ συνεῖναι. ὁ δὲ ὑπὸ τοῦ δίσκου ἀπώλετο, καὶ νῦν ἀντ' ἐκείνων στεφάνους ἔχω, nempe è lauru & hyacintho. Ego verò & præcipuè expers ſum amorum. Et quidem è duobus quos vnicè amaui Daphnen & Hyacinthum, illa me fugit & odit, vſque eò vt præoptauit fieri arbor quàm mecum eſſe. Hic verò à diſco petijt. Et nunc pro illis habeo coronas. Ipſa tellus Ioui & Iunoni, vbi concumbere parāt ſtatim progignit flores trium generum, eóſque lectiſſimos & odoratiſſimos, in quibus eſt hyacinthus, Homerus.

> Ἦ ῥα, καὶ ἀγκὰς ἔμαρπτε Κρόνου παῖς ἣν παράκοιτιν   *Homer. Iliad.* ξ.
> Τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα φύεν νεοθηλέα ποίην
> Λωτόν θ' ἑρσήεντα, ἠδὲ κρόκον, ἠδ' ὑάκινθον
> Πυκνὸν καὶ μαλακόν, ὃς ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἔεργε.

Dixit ſanè, & vlnis accepit Saturni filius ſuam vxorem, Quos ſubter tellus diuina produxit recentem herbam, lotúmque roſcidum, & crocum, & hyacinthum denſum & mollem, qui à terra in altum ſurgebat. Et verò hyacinthus à Virgilio, imitatione Homeri vocatur mollis flos,

> *Ah! virgo infelix, tu nunc in montibus erras,*   *Virgil. ecl.* 6.
> *Ille latus niueum molli fultus hyacintho*
> *Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas.*

In hoc flore ſingulare eſt vt ſit literatus, id eſt inſcriptus ijs notis quæ referunt formam literarum. Theocritus,

> Καὶ τὸ μὲν ἴον μέλαν ἐστί, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.   *Pauſan. lib.* 2.

Et viola quidem intus [eſt] nigra, & inſcripta hyacinthus. Quæ literæ, vt Pauſanias ait, ſunt indices luctus. Id quod cuiuſmodi ſit, liquet ex Ouidij verſibus illis, qui eos quos proximè citaui, nullo interuallo ſequuntur,

> *Non ſatis hoc Phœbo eſt (is enim fuit author honoris)*   *Ouid. lib.* 10. *Metam.*
> *Ipſe ſuos gemitus folijs inſcribit, & hya*
> *Flos habet inſcriptum, funeſtáque litera ducta eſt.*
> *Nec genuiſſe pudet Sparten Hyacinthon, honórque*
> *Durat in hoc aui; celebrandáque more priorum*
> *Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.*

Nempe, vt ait Plinius, ita in hoc flore diſcurrunt venæ, vt Græcarum literarum figura A I, legatur inſcripta. Ergo hæ literæ Ouido ſunt hya, Plinio A I, θρηνητικὸν ἐπίρρημα, lamentabile aduerbium. Et exclamatio pueri, tum cùm ſagitta ab Apolline ictus interijt, ſi referatur ad Hyacinthum; ſi ad Aiacem, primæ literæ nominis eius. Sed ipſe Ouidius, vt cœpi dicere, hunc honorem *Plin. lib.* 21. *cap.* 11.

vtrique tribuit non ſolùm in ijs verſibus quos ſupra citaui, ſed & alibi,

Ouid. lib. 13. Metam.

-- rubefactáque ſanguine tellus
Purpureum viridi genuit de ceſpite florem.
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus,
Littera communis medijs pueróque viróque
Inſcripta eſt folijs; hac nominis; illa querela.

His affinia ipſe Aiax loquitur apud Sophoclem, vbi dicit ſuum nomen conuenire ſuis malis,

Sophocl. Aia. maſt.

Αἶ Αἶ. τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον
Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς.

Ah, Ah, Quis vnquam putaſſet ita conſentiens meum conuenire nomen malis meis? In eadem tragœdia Aiax dicitur eſſe nominis infauſti & infelicis, ὁ δυσώνυμος Αἴας. Vt vt eſt, ſiue pueri, ſiue Aiacis eſt hic flos, dicitur πολύθρηνος ὑάκινθος, οἱονεὶ πολυθρήνητος καὶ φιλόθρηνος, flebilis hyacinthus. Et hic, videlicet, eſt vnus ex illis floribus qui ſunt inſcripti nomina regum. Cuius generis eſt faba, in cuius flore literæ lugubres reperiuntur. Et hinc fortaſſe manauit mos ſpargendi ſepulchra hyacinthis. Propertius,

Nicād. ther. & Scholiaſt. eius in Alexiph.
Plin. lib. 18. cap. 12.
Propert. lib 4.

Hoc etiam graue erat nulla mercede hyacinthos
Inijcere, & fracto buſta piare cado.

Hîc obiter noto non ſolùm flores naſci inſcriptos, ſed quādóque & ipſos fructus, cuiuſmodi eſt malum Perſicum. Id quod qua ratione fiat, docet Conſtantinus Cæſar. Hyacinthinas quoque corollas ſacris Cereris adhibitas fuiſſe memorat Pauſanias in Chthonijs diebus Feſtis. Quippe pueris ſolenne eſt Deam cum pompa deducere veſte alba vt plurimùm indutis, & redimitis corollis è coſmoſandalo. Vſque eò hic color cœleſtis eſt, *vt* [verba ſunt Hieronymi,] *rudi adhuc populo, & hominibus ad obedientiam inſuetis per Moyſen imperetur à Domino, vt in ſignum memoriæ, qua præcepta Domini recordentur, per ſingulas veſtimentorum fimbrias habeant cum cocco hyacinthini coloris inſignia; vt etiam caſu huc illucq́; reſpicientibus oculis mandatorum cœleſtium memoria naſcatur.* Enimuero voluit Deus veſtem ſummi Pontificis totam eſſe hyacinthinam, hoc eſt hyacinthini coloris, exceptis partibus eius extremis. Rationem tradit Philo, qui ait hunc colorem eſſe ἀέρος ἐκμαγεῖον aëris expreſſam formam. Eſt enim aër quodammodo niger, & inſtar veſtis talaris, ſi incipias à terra vſque ad loca lunæ proxima, vbique infuſus. Hic flos omnibus vernis floribus ſcitè miſcetur, vt apud Theocritum violæ, ſerpyllo, croco, roſæ. Apud Homerum, & Homeri imitatione apud Philoſtratum, loto & croco; interdum vni croco. Ouidius ſociat hyacinthum, narciſſum,

Conſtant. Cæſ. lib. 10. cap. 14.
Hieron. lib. 2. epiſt.
Philo π. β. Μωσ.
Theocr. eid. 18.
Homer. Iliad. ξ. & hym. eis Πᾶνα.
Philoſtrat. in imag.
Ouid. li. 5. Faſt.

ſum, crocum, acin, Cynira creatum florem, id eſt myrrham, florem miſſum ab aruis Olenijs. Et alibi hyacinthum, & amarantum. *Ouid. li 4. Faſt.*

CAPVT XI.

Anethum flos vernus & coronarius, eſt bene olens, & pulcher. Quibus floribus ſocietur. Anemone flos coronarius. Vnde dictus. Non conferendus roſæ. Eſt tamen inter pulchros & Venereos flores. Ἀδωνιασμὸς, & ἀδώνεια quid. Hic flos fuit priſcis in delicijs. Amarantus flos coronarius. Vnde dictus. Quales coronæ fiant ex amaranto. Eæ coronæ in templis ſuſpendebantur. Quibus floribus amarantus ſocietur. Acanthus flos vernus & coronarius. Cuilibet rei condecorandæ adhibetur. Quibus floribus ſocietur.

ANETHO locus in coronamentis eſt frequentiſſimus vel ipſos inter vernos præcipuóſque flores, vt ex hoc loco, Theocriti palam fit,

> Κἠγὼ τῆνο κατ' ἆμαρ ἀνήτινον ἢ ῥοδόεντα,
> Ἢ καὶ λευκοΐων στέφανον περὶ κρατὶ φυλάσσων
> Τὸν Πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρητῆρος ἀφυξῶ.

Theocr. θαλύσ. εἰδ. ζ.

Egóque illo die anethinam vel roſaceam, Aut ex albis violis coronam in capite geſtans Vinum in Ptelea natum è cratere hauriam. Vocatur à Moſco florens criſpúſque flos, vt veriſimile eſt, ob pulchritudinem,

> Αἲ αἲ, ταὶ μαλάχαι μὲν ἐπὰν κατὰ κᾶπον ὄλωνται,
> Ἢ τὰ χλωρὰ σέλινα, τότ' εὐθαλὲς οὖλον ἄνηθον.
> Ὕστερον αὖ ζώοντι, καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι.

Moſch. in epitaph. Βίωνος εἰδ. γ.

Hei, hei maluæ cùm in horto interierunt, vel viride apium, vel florens criſpum anethum, poſtea reuiuiſcunt, & altero anno renaſcuntur. Virgilio eſt flos bene olens,

> *Narciſſum & florem bene olentis anethi.*

Virgil. ecl. 2.

Eſt etiam pulcher; ſiquidem ex anetho viridia vmbracula fieri, Theocritus tradit.

> Χλωραὶ δὲ σκιάδες μαλακῷ βρίθουσαι ἀνήθῳ
> Δέδμανται.

Theoc ἰδ. συρα. εἰδ. ιέ.

Viridia quoque vmbracula molli tecta anetho Extructa ſunt. Miſcetur violæ, & roſæ, vt liquet è loco Theocriti ſupra citato,

> Κἠγὼ τῆνο κατ' ἆμαρ, &c.

Sequitur Anemone ſic dictus flos διὰ τὸ φύλλον εὐδιάσειστον εἶναι παντὶ ἀνέμῳ quod eius folium facilè mouetur omni vento. Naſcitur circa ſepes; & floret hyeme. Nec ſanè eſt conferendus roſis, vt *Etymol. ἀνεμώνη. Theophraſt. de cauſ. plant. li. 2.*

canit Comatas ille apud Theócritum, & naſcitur apud ſepes.

Theocrit. εἰδυλ. ε.

Ἀλλ' ὀ σύμβλητ' ἐςὶ κυνόσβατος ὐδ' ἀνεμώνα
Πρὸς ῥόδα, τῶν αἴθηρα παρ' αἱμασιαῖσι πεφύκει.

ἐν παροιμ.

Lucian de merce. cond. apol.

Hinc, ſcilicet, natum prouerbium, ῥόδον ἀνεμώνῃ συγκρίνεις, aggregas, hoc eſt, æquas aut comparas roſam anemone, τὰ ἀνόμοια συμβάλλεις, inæqualia componis, veluti plumbum argento, æs auro, anemonem roſæ, hominem ſimiæ. Nihilominus tamen hunc quoque florem numerari inter pulchros & Venereos, hinc datur intelligi, quòd natus eſt è lachrymis Veneris flentis Adonidem,

Bion in epitaph. Adon.

Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν.

Etymol. ἀδωνιασμὸς, & ἀδώνια.

Qui fletus aut lamentatio tanti (vt omnia quæ ſunt ab Venere) decoris eſt, vt proprium nomen hinc ſortita ſit. Quippe à Græcis dicitur ἀδωνιασμὸς, ὁ ἐπὶ τῷ Ἀδώνιδι θρῆνος: Hinc quoque ἀδώνια feſtus dies Veneri ſacer. Fuiſſe quoque hunc florem in delicijs hinc ſciri poteſt, quòd Græci hanc locutionem vſurpant, ἀνεμῶναι τῶν λόγων, vt in hoc loco Lucian μηδέ σε θελγέτωσαν ἀνεμῶναι τῶν λόγων, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῶν ἀθλητῶν νόμον ἡ στερρά σοι τροφὴ συνήθης ἔςω. Neque verò te mulceant anemonæ verborum; ſed iuxta legem athletarum ſolidus tibi cultus conſuetus ac familiaris ſit. Vbi ἀνεμῶναι τῶν λόγων videntur ſignificare laxitatem verborum, ſiue dictionem ventoſam & ampullatam. Amatanto quoque haud ignobilis locus inter flores coronariós eſt, attributus. Dicitur ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, ex eo, quòd non marceſcit aut flacceſſit, éſtque inter flores hortenſes ſpecie decorus, & virginibus dilectus,

Lucian. Lexiph.

Heſych. ἀμάραντος.

Ouid. li 4 Faſt.

Has Hyacinthe tenes; illas amarante moraris:

Plin lib 21 c.8.

Artemid. lib.1. cap.79.

Clem Alex. pædag. lib.2 c.8.

Hinc fiunt coronæ hybernæ, cùm, ſcilicet, madefactus aqua reuiuiſcit. Coronas ex amaranto ſuſpendi in templis, Diíſque dicari teſtis eſt Artemidorus. Nempe eas in ſomnis viſas, potiſſimùm iudicibus, bonas eſſe ait, quòd ſunt immarceſſibiles, & ſeruantes ſui coloris. Hinc eſt, quod Clemens Alexandrinus, cùm monet Chriſtianum, quæ eſt viua imago Dei, ne coronetur inſtar ſimulachrorum mortuorum, addit, pulchram amaranti coronam illi eſſe repoſitam qui ſe rectè geſſerit, id eſt, qui ſe Ethnicis ſuperſtitionibus non inquinauerit. Hunc, inquit, florem terra ferre non poteſt. Cœlum ſolummodo eum producit. Ac ſi dicat, Chriſtiani hominis eſt ambire coronam illam immarceſſibilem quæ à Deo electis propoſita eſt. Hiſce floreis, quibus idola & mortui æquè donantur, abſtineat. Hanc ipſam cœleſtem coronam Petrus vocat ἀμαράντινον τῆς δόξης ςέφανον, amarantinam gloriæ coronam. Nempe harum coronarum ſatis frequens apud ſcriptores mentio. Philoſtratus nominat ἀμαραντίνους ςεφάνους. Idem rationem adfert quapropter primi Theſſali coronas amarantinas conſtituerint in funebria;

Petr. ep.1. cap.5.

Philoſtr in Heroic.

nempe vt ſi nauis illa θεωρὶς quæ ſacra deferebat ad Achillem, ventis detineretur, nauigantes non putridi fierent aut intempeſtiui. Quæ Philoſtrati verba interpretantur locum Petri proximè à me citatum. Et ex vtroque loco diſcimus, hiſce amarantinis coronis inditam fuiſſe naturalem quandam vim aduerſus putredinem. Hic flos lepidè ſociatur lilijs, Tibullus,

Vt iuueni primùm virgo deducta marito Tibul. li. 3 el. 4.
Inficitur teneras ore rubente genas;
Vt cùm contexunt amarantis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent.

Sociatur & hyacintho,

Has hyacinthe tenes, illas amarante moraris. Ouid. li. 4. Faſt.

In hac quoque ſerie eſt acanthus vernus flos & coronarius, cuius nobilitas è verbis Vitruuij cognoſci poteſt, quæ hîc adſcribere viſum. *Virgo ciuis Corinthia iam matura nuptijs implicita morbo deceſſit. Poſt ſepulturam eius, quibus ea viua poculis delectabatur, nutrix collecta & compoſita in calatho pertulit ad monumentum, & in ſummo collocauit; & vti ea permanerent diutiùs, ſub diuo tegula texit. Is calathus fortuitò ſupra acanthi radicem fuerat collocatus. Interim pondere preſſa radix acanthi media folia & cauliculos circa vernum tempus profudit. Cuius cauliculi ſecundum calathi latera creſcentes, & ab angulis tegulæ pōderis neceſſitate expreſſi flexuras in extremas partes volutarum* [l. volutatas] *facere ſunt coacti. Tunc Callimachus, qui propter elegantiam & ſubtilitatem artis marmoreæ ab Athenienſibus catatechnos fuerat nominatus, præteriens hoc monumentum, animaduertit eum calathum, & circa foliorum naſcentem teneritatem. Delectatúſque genere, & formæ nouitate ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit, ſymmetriáſque conſtituit; ex eóque in operum perfectionibus Corinthij generis diſtribuit rationes.* Quibus ex verbis diſcimus hanc plantam non ſolùm collocari inter vernas, eaſque floridas, ſed & eſſe fœcundam folijs & cauliculis; tantæque teneritatis, vt facile flecti, proximæ cuique rei applicari, eique ornamento eſſe poſſit. Ea re non mirum eſt ſi à Virgilio vocatur flos ridens, hoc eſt, & ſpecie lætus, & aſpectu gratus. Vitruu. lib. 4.

At tibi prima puer nullo munuſcula cultu Virgil. ecl. 4.
Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,
Miſtáque ridenti colocaſia fundet acantho.

Ideóque virginibus eſt admodum dilectus.

Hanc [Donacen] *cùm vicini flores in vallibus horti* Aurel. Nemeſ. ecl. 2.
Carperet, & molli gremium compleret acantho
Inuaſère ſimul.

Nec ſolùm coronis adhibetur, ſed cuilibet rei condecorandæ. Vt

enim apud Vitruuium acanthus effigiatur in epiſtylijs, ita apud Virgilium amplectitur anſas poculi.

Virgil. ecl. 4.
> *Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,*
> *Et molli circum eſt anſas amplexus acantho.*

Ex acantho aurato inſignem craterem fingit Ouidius,

Ouid. lib. 13. Metam.
> *Hactenus antiquo ſignis fulgentibus ære*
> *Summus in aurato crater erat aſper acantho.*

Virgilius circumtexit velamen, vnum ex illis muneribus quæ Didoni offert Æneas, acantho; illúdque vocat croceum,

Virgil. 1. Ænei.
> *Et circumtextum croceo velamen acantho.*

Et paulò infra,

> *Et pictum croceo velamen acantho.*

Iſidor. li. 17. c. 9. Iſidorus tradit acanthum eſſe herbam Ægyptiam, *ſemper frondentem ſpinis, plenam flexibili virgultu.* Hinc veſtis acanthina. Herculi Statius texit puluinar ex acantho;

> *Hic tibi Sidonio celſum puluinar acantho*
> *Texitur.*

Plin. epi. lib. 5. ep. 6. Acanthum, qui eſt ornamento villæ ſuæ, Plinius deſcribit his verbis, *Acanthus in plano mollis, & penè dixerim, liquidus,* & paulò infra, *Poſt has acanthus hinc inde lubricus, & flexuoſus.* Lepidè ſociatur hederis, baccari, & colocaſijs; tum roſæ & violæ. Virgilius,

Virgil. Cul.
> *– hîc & acanthus,*
> *Et roſa purpureo creſcit rubicunda colore,*
> *Et violæ omne genus.*

CAPVT XII.

Baccaris flos coronarius. Homines ſoporat. Coronæ ex hoc flore tuentur vates à linguis virulentis. Quibus floribus ſocietur. Amomum planta coronaria. Vnde dicta. Eſt Veneri ſacra. Eſt odorata. Eius ſuccus commendatur. Quibus floribus miſceatur. Amaracus flos coronarius. Index lætitiæ nuptialis. Hymenæus hoc flore coronatur. Amaracina vnguenta.

INTER flores coronarios numerant baccarim, ſeu pancharim plantam ſuauiter olentem. Hinc plectebantur corollæ, quibus capita vatum redimita à virulentis linguis tuta credebantur. Virgilius,

Virgil. ecl. 7.
> *Aut ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem*
> *Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.*

Plutarch. ſym. 3. Hic flos cum Cypri flore & croco εἰς ὕπνον ἄλυτον ἄγει τοὺς πεπωκότας, in ſomnum indiſſolubilem agit eos qui biberunt. Quæ ferè verba

Clemens Alexandrinus ſumpſit à Plutarcho. Miſcetur hederis, *Clemen Alex. padag. li. 2. c. 8.*
colocaſijs, & acantho. Huic addo amomum, *ita dictum*, inquit
Iſidorus, *quòd veluti odorem cinnamomi refert.* Et verò vtraque *Iſidor. li. 17. c. 8.*
planta connumeratur inter odoratiſſimas.

Cinnamon interea profert Phœnicia tellus, *Dracõt. de opif. V I. dier.*
Solis amica nimis; nam nunc de ſole peruſta
Hæc nardi flores, hæc portio fundit amomum.

Huius certè inter coronarias plantas non eſt minima mentio, primò quòd eſt dicata Veneri. Statius alloquens Cupidines,

Illa ſagittiferi circumuolitaſtis amores *Stat. lib. 5. Sylu.*
Funera, maternóque rogos vnxiſtis amomo.

Alibi, eodem tamen libro,

-- hunc multo Paphia ſaturabat amomo.

Deinde eſt odoris præcipui. Virgilius,

Nunquam illam poſthac oculi vidêre ſuorum *Virgil. Cir.*
Purpureas flauo retinentem vertice vittas;
Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo.

Vbi pro retinentem libentiùs legerim renitentem, id eſt ſplendentem. Aſſyrium pręcipuè commendatur vt rarum & electiſſimum.

-- Aſſyrium & vulgo naſcetur amomum. *Virgil. ecl. 4.*

Et in ecloga ſuperiori,

Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomum.

Et Statius,

Aſſyrio cineres adolentur amomo. *Stat. lib. 2. Sylu.*

Quibus omnibus è locis palam fit, amomi odorem & ſuffumigationem funeribus adhiberi ſolitam. Amomi commẽdatur ſuccus; atque ideo vocatur pingue. Statius,

-- nec pingui crinem deducere amomo *Stat. lib. 1. Sylu.*
Ceſſauit mea, nate, manus.

Huius ſucci meminit Ouidius in Phœnice, *Ouid. lib. 15. Metam.*

-- nec fruge, nec herbis,
Sed thuris lachrymis, & ſucco viuit amomi.

Iungitur floribus tranſmarinis, quale ipſum eſt, odoratiſſimis. Ouidius,

-- ſit diues amomo, *Ouid. lib. 10. Metam.*
Cinnamaq́, coſtumq́, ſuam, ſudataq́, ligno
Thura ferat, floreſq́, alios Panchaica tellus.

Plantis floribuſque vernis coronarijs annumeratur amaracus, ſiue *Scholiaſt. in ther. Nic.*
ſampſuchus, vulgo maiorana, multa & blanditie & ſuauitate. Certè
hæc planta eſt index præcipuæ cuiuſdam lætitiæ, potiſſimùm nu- *Iſidor. li. 17. c. 9.*
ptialis. Et quidem Catullus Hymenæi tempora cingit amaraco,

Catull in epith. Iul.& Manl.

Cinge tempora floribus
Suaue olentis amaraci.

Hunc florem areolis hortorum ripiſque amnium eſſe ornamento hinc diſcimus,

Nicand ther. & ibi Scholiaſt.

— μάλα δ' αὖ καὶ ἀμάρακος εἴη
χαιτηεὶς πρασιῆς τ' καὶ αἰθύεσσι χλοάζων.

confert & amaracus areas hortorum complens & ripas fronde virenti Porrò huius floris vmbram Virgilius laudat in his verſibus,

Virgil 1. Æneid.

—*vbi mollis amaracus illum*
Floribus, & dulci aſpirans amplectitur vmbra.

Theophraſt. π. ὀσμ.

Hinc amaracinum vnguentum. Etſi Theophraſtus monet hoc vnguentum, quod eſt pretioſiſſimum, fieri ſine amaraco, & componi ex optimis aromatibus.

CAPVT XIII.

Lotos flos vernus coronarius. Lotus. Hortis quomodo conducat. Deliciæ loti. Lotos, id eſt eruditi ſermonis venuſtates. Lotus argumentum corporeæ pulchritudinis. Loti plures ſignificatus. Nigritia, id eſt purpureus color. στεφανώματα Athenienſibus quid. Lotos flos Antinoi. Corona Antinoia. Corona lotina. Flos Antinoïus. Fabula de Adriano Imperatore. Quibus floribus lotos ſocietur.

Euripid. Phœniſſ. actu 5. Athen. lib. 3. Iſidor. li. 17. c. 7. Homer. Iliad. ξ. Max. Tyr. dial. 4. Conſtãtin. Caſ. lib. 12. cap. 6.

IN floribus vernis coronarijs multa eſt dignitas loti. Etſi Euripides hunc florem facit pratenſem, cùm vocat pratum ferax loti, λωτοτρόφον λείμακα. Athenæus de faba Ægyptia verba faciens ait, ex eius ciborijs, id eſt arculis & loculis, quibus ſemen continetur, florem emicare coronis aptum, quem Ægyptij loton vocant. Noſtris eſt mella. Hic quoque eſt inter illos flores, quos Homerus facit ſubnaſcentes voluptati Deorum, atque adeò primùm, eumque vocat roſcidum, λωτόν θ' ἑρσήεντα, & alibi vocat μελιηδέα mellcum, quo nomine, inquit Maximus Tyrius, Homerus alicubi demonſtrat voluptatem. Qui de re hortenſi ſcribunt, aiunt hortum fieri floridum, ſi loto protrita, & in aquam coniecta, totus conſpergitur. Lotos quoque principem locum obtinet inter eas herbas quas Apollinis & Muſarum prata progignunt. Qua prærogatiua vix vlla vlli flori maior. Certè loton metaphoricè ſignat ſcientiæ oracula, & eruditi ſermonis venuſtatem. Id quod diſcimus ex Himerio, φιλόσοφος μὲν, inquit, τὴν γνώμην, τὸν δὲ λόγους οὐ

Himer. μελ. ἐκλ.

τέτους μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιῶ ὅ, τι βέλοι τῶν ὅσα μουσῶν τ' καὶ ἀπόλλωνος λειμῶνες

βρύουσιν. ἀφ' ὧν δρεψάμενος ἁπάσης παιδείας λωτὸν, οἷόν τινα στέφανον ἠρινὸν, τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἀπέστεψεν. Philoſophus quidem mente. At ſermones non hos tantùm, verùm etiam quicquid vult eorum quibus abundant prata Apollinis & Muſarum. A quibus decerpta omnis diſciplinæ loto veluti verna aliqua corona, ſuum animum excoluit. Quibus ex verbis illud quoque colligimus, eſſe florem vernum. Apud Lucianum loti vocabulo deliciæ ſermonis ſæpe ſignificantur, τοσαύτην τινά μοι λόγων ἀμβροσίαν κατεσκέδασεν, ὡς τὰς τε σειρῆνας ἐκείνας, εἴ τινες ἄρα ἐγένοντο, καὶ τὰς ἀηδόνας, καὶ τὸν Ὁμήρου λωτὸν ἀρχαῖον ἀποδεῖξαι· οὕτω θεσπέσια ἐφθέγξατο, tantam verborum ambroſiam mihi affudit, vt mihi planè videretur Sirenes illas, ſi quæ vnquam fuerunt, & luſcinias, & lotum illam Homeri antiquam referre; adeò diuina quædam loquebatur. Si lotos eſt index, atque adeò ſymbolum earum dotum quæ animi propriæ ſunt, multò magis dici poteſt argumentum corporeæ pulchritudinis. Certè apud Euripidem nominantur amores, id eſt deliciæ loti, λωτοῦ τ' ἔρωτες, ἡλίου τ' ἁγναὶ βόες. loti amores, & ſolis caſtæ boues. Apud Theocritum puellæ Spartanæ, illæ quæ Menelao & Helenæ canunt nuptiale carmen, Helenæ coronam texunt è loto.

> Πρᾶταί τοι στέφανον λωτῶ χαμαὶ αὐξομένοιο
> Πλέξασαι, σκιερὰν καταθήσομεν ἐς πλατάνιστον.

Primæ tibi coronam ex humi naſcente loto Nectentes in vmbroſa ſuſpendemus platano. Multas huic plantæ & ſingulares eſſe dotes indicant illa quæ de ea vbertim à ſcriptoribus memorantur. Ægyptij, authore Plutarcho, cùm id agunt vt repræſentent initium ortus, pingunt puerum ſedentem ſuper loto. Nempe, ita ſignabant τὴν πρώτην ἀμφιλύκην colorem crepuſculi, quo quidem in hac rerum vniuerſitate nihil eſt pulchrius,

> *Temporis id quo lux tenebras conſcendere tentat,*
> *Et bicolor cœli facies de nocte dieq; eſt.*

Et verò Ouidius ait, loton imitari Tyrios colores, hoc eſt, purpuraſcentes, in ijs verſibus quos infra ſcribo, tum nigricantes. Certè Plinius loquens de Perſica Ægypti, dicit *eam nigritia nihil differre à loto.* Et hæc quidem nigritia propemodum nihil aliud eſt, niſi purpureus color, vt alibi dico. Plutarchus mundum, qui ſit pulcherrimus, ait eſſe colore cyaneo, & purpureo, κυανόεσσι κέχρωσται, ἡ πορφύρα μὲν γὰρ μελάντερον, στίλβος δὲ ἔχει πιότητα, cyaneo [colore] coloratur quod purpura quidem eſt nigrius, ſiue coloratius. Splendentem autem habet qualitatem. Sed & purpuræ nigræ apud eundem fit mentio, vbi de Catone ait, αὐτὸς ἐφόρει τὴν μέλαιναν, ipſe ferebat nigram, id eſt, coloratiorem. E ſingulari & eximia pulchritudine loti deſumptæ ſunt metaphorę illę quas proximè dicebam.

Lucian. Nigr.

Euripid. Troad. actu 2.

Theocrit. in epith. Hel. eidyll.

Plutarch. περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμ.

Oppian. κυνηγ. lib. 3.

Cypr. Sed.

Plin. lib. 13. c. 9.

Plutarch. περὶ τῶν ἀρεσκ. τοῖς φιλοσόφ.

Plutarch. Cat. iun.

Cæterùm Ouidius memorat, qua ratione Dryope mutata ſit in hanc plantam,

Ouid. lib. 9. Metam.

> *Haud procul à ſtagno Tyrios imitata colores,*
> *In ſpem baccarum florebat aquatica lotos.*
> *Carpſerat hinc Dryope quos oblectamina nato*
> *Porrigeret flores.*

Quibus verſibus tria continentur, color huius floris, qui, vt dixi, eſt purpureus; flos ipſe, qui eſt pulcherrimus; fructus, quas vocant baccas. Enimuero Stephanus tradit, Gindanes, gentem Libycam viuere fructu loti. Cæterùm Athenæus refert, lotum à Cratino veluti peculiari prętogatiua dictum eſſe στεφάνωμα coronamentum, quòd folioſa omnia Athenienſes vocant στεφανώματα. Et apud Theophraſtum loquentem de hordeo leguntur hæc verba, πυρὸς κριθὴ στεφανοφυλλότερον, &c. Frumento hordeum eſt folioſius. Sic interpretor τὸ στεφανοφυλλότερον, ſi remanet hæc lectio, quam ego vix probare poſſum, cùm hoc epithetum τῇ κριθῇ hordeo minimè conueniat. Ibi ergo lubentiùs lego στενοφυλλότερον arctiori, ſeu reſtrictiori folio, ſeu folliculo. Cæterùm loton Pancrates in quodam poëmate vocat florem cognominem Antinoi in quibuſdam verſibus qui referuntur ab Athenæo,

Steph. γινδᾶνες. — *Athen. lib. 15.* — *Theophraſt. lib. 8. de plant.*

Athen. lib. 15.

> Οὖλον ἕρπυλλον, λευκὸν κρίνον ἠδ' ὑάκινθον
> Πορφυρέην, λευκοῦ τε χελιδονίοιο πέταλα
> Καὶ ῥόδον εἰαρινοῖσιν ἀνοιγόμενον ζεφύροισιν,
> Οὔπω γὰρ φύεν ἄνθος ἐπώνυμον Ἀντινόοιο,

Serpyllum criſpum, album lilium, ac hyacinthum Purpureum, flaui chelidonij folia; Et roſam vernis zephyris hiſcentem, Nondum florem Antinoi cognominem tellus ediderat. Cur autem lotos dicatur flos Antinoi, cur item corona quæ inde texitur, vocetur Antinoia, planum facit Athenæus, cuius hæc eſt ſententia: Alexandriæ quandam coronam necti è loto, cui nomen Antinoia. Ea corona duplex eſt, quòd is flos vnde nectitur; eſt duorum colorum, Quorum vnus eſt ſimilis roſæ. Et hic ille eſt è quo plectuntur eæ coronæ quas propriè vocant Antinoias. Alter eſt cyaneus, ex quo fit corona lotina. Atque huius quidem coronæ non ſolùm meminit Athenęus, ſed & ea Oſirim fuiſſe coronatum, eamque reliquiſſe apud Nephthem, Plutarchus author eſt. Ego quàm ea quæ retuli ex Athenæo, verè dicantur, non nunc diſpicio, niſi quod verecundè fateor mihi eſſe ſuſpecta; Quia apud Stephanum inuenio Antinoiam eſſe vrbem Ægypti Ἀντινόου παιδὸς, quæ vocata eſt ἁδριανόπολις. Vt veriſimile ſit, Antinoiam coronam dictam fuiſſe illam, qua vt plurimùm vterentur Antinoij, quæque ex eo flore necteretur qui illic multus eſſet. Pergit Athenæus; & quædam

Plutarch. π. Ισιδ. καὶ Οσιρ. — *Stephan. Ἀντινόεια.*

quædam addit de loto roſeo; & hoc dicit, Pancratem quendam poëtam ſibi cognitum, vt ingens miraculum oſtendiſſe Adriano Imperatori, cùm is eſſet Alexandriæ, lotum roſeum. Quem florem is dixit oportere vocari Antinoium. Cauſam non addit. Equidem credo, quòd is flos apud Antinoiam vrbem feliciter proueniebat; quam vrbem Pancrates delegerat, quòd ea aſſumpta fuerat in cognomentum Imperatoris. Nimirum, in eo Imperatori impenſiùs adulatus eſt, quod præclariſſimum florem faciebat cognominem vrbi Adriano dilectæ. Sed non hoc fine ſtetit adulatio. Nam is Pancrates loton dixit progenitum fuiſſe terra perfuſa ſanguine Mauri leonis, quem Adrianus, dum in ea parte Libyæ, quæ Alexandriæ cõtermina eſt, venaretur, proſtrauerat; belluam, videlicet, ingentem, quæ diu Lybiam ita vaſtauerat, vt eius magna pars deſerta eſſet. Certè Adriano ab hoc nugatum venditore os egregiè ſublinitum; aut certè is volens & ſciens ſibi imponi facilè eſt paſſus; neſcio maiorine principis credulitate, an illius impoſtoris vaframento. Vtvt eſt, Adrianus hoc qualicunque commento delectatus perhibetur; aut ſe eo delectatum ſimulauit, eò quod hinc ſe videbat æquari priſcis illis heroibus fortiſſimis exitialium ferarum domitoribus. Itaque ne illi præſtigiatori tantum mendacium eſſet irremuneratum, annonam ei largitus eſt, τὴν ἐκ μουσῶν σίτησιν, eam quæ eſſet ex Muſis, id eſt, quæ dari ſolita eſſet hominibus impensè eruditis. Non omiſerim loton connumerari inter aromata; atque adeò illud eſſe mirabile quod Theophraſtus tradit, loti florem apud Euphratem aperiri & contrahi, eiuſque caulem ſiue ſcapum quandoque erigi, quandoque deprimi, ac deſcendere ab occaſu vſque ad mediam noctem. Lotos ſociatur croco, & hyacintho, quos flores, vt ait Heraclius Ponticus, conſtat eſſe ἴδια στέφη ἀμφιθαλοῦς ὥρας, propria coronamenta floreſcentis temporis, hoc eſt veris.

Theophraſt lib. 9. de plant.

Theophraſt. lib. 2. de cauſ. plãt. cap. 26.

Heracl. Pont.

CAPVT XIV.

Crocus ſiue crocum flos coronarius. Natales eius. Eius dotes. De colore & odore eius. Crocinum è croco vnguentum. Teneritas & mollities croci. Corycium crocum. Solinus emendatus. Sicanium crocum. Crocus amat proteri. Eſt inter delicias matronarum. Scenæ, plateæ, ipſe lectus nuptialis croco perfundi ſolitus. Quibus floribus ſocietur.

INTER flores coronarios multus croco locus aſſignatur, vt qui ſit inter præcipua decora horti ſiue prati. Nec obſtat quod à Callimacho vocatur flos hybernus. Neque enim hyeme prouenit,

Callim. hym. εἰς Ἀπόλλ. & ibi ſchol.

ſed floret in frigore. Vnde crocum diciaiunt παρὰ τὸ ἐν κρύει θάλλειν, ex eo quod in frigore floret. Hanc ob cauſam Theophraſtus ait, τοῦτο τὸ φυτὸν εἶναι ὀψιανθὲς σφόδρα, καὶ ὀψιβλαστὲς, πλειάδι γὰρ ἀνθεῖ, καὶ ὀλίγας ἡμέρας. hanc plantam valde ſerò florere, ac ſerò germinare; Quippe floret ſub Pleiade, & paucos dies. Ceterùm Virgilius hunc florem facit vernum, cumque dicit eſſe honorem ridentis calathi,

Theophraſt. lib. 6. de plant. c. 6.

Virgil. in roſ.

Vertice collectos illa exſinuabat amictus,
Iam meditans folijs ſe numerare ſuis.
Nec mora. ridentis calathi patefecit honorem,
Prodens incluſi ſemina denſa croci.

Hic flos videtur eſſe in numero illorum quos terra produxit è ſanie hepathis Promethei, quod aquila dimiſit, dum illud ederet in monte Caucaſo. Pluribus dotibus preditus eſt. Ac primò quidem eſt ſalubris. *Qui crocum prius biberint*, inquit Plinius, *crapulam non ſentiunt. Ebrietati eo reſiſtunt. Corona quoque ex eo mulcent ebrietatem.* Ineſt quoque huic flori naturalis facultas aduerſus crocodilos. Quippe qui in Ægypto mel colligunt, ne edatur à crocodilis, obijciunt eis crocum, quo conſpecto, fugiunt. Coloris eſt flaui. Theocritus,

Scholiaſt. Apol. Rhod lib. 3.

Plin. lib. 21. cap. 20.

Etymol. κροκόδειλος.

Theocrit. eid. 18. κά.

Αἳ δ' αὐτᾶς ξανθοῖο κρόκου θυόεσσαν ἔθειραν
Δρέπτον ἐεισμαίνεται.

Aliæ porrò flaui croci odoratam comam Decerpebant certantes. Ouidius vocat puniceum,

Ouid. li. 5 Faſt.

Lilia deciderant; violas arere videres;
Filaq; punicei languida facta croci.

Sophocli crocus eſt χρυσαυγὴς aurei coloris. Tryphiodoro eſt aureus, vt in verſibus quos cito paulò infra. Eſſe autem non ſolùm coloris, ſed & odoris nobiliſſimi, hinc palam eſt, quod à Theophraſto numeratur inter aromata. Virgilius,

Sophocl. Oed.

Theophraſt. lib. 9 de plant.

Virgil. lib. 1.

— nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?

Ideo Callimachus vocat crocum ἡδὺν ſuauem, credo, odore ſimul & guſtatu, — σεῖο δὲ βωμοί

Callimac. hym. in Apoll.

Ἄνθεα μὲν φορέουσιν ἐν εἴαρι τόσσα περ ὧραι
Ποικίλ' ἀγινεῦσι ζεφύρου πνείοντος ἐέρσην,
χείματι δὲ κρόκον ἡδύν.

Tuæ quidem aræ flores ferunt in vere quotquot horæ variæ producunt Zephiro inſpirante rorem. Hyeme verò crocum ſuauem. M. Tullius fatetur huius odoris eſſe acerrimam quandam ſuauitatem his verbis, *Licet hoc videre in reliquis ſenſibus, vnguentis minus nos delectari ſumma & acerrima ſuauitate conditis, quàm his moderatis; & magis laudari quæ terram, quàm quæ crocum olere videantur.*

Cic lib. 3. de orat.

Vbi *τὸ terram* fateor mihi eſſe ſuſpectum. Cæterùm vt Callimacho crocus eſt ſuauis, ita Statio mitis,

-- nam Sicanij non mitius halat Stat. li 5. Sylu.
Aura croci, dites nec ſic tibi rara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpſit ariſtas.

Huius odoris argumẽtum eſt illud vnguentum quod fit ex croco, cui nomen crocinum. Propertius,

Sit menſæ ratio, noxq́ inter pocula, currat, Propert. lib. 3.
Et crocino nares myrrheus vngat onyx.

Adnotatum eſt, Iſocratem qui eſſet pronus in Venerem, κρόκῳ διάβροχον ἔχειν τὸ προσκεφάλαιον, habere puluinar croco madidum, nempe inter delicias lecti. Suauitati odoris accedit teneritas & mollities. Certè ab Ouidio vocantur molles croci, id eſt teneri ac mollicelli, Plutarch. Iſocr.

Ipſa crocos tenues, liliaq́ alba legit. Ouid. lib. 4. Faſt.

Cui eſt ſimilis Prudentij locus ſæpe citatus,

Et molles violas, ac tenues crocos Prudent. cathemer.
Fundit fonticulis vnda fugacibus.

Hic flos feliciter prouenit in Cilicia,

-- hîc & Spartica myrtus Virgil. in Cul.
Atque hyacinthus, & hîc Cilici crocus editus aruo

Corycium crocum Horatius adhibet furi. Eſt autem Corycium locus Lyciæ in quo feliciter prouenit crocum. Et, meo quidem animo, emendandus eſt Solinus, vbi ait, Tmolum Lydiæ montem croco florẽtiſſimum perhiberi. Et pro Lydiæ videtur ſcribendum Lyciæ, ex authoritate Etymologici, etſi non ſum neſcius Lydiæ quoque legi poſſe, pluribus authoribus. Laudatur & Sicanium, Statius in verſu ſupra citato, Horat. ſerm. lib. 2. ſat. 4. Etymol. κωρύκειον. Solin. cap. 43.

-- nam Sicanij non mitius halat Stat. lib. 5. Sylu.
Aura croci, &c.

Obſeruatum quoque eſt hunc florem eo eſſe ingenio, vt proteri amet, & calcari, φιλεῖ, inquit Theophraſtus, ſi modò ibi de croco loquitur καὶ πατεῖσθαι· καὶ γίνεται καλλίων καταπατουμένης κάτω τῆς ῥίζης, διὸ καὶ παρὰ τὰς ὁδοὺς, καὶ ἐν τοῖς κροτητοῖς κάλλιστος. Amat & calcari, & fit pulchrior protrita ad imum radice. Ideo iuxta vias, & in ſaltantium pedibus protritis locis eſt pulcherrima. Cùm tot dotibus commendetur crocus, non mirum eſt, hunc florem eſſe inter delicias matronarum. Strepſiades ille apud Ariſtophanem deſcribens habitum & mores vxoris ſuæ delicatulæ, numerat crocum inter ea quæ ſeruiunt luxui muliebri, Theophraſt. lib. 6. de plant. c. 6.

Ἡ δ᾽ αὖ μύρου, κρόκου, καταγλωττισμάτων. Ariſtoph. νεφ.

[ὄζει] hæc verò [olet] vnguentum, crocum, oſcula quæ, vt ille

ait, fiunt columbatim. Vſque eò hic flos adamatus eſt, vt croco ſcenam perfundi mos eſſet. Lucretius,

Lucret. lib. 3.

Et cùm ſcena croco cilici perfuſa recens eſt.

Et Propertius de priſcis Romanis,

Propert. lib. 4. el. 1.

Nec ſinuoſa cauo pendebant vela theatro;
Pulpita ſolennes non oluêre crocos.

Sueton. Ner. cap. 25.

Solennes, id eſt, ſpargi ſolitos. Suetonius tradit incedenti Neroni paſſim Romæ victimas cæſas, ſparſo per vias idemtidem croco. Quem morem eſſe vetuſtiſſimum, diſcimus è loco Tryphiodori, vbi mulieres Troianæ terram perfundunt vino odorato, nempe quod eſt mixtum croco.

Tryphiod. 20.

Αἱ δὲ θαλασσαίης ἐπιμάζια νήματα μίτρης
Λυσάμεναι, κλωστοῖσι περίστεφον ἄνθεσιν ἵππον,
Καί τις ἀπειρεσίοιο πίθου κρήδεμνον ἀνεῖσα,
Χρυσείῳ προχέουσα κρόκῳ κεκερασμένον οἶνον,
Γαῖαν ἀνικμώσασα χυτῷ εὐώδεϊ πηλῷ.

Aliæ verò mammillaria fila tranſmarinæ mitræ Soluentes, connexis floribus vndique coronabant equum. Et aliqua reſoluens vittam, immenſi dolij Profundens vinum miſtum aureo croco, Perfudit terram liquidam odorato vino. Crocus quoque ſpargitur lecto nuptiali. Martianus Capella,

Martian. Cap. lib. 9.

Conſcia iam Veneris noua ſerta parate Napææ,
Crocumq; lecto ſpargite.

Inter flores quos ſupra memoraui continuò terram effudiſſe, vt ſubſternerentur Ioui & Iunoni, dum mutuis amplexibus ſunt intenti, fuit crocus. Ipſe quoque Homerus cùm inducit Pana ſuauitate cantus animum oblectantem in molli prato, ait illic eſſe crocum & hyacinthum,

Homer. Iliad. ξ.

Homer hym. eis Πᾶνα.

-- τόθι κρόκος ἠδ' ὑάκινθος
εὐώδης θαλέθων καταμίσγεται ἄκριτα ποίῃ.

illic crocus & hyacinthus Suauiter ſpirans virens admiſcetur innumeram herbam. Sociatur hyacintho, vt in proximo verſu Homeri; tum narciſſo, lilijs & calthæ, vt apud Virgilium,

Virgil. in Cir.

-- aut ſuaue rubens narciſſus,
Aut crocus alterna coniungens lilia caltha.

CAP. XV.

Aſphodelus flos coronarius. Celebris apud inferos. πολυαυξής. Quibus floribus ſocietur. Caſia herba coronaria. Odorata. Quibus floribus addatur. Melilotus flos coronarius, eſt odoratus. Alia eius dos. Caltha herba coronaria coloris grati. Quibus floribus miſceatur. Buphthalmus flos coronarius. ἑλίχρυσος, chryſanthus, & chryſanthemus. Coronamentum Magorum. Helichryſus vnde dictus. Quomodo hi flores ſocientur.

ASPHODELVM florem collocant inter coronarios. Hic eſt ille flos, quo apud inferos conſpergitur illud pratum quo illi excipiuntur qui tranſmiſerunt Acherunticam paludem. ἀφαιρεθέντας δὲ τὴν λίμνην ἐς τὸ εἴσω λειμὼν ὑποδέχεται μέγας τῷ ἀσφοδέλῳ κατάφυτος. *Lucian. de luctu.* Nempe aſphodelo veſcuntur illi qui ſunt apud inferos. Et mortui apud Lucianum ita loquuntur. οὐδ' ἐπιλέλοιπεν ἡμᾶς ὁ ἀσφόδελος, ἵνα παρ' ὑμῶν τὰ σιτία μεταστελλώμεθα, neque nos deſtituit aſphodelus, vt à vobis cibos huc deportemus. *Lucian. de luctu.* Et hoc eſt quod Heſiodus dicit, eſſe magnam vtilitatem maluæ & aſphodeli.

Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ. *Heſiod. ἔργ. καὶ ἡμ. lib. 1. & ibi Tzetz.*

Neque quanta in malua & aſphodelo magna vtilitas. Lucianus facit eam nauem, qua heroes miſſi ab Rhadamanto ad reducẽdam Helenam cum amatore ſuo fugientem ex inſula beatorum aſphodelinam, ſiue ex aſphodelo. *Lucian. ver. hiſt. lib. 2.* Alibi apud eundem ſcriptorem Ion Eucrati dicit animas mortuorum eſſe ἐπὶ τοῦ ἀσφοδέλου. Aſphodeli tenerum ramunculum Nicander vocat πολυαυξέα longæ ceruicis, aut longa ceruice decorum. *Nicand. ther. & ibi Schol.*

ἢ καὶ ἀσφοδέλοιο νέον πολυαυξέα μόσχον.

Siue & aſphodeli recentem multi incrementi ramulũ. Et alibi hãc plãtam vocat διανθέα, quaſi habeat duplicẽ florẽ, ἤτοι διαφανῶς ἐνανθῆ, ſiue pellucidè florentem. Aſphodelum Theocritus collocat inter cnyſam & apium,

— κύαμον δέ τις ἐν πυρὶ φρυξεῖ, *Theocr. θαλύσ. eid. ζ.*
Χἀ στιβὰς ἑσσεῖται πεπυκασμένα ἔς τ' ἐπὶ πᾶχυν,
Κνύζᾳ τ' ἀσφοδέλῳ τε πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ.

Interea in igne aliquis fabas torrebit, Et thorus denſatus erit vſque ad cubitum Cnyſa, aſphodelo, & flexibili apio. E' caſia quoque herba Arabica & odorata corollæ texuntur. Vocaturque olens, ſiue bene olens, vt in epigrammate incerti ad Mœcenatem.

Hic tibi corycium, caſias hic donat olentes; *In epigr. Virg.*
Hic è palmiferis balſama miſſa iugis.

Et apud Virgilium,

At nutrix patula componens ſulphura teſta, *Virgil. Ciri.*

Narciſſum, caſiamq́; herbas componit olentes.

Virgil. lib. 2. Georg. Humiles caſias vocat Virgilius,

Vix humiles apibus caſias, roremq́; miniſtrat.

Et alibi de hac ipſa caſia,

Virgil. lib. 2. Georg. *Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui.*

Iungitur violis, papaueribus, narciſſo, anetho, roſis. E meliloto coronæ fiunt, quæ dicuntur melilotinæ, ὁ δὲ μελίλωτος, inquit *Theophraſt. lib. 6 de cauſ. plãt. cap. 23.* Theophraſtus, καὶ εἰς πλείω χρόνον εὔοσμος διαμένει. At melilotus & ad multum tempus odoratus durat. Hæ coronæ ſunt odoris ſuauiſſimi & magnis æſtibus valde refrigerantes, quarum meminit Athe- *Athen. lib. 15.* næus, qui ideo nominat melilotum τὸ ἀεὶ φρουρὸν μελίλωτον, ſemper muniens, nempe caput. Caltha odore non certat cum alijs odoratis plantis & floribus coronarijs, vt diſcimus ex Ouidio, qui ironicè confert calthas cum roſis Pæſtanis,

Ouid. lib. 2. de Ponto. *Nec Babylon æſtum, nec frigora Pontus habebit;*
Calthaq́; Pæſtanas vincet odore roſas.

Colore tamen adlubeſcit. Virgilio eſt luteola,

Virgil ecl. 2. *Tum caſia, atque alijs intexens ſuauibus herbis*
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Prudentius caltha dixit numero plurium, eaque vocat pinguia;

Prudent. cathemer. *Illic purpureis tecta roſarijs*
Omnis fragrat humus; calthaq́; pinguia
Et molles violas, &c.

Sociatur violis, papaueribus, narciſſo, croco, lilio. Virgilius,

Virgil. Cir. *—aut ſuaue rubens narciſſus,*
Aut crocus alterna coniungens lilia caltha.

Et Ouidius,

Ouid. l. li. 4. Faſt. *Illa legit calthas, huic ſunt violaria curæ;*
Illa papauereas ſubſecat vngue comas.

Sunt qui dicant hunc eſſe buphthalmum, florem & ipſum coronarium, de quo Virgilius,

Virgil. Cul. *—hic amarantus,*
Buphthalmusq́; virens, & ſemper florida picris.

Iſidor. lib. 17. cap. 9. Hic addo buphthalmum eſſe florem croceum oculo ſimilem; vnde & à Græcis nomen accepit. Et hunc quoque aiunt eſſe eundem illum qui eſt ἑλίχρυσος, quem vocant & chryſanthum, & chryſan- *Plin. li. 21. c. 25.* themum. His appellationibus donatur à Plinio, qui ait, eum *ad ſolis repercuſſum aureæ lucis in orbem veluti corymbos habere dependentes, qui nunquam marceſcunt. Qua de cauſa Deos coronant illo. Quod diligentiſſimè ſeruauit Ptolemæus Rex Ægypti.* Siue helichryſus, ſiue heliochryſus, ſiue chryſanthemus, ſiue chryſanthus eſt,

omnibus hiſce nominibus palam fit, eſſe florem aureum, luce coruſca & vegeta, multo decore; eaque re inter coronarios flores ſanè conſpicuum. Hunc florem his verbis deſcribit Theophraſtus. ἔχει δ' ὁ ἑλειόχρυσος τὸ μὲν ἄνθος χρυσοειδὲς φύλλον δὲ λευκὸν, &c. habet Heliochryſus florem auri ſpecie, folium verò album, *&c.* Certè mulachra Deorum helichryſo coronari, Dioſcorides author eſt. Hoc quoque flore ſi ſe Magi coronarent, ad gratiam vitæ gloriāque pertinere arbitrabantur. In hanc ſententiam Theophraſtus ſcriptum reliquit, clareſcere eum qui hoc flore coronatur. Cæterum eſſe vnum, eundemq́ue florem cum chryſanthemo, hinc licet firmare, quòd helichryſum dici aiunt ab Helichryſe quadam Epheſia, quæ prima è flore chryſanthemo Dianam coronauit. Alij ex eo dictum volunt quòd auri ſpeciem præ ſe ferat, & cùm ſit flos paluſtris veluti in palude indicari aurum, ἑλόχρυσον καὶ ἑλίχρυσον. Atq; hi quidem flores, ſiue plures ſunt, ſiue vnus tantùm, miſcentur illis qui memorantur in hoc verſu Alcmanis,

Theophraſt. lib. n. de plant. *Dioſcor lib. 4. cap 57.* *Theophraſt. lib. n. de plant.* *Etymol. ἑλίχρ.*

Καί τιν' εὔχομαι φέρεισαν τὸν δὲ
ἑλιχρύσω πύλεω ἀκήρατον χυτῆρω.

Athen. lib. 15.

Tum in hoc Ibyco,

Μύρτα τε καὶ ἴα καὶ ἑλίχρυσος μᾶλα
τε καὶ ῥόδα καὶ τέρεινα δάφνα.

Et in hoc Cratini.

Ἑρπύλλῳ, κρόκοις, ὑακίνθοις, ἑλιχρύσου κλάδοις.

Serpyllo, croco, hyacintho, helichryſi ramis.

CAPVT XVI.

Bocchus flos coronarius. Chelidonium flos quoque coronarius. Adiantum. Coſtum. Coſtum quibus floribus ſocietur. Siſymbrium planta coronaria. Eius duo genera. Nuptialibus coronis inſeritur. Sociatur myrto. Ἀναγαλλὶς *flos coronarius. Eſt duplex. Acis flos vernus coronarius. Natales huius floris. Cythiſus.*

INVENIO & Boccho datum eſſe locum inter flores coronarios. Huius floris meminit Virgilius in hoc verſu,

Et Bocchus Libyæ regis memor. *Virgil.*

Et quidem Salluſtius meminit regis hoc nomine; ſed qui fuit poſteritas illius quem Silius Italicus numerat inter eos qui conuenerunt ad exercitum Annibalis, *Salluſt. bel. Iug.*

Quin & Maſſyli fulgentia ſigna tulêre,
Heſperidum veniens lucis domus vltima terræ.
Præfuit intortos demiſſus vertice crines *Sil. Ital. lib. 3.*

Bocchus atrox; qui ſacratas in littore ſyluas,
Atque inter frondes reuireſcere viderat aurum.

Nempe hunc veriſimile eſt eſſe ex illis floribus, quos è Virgilio ſupra dixi eſſe inſcriptos nomina regum. Chelidonium quoque video numerari inter flores vernos coronarios. Hæc noſtris eâdem appellatione eſt herba chelidonia; ſic dicta quòd aduentu hirundinum videtur erumpere. Quippe hirundo eſt ἠμαρὶ ζεφύρου προτάγγελος ὄρνις verna zephyri prænuntia aut prima nuntia auis. Aut inde fortaſſe dicta chelidonia quòd pullis hirundinum ſi oculi auferantur, matres ex hac herba mederi dicantur. Chelidonium Theocrito eſt cæruleum.

Iſidor. li. 17. c. 9.

Oppian. lib. 3. ἁλιευ.

Theocrit. ὕλα. eid. ιγ.

—τάχα δ' κράναν ἐνόησεν
Ἡμένῳ ἐν χώρῳ· περὶ δ' θρύα πολλὰ πεφύκει,
Κυάνεόν τε χελιδόνιον, χλοερόν τ' ἀδίαντον,
Καὶ θάλλοντα σέλινα, κ̀ εἰλιτενὴς ἄγρωστις.

ſtatim verò fontem animaduertit, in loco decliui, vbi multæ herbæ naſcebantur, Cæruleum chelidonium, virideque adiantum, & apium virens, & criſpa agreſtis. Quibus in verſibus mentio fit adianti, quæ eſt radix puſilla, & criſpæ agreſtis, hodiernis herbarijs cognitiſſima. De qua illud mirabile Theophraſtus refert, non humere licet madefactam. Non omitto coſtum, qui eſt flos luteus, de cuius radice, facultate, generibus herbarij certant. Propertius ſibi ſacra facienti ob nauale Actiacum prælium, coſtum dari vult.

Theophraſt. lib. 1. de plant.

Propert. lib. 4.

Coſtum molle date, & blandi mihi thuris honores.

Inter pretioſos frutices habitum eſſe conſtat, vt quidpiam eximium. Horatius,

Horat. lib. 3. carm. od. 1.

Quòd ſi dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum ſydere clarior
Deleuit vſus, nec Falerna
Vitis, Achemeniumq́ coſtum,

id eſt Perſicum. Sociatur cinnamis, Ouidius,

Ouid. lib. 10. Metam.

--ſit diues amomo,
Cinnamaq́ coſtumq́ ſuam, ſudataq́ ligno
Thura ferat.

Inter plantas coronarias non ſanè eſt infrequens ſiſymbrij mentio. Siſymbrium Dioſcorides & Plinius duplex faciunt. Vnum quod vocant ſylueſtre ſerpyllum, idemque thymbræum, pedali non amplius altitudine. Et hoc naſcitur ἐν χέρσοις in ſolo inculto, & loco ſicco, ſiue, vt ait Theophraſtus, πρὸς αἱμασιαῖς apud ſepem. ſimile mentæ hortenſi, latiore tamen folio, & illa odoratius. Et hoc eſt στεφανωματικὸν, id eſt ἐμπλέκουσι κ̀ τοῦτο εἰς τοὺς στεφάνους, implicant illud

Dioſcor. lib. 2. cap. 155. & ſeq. Plin. li. 20. c. 22.

Theophraſt. de plant. lib. ζ.

illud coronis, id eſt, vt de bulbo Theophraſtus ait, coronis adhibetur. Alterum genus eſt illius quod naſcitur in riguis, ſimile naſturtio coronis ignotum. Et hoc quidem veriſimile eſt eſſe illud quod Plinius lætiſſimum naſci ait in puteorum parietibus, & circa piſcinas ac ſtagna. Si hoc quamlibet non coronarium, lætiſſimum tamen eſt, multò magis veriſimile eſt illud eſſe lætum quod coronis inſeritur, nempe cui eſt gratus odor. Cæterùm in ijs folijs è quibus nuptiales coronæ texebantur, ſiſymbrium conſpicuum fuit, vt ſupra monui. Certè videtur fuiſſe planta Veneri grata, quæ ſcilicet, ſociabatur myrto, quæ tota eſt Veneris. Et quidẽ Ouidius alloquens vulgares puellas, vult eas offerre Veneri coronas textas è ſiſymbrijs, myrto, roſa. *ἐν παροιμ.*

Cumq́; ſua domina date grata ſiſymbria myrto; *Ouid. li 4 Faſt.*
Textaq́; compoſita iuncea vincla roſa.

Hîc enim texta vincla, eademque iuncea priſco more interpretor coronas. Illud Theophraſtus de ſiſymbrio memorat, quod mutatur in mentam non cultura coërcitum, aut non tranſlatum inſitione in aliam plantam. Qui plura de ſiſymbrio cupit cognoſcere, videat librum ſeptimum Theophraſti de plantis. Inter flores vernos coronarios Longus collocat *ἀναγαλλὶν*, his verbis, *ἀνεζήτουν δὲ καὶ ἄνθη στεφανῶσαι θέλοντες τοὺς θεούς· τὰ δὲ ἄρτι ὁ ζέφυρος τρέφων, καὶ ὁ ἥλιος θερμαίνων ἐξῆγεν. ὅμως δὲ εὑρέθη καὶ ἴα, καὶ νάρκισσος καὶ ἀναγαλλὶς, καὶ ὅσα ἦρος πρωτοφορήματα.* Quærebant & flores coronare volentes Deos. Illos autem nouiſſimè Zephyrus alens, & ſol calfaciens eduxerat. Nihilominus tamen inuentæ & violæ, & narciſſus, & anagallis, & quotquot [ſunt] primitiæ veris. *Ἀναγαλλὶν* Suidas duplicem facit; *ἑκατέρα*, inquit, *ῥυπτικῆς ἐστὶ δυνάμεως.* Vtraque eſt facultatis eius quæ abſtergit. Acis quoque eſt flos vernus coronarius; cuius ipſa Chloris Dea florum meminit vt pulcherrimi, ſibique dilecti.

Theophraſt. lib. 2 de plāt. cauſ.

Long. lib. 3.

Suid. ἀναγαλλὶς.

Quid crocon aut acin referam, Cinyraq́; creatum *Ouid. li 5. Faſt.*
De quorum per me ſanguine ſurgit honor?

Hunc florem natum eſſe è cruore Acis, qui fuit amator Galateæ, & à Cyclope interfectus eſt, docet Ouidius in his verſibus, quos ea re hîc deſcribo, quòd in ijs hæc ſiue planta, ſeu flos luculenter pingitur.

Puniceus de mole cruor manabat, & intra *Ouid. lib. 13. Metam.*
Temporis exiguum rubor euaneſcere cœpit.
Fitq́; color primo turbati fluminis imbre,
Purgaturq́; mora. Tum moles tacta dehiſcit;
Viuaq́; per rimas, proceraq́; ſurgit arundo,
Oſq́; cauum ſaxi ſonat exſultantibus vndis.
Miraq́; res, ſubitò media tenus extitit aluo

Incinctus iuuenis flexis noua cornua cannis.
Qui niſi quod maior, quod toto cærulus ore eſt,
Acis erat; & ſic quoque erat tamen Acis in amnem
Verſus, & antiquum tenuerunt flumina nomen.

In hoc ordine ſuus quoque eſt colocaſiæ locus; quam in Ægypto nobiliſſimam eſſe, & à quibuſdam vocari cyamon, Plinius tradit.
Plin. li. 21. c. 15. Thyrſo ſpectabili eodem authore emicat, & folijs latiſſimis, etiam ſi arboreis comparentur. Cæterùm *Ægyptij*, inquit Plinius, *Nili ſui dotibus gaudent, vt implexis colocaſiæ foliis in variam ſpeciem vaſorum potare gratiſſimum habeant.* Etſi verò eſt planta Ægyptia & Nilotica, tamen eam quoque in Italia prouenire veriſimile fit è Virgilio,

Virgil. ecl. 4.
At tibi prima puer nullo munuſcula cultu
Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,
Miſtaq́ ridenti colocaſia fundet acantho.

Cythiſum video ſociari violæ; & ideo hanc quoque plantam credibile eſt eſſe coronariam. Ouidius vbi facit Chlorin loquentem,

Ouid. lib. 13. Metam.
--volucres ego mella daturas
Ad violam & cythiſos, & thyma grata voco.

Conſtantinus Cæſar li. 3. ca. 1. Cythiſum menſe Ianuario decîdi, viridemque vocari video à Conſtantino Cæſare.

CAPVT XVII.

Liguſtrum flos coronarius. Albus. Baccatus. Papauer flos coronarius. Comatus. Luteus, purpureus, pulcher. Papauer frigidum. Conciliat ſomnum. Eſt coronamentum noctis. Eſt in tutela Cereris. Picrus flos coronarius. Rododaphne. Huius plantæ ingenium. Ros marinus coronamentis adhibetur. Hoc flore lares coronantur. Quibus floribus miſceatur. Thymum planta coronaria. Eſt odoratum. Cuius rei ſit ſymbolum. Parthenice. Serpyllum planta coronaria. Vnde dictum. Eius epitheta. Huic ſociantur allia. Aſterion planta coronaria. Iunoni offertur. Libanotis. Eius coronamenta. Ambroſia. Myrrha flos odoratus. Eius coronamenta. Flos ſpina Ægyptia. Papyrus. Quale ſit coronamentum. Herba leonis.

SÆPE quoque in floribus coronarijs fit mentio liguſtri floris albi,

Virgil. ecl. 2.
Alba liguſtra cadunt.

Ouidius,

Ouid. lib. 13. Metam.
Candidior folio niuei Galatea liguſtri.

Liguſtra baccata reperiuntur apud Drepanium, *Drepan.*

Laurus Apollinea marceſcat denique ſylua;
Cumq́; ſuis baccis alba liguſtra cadant.

Martialis quoque inter ea quæ candidiſſima ſunt, numerat liguſtrum in locis ſupra citatis,

Toto candidior puella cygno, *Martial. lib. 1.*
Argento, niue, lilio, liguſtro.

Et alibi,

Lilia tu vincis, nec adhuc dilapſa liguſtra. *Martial lib. 8.*

Sequitur papauer flos ſpecie decorus, atq; adeò comatus. Ouidius,

Illa legit calthas; huic ſunt violaria curæ; *Ouid. li. 4. Faſt.*
Illa papauereas ſubſecat vngue comas.

Has comas Theocritus vocat crepitacula,

--ἔφερον δέ τοι ἢ κρίνα λευκὰ, *Theocri. κύκλ.*
ἤ μάκων ἀπαλὰν ἐρυθρὰ πλαταγώνι ἔχοισαν. *eid. ιά.*

Adferrem verò tibi vel alba lilia, vel papauer tenerũ, quod rubra crepitacula habet. Nempe hæ ſiue comæ, ſiue crepitacula illa ſunt quæ è papauere decerpi ſolent. Virgilius,

-- tibi candida Naïs *Virgil. ecl. 2.*
Pallentes violas, & ſumma papauera carpens,
Narciſſum & florem iungit bene olentis anethi.

Hic flos colore eſt luteus, & pulchritudine cenſetur. Catullus,

Iam licet venias marite. *Catull. in epith.*
Vxor in thalamo eſt tibi *Iul. & Manl.*
Ore floridulo nitens,
Alba parthenice velut,
Luteumve papauer.

Propertio eſt purpureum, vbi illud ſociat lilio,

Et circùm irriguo ſurgebant lilia prato *Propert. lib 1.*
Candida purpureis mixta papaueribus.

Facultate eſt frigidum. Virgilius,

Hîc cicer, & capiti nomen debentia cæpe; *Virgil. Mor.*
Hîc etiam nocuum capiti, gelidumq́; papauer.

Et ideo conciliat ſomnũ; Et ante flores huius Dei florẽt papauera.

Ante fores antri fœcunda papauera florent. *Ouid. lib. 11. Metam.*

Quòd verò ſomnus eſt ſimilis morti, Virgilius facit,

-- letheo perfuſa papauera ſomno. *Virgil. lib.*

Hinc eſt quod nox vt ſomni conciliatrix coronatur papauere. Ouidius,

Interea placidam redimita papauera frontem *Ouid. li. 4 Faſt.*
Nox venit & ſecum ſomnia nigra trahit.

Papauer eſſe in tutela Cereris, diſcimus è Callimacho, qui facit

hanc Deam, aſſumpta forma Nicippes manu tenere coronas & papauer. -- φῦτο δ' χειρὶ

Callimac hym. in Cerer.

Στέμματα καὶ μάκωνα.

Accepitque manu coronas floreas & papauer. Hanc ob cauſam Virgilio papauer eſt Cereale, aç ſi dicat, Cereri dilectum,

Virgil 1. Georg.

Necnon & lini ſegetem, & Cereale papauer
Tempus humo tegere.

Eſt & picris quam Virgilius ſociat buphthalmo, de quo egi ſupra; eamque vocat floridam,

Virgil. Cul.

Buphthalmuſq́ virens, & ſemper florida picris.

His ſociatur rhododaphne, vt ibidem apud Virgilium,

-- hic rhododaphne
Liliaq́ & roris non auia cura marini.

Conſtātin Caſ. lib. 2. cap. 42,

Mirum eſt rhododaphnes ingenium. Quippe eius rami terræ impacti ab omni peſte legumina protegunt. Etſi hac dictione ſignificata eſt ima quædam fœditas ab Syris, qui neſcio quem probri cauſa vocarunt ῥοδοδάφνην. Ros item marinus coronamentis adhibetur. Certè hoc flore Horatius coronat Lares.

Lucian. in pſeudol.

Horat. lib 3. carm.

Paruos coronantem marino
Rore Deos, fragiliq́ myrto.

Quandoque ſimpliciter dicitur ros, non addito marinus,

Ouid li. 4. Faſt.

Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amant.

Miſcetur floribus vernis omnium lectiſſimis. Ouidius,

Ouid. lib. 12. Metam.

Vt modò rore maris, modò ſe violaue roſaue
Implicet, interdum canentia lilia geſtet.

Pindarus ſociat lilium & rorem marinum, cùm ait, Muſam plectere coronam Olympicam; cui coronæ,

Pindar. Nem. od 7.

Κολλᾷ χρυσὸν, ὧπε χαλκὸν, ἐλέφανθ' ἁμᾶ,
Καὶ λείριον ἄνθεμον πον-
τίας ὑφελοῖσ' ἐέρσας.

glutinat aurum, æs & ebur, & lilium floridum à rore marino auulſum. Thymum quoque coronamentis inſeri conſtat.

Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amant.

Suauitate odoris commendatur. Ouidius,

Ouid. lib. 15. Metam.

-- nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore,

Tam gratus, tamque adlubeſcens flos eſt, vt ſit ſymbolum eius gratiæ quæ cuique rei eſt indita. Horatius ad Iulium Florum,

Horat. lib. 1 ep.

-- ipſe quid audes?
Quæ circumuolitas agilis thyma?

Id eſt, quas venuſtates ſtatim vt collibitum eſt, non adſequeris? Parthenicen video iungi papaueri in ijs verſibus quos ſupra citaui? Catullo,

Alba parthenice velut, luteumue papauer. Catul in epith. Iul. & Manl.

Serpyllum quoque inter coronamenta receptum vt flos vernus & violæ ſocius ac roſis. Theocritus,

Ἁ δ' ἴον, ἁ δ' ἕρπυλλον ἀπαίνυτο. Theocrit. Eur. eid. 18.

Hæc violam, hæc verò ſerpyllum decerpebat. Et alibi,

Τὰ ῥόδα τὰ δροσόεντα, καὶ ἡ κατάπυκνος ἐκείνα
Ἕρπυλλος κεῖται ταῖς Ἑλικωνιάσι. Theocr. ep. 1.

Roſæ illæ roſcidæ, & denſum illud Serpyllum dicatum eſt Heliconiadibus. Sic dicitur ἕρπυλλον παρὰ τὸ ἕρπειν à rependo, & floret ſicut hedera, & voluitur circa alios flores, eoſque quodammodo depaſcens circumuoluit. Ea re à Theophraſto collocatur inter plantas θυμώδεις, πολυσχιδεῖς καὶ πεῤῥώδεις, animoſas, multifidas, & implicitas. Id quod expreſſit Nicander, cùm vocat ſerpyllum κεραοιδέα, ἐπειδὴ, inquit Scholiaſtes, κερατοειδὴς ἐστὶ κατὰ τὰ φύλλα, eſt ſpecie corniculati circa folia. Ab ipſo Nicandro vocatur quoque φιλόζωον vitæ amans, διότι ἀεὶ ἀνθεῖ, καὶ οὐδέποτε φυλλοῤῥοεῖ, quòd ſemper floret, & folia eius non defluunt. Huius duo genera faciunt, vnum ἥμερον domeſticum, aliud ἄγριον agreſte. Cæterùm vt alijs demat id quod inſuaue eſt, his Virgilius ſociat ſerpyllum, Scholia. Nicād. ther. Theophraſt de plant lib. 2. Nicand ther. Nicand. in Alexiph & Schol. in φιλόζωον.

Allia, ſerpillumq́, herbas contundit olentes. Virgil ecl. 2.

Serpyllum ſupra dixi à Theocrito dicari Muſis, vnà cum roſa. Aſterionem inter plātas coronarias cenſeri video. Porro Aſterion eſt flumen Euboeæ, quod fluit infra templum Iunonis. Deinde in ſpecum demerſus abſconditur; Ad cuius ripas herba naſcitur eodem nomine. Eam herbam Iunoni integram offerunt, & ex eius folijs coronamenta nectunt. Inuenio quoq; apud Athenęum coronas necti è nouellis ramis Libanotidis. Ambroſia Cappadocas coronari Plinius author eſt. Ambroſiam Iſidorus à Latinis apium ſyluaticum vocari ait. Myrrham quoque florem odoratum coronarijs adnumerant. Certè coronas hinc fuiſſe nexas planum fit ex Athenæo, quo authore Demetrius filius quotidie magnam hominum multitudinem conuiuio exceptam multis rebus donabat; In his erant coronæ è thure ac myrrha cum aureis monilibus hominis longitudine loco lemniſcorum ac tæniarum. Itaque veriſimile eſt hunc regem, qui ſua perdebat veriùs quàm donabat, haſce coronas dediſſe vt pretioſiſſimas, id eſt, pulcherrimas & odoratiſſimas. Certè Euripides vocat myrrhæ æthereum nidorem, id eſt cœleſtem, Pauſan. lib. 2. Athen. lib. 15. Plin. li. 27. c. 4. Iſidor. li. 17. c. 9. Athen. lib. 5.

— σμύρνης αἰθερίας τε καπνόν. Euripid Troad. actu 4.

Alibi hic ipſe poëta ait fumum myrrhæ aſcendere vſque ad Phœbum. Nempe myrrham in ſacrificijs adoleri cognitiſſimum eſt.

Σμύρνης δ' ἀνύδρου καπνὸς Euripid. Ion. actu 1.

Εἰς ὀρόφους φοῖβου πέταται.

Plin. lib. 13. c. 9. Myrrhæ fumus aridæ ad tecta Phœbi volat. Spinæ Ægypti florem Plinius dicit eſſe coronis iucundum, & medicamentis vtilem. Id Theophraſt. lib. 4. de plant. quod ſumpſit è Theophraſto, qui de hac ſpina loquens ait, τὸ δ' ἄνθος καὶ τῇ ὄψει καλὸν, ὥστε καὶ στεφάνους ποιεῖν ἐξ αὐτῶν. flos autem & aſpectu gratus, vſque eò vt ex eo coronas nectant. Papyri flore Deos co- Plin. lib. 13. cap. 11. ronari tradit idem Plinius. Hanc papyrum Græci vocant βίβλον. eamque ex qua conficiebantur coronæ στεφανώτειδην βίβλον papyrum coronariam. Atque adeò aiunt, cùm extrema iam ætate Ageſilaus, in Ægyptum nauigaſſet, famâ celeberrimi nominis excitos Ægyptios conueniſſe ad hominem ſpectandum. Miratoſque eſſe quod munera vilia, reiectis pretioſis, acciperet. Et quidem coronaria papyro delectatum Theophraſtus ait, inquit Plutarchus, Plutarch Ageſi. διὰ τὴν λιτότητα τῶν στεφάνων propter exilitatem coronarum. Eaſque Pindar. Nem. od. 6. coronas eum petijſſe ab rege cùm inde nauigaret. Pindarus herbam leonis collocat inter coronarias.

CAPVT XVIII.

Cur non enumerem eos omnes flores qui medicis & herbarijs ſunt coronarij. Quædam vrbes ſolis floribus inclytæ. Mos matronarum vt ſibi qualibet coronam texat. Penna quandoque ſignat flores. Victoria pennata. Corona è pinnis alarum. Sagittæ coronamentum Indicum.

PRÆTER eos flores quos recenſui, proferri poſſunt alij propemodum, vt dixi, innumerabiles, quos & medici & herbarij vocant coronarios, videlicet, coloratos, odoratos, pulchros. Sed nos hanc curam non extendimus vltra illos, quorum apud poëtas, alioſque talium iucunditatum ſcriptores frequentior mentio, quorum cognitione cæteri æſtimari poſſunt. Nullo non modò loco aut regione, ſed ne ſcripto quidem vllo omnes comprehendi poſſunt. Cuique loco ſua ſors, ſuum ingenium eſt. Nempe, è diuerſitate locorum eſt illa tanta plantarum florumque diuerſitas, quæ omnem diligentiam, quamlibet anxiam, fruſtrari poteſt. Qui hîc infelicius, ijdem alibi proueniunt felicius, latiùs & frequentiùs. Diuerſiſſima ratio eſt montis, planitiei, decliuis loci, ſicci, arenoſi, paluſtris. Quædam vrbes, vt ſupra dicebam, ſolis floribus inclytæ perhibentur. Huius generis Pindarus tradit eſſe Locros,

Pindar. Oly. od 9. ἄωτον στεφάνων ἄωτον

κλυτὰν Λοκρῶν ἀπαείρον-
τι ματέρ᾽ ἀγλαόδενδρον.

Vnde coronatum flores inclytam Locrorum extollunt matrem, pulchrarum arborum [feracem.] idem alibi,

Pindar. Ol od. 11.

κόσμον ἐπὶ στεφάνῳ χρυσέας ἐλαίας
ἁδυμελῆ κελαδήσω, τῶν Ἐπι-
ζεφυρίων Λοκρῶν γενεὰν ἀλέγων.

ornamentum ob coronam aureæ oliuæ blandiloquum cantabo, Epizephyriorum Locrorum gentem curæ habens. Hipponium quoque eorundem Locrorum vrbs fuit, quò Proſerpinam profectam eſſe ad legendos flores, Strabo author eſt, *διὰ τὸ εὐλείμονα εἶναι τὰ περικείμενα χωρία*, quòd pulchris pratis abundarent circumiecta loca. Inde apud matronas vſus obtinuit, vt ſibi quælibet coronas nectetét ex ijs floribus, quas ipſa ſibi propria manu legiſſet. Vſque cò vt illi vitio dari mos fuerit, ſi quæ diebus feſtis coronas emptas, non ab ſe lectas geſtaret. Stephanus tradit, *Ἀνθάναν*, quod eſt *ἀνθο-στέφανον*, vrbem Laconicam ſic dictam, *παρὰ τὸ ἄνθος τοῦ Ποσειδῶνος, ὃν Κλεομένης ὁ Λεωνίδου ἀδελφὸς ἀνελὼν, καὶ ἐκδείρας, ἔγραφεν ἐν τῷ δέρματι τοὺς χρησμοὺς τηρεῖσθαι*, à flore Neptuni, quem Cleomenes Leonidæ frater cùm interfeciſſet & excoriaſſet, ſcripſit in pelle, oracula ſeruata eſſe. Quis autem ſit iſte Neptuni flos, hic ipſe Stephanus paulò poſt indicat, interpretans hæc verba Homeri, *Ἀνθηδόνα τ᾽ ἐσχατόωσαν, ἀπὸ Ἀνθηδόνος*, inquit, *τοῦ Διὸς, τοῦ Ἄνθα, τοῦ Ποσειδῶνος, καὶ ἄλλως τῆς Ἀθάνης*. Itaque ingens florum numerus eſt, qui hîc quidem incogniti, alibi ſunt & cogniti ſſimi & celebratiſſimi. Multis ſæculis Græci & Aſiatici Romæ fuerunt nullo nomine. Neque item ad Græciæ Aſiæque incolas peruenerat fama & nomen Indicorum. Nec natura tam nouercali odio Occidentis, aut etiam Septentrionis regiones proſecuta eſt, vt non hic quoque ſuas dotes exerat, eaſque & ſingulares, & plena manu. Quarum tamen apud gentes Orientales ne minima quidem aut ſcuis auditio fuit, aut mentio. Satis habeat æquus lector, ſi illos hîc exhibemus quos in veterum monumentis ſtudioſè veriùs quàm anxiè collegimus. Qui ipſi à nobis hac cura non tam numerantur aut demonſtrantur, quàm indicantur. Id, ſcilicet, nos agimus, vt ex hiſce pauculis cæterorum forma & gratia, atque adeò venuſtas & pulchritudo coronarum æſtimari poſſit. Ipſas quoque coronas ſatis intelligimus non tam à nobis pingi aut repræſentari, quàm delineari. Vt vt eſt, eos flores quos memorauimus, ſatis conſtat eſſe materiam coronariam, eamque & eximiæ pulchritudinis, ac dignitatis inter egregios terræ partus præcipuæ. Etſi non omnes proueniunt in illa inſula beatorum, vbi, vt ait Pindarus, auræ Oceanides perflant.

Strabo lib. 6.

Steph. Ἀνθάνα.

Stephan. Ἀνθηδόνα.

Pindar. Oly. od. 2.

-ἄν-
θεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,
τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ' ἀ-
γλαῶν δενδρέων·
ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει.
ὅρμοισι τῶν, χέρας ἀνα-
πλέκοντι καὶ στεφάνοις.

Floreſque auri micant, alij quidem ab humo, alij à pulchris arboribus. Aqua autem alios educat, quorum monilibus & corollis implicant manus. Hîc moneo, hiſce floribus quandoque inditum fuiſſe nomen pennis, vt apud Pindarum,

Pindar. Oly. od. 14.

ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀέθλων
πτεροῖσι χαίταν.

coronauit inclytorum certaminum pennis cæſariem. Credo, quod honor qui hinc eſt, ſicuti quibuſdam alis euehit homines in ſublime. Hinc quoque eſt quòd Nazario victoria eſt pennata. *Iam quidem*, inquit, *lætitiam geſtæ rei diffuderat fama velox*; *& celeritatem nuntij pennata victoria inſequebatur.* Non tamen inficias eo, coronam extitiſſe è pinnis alatum; qua, ſcilicet, Muſarum victoria demonſtrata fuit. Quippe memorant, Acheloi filias ſuaſu Iunonis auſas eſſe prouocare Muſas in certamen cantus. At Muſas victrices victis pinnas ex alis conuulſas, & in ſpeciem coronæ coactas ſuis capitibus impoſuiſſe argumentum victoriæ, & quodammodo in ſpeciem trophæi. Certè qua quiſque dote eminet, huius inſignia potiſſimum geſtare amat. Indi, & in his Bactriani ἑκηβόλον ἔθνος longè iaculans gens, quòd ſagittando valent, vt hanc virtutem gentis faciant teſtatiorem, ſagittis redimiuntur. Prudentius,

Nazar. in Paneg.

Pauſan. lib. 9.

Prudent. Hamart.

Non illum regina Tyri, non accola magni
Euphratis Parthus rapiet; non decolor Indus
Tempora pennatis redimitus nigra ſagittis.

Sed quia hoc ipſum in operis contextu liquidius apparet, cæteris exemplis abſtineo.

CAROLI

CAROLI PASCHALII

REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

LIBER QVARTVS QVI EST DE CORONIS SACRIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

CAPVT PRIMVM.

Coronæ pietatis. Pietas duplex. Simulachra numinum coronata. Flumina coronantur arundine. Lacus coronati. Homines arundine coronati. Iuncea ornamenta. Arundo proprium coronamentum Dioſcurorum. Ex arundine corona Apollini grata. Autumnus coronatur pomis. Inſitores redimiuntur corona pomoſa. Coronamentum Bacchi quale. Corone vitiginea, è corymbis, è racemis. Pampinea corona quid ſignet. Innoni vitis indicta.

HVc vſque illud coronarum genus exſequûtus ſum, quas in definitione vocaui coronas lætitiæ. Sequuntur coronæ pietatis, quibus nomen indo ſacris, quòd plerunque in re ſacra geſtarentur, vt infra videbimus. Porrò quòd pietas eſt priuata cuiuſque, aut publica vniuerſorum, priùs exequar illas quæ priuatam reſpiciunt; & hinc ad illas transgrediar quæ publicam. Sed enim quòd vtriuſque pietatis potiſſima pars conſiſtit in cultu Dei, hoc primùm libet præfari, Vix vllum numinis ſimulachrum aliquam celebritatem adepti fuiſſe incoronatum. Vix vllum diuinum cultum, ſiue publicus, ſiue priuatus eſt, curatè deſcriptum inuenias abſque mentione coronæ. Porrò ea corona texebatur ex ea materia quæ cuique numini complacita, & in tu-

tela eius eſſet cui dicabatur. Videlicet, fluminibus nectebatur ex
Albric. de imag. Deor. in Baccho. arundine. οἷον ποταμοὺς, inquit Dion Chryſoſtomus, κατακειμένους γυμνοὺς, τὸ πλέον. γένειον καθεικότας μυρίκην ἢ κάλαμον ἐστεφανωμένους, vt
Dion Chryſoſt. orat. de reg. fluuios iacentes, nudos, cana barba, multumque promiſſa, myrica, aut arundine coronatos. Hac ipſa corona Virgilius donat Tybrim,

Virgil. 8. Ænei.

— eum tenuis glauco velabat amictu
Carbaſus, & crineis vmbroſa tegebat arundo.

Et alibi Mincium,

Virgil. 10. Æne.

Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infeſta ducebat in æquora pinu.

Arundine quoque Ouidius redimit Calydonium amnem,

Ouid. lib. 9. Metam.

— cùm ſic Calydonius amnis
Cœpit inornatos redimitus arundine crineis

Peucon apud Valerium Flaccum geſtat coronam ex arundine.

Valer. Flacc. lib. 6. Argon.

Labitur in tortos per tempora cærula crineis
Tunc quoque materna velatus tempora Peucon.

Hylam Lacum Bithyniæ hic ipſe poëta redimit arundine,

Valer. Flacc. lib. 1. Argo.

— ſubita cur pulcher arundine crineis
Velat Hylas? vnde vrna humeris, niueoſque per artus
Cærulea veſtes?

Ipſi quoque homines perſæpe arundine coronantur. Et quidem
Athen. lib. 15. Soſibius apud Athenæum tradit; Lacedæmonios feſtis Promachiorum diebus arundine vernacula redimiri ſolitos. Quo exemplo Strabo memorat quoſdam Hiſpanos capite geſtare fundas iun-
Strabo. lib 3. ceas tres, quas Philetas vocat κόμμα μελάγκρανον, iunceum ornamentum; ſiquidem iuncea vincla apud Ouidium oſtendi eſſe coronas. Arundine quoque iuuentus Attica ea quæ Academiam frequentabat, coronabatur, nempe coronamento tenui, nec exquiſito Ariſtophanes,

Ariſtoph. νεφ. & ibi Scholiaſt.

Ἀλλ' εἰς Ἀκαδημίαν κατιὼν, ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποτρέξεις
Στεφανωσάμενος καλάμῳ λευκῷ μετὰ σώφρονος ἡλικιώτου

Sed in Academiam vbi deſcenderis ſub oleis ſpatiaberis redimitus arundine alba cum temperato æquali. Quem locum alicubi citat
Priſcian. lib. 18. Priſcianus. Cæterùm hæc ex arundine corona Dioſcurorum credebatur eſſe propria. Etſi Apollini quoque grata perhibetur Ariſtophanes,

Ariſtoph. βατ.

Προσεπιτέρπεται δ' ὁ φορμικτὰς Ἀπόλλων
Ἕνεκα δόνακος, ὃν ὑπολύριον
Ἔνυδρον ἐν λίμναις τρέφω.

Delectatur autem Lyriſtes Apollo propter arundinem quam ego lyræ aptam alo in paludibus. Autumno texebant coronam è pomis. Horatius,

Vel cùm decorum mitibus pomis caput *Horat. epod*
Autumnus aruis extulit. *od. 2.*

Quam coronam innuit Silius Italicus,

Temporaq́; Autumni latis florentia donis *Sil. Ital. lib. 14.*
Fœdauit.

Hîc aduertendum, ipſos inſitores Autumno vota ſoluiſſe redimitos corona pomoſa. Propertius de Vertumno,

Inſitor hîc ſoluit pomoſa vota corona, *Propert. lib. 4.*
Cùm pyrus inuito ſtipite mala tulit.

Bacchi coronamentum ſupra dicebam confici è hedera & vite. At Horatius redimit eum pampino,

- dulce periculum eſt *Horat. lib. 3.*
O Lenæe ſequi Deum *Carm. od. 25.*
Cingentem viridi tempora pampino.

Et alibi de eodem iiſdem prope verbis,

Ornatus viridi tempora pampino *Horat lib. 4.*
Liber vota bonos ducit ad exitus. *Carm.*

Ergo hoc numen non ſolùm pingitur κερασφόρον cornutum, verùm etiam ἐστεφανωμένον βοτρύοις, coronatum racemis. Et hinc, ſcilicet, coronæ illæ vitigineæ, id eſt, ad pampinorum vitis ſimilitudinem effectæ. Tibullus Bacchum alloquens eum redimit corymbis, *Lucian. Bacch.* *Athen. lib. 5.*

Non tibi ſunt triſtes curæ, nec luctus Oſiri, *Tibull. li. 1. el. 7.*
Sed chorus & cantus, lenis & aptus amor;
Sed varij flores, & frons redimita corymbis.

Virgilius coronat eum racemis.

Temporaq́; Autumni cingunt tua Bacche racemi. *In epigr.*

Apud Silium Italicum Bacchus pingitur & redimitus corymbis, & reliquo Bacchico ornatu inſtructus,

Lumine purpureo frontem cinxêre corymbi;
Et fuſa per colla coma, dextraq́; pependit *Sil Ital. lib. 7.*
Cantharus, ac vitis thyrſo delapſa virenti
Feſtas Niſæo redimiuit palmite menſas.

Non omitto, hanc pampineam coronam eſſe ſymbolum maturitatis eius quæ eſt fini proxima. Nec mirum ſi equiti Rom. obiectum eſt, quod per quietem vidiſſet Claudium pampinea corona euinctum albentibus folijs. Id quod ita interpretatum, vergente autumno mortem principis oſtendi. Inuenio quoque Bacchum quandoque redimitum floribus. Quo ornamẽto Lamon ille apud Longum eius effigiem quam in horto habebat, colere ſolitus erat. Et verò quiſque cui ſe numini reſque ſuas commendaret, illius ſimulachra, ſtatuaſque qua re poterat, coronabat, impetrandæ, ſcilicet, eius opi; Sicuti apud Dionem Chryſoſtomum pro liberanda *Tacit. lib. 11. Annal.* *Long lib. 2.* *Dion. Chryſoſt. orat. 12.*

filia. Hac ipſa ſiue pietate, ſiue oſtentatione pietatis Xenocrates
Athen. lib. 10. & Laert. in Xenocr. philoſophus, quòd ebibiſſet congium vini vni ſibi à Dionyſio tyranno oblatum, corona ab illo donatus, eam Mercurio, qui ſtabat ante ædes regias, & quem priùs floreis coronis colere ſueuerat, domum rediens iniecit. Quæ ratio non ſolùm erga numina fuit vſurpata, ſed & erga potentiores homines, ſiquid ab ipſis impen-
Zonar lib. 1. ſiùs peteretur, eoſque quæſitior adulatio pulſaret. Hoc exemplo Hircanus miſit Antonio coronam auream, ſupplex ab eo petens
Iuſtin lib 12. & 18. vt Iudæos à Caſſio in carcerem compactos libertati redderet. Et *legati Romani à Ptolemæo inuitati coronas ab eo acceptas poſtridie honoris cauſa ſtatuis regis impoſuerunt*; muneribus, ſcilicet, regijs in ipſius regis honorem verſis. Quæ certè non adulatio, ſed Romana moderatio potiùs dici debuit. Redeo vnde diuerti, & aio, præter hederam, illa quæ proximè dixi coronamenta eſſe propria Bacchi. Id quod etſi verum eſt, tamen, Tertulliano teſte, *Iunoni vitem*
Tertull. de cor. mil. *Callimachus indixit Ita*, inquit, *& Argis ſignum palmite redimitum, ſubiecto pedibus eius corio leonino, inſultantem oſtentat nouercam de exuuijs vtriuſque priuigni*. Quæ tamen Baccho detrahi non potuerunt, vt nec Herculi. In hanc fermè ſententiam Plinius tradit;
Plin. lib. 14. c. 1. *Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis ſtetiſſe*. Nempe hęc produnt illud odium nouercale Iunonis ſibi vindicantis inſignia priuigni. Ipſa quidem vel inuita Iunone ſuper hederam Bacchus perpetuò retinuit vitem, palmitem, corymbos. Nec ipſe tantùm,
Artemid. lib 1. cap. 79. ſed & ipſi ſacrificantes. Ea re Artemidorus ait, ἀμπέλου καὶ κισσοῦ [στεφάνωμα] μόνοις τοῖς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίταις συμφέρειν, vitis & hederæ coronam ſolis Dionyſiacis artificibus conferre. Et hęc quidem de Bacchico coronamento.

CAPVT II.

Coronamentum Saturni. Mulieres inumbratæ ramis ficulneis. Corona florea Ioui impoſita. Populus coronamentum Herculis. Vmbra populi. Populus alba propriè eſt Herculis. Populus eſt coronamentum amantium. Pinus & ebulus coronamentum Panis. Satyri coronati. Fortuna coronata. Vertumni coronamentum. Pyleo corona Iunonis. Olea cuius coronamentum. Lucinæ coronamentum. Gratiæ coronatæ. Horæ coronatæ. Tempora anni coronata. Minerua coronata. Coronamentum ventorum. Corona è dendrolibano.

SATVRNVS coronatur ficis recentibus. Neque enim Dei ſtatuam veriſimile eſt non fuiſſe coronatam, cùm ij qui illi ſa-
Macrob. lib. 1. Sat. cap. 7. crificant coronati aſpiciantur. *Cyrenenſes* [ait Macrobius] *etiam cùm rem diuinam ei* [Saturno] *faciunt, ficis recentibus coronantur;*

placentaſq; mutuò miſſitant, mellis & fructuum repertorem Saturnum exiſtimantes; Fortaſſe ob aliquam talem cauſam cuiuſmodi memoratur à Plutarcho, etſi id ſuſpicari magis quàm ſcire licet. Quippe is tradit, Nonis Caprotinis mulieres conuiuari inumbratas ramis ficulneis. Niſi ſiquis dicere malit, ramum ficulneum eſſe argumẽtum virilis, ſiue maſculæ libidinis à Libero impoſitum ſepulchro Proſymni, ob eam cauſam, quam memorat Clemens Alexandrinus. Si enim hac pompa, talique cultu Bacchus fuiſſet honeſtatus, pudendis impudentiſſima feciſſet, inquit Heraclitus. Ioui quoque varia coronamenta tribuit antiquitas, florea, frõdea, metallica. De quibus cùm agam idoneis locis, hîc tantùm dico, priuatæ pietatis impulſu quàm ſæpiſſimè eius ſtatuas fuiſſe coronatas floribus. Certè tali corona, hoc eſt nexa è vernis floribus Pauſanias refert quoddam ſimulachrum Iouis capite eſſe redimitum. Alteram item ſtatuam eiuſdem numinis capite geſtare coronam floream, dextra tenere fulmen. Timon ille Athenienſis exprobrat Ioui, culpa eius fieri, ne ampliùs colatur coronis. ἔτι θύοντος ἔτι σοι τινὸς, οὔτε στεφανοῦντος, εἰ μή τις ἄρα πάρεργον ὀλυμπίων, καὶ οὗτος οὐ πάνυ ἀναγκαῖα ποιεῖν δοκῶν. Cùm iam nec ſacra faciat tibi quiſquam, nec coronas offerat, niſi ſi quis obiter in Olympicis; Ac ita ne is quidem rem neceſſariam facere videatur. Herculem coronãt populo. *Nam & Salios*, inquit Macrobius, *Herculi dedit* [Virgilius] *quos tantùm Marti dicauit antiquitas; & populeas coronas nominat*. Et verò Virgilius vocat populum Alcidæ gratiſſimam, atque adeò Herculeam,

Plutarch. Rom.

Clemen. Alex. exhor. ad Græc.

Pauſan lib. 5.

Lucian. Tim.

Herculeæq; arbos vmbroſa coronæ. Virgil ecl. 7.

Tertullianus dicit, *Herculem capite præferre nunc populum, nunc oleaſtrum, nunc apium*. Porrò Herculi ea re fortaſſe grata eſt populus, quòd is ſub eius vmbra ſæpius quieuit, qua ſanè hæc arbor inter cæteras arbores præcipuè commendatur. Certè populum φύλλοισιν ἀπειρεσίοις κομόωσαν folijs innumeris comantem vocat Apollonius Rhodius. Noſtri quoque hanc vmbram laudant, Ouidius,

Tertull. de cor. mil.

Apollon. Rhod. lib. 3.

—— & ecce

Opportuna ſua blanditur populus vmbra. Ouid lib. 10. Metam.

Nec tamen eſt quod quiſquam miretur, tradi à Plinio *nullam eſſe populo vmbram, cui ſint ludentia folia*. Cùm enim is faciat tria genera populi, albam, nigram, & Libycam, hanc vltimam dicit eſſe folio minimam. Illam item Libycam facit minùs denſam folio. Ergo neutra harum populorum eſt vmbroſa, neutra eſt Herculis; ſed alba tantùm. Quippe hæc eſt illa cuius vnius vmbra laudatur. Cæterùm exemplo Herculis cæteri heroës hac fronde amabant coronari. Horatius,

Plin. li. 17. c. 12.

Plin. li. 16 c. 23.

Plin. li. 17. c. 23.

Horat. lib. 2. carm. od. 3.

Teucer Salamina, patremq́,
Cùm fugeret, tamen vda lyæo
Tempora populea fertur vinxiſſe corona.

Neque verò Hercules in delicijs tantùm habuit hoc coronamenti genus, ſed & rem ſeriam potiſſimùm agens hac populea fronde ſe fecit inſignem. Statius de Hercule iuriſiurandi verba concipiente,

Stat. lib. 3. Sylu. in fin.

Sic ait, & tangens ſurgentem altaribus ignem,
Populeaq́ mouens albentia tempora ſylua,
Et Styga, & ætherei iurauit fulmina patris.

Valer. Flacc. lib. 6. Argon.

Hanc coronam Valerius Flaccus eleganter deſcribit,

Populeus cui frondis honor, conſpectaq́ glauco
Tempora nectuntur ramo.

glauco, id eſt albo, ſed decolore. Siquidem populum, eam quæ propriè ſit Herculis, vt dixi, vocant λεύκην, albam. Artemidorus de populo, μόνη ἡ λεύκη ἀθληταῖς συμφέρει διὰ τὸν Ἡρακλέα, Sola verò alba populus athletis vtilis eſt propter Herculem. Et Theocritus hanc populum vocat λεύκαν, id eſt, albam populum.

Artemidor. lib. 2. cap. 25.

Theocr. φαρμ. eid. β.

Φράζεό μευ τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο πότνα Σελάνα.
Ἦνθον γὰρ κἠγὼ, καὶ τὸν γλυκὺν ἦνθον ἔρωτα,
Ἢ τρίτος ἠὲ τέταρτος ἐὼν φίλος αὐτίκα νυκτός.
Μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι Διωνύσοιο φυλάσσων,
Κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος
Πάντοτε πορφυρέαισι περιζώστρῃσιν ἑλικτάν.

Dic amorem meum vnde venerit venerãda Luna. Veniſſem enim ego certè per dulcem amorem; Veniſſem vel duorum vel trium in comitatu de nocte amans, Mala quidem in ſinu Bacchi habens, Capite autem geſtans populum, Herculi ſacram plantam, Vndique purpureis lemniſcis inuolutam. E quo loco id quoque diſcimus, populum fuiſſe coronamentum amantium; fortaſſe διὰ τὸ εὐμηκὲς τε καὶ ὄρθιον, propter longitudinem & rectitudinem. Pani antiquitas dicauit pinum, vt alibi dico, tum ebulum, qua fronde eum Virgilius coronat.

Lucian. de Imag.

Virgil. ecl. 10.

Pan Deus Arcadiæ venit; quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis, minioq́ rubentem.

Plin. li. 35. c. 10.

Satyros ſimiliter coronatos legimus. *Ariſtippus*, inquit Plinius, *cuius eſt ſatyrus cum ſcypho coronatus.* Fortuna quoque coronatur: ſed qua fronde, & forma, nondum ſcio. Huius coronamenti mentio fit in his verſibus qui ſunt de pietate Cæſij Titi primi,

Epigr. lib. 4.

Centenas adicit numero creſcente coronas
Fortunæ ſimulachra colens, & Apollinis aras.

Vertumno corona nectebatur è gramine deſecto, ſeu fœno, Ouidius de eo,

Tempora ſæpe gerens fœno religata recenti *Ouid. lib. 14. Metam.*
Deſectum poterant gramen verſare videri.

Iunonem antiquitas præcipuè coronabat. De quo coronamento alibi ago. Hoc loco illud tantùm moneo, Lacones quam coronam Iunoni imponebant vocaſſe pyleonem. Quæ tamen vox puellarem quamlibet coronam ſignat, vt palam fit, ex eo verſu Alcmanis quem ſupra citaui, *Athen. lib. 15.*

Καί τιν' εὔχεμαι φέροισαν τόνδ' ἑλιχρύ- *Athen. lib. 15.*
σῳ πύλεω ἀκήρατον κυπέρω.

Puellam opto quæ pyleonem afferat ex elichryſo, & immortali cypero. Et verò Heſychius *πυλεῶν* interpretatur *στέφανον*. Oleam etſi Mineruæ dicauit antiquitas, tamen inuenio eam quoque fuiſſe proprium coronamentum Iouis, *διὰ τὸ ἀειθαλὲς*, quòd ſemper viret, *καὶ λιπαρὸν*, quod eſt mollis, *διὰ τὸ πολύχρηστον*, quod ad multa eſt vtilis, *διὰ τὴν ἐμφέρειαν τῆς πρὸς τὸν οὐρανὸν γλαυκότητος*, propter ſimilitudinẽ cœrulei, ſiue cœleſtis coloris. Lucinā antiquitas dictamo coronauit herba odorata, quæ confert ad facilitatem partus *πρὸς τοὺς τόκους τῶν γυναικῶν*, ſiue *πρὸς τὰς δυστοκίας τῶν γυναικῶν*. ad difficultates partus muliebris. Euphorion de Lucina, *Heſych. πυλεών.* *Phornut. in Ioue.* *Theophraſt. lib. 1. de plant.*

Στεψαμένη θαλεροῖσι πωλεύσατο δικτάμνοισι. *Scholiaſt. Arat. φαινομ.*

coronata florentibus florebat dictamis. Neque verò Gratijs, vt ſemper, & vbique tales eſſent, defuerunt ſua coronamenta Ouidius,

Protinus accedunt Charites, nectuntq́ coronas,
Sertaq́ cæleſtes implicitura comas.

Id quod diſertim tradit Martianus Capella, *Præterea*, inquit, *tres puellæ vultu, decoreq́ parili, ac venuſtate luculentæ, ſertis religatæ inuicem manus, roſarumq́ ſpeculis redimitæ ad virginem conuenêre.* Roſarum ſpecula vocat earū nitorem & pulchritudinem. Quidni Gratiæ coronentur, *αἱ τοῖς θεοῖς εἰσὶν ἀποδεδειγμέναι*; quibus inter numina locus eſt adſignatus? Quid, quod ipſa Theologorum ſeuera ſecta huius coronæ dignitatem agnoſcit? Hieronymus de ſapientia verba faciens ait, *Honora illam, & amplexabitur te, vt det capiti tuo coronam Gratiarum.* Horas quoque Alcmæus vocat *στεφανηφόρους* coronigeras. Porrò coronabantur oleæ ramis, authore Scholiaſte Ariſtophanis. Verùm Tzetzes de hoc Horarum coronamento admodum eruditè tradit, Horas, id eſt tempora, quibus annus diſtinguitur, coronari quidem, ſed non vernis floribus, verùm ijs dotibus, quarum ope pulcherrima quæque cenſentur in quolibet anni tempore. Ergo ver coronatur *ὀπώραις αὖ ἴχει*, pomis *Martian. Cap. lib. 2.* *Demoſth. ep. 3.* *Hieron. lib. 2. epp. ep. 12.* *Alcm. in carm. 23.* *Scholiaſt. Ariſtoph. in equit.* *Tzetz. in lib. 1. Heſ.*

& fructibus, quorum ferax eſt, tum floribus & vnguentis. Æſtas frugibus, & id genus cæteris. Autumnus vino ac talibus. Hyems oleo, alijſque dotibus. Mineruam coronario munere, aureiſque ſpolijs cultam legimus ab Aiace propter proſperam venationem.

Sophocl. in Aiace:

Apud Sophoclem Aiax loquitur,

— καί σε παγχρύσοις ἐγὼ
στέψω λαφύροις τῆσδε τῆς ἄγρας χάριν.

Et te aureis ego redimibo ſpolijs huius venationis gratia. Atque adeò verum eſt, vnicuique numini aptari coronam ex ea re quæ ei eſſet familiaris & dilecta, aut ſanè quam ipſe procrearet, vt ipſi venti, quorum vi cumulatur arena, & procellis & arena fingantur coronati, vt de Euro cecinit Valerius Flaccus,

Valer. Flacc. lib 1. Argon.

— crinemq́; procellis
Hiſpidus, & multa flauus caput Eurus arena.

Conſtātin Caſ. lib. 11. cap. 16.

Poſtremò, nullum numen non ritè coronabatur dendrolibano. Quippe exiſtimabāt, coronam quæ ex hac arbore Dijs offerretur, quouis ſacrificio gratiorem eſſe. Ratio eſt, quod Libanus, qui Syriæ mons eſt, priùs fuit iuuenis frequens Deorum cultor. Hic à quibuſdam ſceleratis ob inuidiam occiſus vitæ quidem, ſed non amoris & beneuolentiæ diuinæ iacturam fecit. Certè Dij ei monti id nominis indiderunt; eamque frondem quæ ibi prouenit, gratam ſibi eſſe multis argumentis oſtenderunt.

CAP. III.

Genius coronatus. Lar familiaris coronatus. Lares quomodo culti. Larium coronamentum. Pauperum corona tenuis. Larium ſedes. Lares nigri. Veſta hoc eſt ara coronata. Venus culta coronis. Quatuor Veneres. Priapus coronatus. Profeſſa quæ dicerentur. Quam Venerem virgines coronarent. Loca felicitatis coronata. Corona geſtata in honorem Promethei.

HAc eâdem priuata pietate Genius colebatur multa ſedulitate, multoque coronarum & coniectu & impoſitu. Tibullus,

Tibull. lib. 2. el 2.

Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea ſerta comas.

Stob. è Charonda. ττι. νομ. κ, 19.

Ipſi quoque lares hoc præcipuè cultu habebantur. At iſti lares noſtris erant illi ipſi qui Græcis ἐφέστιοι δαίμονες quibus Charondas aſſimilat magiſtratus, qui, ſcilicet, in ciuitate ſunt hoc ipſum quod domi iſti Dij. De quo more hæc Cato in loco ſupra citato,

Cato de re ruſt.

Kalendis, Idibus, Nonis, Feſtus dies cùm erit, coronam in focum indat; per eoſdemq́; dies lari familiari pro copia ſupplicet. Vbi aduertendum

tendum, Catonem agere de cultu eius qui dicitur Lar familiaris, ſeu priuatus. Nam Romæ fuit ædes Larium in ſumma ſacra via, quibus, vt veriſimile eſt, publicè ſacra fiebant. Colebantur plerunque oblatione τῶν ϖρωτογεννημάτων, primitiarum Horatius, *Solin. cap. 2.*

-dulcia poma. *Horat lib. 2. ſerm.*

Et quoſcunque feret cultus tibi fundus honores

Ante larem geſtet venerabilior lare diues.

Hinc eſt, quod Tibullus larem coronat ſpicis & vua,

Hic [Lar Deus] *placatus erat, ſeu quis libauerat vuam,* *Tibull. lib. 1.*

Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ. *el 10.*

Coronabantur quoque plurimis floribus, in primis, vt ſupra dixi, viola. Iuuenalis,

—laribuſq; paternis *Iuuen ſat. 10.*

Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.

Redimiebantur myrto quoque & rore marino, Horatius,

Paruos coronantem marino *Horat. li. 3. car.*

Rore Deos, fragiliq; myrto.

poſtremò, farre, ac tenui ſerto, ſiue corolla.

O parui, noſtriq; lares, quos thure minuto *Iuuenal, ſat. 9.*

Aut farre, & tenui ſoleo exornare corona.

Vbi aduertendum, poëtam non de nihilo dicere, tenui corona, ac ſi dicat, Mihi, qui non cenſeor inter illos diuites, ſed cui tenuis eſt cenſus, ſatis eſt ſi tenui & exili corona exorno lares meos, non illa ampla & grandi, qua redimiri ſolent. Et ſupra dicebam, apud Græcos eſſe prouerbium, quo ſignificatur, pauperis coronam eſſe tenuem. Nam alioqui amplitudine coronarum lares coli, alibi è Feſto monui. Et Plinius tradit, *Compitalia & ludos Seruium Tullium Laribus primùm inſtituiſſe.* Cæterùm hæ laribus impoſitæ coronæ dicebãtur imponi focis, quia ſedes Larium erat apud focum. Tibullus, *Feſt. Donatica. Plin. li. 36. c. 27. in fi.*

Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum, *Tibul. lib. 1. el. 2.*

Sertaq; de ſanctis diripuiſſe focis?

Et apud Ouidium celebrantem diem natalem vxoris corona dicitur velare focos,

Queq; ſemel toto veſtis mihi ſumitur anno, *Ouid. lib. 5. de triſtib.*

Sumatur fatis decolor alba meis.

Araq; gramineo viridis de ceſpite fiat,

Et velet trepidos nexa corona focos.

Euclio ille Plautinus diſertim collocat lares in foco,

Nunc tuſtulum emi, & haſce coronas floreas. *Plaut. Aulul.*

Hæc imponentur in foco noſtro lari,

Vt fortunatas faciat natæ nuptias.

Et quia lares apud focum ſtatuebantur, non eſt mirum dici nigros, hoc eſt, atros & fumoſos, vt liquet è Prudentio, qui, ne, ſcilicet, iſti domeſtici Dij parum genialiter acciperentur, eos vnguento præter coronam donatos firmat.

Prudent. contra Symm. lib. 1.

--ſaxa illita ceris
Viderat, vnguentoq́; lares humeſcere nigros;

Plutarch. κεφαλ. ζητημ. ῥωμ.

Niſi nigros interpretari malis, atroces & vindices. Nam οἱ λαρῆτες ἐριννυώδεις τινές εἰσι καὶ ποίνιμοι δαίμονες, ἐπίσκοποι βίων καὶ οἴκων· Lares furialia quædam ſunt & pœnalia numina, quæ ſpeculantur vitas & domos. Præter lares alij erant Dij qui ſtatuebantur apud veſtibulum. Sophocles,

Sophocl. Electr.

Οὐκ ἂν μακρῶν ἔτ' ἡμῖν οὐδὲν ἂν λόγων,
Πυλάδη, τόδ' εἴη τοὔργον· ἀλλ' ὅσον τάχος
χωρεῖν ἔσω, πατρῷα προσκύσανθ' ἕδη
θεῶν ὅσοιπερ πρόπυλα ναίουσι τάδε.

Non hîc longo ſermone amplius Pylade opus eſt, verùm vt quamprimùm intremus, atque patrios ſalutemus penates, quotquot huic præſunt veſtibulo. Ariſtophanes ante fores hiſce Dijs aram ſtatuit.

Ariſtoph. εἰρ.

ὁ γὰρ βωμὸς θύρασι καὶ δεῖ.

Nam ara ante ædes eſt. Idque fiebat non Græco tantùm, ſed & Romano more. Quippe in primis ingreſſibus, ſpatijſque domorum ſtatuebant Veſtas, hoc eſt, aras & focos. Plautus,

Plaut. Curcul. actu 1. ſc. 1.

Nunc ara Veneris hæc eſt ante horum foreis.

Terentius,

Terent. Heaut. actu 5. ſc. 2.

Nemo accuſat Syre te; nec tu aram tibi,
Neque precatorem pararis.

Id quod ideo retuli, vt oſtenderem has quoque aras coronari ſolitas. Plautus.

Plaut. Merc. actu 4. ſc. 1.

D. Aliquid cedo, qui hanc vicini noſtri aram augeam. S. Da ſanè hanc virgam lauri.

Itaque tales aræ cumulabantur ſertis, corollis, coronis. Ouidius in natalem ſuum,

Ouid lib. 3. de Triſt.

Scilicet, expectas ſolitum tibi moris honorem?
Pendeat ex humeris veſtis vt alba meis?
Fumida cingatur florentibus ara coronis,
Micaq́; ſolennis thuris in igne ſonet?

Illæ quæ corpore quæſtum faciebant coronis Venerem & Cupidinem ſibi propitiabant. Plautus,

Plaut. Aſin. actu 4.

Tum ſi coronas, ſerta, vnguenta iuſſerit
Ancillam ferre Veneri, aut Cupidini,

Tuus obſeruet, Venerine eas det, an viro.

Nimirum, hanc Deam faciebant φιλοστέφανον, ἢ φιλοπαστέφανον, vt loquitur Ariſtides. Hîc obiter dico, plures fuiſſe Veneres, nempe duas, ſiue tres, ſi Auguſtino credimus; ſi alijs, quatuor; vnam, quam vocabant πάνδημον popularem; Alteram οὐρανίαν cœleſtem; Tertiam Hortenſem. Quartam πλουτοδότειραν opum largitricem. Huic potiſſimùm ſupplicabant meretriculæ, vt pluribus amatoribus ſibi conciliatis, è tali quæſtu diteſcerent. Hanc quartam potiſſimùm coronabant, στεφανοῦσι δὲ καὶ τὴν πλουτοδότειραν. Itaque cùm Ouidius vulgares puellas hortatur vt coronis Venerem colant, illam, videlicet, ſignat πλουτοδότειραν.

Ariſtid. περ. orat. 3.
Auguſt. lib. 4. de ciu. Dei. c. 10.
Lucian. dial. meretr.

Ouid. li. 4. Faſt.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ;
Multa profeſſarum quæſtibus apta Venus.
Poſcite, thure dato, formam, populiq́; fauorem;
Poſcite blanditias, dignaq́; verba ioco.
Cumq́; ſua dominæ date grata ſiſymbria myrto,
Textaq́; compoſita iuncea vincla roſa.

Profeſſas vocat eas quæ licentiam ſtupri, more inter veteres recepto, apud Ædiles vulgauerant; quæque volebant ſciri & publicari ſe eſſe impudicas ex ipſa profeſſione flagitij. Ergo hoc Ouidius dicit, Vos, quotquot eſtis quæ corpore quæſtum facitis, Veneri nectite coronam iunceam, cui hæreant roſa, ſiſymbria, myrtus; Quæ omnia ſunt Veneris. Priapo quoque ſalaci Deo corona ponebatur. Certè ipſius hæc ſunt verba,

Tacit. lib. 3. Annal.

In Priap.

Mihi corolla picta vere ponitur,

Picta, id eſt, multicolor, veluti conſtans è pluribus floribus. Huius fermè generis eſt illud in obſcœnis illis ad hunc ipſum Priapum verſibus, quos priuſquam referam, honos auribus præfandus eſt,

Nota Suburanas inter Telethuſa puellas,
Quæ, puto, de quæſtu libera facta ſuo eſt,
Cingit inaurata penem tibi ſanctè corona.
Hunc pathicæ ſummi numinis inſtar habent.

Et alibi,

Quòd ſi contigerit fruenda nobis,
Totam comparibus Priape noſtris
Cingemus tibi mentulam coronis.

Hunc morem Auguſtinus deſcribit his verbis, *In oppido Lauinio vnus Libero totus menſis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitioſiſſimis vtebantur, donec illud vnum membrum per forum tranſuectum eſſet; atque in loco ſuo quieſceret. Cui membro inhoneſto matrem familias honeſtiſſimam palàm coronam neceſſe erat imponere.* Et paulò poſt, *Iam quod in Liberi ſacris honeſta matrona pudenda virilia*

Aug. de ciuit. Dei, lib. 7. c. 21.

coronabat ſpectante multitudine. Hanc ipſam infra vocat ***coronationem virilium pudendorum.*** Cęterùm non ſolæ meretrices Venerem coronis colebant, ſed & ipſæ virgines huius Deæ ſtatuas ſertis & corollis onerabant. Callimachus,.

Callimac. hym. in Del. Δὴ τότε κὴ στεφάνοισι βαρύνεται ἱερὸν ἄγαλμα·
Κύπριδος ἀρχαίης ἀριήκοον· ἣν ποτὲ Θησεὺς
Εἵσατο σὺν παίδεσσιν, ὅτε Κρήτηθεν ἀνέπλει.

Et quidem tunc & ſertis oneratur ſacrum ſignum Veneris antiquę attentè audiens, quod olim Theſeus Erexit cum pueris cùm è Creta ſoluit. Hunc ipſum Veneris cultum ſignat Valerius Flaccus,

Valer. Flacc. *Hinc Veneris thalamos, ſemperq́ recentia ſertis*
Tecta petit.

Xenoph. in cõuiu. Sed cùm, vt dixi, quatuor ſint Veneres, ſiue, Socrate authore, duæ, cœleſtis & vulgaris, quarum vtrique dicata ſunt aræ, fana, ſacrificia, vulgari quidem hæc omnia neglectiora, at cœleſti puriora, & caſtiora, huius cultui ſe eſſe deditas virgines honeſtè profiteri poſſunt. Itaque non minor in virginibus, ſiue in adoleſcentibus amantibus, quàm in meretricibus hæc pietas; imò etiam maior & ſyncerior ſedulitas condecorandi ſtatuas non tantùm Veneris, ſed & aliorum numinum ſiue vrbanas, ſiue agreſtes hiſce coronis, ſeu corollis, nempe ſertis floreis. Ergo non immerito nympha quæ-
Long. lib. 2. dam apud Longum alloquens Daphnin, Etſi, inquit, vos illum Pana ſub pinu erectum nullis adhuc floribus coluiſtis, nos tamen
Long. lib. 1. nymphæ nunquam deſtitimus illum rogare, vt eſſet vobis propitius, tibi, ſcilicet, & Chloë. Apud hunc ipſum Longum illud ip-
Long. lib. 2. ſum par amãtium Chloë & Daphnis floribus ijs quos ferebat anni tempus, coronant agreſtia numina. Ibidem Philetas bubulcus corollas Pani affert, eumque pinu coronat. Picum marmoreum Ouidius deſcribit inſignem multis coronis,

Ouid. lib. 14. *Illa mihi niueo factum de marmore ſignum*
Oſtendens iuuenile, gerens in vertice Picum
Æde ſacra poſitum, multiſq́ inſigne coronis.

Ad priuatam quoque pietatem pertinere exiſtimabant, ſi non ſolùm numina & homines coronis venerarentur, ſed & ipſa loca, vbi cuique quidpiam feliciter eueniſſet, hoc honore honeſtarent, teſte eius, qui pietati adfinis eſt, animi grati. Hoc exemplo locus in quo theſaurus inuentus eſſet, de more coronabatur, addita ara
Dio. Domi. 218. & re diuina, vt apud Achillem Tatium. Is locus in quo Domitianus Paridem hiſtrionem interfecit floribus & vnguentis eſt cultus. Inter coronas, quas numinibus priuata pietas exhibuit, exiſtimo locum eſſe illi, quæ geſtabatur in honorem Promethei vinculis exoluti; tanquam eius indignatio ex eo concepta, quòd homi-

rum cauſa indita illi vincula eſſent, hoc cultu minui & placari poſſet. Qua de re, Athenæo teſte, Æſchylus in Prometheo. Idem, inquit Athenæus in ea fabula, cui nomen Sphinx.

Τῷ δ' ξένῳ γε στέφανον ἀρχαῖον στέφος — Athen. lib 15.
Δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου.

Hoſpiti coronam priſcum coronamentum [circumdo] Vinculorum optimum è Promethei ratione.

CAP. IV.

In lucis fuerunt coronamenta. Arbores coronatæ. στεφανωτικὰ, ſiue στεφανώματα priſcis quid. Spina coronata. Termini coronati. Templa & columnæ in conlimitys. χελάδες quid. ἑρμακες quid. Termini quale coronamentum. Unctus lapis Apuleio quid. Coronæ inter primitias quæ Deo offerebantur. Corona precum quæ hodie in eccleſijs ſunt in vſu. Coronæ cereæ.

CÆTERVM in lucis exſtabant delubra multæ venerationis. Ipſique adeò luci cum ſuis arboribus erant venerabiles, Dijſque conſecrabantur. *Nec magis*, inquit Plinius, *auro fulgentia atque ebore ſimulachra, quàm lucos, & in iis ſilentia ipſa adoramus.* (Plin lib. 12. c. 1.) Ergo ibi quoque coronamentis locus fuit. Id quod diſertim tradit Apuleius. *Et quid ego*, inquit, *de luco & delubro loquar? Negant vidiſſe ſe qui fuêre, vnum ſaltem in finibus eius aut lapidem vnctum, aut ramum coronatum.* (Apul. Apol. 1.) Quis ſit lapis vnctus, infra dicam. De lucis, eorumque veneratione exſtat locus M. Tullij; *Qui locus aut lucus in Græcia tota tam ſanctus fuit, in quo vllum ſimulachrum, vllum ornamentum reliquum ſit?* (Cic. de proui.) Ergo & luci colebantur, & in his arbores coronabantur floribus. Ouidius,

— equidem pendentia vidi — Ouid. lib. 8. Metam.
Serta ſuper ramos; ponenſque recentia, dixi,
Cura Deûm Dij ſint, & qui coluêre colantur.

Quippe *luci*, vt Plinius ait, *fuêre numinum templa; priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant.* (Plin. lib. 12. cap. 1.) Nec verò immeritò ipſas arbores coronari oportere exiſtimabant, quæ illuſtrium coronamentorum materiam hominibus ſuppeditant. Siquidem priſca eruditio στεφανωτικὰ, ſiue στεφανώματα, vt alibi moneo, vocabat omnia folioſa; eaque diſtinguebat ἀπὸ τῶν φρυγανικῶν, καὶ λαχανικῶν, à ſurculaceis & herbidis. (Theophraſt. lib. 3. de cauſ. plant.) vt verè dici poſſit, arborum folia propriè fuiſſe coronamenta, id eſt, materiam coronarum. Certè cùm Theophraſtus ait, ἐν Αἰγύπτῳ χείρεισα τὰ ἄνθη καὶ τὰ στεφανώ- (Theophraſt. lib. 7. de cauſ. plant. cap. 27.)

μάτα, in Ægypto peſſimè prouenire flores & coronaria, ait ibi folia eſſe rariora, ac tenuiora ὅτι ὁ ἀὴρ ὁμιχλώδης καὶ δροσοβόλος quòd aër eſt craſſior & roſcidus. Porrò vt Iupiter eſculo, lauro Apollo, Bacchus hedera, Minerua olea, Venus myrto, Hercules populo coronabatur, ita hæc maiorum numinum coronamenta alijs coronamentis coli cenſuerunt oportere. Hinc, ſcilicet, ipſis arboribus tanta nobilitas acceſſit, vt ipſi homines ab arboribus ſua cog-

Plin. lib. 17. c. 1. nomina mutuari non erubuerint; *vt Frōditius miles,* inquit Plinius, *is qui præclara facinora, Vulturnum tranſnatans, fronde capiti impoſita, aduerſus Annibalem edidit.* Quem locum ideo quoque retuli, vt coronas nonnūquam neceſſitate capiti impoſitas intelligamus, Siquidem frons huius militis capiti hærens, id eſt, corona, in ipſo æſtu belli pro ſigno ſalutis & virtutis fuit illi, cui manus natando neceſſarium miniſterium præbuerunt. Redeo ad rem, & aio arbores in lucis coronari ſolitas non ſolùm ab incolis, verùm etiam

Apul. lib. 1. florid. ab ipſis viatoribus. *Neque enim,* inquit Apuleius, *iuſtius religioſam moram obiecerit aut ara floribus redimita, aut ſpelunca frondibus*

Athen. lib. 15. *inumbrata, aut quercus cornibus onerata.* Nec arbores tantùm, ſed & ſpinas coronatas legimus; aut certè coronas è floribus acanthi, mali Punicæ, tum vitis iniectas fuiſſe ſpinis nigris & candidis, quæ gignuntur ante templum Tindij oppidi. Qua de re hæc inſuper ab Ægyptijs traduntur, Æthiopas à Tithono miſſos Troiam, cùm Memnonem audiuiſſent eſſe mortuum, eò loci coronas abieciſſe in ſpinas. Ideoque ramos earum floribus onuſtos coronis ſimiles eſſe. Terminos quoque, ſiue terminales lapides coronis donauit antiquitas, tanquam iudices, & arbitros finium, ac proinde pacis & amicitiæ cuſtodes. Statius,

Stat. li. 6. Theb.

— hinc ſaxeus vmbo

Arbiter agricolis finem iacet inter vtrumque.

Lactant. de fal. relig. lib. 1. c. 20. *Et huic ergo,* inquit Lactantius, *publicè ſupplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo, qui non tantum lapis, ſed etiam ſtipes interdum eſt.* Eadem propè Tibullus,

Tibull lib. 1. el. 1.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,

Seu vetus in triuio florida ſerta lapis.

Etymol. ἑρμαῖον. Et hæc quidem fuerunt illa ἑρμαῖα, id eſt ἑρμαῖοι λόφοι, ſiue ὁ σωρὸς τῶν λίθων, nempe ἐνόδιον, cumulus lapidum in via poſitorum, ita dicta

Phornut. in Merc. quòd is propriè eſſet Mercurius qui ſtatuebatur in vijs; quique ob id dicebatur ἐνόδιος καὶ ἡγεμόνιος. Quanquam & ipſe Iupiter quandoque regiones diſterminauit. Qua de re extat epigramma, cuius

Demoſth. ſiue Hegeſip in orat. de Halon. hæc eſt pars,

— ἀμμορίης δὲ

Αὐτὸς ἄναξ μακάρων θῆ μέσος Κρονίδης.

Ipſe rex beatorum eſt medius Saturnius. Tertulliano hi termini ſunt pali terminales; *Sed rurſus palos terminales figitis Deo.* Certè hominum exiſtimatio fuit, confinia ſeu limites, ſeu conlimitia vſque eò eſſe in tutela numinum, vt in ijs templa hinc inde ædificatimos eſſet. Et vbi non erat templum, hinc inde ſtatuebantur columnæ, quorum vtramque vocabant ὅρον, ἐν ᾗ ἐνεχάραττο τὸ χρέος, καὶ ὁ χρήστης in qua inſculptum erat debitum & fœnerator. At locum qui inter vtramque medius eſſet ac liber, vocabant ἄστικτον, nullis punctis notatum, aut nulli debito obnoxium. Memorat Strabo, quarundam vrbium Campanatum confinia diſcriminari duabus ædibus fortunæ, ex vtroque latere Latinæ viæ. Vbi neque templa eſſent, neque columnæ, ibi verò cumulabantur χεράδες. Quæ dictio non tantùm ſignat eiectamenta maris, aut fluuiatiles lapides, ſed & cumulos minutorum lapidum, quaſi in hoc aggeſtorum vt ſint termini, hoc eſt diſcriminent ac tueantur quod cuique proprium ab alieno. Et hi quidem lapidum cumuli vocabantur quoque ἕρμακες, nempe λίθοι σεσωρευμένοι εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ, lapides aggetati in honorem Mercurij. Et verò priſci ad ſtatuas Mercurij, quas dixi proſtitiſſe in vijs, aggerabant lapides; ſiue, inquit Phornutus, quòd lapidibus vias purgarent; aut Deum ea ratione obteſtarentur; aut vt eum hoc qualicunque munere venerarentur; aut vt innuerent è particulis conſtare eum, qui profertur, ſermonem. Ego addo id quod verius puto, nimirum, vt quiſque ſua tueretur, abſtineret alienis. Et huc, ſcilicet, pertinet Sapphicum illud, μὴ κίνει χεράδας, Ne moue terminos; Noli oſtendere te iniurium mouendis terminis, ac proinde vſurpandis ijs in quæ nullum tibi ius eſt. Cùm ergo terminus iuri & iuſtitiæ locum aſſereret, meritò coronabatur. Ouidius,

Termine, ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.
Te duo diuerſa domini de parte coronant;
Binaq; ſerta tibi, binaq; liba ferunt.

Hoc autem coronamentum non ſolum conſtitit è floribus, ſed è faſcijs ſeu faſciolis. Prudentius,

— & lapis illis
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueuerat error.

Nec tantum terminos coronabant, ſed & vngebant, vt palam fit è loco Apuleij quem ſupra citaui. Nam ibi vnctum lapidem interpretor vnguine delibutum, vt ipſemet Apuleius alibi loquitur. Et quidem de lapide vncto exſtat præclarus locus Luciani loquentis de Alexandro illo præſtigiatore, falſoque vate, qui ſuperſtitioni vſque eò deditus erat, vt ſicubi vnctum lapidem, aut coro-

Tertull. lib ad-uerſ pſychicos.

Etymol. ἄστικτον. γ.

Strabo lib. 5.

Etymol χεράδες.

Scholiaſt. in ther. Nicand.

Phornut. Mercur.

Ouid. li. 2 Faſt.

Prudent. côtra Symm. lib. 2.

Lucian Pſeudomant.

natum aſpexiſſet, ante illum ſemper procumberet eumque adoraret. Apud hunc ipſum Lucianum fit mentio lapidis & aræ quæ oleo vncta teſponſa edit. Hunc quoque lapidem, quòd vnctus eſſet, vocabant λιπαρὸν pinguem. Fuitque peruulgatum dictum in ſuperſtitioſos, πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, προσκυνοῦντες, omne lignum, & omnem lapidem, quod dicitur, adorantes. Coronæ quoque numerabantur inter eas primitias quas quiſque Deo offerebat, στέφη, inquam, & στέμματα, præter πελανοὺς, πέμματα, θαλλοὺς, μυῤῥίνας, ἄνθη, molam, bellaria, ramos, myrtos, flores. Sacris quoque coronis lubet annumerare illas, quas adhibent enumerandis precibus ijs, quas quiſque Deo offert aut domi, aut in eccleſia. Quod inſtitutum manauit à Paulo monacho. Quippe cum ſe is in ſolitudinem abdidiſſet, dilecto ſibi loco in Pherma, qui eſt mons in Sceti, ſingulis diebus trecentas preces ſicuti tributum Deo pendebat. Ne verò huic numero quicquam deeſſet, totidem lapillos in ſinu condebat; & vt quamque precationem recitauerat, eâdem lapillum è ſinu emittebat. Numero calculorum abſumpto, intelligebat ſe præſtitiſſe quod vouerat. Qua in re hic monachus videtur imitatus eſſe morem Thraciæ gentis, *quæ calculos colore diſtinctos pro experimento cuiuſque diei in vrnam condit; ac ſupremo die ſeparatos dinumerat; atque ita de quoque pronunciat.* Certè numerandi preces ritum fuiſſe antiquitus receptum in Eccleſia Dei, præter hunc hiſtoriæ Eccleſiaſticæ locum, ſcire licet ex alio diui Hieronymi. *De ſcripturis ſanctis*, inquit, *habeto fixum verſuum numerum. Illud penſum domino tuo redde. Nec ante quieti membra concedas, quàm calathum pectoris tui hoc ſubtegmine impleueris.* Non debui omittere coronas cereas, quas videor poſſe referre in numerum earum, quas ſacras voco. Etſi vereor ne nimium ſint ſacrę, hoc eſt, deteſtandæ. Harum mentionem facit Artemidorus in loco qui eſt mutilus. στέφανοι κήρινοι, inquit, πᾶσι κακὸν, μάλιστα δὲ νοσοῦσι· ἐπεὶ καὶ τὸν θάνατον κῆρα καλοῦσιν οἱ ποιηταί. Coronæ cereæ omnibus malum [portendunt] maximè verò ægrotantibus; ſiquidem & mortem κῆρα vocant poëtæ. Docti ſuſpicantur, iſtis coronis cereis contineri neſcio quid magicæ ſuperſtitionis. Quibus facilè adſentior.

Lucian. conc. Deor.

Clem. Alex. Strom. lib. 7.

Pollux lib. 1.

Nicepho. lib. 11. cap. 36.

Plin. lib. 7. cap. 40.

Hieron lib. 2. epiſt. ep. 19.

Artemidor. lib. 2. cap 79.

CAPVT

CAP. V.

Coronæ mortuis imponebantur. Et cur. Mos coronandi mortuos eſt antiquiſſimus. Unde ſit profectus. Hunc morem Chriſtiana pietas aboleuit. Lycurgus huius moris apud Lacedamonios auctor. Qui poſtea Lacedæmone ſeruatus. Et Athenis, & Romæ. Hæ mortuorum coronæ nectebantur è floribus. ἐρως *quid. Apud Lacedæmonios coronæ mortuis fiebant ex olea. Apud alias gentes nunc ex olea, nunc è lauro. Quandoque è lilys. Ducibus mortuis è lauro. Regibus mortuis imponebantur diademata.*

IN ijs coronis quas ſacras nomino, quæque proficiſcebantur à priuata pietate, lubet annumerare eas quæ mortuis imponebantur. Qui mos quàm ſit priſcus, hinc licet intelligere, quòd cùm Corybantes ſuum fratrem occidiſſent, caput mortui purpura contexerunt, ϰ καταστέψαντες ἐθαψάτην, & coronatum ſepelierunt. Id quod qui rem diligentiùs inſpicient non abſurdè vſurpatum fatebuntur. Enimuero ſacras, de quibus ago, coronas cõſtat eſſe conſpectiſſima geſtamina eorum qui operabantur, vt infra dico, præcipuo alicui numini veluti tutori publici ſtatus, dicatas fuiſſe; demonſtraſſe eximiam quandam, ac poſteris imitandam pietatem; cinxiſſe capita eorum Deorum, quorum eſt excellens potentia, & omne regimen rerum humanarum; vbicunque eſſent, ibi omnia perfecta, fauſta ac felicia demonſtraſſe; temporum felicitatem ſignaſſe; in ſupplicantibus, ſacrificantibus, conſecrantibus, Deum conſulentibus, vota reddentibus animum ſyncerum, pium, votiſque conſonum demonſtraſſe; in victimis puritatem, & ſanitatem, qualem Deo offerri par eſt, oſtendiſſe; In primis, omnia læta nunciaſſe. Verè enim Ouidius, *Clemen. Alex. exhort. ad Græc.*

Dy quoque vt à cunctis hilari pietate colantur,
Triſtitiam poni per ſua feſta iubent. *Ouid. lib. 2. de Ponto.*

Quæ omnia ſi vera ſunt, ſi, inquam, horum omnium coronæ ſunt indices, ac teſtes, quî minùs conueniant ijs qui ingenti humanarum miſeriarum luctamini erepti, perpetuæ redduntur quieti, ac æterna donantur felicitate? Quare, ait Hadrianus, mortuus coronatur? Reſpondet Epictetus, *Agonem ſe vitæ tranſegiſſe teſtatur.* Etſi non ſum neſcius hunc morem à Chriſtiana pietate repudiatum fuiſſe vt ſuperſtitioſum. τοὺς νεκροὺς, inquit Clemens Alexandrinus, καταστεφανοῦσιν ᾧ λόγῳ ϰ τὰ εἴδωλα, ἔργῳ προσμαρτυροῦντες αὐτοῖς τὸ εἶναι νεκροῖς. Qua ratione idola coronant, ſic & mortuos. Quo facto id agunt, vt oſtẽdant idola eſſe rem mortuam. Nihilominus *In altercat. Hadr. Aug. & Epict. philoſ.* *Clem Alex. pedag. lib. 2 c. 8.*

tamen apud omnem antiquitatem viguit mos coronãdi mortuos ob eas cauſas quas dixi. Et verò Lycurgus etſi defunctis dempſerat illum ambitioſum luctum, & pompam tumulorum, eos tamen

Plutarch. ἀποφθ. Λακ. & in Lycur.

voluit ἐν φοινικίδι ϗ φύλλοις ἐλαίας θέντας, τὸ σῶμα περιστέλλειν κατ' ἴσον ἅπαντας, in purpureo amictu & folijs oleæ poſitos corpore contegi ex æquo omnes. Itaque quamuis alibi mortui ſumptuoſiùs efferrentur, tamen hic mos Lacedæmone ſeruatus. Et verò Cleome-

Plutarch. Ag. & Cleom.

nes, quanquam Lacedæmonius Lydiadæ corpus ἐκόσμησε πορφυρίδι, ϗ στέφανον ἐπιθεὶς, πρὸς τὰς πύλας τῶν Μεγαλοπολιτῶν ἀπέστειλεν, ornauit

Plutarch. Sol.

purpurea veſte, & impoſita corona, ad portas Megalopolitanorum miſit. In hanc ſententiam Solon aureis illís verbis quæ in os Crœſo dixit, addidit, coronam hominis, qui adhuc vita fruitur, ſicuti certantis præconium ſiue renunciationem eſſe incertam &

Plutarch. Peric.

irritam. Hic certè mos & Athenis viguit. Nam ibi quoque ab amicis coronæ conijciebantur in mortuos. Quo exemplo, Paralo mortuo, Pericles adferens defuncto coronam, in illius aſpectu fre-

Plutarch. Pelop.

git priſtinam illam & inflexibilem animi ſui conſtantiam. Qui coronarum coniectus & Lacedæmone in vſu fuit, vbi Pelopidæ interfecto certatim congeſta ſunt τρόπαια ϗ στέφανοι, ϗ πανοπλίαι χρυσαῖ, trophæa & coronæ, & omnis generis armaturæ aureæ. Is quoque

Plin. lib. 10. cap. 44.

mos coronandi mortuos à cęteris gentibus Romam tranſlatus eſt, vt pluribus exemplis demõſtrari poteſt. Ibique vſque eò inualuerat, vt coruo illi percelebri, qui Tiberium, Germanicum, Druſum, & tranſeuntem populum Romanum ſalutabat, interempto funus celebratum ſit innumeris exequijs, & coronis omnium generum. Ipſaque ideò lege XII. tabularum mortuo licebat coronam imponere. Qua de re hæc M. Tullius, *Illa iam ſignificatio eſt, laudis or-*

Cic. lib. 2. de leg.

namenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute paratam [f. partam] *& ei qui peperiſſet, & eius parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam iubet.* Cæterùm hæ mortuorum coronæ plerumque nectebantur è floribus, frondibuſque omnis generis. Et corona ea ratione concinnata à Græcis, vt ſupra monui, vocabatur ἔρως, παρὰ τὸ ἔραν τὴν γῆν

Etymol. ἔρως.

τουτ' ἔστι στέφανος ἐκ γῆς ἐρανιζόμενος à dictione eran terram, hoc eſt, corona à terra connexa, ſeu collecta, nempe è floribus ſpecioſiſſimis, vt diſcimus è loco Luciani, vbi is deſcribit morem ſepeliendi mor-

Lucia. de luctu.

tuos. Ait enim eos lauari, vngi, coronari τοῖς ὡραίοις ἄνθεσιν ſpecioſis floribus. Et mortuum ſic adornatum καθ' ὑπερβολὴν vocabant ἐστεφανωμένον coronatum, ac ſi dicat, tunc demum verè coronatum. Quem morem ſignauit Sophocles in his verſibus,

Sophocl. Elec.

ὅπως τὸ λοιπὸν αὐτὸν ἀφνεωτέραις
χερσὶ στέφωμεν, ἢ τὰ νῦν δωρούμεθα.

vt cæterùm ipſum abundantioribus manibus coronemus, aut ea

quæ adſunt, donemus. Apud Ariſtophanem mulier quædam hunc morem exprimit his verbis, *Ariſtoph. Lyſiſt.*

Σὺ δὲ δή τι μαθὼν οὐκ ἀποθνήσκεις;
* Χωρίον ἐστὶν σορὸν ὠνήσει (* χωρίον)
Μελιτοῦτταν, ἐγὼ καὶ δὴ μάξω.
Λάβε ταυτὶ καὶ στεφάνωσαι,
Καὶ ταυτασὶ δέξαι παρ' ἐμοῦ,
Καὶ τουτονὶ λάβε τὸν στέφανον.
Τοῦ δεῖ; τί ποθεῖς;
Χώρει εἰς τὴν ναῦν,
Ὁ Χάρων σε καλεῖ,
Σὺ δὲ κωλύεις ἀνάγεσθαι.

At tu quid iam didiciſti vt non moriaris? Opportuna eſt vrna. Emet placentam melleam. At ego iam interam. Cape hæc & coronare. Et hæc eadem accipe à me. Et hanc cape coronam. Quare opus habes? Quid deſideras? Abſcede in nauem, Charon te vocat. Tu autem impedis abduci. Cæterùm hæ funebres, vt ita dicam, coronæ, texebantur quoque è liliis. Id diſco ex hac prouerbiali locutione, *ἢ κρίνον ἢ κολοκύνθην*, aut lilium, aut cucurbitam. *ἐν παροιμ.* *ἐπετίθεσαν γὰρ τὸ μὲν κρίνον*, inquit author *παροιμιῶν*, *οἱ ἀρχαῖοι ἐπὶ τοῦ τεθνηκότος, τὴν δὲ κολοκύνθην ἐπὶ τοῦ ὑγιοῦς*, Statuebant igitur lilium quidem priſci ſuper mortuo, at cucurbitam ſuper ſano. Ibique citatur locus Diphili, *ἐν ἡμέραισιν αὐτὸς ἑπτὰ σοὶ γέρων θέλω παρασχεῖν κολοκύνθην ἢ κρίνον*, in diebus ipſe ſeptem tibi ſenex volo præbere cucurbitam aut lilium; Ac ſi dicat, intra hoſce proximos ſeptem dies tu quidem aut morieris, aut meliùs tibi fiet. Porrò olea ab Lycurgo inſtituta, tum laurus aliæque frondes quibus Lacedæmone mortui coronabantur, nihil aliud ſignabant niſi victoriam hominis qui fato functus ſit, de qua ſupra dixi. Apud alias gentes mortui nunc olea, nunc lauro, nunc alijs folijs & frondibus redimiebantur. Priſco more Romano mortuis dabantur ex coronæ quas meruiſſent. Quem morem Plinius refert ad legem XII. tabularum, qua cautum fuit, *Quam coronam ſerui equiue cuiuſpiam meruiſſent, ipſi mortuo, parentibuſq́; eius, dum intus poſitus eſſet, foriſue ferretur, ſine fraude imponi.* Apud Valerium Flaccum inuenio mortuum Idmonem alba fronde coronari, hoc eſt, populo, *Ælian. lib. 6. Var. hiſt. cap. 6.* *Plin. lib. 21 c. 3.*

--pars auguris alba, *Valer. Flacc. lib 5. Argon.*
Fronde caput, vittiſq́; ligant; poſitumq́; pheretro
Congemuere.

Et ducibus quidem mortuis caput redimiebatur lauro. Ad quod exemplum Polynices coronatur apud Statium, *Stat. lib. 12. Thib.*

—hoſtiles ſuper ipſe & victor aceruos

Pacifera lauro crinem, vittaſq́ decorus.

Val. Max. lib. 5. de Annibale. *Accubat. Annibal M. Marcellum interemptum legitimo iure elatum, Punico quoque ſagulo, & corona donatum laurea rogo impoſuit.* Mortuis regibus corona imponebatur qualis illi faſtigio cõuenit. *Plutarch. Anton.* Cleopatra mortua, Charmion altera ex ancillis κατεκόσμει τὸ διάδημα περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς. adornauit inſigne regium circa caput eius. Ipſa Cleopatra iam captiua cùm ſepulchro Antonij adſtitiſſet, *Plutarch. Anton.* tales quoque inferias ei dedit, nempe quales ſummi faſtigij hominibus conueniunt. τοιαῦτα ὀλοφυραμένη, καὶ στέψασα, καὶ κατασπασαμένη τὴν σορὸν, ἐκέλευσεν αὐτῇ λουτρὸν γενέσθαι, Talia cùm eiulata eſſet, & cùm co- *Sueton. Auguſt.* ronaſſet, & fracta vrna, iuſſit ſibi lauacrum fieri. *Auguſtus*, relatu Suetonij, *conditorium & corpus Magni Alexandri cum prolatum è* *Q. Cur. lib. 10.* *penetrali ſubieciſſet oculis, corona aurea impoſita, ac floribus aſperſum veneratus eſt.* Huius ipſius Alexandri corpus Q. Curtius memorat *Plin. lib. 21. c. 3.* *purgatum repletumq́ odoribus fuiſſe. Aureum ſolium, & capiti adiecta fortunæ eius inſignia. Primus è Romanis mortuus coronatus perhibetur Scipio Africanus; cuius in bonis cum non eſſet funeris impenſa, aſſes populus contulit, ac funus elocauit; quaq́ praeferebatur flores è proſpectu omni ſparſit.*

CAPVT VI.

Vrna mortuorum coronata. Sepulchra coronata. Virorum fortium ſepulchra coronabantur apio. Sepulchra conſperſa hyacinthis, lilys, & ſertis. Rogus coronatus. Ritus coronandi ſepulchra erat anniuerſarius, Sepulchra conſperſa corollis. Proximus quiſque defuncto hoc officium coronandi ſepulchrum eius præſtabat. Quandoque hoc officium defunctis publicè præſtitum.

Plutarch. Marcello. NON ſolùm mortuus coronabatur, ſed & vrna in quam eius reliquiæ condebantur. Quo exemplo Plutarchus memorat Marcelli cadauer combuſtum fuiſſe conditum vrna argentea; cui *Plutarch. Demetr.* circumdata fuit aurea corona. Vrna aurea, in qua conditæ erant reliquiæ Demetrij, fuit circumdata coronis. Additque Plutarchus hæc verba, εἰς δὲ Κόρινθον τοῦ στόλου καταπλέοντος, ἥ τε κάλπις ἐκ πρύμνης ἐπιφανὴς ἑωρᾶτο, πορφύρᾳ βασιλικῇ καὶ διαδήματι κεκοσμημένη. At in Co- *Plutarch. π. Ισ. κ. Οσιρ.* rinthum claſſe nauigante, vrna è prora præfulgens conſpiciebatur purpura regia & diademate ornata. More priſco ſepulchra quoque coronabantur. Plutarchus Niſtitanem inſulam apud Ægyptum, quę omnibus inacceſſa, ac ne nauibus quidem fida eſt, ait quodam anni tempore, à ſacerdotibus adiri, qui ſacrificio ibi peracto, coronant monumentum Metidis planta vmbratum, quæ

ſupergreditur magnitudinem omnis oleæ. Ipſaque adeò proxima monumento loca, aut in quibus exequiæ funebres ducerentur, priſca ſuperſtitione coronabãtur. Tale eſt illud quod in honorem Achillis vſurpari ait Philoſtratus, *στεφανώσαντες δὲ τὴν κορυφὴν τοῦ κολωνοῦ, καὶ βόθρους ἐπ' αὐτῇ ὀρύξαντες, τὸν ταῦρον τὸν μέλανα ὡς τεθνεῶτι ἔσφαττον*. Coronato apice ſiue ſummitate iugi, & in eo effoſſa vua, nigrum taurum vt mortuo mactarunt. Sed & priſco Romano more ſepulchra coronis ſiue corollis fuiſſe conſperſa, diſcimus è Plutarcho in funere Numæ, vbi dicit, ſocios & amicos populos concurſu facto ad ſepulchrum eius illud publicis muneribus & coronis decoraſſe. Denique Græco more ſaxum quod ſepulchro imponitur, coronari, docet locus Luciani; Quid, inquit, prodeſt ſuper ſepulchro lapis coronatus? Item alter vbi loquitur de ſepulchris & conditorijs mortuorum, Quid igitur illi coronant lapides, & vngunt vnguento? Virorum fortium ſepulchra coronabantur apio; quomodo viuos victores apio coronari infra videbimus, & ſupra è Tertulliano dicebam apium fuiſſe inter coronamenta Herculis. Huius moris meminit author parœmiarum, qui citat Plutarchum authorem. Eſt autem locus Plutarchi in Timoleonte his verbis, *καὶ τοῖς στρατιώταις εἰσῆλθε πονηρὸν εἶναι τὸ σημεῖον, ὅτι τὰ μνήματα τῶν νεκρῶν εἰώθαμεν ἐπιεικῶς στεφανοῦν σελίνοις. καὶ παροιμία τις ἐκ τούτου γέγονεν, τὸν ἐπισφαλῶς νοσοῦντα, δεῖσθαι τοῦ σελίνου.* Et milites ſuſpicio inceſſit malum eſſe ſignum, quoniam monumenta mortuorum ſolemus piè coronare apio. Et prouerbium quoddam ex hoc factum eſt, perìculoſè ægrotantem opus habere apio. Quandoque ſepulchra conſpergebantur hyacinthis, vt apud Propertium,

Philoſtrat. in Heroic. — *Lucian. Char.* — *ἐν παροιμ.* — *Plutarch. Tim.*

> *Hoc etiam graue erat nulla mercede hyacinthos*
> *Inijcere, & fracto buſta piare cado.* — *Propert. lib. 4.*

Conſpergebãtur & lilijs, vt apud Virgilium ſepulchrum Marcelli,

> *Tu Marcellus eris; manibus date lilia plenis.* — *Virgil. lib. 6. Æneid.*
> *Purpureos ſpargam flores; animamq; nepotis*
> *His ſaltem accumulem donis, & fungar inani*
> *Munere.*

Tales corollæ ſiue coronæ dicebantur quoque ſerta. Pædo,

> *Semper ſerta tibi dabimus, tibi ſemper odores,* — *In epigr.*
> *Non vnquam ſitiens; florida ſemper eris.*

Et apud Ouidium,

> *Te tamen extincto feralia munera ſemper,* — *Ouid. lib. 3. de triſt.*
> *Deq; tuis lachrymis humida ſerta dato.*

Statius,

> *Illuſtremq; animam lethæis ſpargite ſertis.* — *Stat. li 5. Sylu.*

Supra monui, corona quæ necteretur è flore cui nomen pothos,

priſcos in ſepulchris vſos eſſe. Virgilius honore ſertorum afficit rogum.

Virgil. in epigr. *Quid cineri ingrato ſeruas bene olentia ſerta?*
Anne coronato vis lapide iſta tegi?

Et incertus de Seruila Irene,

Epigr. lib. 3. *Sit tibi terra leuis; cineres quoque flore tegantur.*

Propertius hos ſiue flores ſiue ſerta vocat corollas,

Propert. lib. 4. *Noſtraq́, quod Petale tulit ad monumenta corollas,*
Codicis immundi vincula ſentit anus.

Hæc ſiue pietatem, ſiue ſepulchrale officium fuiſſe anniuerſarium, diſcimus è Tibullo,

Tibull. lib. 2. *At bona, quæ nec auara fuit, centum licet annos*
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis ſenior veteres veneratus amores
Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.

Has quoque coronarias, florales, ſertatas inferias filij parentibus, & vt quiſque defuncto proximus eſſet, præſtabat: Talthybius alloquens Hecabam, eique permittens vt hunc ſupremum honorem habeat nepotulo, ait,

Euripid. Troad. actu 5. — σὰς δ' ἐς ὠλένας
δοῦναι, πέπλοισι ὡς περιστείλῃς νεκρὸν,
στεφάνοις θ' ὅση σοι δύναμις, ὡς ἔχει τὰ σά.

tuas vero in vlnas dare veſtibus vt circumdes mortuum, & coronis quanta tibi poteſtas; vt ſe habent tua. Et apud Sophoclem Chryſothemis ait,

Sophocl. Elect. ἐπεὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον,
ὁρῶ κολώνης ἐξ ἄκρας νεορρύτους
πηγὰς γάλακτος, καὶ περιστεφῆ κύκλῳ
πάντων ὅσ' ἔστιν, ἀνθέων θήκην πατρός.

Vt enim veni ad antiquum patris ſepulchrum, video è ſummo iugo recens fluentes fontes lactis, & vndique coronatum omnibus, quotquot ſunt, floribus monumentum patris. Quandoque hoc officium defunctis publicè fuit exhibitum, nempe illis, quorum magna extarent in Rempub. merita. Quo exemplo ſepulchrum Macariæ, quæ fuit Hercule prognata, quòd ſe voluntariæ morti pro vniuerſorum ſalute obtulerat, Athenienſes floribus & corollis conſperſerunt. Vnde natum prouerbium, βάλλ' εἰς Μακαρίαν, Iace in Macariam. (ἐν παροιμ.) Ipſa terra flores protuliſſe dicitur apud ſepulchrum eorum adoleſcentium quos Oenomaus interfecit. (Philoſtrat. in imag.) Enimuero ingentium nominum funera honeſtabantur ingenti numero coronarum, prout is qui fato functus erat, gratus acceptuſque vniuerſis eſſet. Appianus Alexandrinus memorat, in fu-

nete Syllæ plures quàm bis mille aureas coronas, dona ciuitatum, eorumque qui ſub ipſo militauerant, & amicorum ſpectatas fuiſſe. Quò maior, & atrocior eſt ſæuitia Creontis illius Thebani, qui apud Euripidem edicit, ne quis mortuum Polynicem vllo donet munere ſepulchri,

Euripid. Phœniſſ. actu 5.

> Ὃς ἂν νεκρὸν τόνδ' ἢ καταστέφων ἁλῷ,
> Ἢ γῇ καλύπτων, θάνατον ἀνταλλάξεται.

Quiſquis hoc cadauer aut coronans deprehendetur, aut terra operiens, morte multabitur. Cæterum hæc ſepulchralia munera florum, ſertorum, corollarum, coronarum, generali appellatione vocabant inferias, χοάς. Euripides,

Euripid. Oreſt. actu 4.

> ὦ παρθέν', ἥκεις τὸν Κλυταιμνήστρας τάφον
> στέψασα καὶ σπείσασα νερτέροις χοάς.

O virgo venis Clytemneſtræ ſepulchrum poſtquam coronaſti & libaſti inferis inferijs. Ea quoque vocabant στέφη. coronamenta, Æſchylus,

Æſchil. χοηφ.

> -ὡς νόμος βροτοῖς
> Ἔσθ' ἀντιδοῦναι τοῖσι πέμπουσιν τάδε στέφη·

vt lex mortalibus eſt retribuere ijs qui mittunt hęc coronamenta. Et apud Euripidem,

Euripid. Troad. actu 5.

> θάπτετε ἀθλίῳ τύμβον νεκρόν·
> ἔχει γὰρ οἷα δεῖ γε νερτέρων στέφη.

miſerum cadauer mandate humo. Habet enim quæ inferis debentur manibus.

CAPVT VII.

Vnguentis mortuos donabat antiquitas. Inferijs additum lac & vinum. πλόκαμοι inter inferias. Qui funus proſequebantur erant coronati. Præclariſſimæ inferiæ quæ. Sepulchrum florere dicitur. Arbores pro floribus additæ ſepulchris. Quicquid defuncto charum fuerat, coronabatur. Qui funus proſequebantur erant coronati.

INTER inferias erant vnguenta, quibus præter coronas mortuum munerabantur. Propertius,

Propert. lib. 3.

> *Quod ſi certa meos ſequerentur funera caſus,*
> *Talis mors pretio vel ſit emenda mihi.*
> *Afferet huc vnguenta mihi, ſertiſq́; ſepulchrum*
> *Ornabit cuſtos ad mea buſta ſedens.*

Idem alibi de rogo loquens,

Propert. lib. 4.

> *Cur nardo flamma non oluere meæ?*

Cæterùm vncturam vt nimiam, ſeruorum funeribus detractam fuiſſe, idque legibus eſſe ſancitum, tradit M. Tullius. *Hac præterea*, inquit, *ſunt in legibus de vnctura. Quæ ſeruilis vnctura tollitur, omniſq; circumpotatio. Quæ & rectè tolluntur, neque tollerentur niſi fuiſſent, ne ſumptuoſa aſperſione longa corona nec acerra prætereantur.* è quibus verbis colligimus funera fuiſſe aſperſa vnguentis, ab ijs omnibus qui funus proſequebantur, quique rogum circũſtabant. Hanc enim à M. Tullio puto dici longam coronam. Hiſce donis, ſiue inferijs addebatur lac, vt Sophocles ait, πηγαὶ γάλακτος, fontes lactis & vinum. Silius Italicus,

Cic. li. 2. de leg.

Sil. Ital. lib. 16.

Ipſe tenens nunc lacte ſacro, nunc plena Lyæo
Pocula, odoriferis aſpergit floribus aras.
Tum manes vocat excitos, laudeſq; virorum
Cum fletu cantat; veneratur facta iacentum.

Inter haſce inferias collocabant τοὺς πλοκάμους cæſariem, ſeu cincinnos, quæ Sophocli ſunt καράτομοι χλιδαὶ detractæ capiti deliciæ; quibus etiam ſepulchra coronari, mos erat.

Sophocl. Electr.

ἡμεῖς δὲ πατρὸς τύμβον, ὡς ἐφίετο,
λοιβαῖσι πρῶτον καὶ καρατόμοις χλιδαῖς
στέψαντες, εἶτ' ἄψορρον ἥξομεν πάλιν
τύπωμα χαλκόπλευρον ἠρμένοι χεροῖν.

Nos autem patris monumentum, vt deſiderauit, libaminibus primùm & detractis capiti capillis vbi coronauerimus, deinde retrogradi veniemus iterum ahenum auferentes manibus. Ibi certè Scholiaſtes λοιβαῖσι καὶ καρατόμοις interpretatur, ἀπὸ κρατὸς τετμημένοις βοστρύχοις, à capite deciſis cincinnis, & χλιδὰς, ἤτοι καθόλου τοὺς πλοκάμους, οἵ εἰσι τρυφὴ τῆς κεφαλῆς, videlicet in vniuerſum capillos, quæ ſunt deliciæ capitis, ἢ παρ' ὅσον τρυφὴ καὶ κόσμος ἀπετίθεντο τοῖς νεκροῖς οἱ πλόκαμοι, ſiue quatenus deliciæ & ornatus deponebantur mortuis capilli in ſepulchro. Sed inter coronas funebres, & inferias illæ potiſſimum eminent, quas Æſchylus ait conſiſtere in celebrandis laudibus hominum præclariſſimorum.

Æſchil. χοηφ. & ibi Scholiaſt.

τοιαῖς δ' ἐπ' εὐχαῖς τάσδ' ἐπισπένδω χοάς·
ὑμᾶς δὲ κωκυτοῖς ἐπανθίζειν νόμος,
παιᾶνα τοῦ θανόντος ἐξαυδωμένας.

Talibus ſuper votis has ſpondeo inferias. Vos autem fletibus coronare, fas eſt laudes defuncti celebrantes. Vbi ἐπανθίζειν interpretor coronare, ſequutus authoritatem Scholiaſtis, qui ait ἐπανθίζειν εἶναι στέφειν ὡς ἄνθεσι. Sic apud Sophoclem ſepulchrum florere dicitur, hoc eſt, abundare floribus, ſertis, corollis, fortè & laudibus,

Sophocl. Electr.

— εἰ μὴ τλημονεστάτη γυνὴ
μοῦν ἔβλαστε, τάσδε δυσμενεῖς χοὰς·

ὡς αὖ ποθ' ὄν γ' ἔκτεινε, τῷ δ' ἐπίστεφε.

Et niſi omnino ipſa profligatiſſima mulier omnium eſſet, has inimicas libationes nunquam illi, quem interfecit, adotnaſſet. Hoc ergo dicit ille apud Æſchylum, Æquum eſſe, tumulos & ſepulchra illorum quorum exſtant ingentia in Rempub. merita, & ibi quidem Agamemnonis, laudibus florere. Hinc certè fluxit mos cantibus celebrandi magnas defunctorum virtutes apud eum locum vbi cuiuſque reliquiæ conditæ eſſent. Quem morem expreſſit Silius Italicus in his verſibus,

Tum manes vocat excitos, laudeſq; virorum Sil. Ital. lib. 16.
Cum fletu cantat; veneratur facta iacentum.

Nempe, hæc eſt potiſſima pars amicitiæ, tueri famam & virtutem ablatam è conſpectu. In hunc ferme ſenſum Germanicus apud Tacitum in illis ſuis ſupremis apud amicos verbis; *Non hoc*, inquit, *præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignauo queſtu, ſed quæ voluerit, meminiſſe, quæ mandauerit, exſequi.* Tacit. lib. 3. Annal. Ergò veræ corollæ, veræque inferiæ quæ mortuis debentur, non tam ſunt illi flores quos terra gignit, aut ex illis floribus plexæ corollæ, quàm luctus index mœroris, & laudes teſtes amoris. Et hæ quidem laudationes plerunque fiebant apud epulas illas nouendiales. De quo more M. Tullius, *Sequebantur*, inquit, *epulæ quas inibant parentes coronati; apud quas de mortui laude, cùm ni quid veri erat* [p. nihil niſi quod verum erat] *prædicatum. Nam mentiri, nefas habebatur.* Cic. lib. 2. de leg. Quandoque pro floribus apud ſepulchra conijciebantur arbores, vt apud Virgilium in funere Miſeni,

— aramq; ſepulchri Virgil. 6. Æneid.
Congerere arboribus, cœloq; educere certant.

nempe ad ſtruendam pyram, quam paulò poſt deſcribit. Superioribus coronamentis accedebat & aliud. Nam quicquid defuncto charum fuerat, à propinquis coronabatur, vt apud Euripidem ſcutum Hectoris,

Μῆτερ τροπαίων Ἕκτορος φίλον σάκος Euripid. Troad. actu 5.
Στεφάνου.

Mater trophæorum Hectoris charum ſcutum corona. Lapis ille Lucian. Demo. ſuper quo, ſi quando feſſus eſſet, Demonax ſedere ſolitus fuit, ab Athenienſibus coronabatur in honorem eius; qui ita putabant, eum lapidem ſuper quo is ſederat, eſſe ſacrum. Apud Longum Chloë ruſtica & virginali ſuperſtitione coronat locum vbi condita Long. lib. 4. fuit ouis nutrix ſua. ἐστεφάνωσε καὶ τὸν τάφον τῆς οἰός. Non omitto, eos qui funus præclariſſimorum hominum proſequebantur, fuiſſe Plutarch. Tim. coronatos, vt apud Plutarchum in funere Timoleontis, & Philo- Plutarch. Philopœm. pœmenis, & apud Halicarnaſſæum Bruti. Hoc exemplo Sicyonij Halicarna. li. 5.

cùm Arati reliquias conderent, conſpecti ſunt coronati λευχειμονοῦντες cum albis veſtibus, τοῦτ' ἔστι καθαρὰς ἐσθῆτας φοροῦντες, hòc eſt puras veſtes ferentes, vt de ijs qui Timoleontis funus proſequebantur, loquitur Plutarchus, Huius moris meminit Ariſtophanes in hoc loco,

Ariſtoph. ἐκκλησ.

> Ἀλλ' ἐμ' ἀποδύσασ' ἐπιβαλοῦσα τοὐγκύκλον·
> Ὤχου καταλιποῦσ' ὥσπερεὶ προκείμενον,
> Μόνον οὐ στεφανώσασ' οὐδ' ἐπιθεῖσα λήκυθον.

Sed me ſpoliata & capta mea veſte abiiſti [me] relicta quaſi mortua. Tantum non me coronata, neque impoſito lecytho. Meminit & Cicero in loco quem proximè citaui.

CAPVT VIII.

Tænia quid. Plures ſignificatus huius dictionis. Tænia plerunque eſt alba. Coronæ adhæret. Tænia eſt nigra. στέφναι *in quodam loco Oppiani quid. Tæniæ adhibitæ coronis feralibus & ſacerdotalibus. Tænia, inſignia ſacerdotalia & Pontificalia. Tænia, id eſt corona. Tænia priuatim data.* ταινίδιον. χράσπεδα στεμμάτων.

HASCE funebres coronas quandoque generali appellatione video vocari tænias. Qua de re Feſtus citat locum Cæcilij in Androgyno his verbis, *Sepulchrum plenum tæniarum ita vt ſolet.* Sed & ibidem Feſtus adducit locum Ennij in Alexandro, *Volans de cœlo cum corona & tænijs*, cum quibus, ſcilicet, ſepultus fuerat. Sed ne quid erroris hîc inſeratur, tæniam dico fuiſſe faſciam ſeu vinculum, vt liquet ex hoc Cæcilij verſu quem Feſtus citat, Dum tæniam qui vulnus vinciret, petit. Id quod conuenit cum eo quod Pollux ait, tæniam eſſe τὸ τῶν μαστῶν γυναικείων ζῶσμα, vberum muliebrium cinctum, & alibi τὸ ἐνδοδέσμιον, ὃν οἱ πολλοὶ ἀδοκίμως φασκίαν λέγουσι. Cui aſſentitur author Etymologici vbi ait tæniam eſſe πεζίδιον γυναικὸς, vinculum, ſeu faſciam muliebrem, ſcilicet, non ſolùm obligando pectori, ſed & diffluenti comæ colligendæ. Eſt ergo, vt ait Lucianus, ταινία τὸ ἄφετον τῆς κόμης συνδέουσα, vitta qua crines ligabantur, vt loquitur Hieronymus, ſiue faſcia quæ dependet è vitta, vt apud Virgilium, de crine Alecto,

Pollux lib. 7. cap. 13.
Pollux lib. 1. cap. 9.
Etymo. ταινίας.
Lucian. de domo.
Hieron. in cap. 4. Eſa.
Virgil 7. Ænei.

> *-fit longæ tænia vittæ.*

Hinc factum eſt, vt Pollux è Sophocle adnotarit tænias eſſe, nempe metaphoricè, ὁλοσημόνας τολύπας, glomos lanæ, qui eunt, ſiue currunt per totum ſtamen; & verò tænias eſſe laneas colligimus ex hoc loco Apuleij, *Arrepto denique flagro quod ſemiuiris illis proprium geſtamen eſt, contortis tænijs lanoſi velleris prolixè fimbria-*

Apul. Metam. lib. 8.

tum, &c. Fuerunt & ſparteæ, vt in alio Apuleij loco, *tæniæ ſparteæ totus innixus*. Huic ſignificatui proximus ille eſt in quo ſumitur apud Lucianum, in his verbis, χρυσαῖς δὲ ταινίαις τὴν ἐσθῆτα πεποικιλμένου, id eſt, vt ego interpretor, aureis ſegmentis veſtes habentes diſtinctas & variegatas. Quanquam tænia plerunque eſt alba. Cui rei euidens argumentum eſt locus Plinij, vbi is arenam in vadis eminentiorem elegantiſſimè tęnias vocat. *Frequentes quippe tæniæ*, inquit, *candicantis vadi carinas territant*, fortaſſe imitatus Philonem cui ἄμμος arena eſt ὑποταίνιος. Alibi quoque hunc ipſum colorem effigiat his verbis, *Deprehenditur & lentigo oculis; ſed incerta medijs glutinamentis tænia*. In hoc ipſo ſignificatu apud Plutarchum, ταινία eſt Pharus Ægyptia, olim inſula, poſtea in formam tæniæ addita continenti. ἐκ τοῦ στηθοδέσμου è faſcia quæ obligabat pectus facta eſt περιτραχήλιος κόσμος ornatus, ſiue torques qui dependet è ceruice. A' ceruice tranſijt quoque ad ornandum caput, vt apud Achillem Tatium ταινία περὶ τὴν κεφαλὴν φοινικοβαφής. tęnia circa caput purpura tincta. In hoc ipſo ſignificatu ſumitur apud Platonem in verbis Alcibiadis ebrij. νῦν δὲ ἥκω ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἔχων τὰς ταινίας, ἵνα ἀπὸ τῆς ἐμῆς κεφαλῆς τὴν τοῦ σοφωτάτου καὶ καλλίστου κεφαλὴν ἀναδήσω. Nunc autem venio in capite habens tænias, vt à meo capite ſapientiſſimi & præſtantiſſimi caput redimiam. Nempe coronam hederaceam, quæ ſit interſtincta violis, ita facit coronamentum ebrij, vt eam nihilominus dignam exiſtimet quæ euinciat caput eius qui ſit ſapientiſſimus; & pulcherrimus. Qua, cùm Socratem non videret, Agathonem coronauit. Sed Socrate viſo, eaſdem tænias illi impoſuit. Quo ex loco palam eſt, tæniam coronæ adhæſiſſe, id eſt, non fuiſſe ſimpliciter coronam, vt ait Scholiaſtes Ariſtophanis, ſed ex tænia factam fuiſſe περιείλησιν ἐν τῇ κεφαλῇ, circumuolutionem in capite. Eſt enim tænia στενόν τι, καὶ ἐπίμηκες ὕφασμα, anguſtus & oblongus pannus, ſiue, vt aiunt, faſcia, qualis eſt apud Oppianum oblonga illa, quam is dicit eſſe terriculamentum ferarum,

Apul. Metam lib. 9.
Pollux lib. 7. cap. 10.
Lucian. de gymnaſ.
Plin. lib. 13. in proœm.
Philo π. ὀνειρ.
Plin. li. 13. c. 12.
Plutarch. Alex. Mag.
Achill. Tat. lib. 8.
Plato in ſympo.

Τῆς ἀπὸ μὲν χρίματα περιδαίδαλα παμφανόωντα
Ἄνθεα ταινιῶν, πολύχροα δείματα θηρῶν.

Oppian. κυνηγ. lib. 4.

A' quo [flore] dependeant varij & pellucidi flores faſcijs, verſicoloria terriculamenta ferarum. Eſt & apud eundem poëtam nigra illa metaphorica, qua is donat dorſum onagri in his verſibus,

Ταινίη δὲ μέλαινα μέσην ῥάχιν ἀμφιβέβηκε,
Χιονέης ἑκάτερθε περιγραμμένη στεφάνησι.

Oppian. κυνηγ. lib. 3.

Tænia autem nigra mediam ſpinam dorſi cingit niueis vtrimque ſecus diſtincta coronis. Certè hoc loco tænia etſi propriè non eſt neque faſcia neque vinculum, tamen ad ſimilitudinem faſciæ ab Oppiano ſumitur in eo, qui denique percrebuit & inualuit,

ſignificatu; & eſt ipſa circumuolutio & amplexus eius rei quam tænia circumdat; & hîc quidem στεφάνη. Hæ hoc loco ſunt notæ ſiue maculæ orbiculares, quibus onagrum natura donauit. Iſtis ſi-
Plutarch. Mario. miles fuerunt illæ, quas lanceæ circumuolutas vnà cum coronamentis ſaga Marij ferre ſolita erat. Nam tænijs vt dixi, ſæpe adhærebant coronæ, vt in loco Plutarchi, ἐκ γὰρ τῶν κρεμαμένων ἀναθημάτων
Plutarch. Timol. ταινία τις ἀποῤῥυεῖσα καὶ φερομένη, στεφάνους ἔχουσα καὶ νίκας ἐμπεποικιλμένας, ἀνέπεσε τῇ κεφαλῇ τοῦ Τιμολέοντος· ὡς δοκεῖν αὐτὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ στεφανούμενον ἐπὶ τὰς πράξεις προπέμπεσθαι. Nam è ſuſpenſis donarijs tænia quædam defluens ac delata coronas habens & victorias diuerſorum generum, incidit in caput Timoleontis, adeò vt videretur ipſum à Deo coronatum ad res [gerendas] præmitti. Videnturque hæ cum tænijs coniunctæ coronæ fuiſſe illa præclara munera, quibus donabantur victores illi maximorum bellorum. atque adeò in ipſis tænijs videntur fuiſſe notæ quibus diſertim deſignabantur illæ tantæ victoriæ. Id quod non ſolùm ex hoc loco conijci poteſt; ſed
Appian. παρεμβ. πε. πρεσβ. & ex illo Appiani quem alibi cito, στεφάνους τε καὶ ταινίας ἐπέβαλον τῷ στρατηγῷ, coronas & tænias, i. coronas cum tænijs, aut quibus hærerent tæniæ, coniecerunt in ducem. Ergo præter coronas multis rebus adhibebantur tæniæ, ſed ſanè vt plurimùm coronis; nec omnis generis coronis, ſed perſæpe feralibus, id eſt, ijs quæ mortuis imponebantur, aut etiam ſacerdotalibus ſiue ſacrificalibus, vt mox dicam. Et verò tales coronas à ſuis tænijs diſertim diſtingui video, vt in hoc loco Plutarchi, vbi vrnam Philopœmenis mortui tænijs & coronis circumdatam facit. αὐτὴν δὲ τὴν ὑδρίαν ὑπὸ πλήθους
Plutarch. Phil. ταινιῶν τε καὶ στεφάνων μόλις ὁρωμένην. ipſam verò hydriam præ multi-
Plutarch. Phoc. tudine tæniarum & coronarum vix viſam. Talibus tænijs Plutarchus ſacros lectos circumuolutos facit. τότε δὲ περὶ τὰς ἡμέρας ἐκείνας αἱ ταινίαι μὲν, αἷς περιελίττουσι τὰς μυστικὰς κοίτας, βαπτόμεναι, θάψινον ἀντὶ φοινικοῦ χρῶμα καὶ νεκρῶδες ἀνήνεγκαν. Tunc verò circa illos dies tæniæ quibus circumuoluunt ſacros lectos tinctæ ſepulchralem pro puniceo colorem, & feralem retulerunt. Sunt ergo tæniæ vſque eò adhærentes coronis feralibus, vt denique pro talibus coronis ſumi cœperint, vt videre eſt in verbis Diogenis apud Lucianum, qui Alexandrum apud inferos facit διαδεδεμένον
Lucian. in Dial. mort. ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλὴν, euinctum caput alba tænia, nempe vt regem mortuum decuit. Et ideo Demetrius, vt ſupra dixi, cùm conuiuis dediſſet coronas, ijs addidit monilia, quæ fuerunt loco lemniſcorum ac tæniarum. ne ſcilicet, ſi tænias coronis addidiſſet, munus ferale eis dare videretur. Tæniæ quoque, vt cœpi
Heſych. ταινία. dicere, authore Heſychio, ſignant σέμματα τῶν ἱερέων, διαδήματα ἀρχιερατικὰ, δεσμοὺς ἱερούς, inſignia ſacerdotum, diademata Pontifica-

lia, vincula ſacra, vt ſuis locis fuſiùs dico. Denique tanta eſt coronæ ac tæniæ vicinia, vt tandem tænia ſumpta ſit pro ipſa corona, & τὸ ταινιῶσαι ſit ἀναδῆσαι. Etſi hæc ſignificatio nihil quicquam detrahit priori, quæ cuiuſque verbi vſque eò propria eſt, vt verè quoque dici poſſit, aliud eſſe ταινιῶσαι, aliud ἀναδῆσαι, vt in hoc loco Ariſtidis, ὡς αὐτὸν ἑκάστου καλοῦντος, καὶ μετ' αὐτοῦ σκηνοῦν κελευόντος ταινιούντων, ἀναδούντων. tanquam ſingulis eum [Alexandrum] vocantibus & vt ſub ſuo tabernaculo habitet, iubentibus, qui ipſum tænia religant, qui ipſum redimiunt. Itaque authore Etymologico, ταινίας vocant in hominibus πιζεῖα, vbi credo legendum πιζίδια. Et verò in lexico Græco-Latino vetuſto legimus πιζίδιον βασιλικὸν, quod ibi Latinè redditur diadema. Id quod confirmatur teſtimonio Luciani, qui deſcribens regem, ait tæniam albam circumplecti frontem eius. ἀπόλαυσις μέν γε οὐδὲ ὄναρ τῶν ἡδέων, ἀλλὰ δόξα μόνον, καὶ πορφυρὶς χρυσῷ ποικίλη, καὶ ταινία λευκὴ περὶ τῷ μετώπῳ, καὶ δορυφόροι προϊόντες. Fruitio certè voluptatum ne per ſomnium quidem, ſed gloria ſolùm, & purpura auro variegata & faſcia candida circa frontem, & ſatellites præeuntes. Sic ergo ſtatuendum, tænias quoque ſumptas fuiſſe pro coronis, potiſſimùm quoties caput euinciebant, caput, inquam, aut mortui, aut ſacerdotis, aut regis, aut aurigæ, aut etiam alicuius præclariſſimi athletæ. Quippe victoribus etiam dabantur tæniæ, quibus redimiebantur. Vt apud Xenophontem, καὶ τῷ νικήσαντι μὴ ταινίας, ἀλλὰ φιλήματα ἀναδήματα παρὰ τῶν κριτῶν γίνεσθαι, & vt victori non faſciæ, ſed oſcula corollarum loco à iudicibus decernerentur. Et hoc, videlicet, eſt illud genus coronarum quo donati ſunt claſſici illi victores ab Ænea.

Etymol. ἀναδήματα. — *Ariſtid. Alex. epitaph.* — *Etymol. ταινίας.* — *Lucian. naufrag. ſeu vota.* — *Xenoph. in conv.*

Iamq́; adeò donati omnes; opibuſq́; ſuperbi
Puniceis ibant euincti tempora tænijs.

Virgil. 5. Æneid.

Quòd autem tæniæ diſtinguerentur à coronis Olympicis, alijſque quæ erant præmia victorum, ex eo manifeſtum eſt, quod ſæpe vtramque victor adipiſcebatur & coronam & tæniam. Et hoc, ſcilicet, fuit ſpectatiſſimum genus coronamenti, vt ex hoc loco Philonis apertè colligi poteſt, αὐτὸς παρελθὼν τὰ βραβεῖα καὶ τὸν φοίνικα ἀνάδος καὶ στεφάνωσον, εἰ θέλεις, καὶ ταῖς ταινίαις ἀνάδησον, &c. ipſe progrediens præmia & palmam redde, &, ſi vult, tænijs corona. Vtranque obtinuit Polycles is, cui cognomen Polychalco. Is enim cùm de quadrigis coronam accepiſſet, tæniam dextera tenuit. Vtraque etiam Pericli decreta, ταινίαις καὶ στεφάνοις ἀνέδουν αὐτὸν, tænijs & coronis redimierunt eum, inquit Plutarchus. Hac eâdem ſpecie fuit ſtatua Pelichi ducis Corinthij. Habuit enim tænias & coronas aridas, præter folia quædam in pectore inaurata. Ergo tænia data quoque eſt loco præmij; ſed quod vtique fuit infra dignita-

Philo π. γεωρ. — *Pauſan. lib. 6.* — *Plutarch. in Pericl.* — *Lucian. Philopſeud.*

tem coronæ. Sæpe enim corona publicè dabatur, cùm tænia priuatim. Id quod accidiſſe Braſidæ Lacedæmonio duci Thucydides memorat. Pauſanias quoque tradit, cùm Lacedæmonijs ludorum aditu eſſet interdictum, Lichen populi Thebani nomine currum introduxiſſe, victoremque aurigam ſua manu tænia redimijſſe. Eodem Pauſania authore Pātarces ſibi tęnia caput præcinxit. A tænia fit ταινίδιον, faſciola, tæniola, τὰς τρίχας, inquit Pollux, περιλαμβάνον, capillos circūplectens, nēpe quæ fuit pars ſupellectilis hiſtrionicæ. Quod autem vtraque eſſet corona minor, hoc eſt, infra dignitatem coronæ, palam eſt è loco Tertulliani, vbi agit de Pādora. *Dat*, inquit, *Priapo & tenias idem* [Diodorus] *& Ariadne ſertum ex auro & Indicis gemmis.* Priapum, videlicet, vt minus numen, iubet eſſe contentum tænijs. At Ariadnen, quæ cœlo recepta ſit, donat corona aurea & gemmata. Sed adeſt integer locus Thucydidis, is quem paulò ante cœpi memorare, ex quo perſpicuè palam eſt, eum qui publicè coronam accepiſſet, priuatim donatum eſſe tænia. Loquitur de illo ipſo, quem dixi, Braſida Lacedæmonio. Braſidam, inquit, cætera præclarè exceperunt. Et publicè quidem aurea corona coronarunt, vt liberatorem Græciæ; priuatim verò tænijs redimierunt, & proſequebantur ſicut athletam. Extat quoque locus apud Ariſtophanem, vbi Chorus oſtendens Bdelycleonem eſſe infenſum libertati, & agere tyrannum, ait illum conuerſari cum Braſida, & geſtare κράσπεδα στεμμάτων ſicuti inſignia tyranni, Ibi Scholiaſtes ait, ἐκ στεμμάτων ἀντὶ τοῦ ἐξ ἐρίου ex lana, id eſt, laneas tænias. Vt ſint planè ſimiles illis, quas Braſidę datas eſſe Thucydides author eſt. Caue ergo κράσπεδα hoc loco accipias in proprio ſignificatu, τὰ ἐν τῷ ἄκρῳ τοῦ ἱματίου κεκλωσμένα ῥάμματα, καὶ τὸ ἄκρον αὐτοῦ, ſeu veſtis τελευταίας ὄχθας, ſegmenta, & limbum, ſiue inſtitam, ſed κράσπεδα interpretare è loco Thucydidis, tænias, additamenta coronæ aureæ & gemmatæ.

Thucyd. lib. 4. *Pauſan. lib. 6.* *Pauſan lib. 5.* *Pollux lib. 4. cap. 19.* *Tertull. de cor. mil.* *Thucyd. lib. 4.* *Ariſtoph.* σφῆκ. *Heſych.* κράσπεδα.

CAPVT IX.

Corona apud priſcos Dijs tantùm dicata. Et in coronis conſtitit non minima pars cultus diuini. Corona gratiarum actionis. Sacra corona Dijs dicata, & inſcripta, & inter ἀναθήματα.

HVc vſque de ijs coronis egi quas quiſque priuatim adhibebat ad præſtandum eum cultum, cuius ſe Deo debitorem exiſtimabat. Nunc illas memorabo, quæ geſtabantur in publicis ritibus, ſacrorumque ſolennijs. Vt hoc agam, ſciendum eſt, quaſdam coronas publico decreto Dijs fuiſſe dicatas, teſtandæ, videlicet, aut oſtentandę pietati, atquę adeò cumulādo cultui diuino; ſæpe etiam celebrandæ inſigni alicui gratiarum actioni, quam publicè, ob rem bene geſtam, Dijs haberi æquum cenſebant. *Antiquitus quidem*, inquit Plinius, *nulla corona niſi Deo dabatur. Ob id Homerus cœlo tantùm eas & prælio vniuerſo tribuit. Viritim verò ne in certaminibus quidem vlli.* Quibus è verbis diſcimus, tanti eſſe coronam, vt primùm vni Deo dicata fuerit ac ſepoſita; mortalium nemini, niſi vniuerſis. Id quod cùm inſequentia ſecula probè intelligerent, exiſtimarunt pietatis partem cōſpectiſſimam fore, ſi & coronas numinibus dicarent, eaſque eorum ſtatuis imponerent. Huius rei teſtis eſt M. Tullius vbi Attico ſcribens ait, *Quod me de Bacchi, de ſtatuarum coronis certiorem feciſti, valde gratum. Nec quicquam poſthac non modò tantum, ſed ne tantulum quidem prætericris.* His M. Tullij verbis illud affine eſt quod Artemidorus ait, στεφανοῦν θεοὺς ἄνθεσι καὶ κλάδοις τοῖς προσήκουσι καὶ νενομισμένοις ὁσίοις εἶναι ἀγαθὸν πᾶσι, οὐκ ἄνευ μέν τοι φροντίδων ἀποβησόμενον. δούλῳ δὲ παραινεῖ τὸ τοιοῦτον, πείθεσθαι τῷ δεσπότῃ, καὶ τὰ ἐκείνῳ κεχαρισμένα ποιεῖν. Coronare Deos floribus & ijs ramis qui cuique conueniunt, iiſque recepto more ſacris, omnibus eſt fauſtum; non tamen citra curas euenturum. Seruum autem hortatur tale quidpiam vt obediat hero, & vt quæ illi grata ſunt, faciat. Ac ſi dicat, quomodo coronę in ſomnis viſę Deo gratę ſunt, ita ſeruus hoc viſu admonetur, vt eam operam domino pręſtet quę omnium ei maximè adlubeſcit. Illud numen quod in quodam epigrammate Empedocles inducit, gaudet & gloriatur ſe coronis coli; & hoc, videlicet, cultu exorari vt hominibus proſit; his quidem lucrum vt ſuppetat; alijs vt futura ſciant; quibuſdam ſpeciatim vt pręnoſcant euentum morbi.

Plin. li. 16. cap. 4.

Cic. ad Attic. lib. 15. ep. 12.

Artemidor. lib. 2. cap. 34.

Anthol. lib. 1.

--ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς,
Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικε,
Ταινίαις τε περίστεπτος, στέφεσίν τε θαλείοις.
Τοῖσιν ἅμ' εὖ τ' ἂν ἵκωμαι ἐς ἄστεα τηλεθόωντα,
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ σεβίζομαι. οἱ δ' ἅμ' ἕπονται
Μυρίοι, ἐξερέοντες ὅπῃ πρὸς κέρδος ἀταρπὸς.
Οἱ μὲν μαντοσυνέων κεχρημένοι, οἱ δέ τι νούσων
Παντοίων ἐπύθοντο κλύειν εὐήκεα βάξιν.

Ego verò vobis Deus immortalis, non amplius mortalis conuerſor cum omnibus honoratus, vt par eſt, & tænijs redimitus ſertiſq; feſtiuis; cum quibus ſimulatque venio ad vrbem florentem, à viris & feminis color. Hi verò ſequuntur innumeri indagantes quà ad lucrum ſemita. Alij quidem varibus vtentes, Alij verò aliquid morborum omnigenum interrogarunt audire bene acutum nomen. Et verò inter illas preces quæ Deo offeruntur, inter incenſa & ſuffitiones, oblationes victimarum, decimas, taliaque connumerantur (*Pollux lib. 1. c. 1.*) στεφανοῦν, ἀναστέφειν, στεφανώματα προσφέρειν, μυῤῥίνην στεφανωτρίδα ἀνεῖσθαι, Cæterùm coronis quę Deo dicabantur, ſacris nomen erat. *Sacras coronas*, inquit Suetonius de Nerone loquens (*Sueton. Ner. cap. 25.*), *in cubiculis circum lectos poſuit*; id eſt, donaria templorum aurea ſiue argentea, in his coronas Dijs dicatas templis detractas lectis ſuis circumpoſuit; eoque facto cultum diuinum ad ſuam perſonam tranſtulit. De hoc genere fuerunt illæ, quas in templo Iouis olympij dedicatas donum eiuſdem Neronis Pauſanias memorat (*Pauſan. lib. 5.*). Nempe coronam illic non quidem ſicuti athleta meruerat, ſed vt ſi meritus eſſet, nihilominus adeptus erat. Ob cuius rei celebritatem quatuor coronas Olympio Ioui dedicarat. Harum quæ tertio loco erat, oleaſtri, quarta quercus frondem imitabatur. Vbi aduertendum, Neronem dedicaſſe oleaſtrum κότινον ſicuti victorem Olympiorum; & quercum ſicuti præcipuum cultorem Iouis Opt. Max. cuius numine res Romana potiſſimùm nitebatur. Itaque hæ coronæ ab ijs dedicabantur, quorum res domi peregréue bene expedita erat, tum ab horum ſocijs. Et hæ quidem meritò dici poſſunt coronæ ſolennis gratiarum actionis, luculentiſſima argumenta animi grati. Alcibiades apud Platonem (*Plato in Alci. 2.*), poſtquam Socrati coronam obtulit, ait ſe Dijs & coronas, & omnia quæcunque dari ſolent, dedicaturum, ſi viderit illum diem, quo illa fiant quæ à Socrate dicta ſunt. Talis eſt illa, qua apud Sophoclem Aiax profitetur ſe coronaturum Mineruam propter proſperam venationem. Porrò hoc genus coronarum quod in gratiarum actionibus offerri aio, non ad Deos tantùm, ſed & ad homines priſco

more

more deferebatur. Hinc illæ Byzantiorum coronæ Athenienſi- *Demoſth. de*
bus datæ ob præclara populi Athenienſis in Byzantios merita. *cor.*
Hinc quoque Cherſoneſitarum decretum quo coronant ſenatum
& populum Athenienſem aurea corona ſexaginta talentorum.
Hoc exemplo Samij, ob placatum ſuæ Reipub. ab Æſopo Crœ- *In vita Æſopi.*
ſum, Æſopo ad ipſos redeunti, veluti ſalutari cuidam numini co-
ronas attulerunt, & ipſius gratia ſaltationes inſtituerunt. Huius
quoque generis illæ ſunt, quibus Polycrite præſtantiſſima femina *Plutarch. γυν. ἀρ.*
ab ſuis ciuibus excepta & culta eſt. His annumerari poteſt illa, qua
ſupra dixi, terram in qua theſaurus repertus eſſet, coronatam fuiſ-
ſe. Talis quoque illa, qua terram agricola coronabat, quia terræ *In fab. Æſ.*
commendatum aurum effoderat. Cui addo illam, qua Alexander *Plutarch. Pelo.*
quidam ſæuiſſimus tyrannus coronauit lanceam illam, qua Poly-
phronem auunculum interfecerat. De hoc genere coronarũ, qui-
bus ſignificabatur animus gratus potiſſimùm erga Deos ſic loqui-
tur Lactantius, *Poſtquam metus*, inquit, *deſæuijt, & pericula receſſe-* *Lactant. de fal.*
runt, tum verò alacres ad Deorum templa concurrunt, his libant, his *relig. lib. 2.*
ſacrificant, hos coronant. Et Tertulliani de hiſce Deorum coronis
hæc ſunt verba, *Quo ſatis inſtruamur, quàm alienum iudicare de-* *Tertull. de cor.*
beamus coronati capitis inſtitutionem ab eis prolatam, & in eorum de- *mil.*
inceps honorem diſpenſatam quos ſæculum Deos credidit. Non omit-
to iſtis coronis, quòd eſſent inter ἀναθήματα, additas fuiſſe inſcri-
ptiones, vt cuius donum eſſet, ſciretur. Huiuſmodi illa fuit quam *Plutarch. T.*
T. Flaminius auream dicauit Apollini cum his verſibus, *Flam.*

Τόνδέ τοι ἀμβροσίοισιν ἐπὶ πλοκάμοισιν ἔθηκε,
Κεῖσθ' Λατοΐδα χρυσοφαῆ στέφανον.

Hanc verò immortali ſuper capillamento poſuit Latoidem auro
ſplendentem coronam. Potiſſimùm ſuperatis hoſtibus, & Repub.
bene geſta hæ coronæ Dijs appendebantur in editiſſimis ædium
ſacrarum locis, vt Macrobius ait, *ornamenta*; vt Iuuenalis, *gaudia* *Macrob. lib 3.*
templi, cuiuſmodi præter coronas erant clypei, pilæ, phialæ, po- *Sat. cap. 11.* *Iuuena. Sat. 12.*
cula. Sed inter hæc omnia eminebant coronæ, ſicuti teſtes victo- *Pollux lib. 1.*
riæ & felicitatis; cuiuſmodi fuit illa aurea, *quam Mamercus Æmi-* *cap. 1.*
lius Dictator, victis Hethruſcis, libra pondo ex publica pecunia populi *Liu. lib. 4.*
iuſſu, in Capitolio Ioui donum poſuit. Ipſa quoque templa in quibus
hæ coronæ appendebantur, ipſaque materia è qua conficiebãtur,
ipſam rerum ac temporum felicitatem oſtendebant. *Coronas*, in- *Plin li. 12 c. 19.*
quit Plinius, *ex cinnamo, interraſili auro incluſas primus omnium in*
templis Capitolij atque Pacis dicauit Imperator Veſpaſianus Augu-
ſtus. Ipſi quoque qui vniuerſorum nomine Dijs gratias agebant,
coronati aſpiciebantur, vt de Æmilio Paulo memoriæ proditum.
Hic enim cùm Perſes viſus eſt infeliciſſimus, tunc præcipuè

coronatus rem diuinam fecit. Quandoque tales coronæ dicabantur in templis poſtquam fuerant acceptæ, ſicuti dona gratulantium ijs qui multa felicitate fruuntur. Huius generis fuit illa, *Zonar. in Mauricio.* quam Sophia Imperatrix, & Conſtantina Auguſta miſerunt Mauricio Imperatori, onuſtam pluribus lapillis, & vnionibus pretioſiſſimis. Hac enim corona cùm is redimitus ad eccleſiam perrexiſſet, ibidem eam conſecrauit, dedicauitque.

CAPVT X.

Quanti eſſent eæ coronæ quæ in templis ſuſpendebantur. Quandoque ſacrilegi talibus coronis manus admoliti ſunt. Modeſtia ducum Romanorum. Taciti locus enarratus. Munera coronarum.

CÆTERVM hoc genus coronarum tanti fuit, vt earum ſiue pretium ſiue excellentia vix fidem inueniat; In quibus videlicet, multa fuit æmulatio inter pōdus, artem, materiam, formam. Omnia ibi vſque eò eminebant, vt eius quod eſſet eminentiſſimum, vix vllum eſſet iudicium. *Athen. lib. 5.* Certè in Pompa Ptolemæi regis Athenæus memorat, præter coronas ter mille ac ducentas aureas, tranſuectam fuiſſe aliam auream Dijs dicatam, aut certè ſacris deſtinatam, nobiliſſimis gemmis fulgentem, cubitorum (quod nunc quidem propemodum incredibile eſt) octoginta. Ne multa, tanta fuit, vt eius ambitus circumplecteretur valuas templi quod fuit opus reginæ Berenicis. Cui accedebat ægis pariter aurea. Inſanus Herculè luxus, potiùs quàm ſumptus; qui tamen fieri ſolitus fuit *Tertull. de cor. mil.* in illas coronas quæ Dijs offerebantur. Hunc ergo eleganter ac meritò Tertullianus vocat *coronarum cenſum. Et in omnibus iſtis,* inquit, *idololatria in ſolo quoque cenſu coronarum, quibus omnia iſta redimita ſunt.* Talem ſe coronam matronæ Romanæ Iunoni dicaturas pollicentur, ſi aduerſus Annibalem Romanis det proſperè rem gerere.

Sil. Ital. lib. 7.

-- ſi pellere noſtris
Marmaricam terris nubem dabis, omnis in auro
Preſſa tibi varia fulgebit gemma corona.

Auro & gemmis quibus hæ coronæ onerabantur, accedebat ars, *Philoſtrat. in imag.* vt præclarè de Euadne præſtantiſſima femina dictum, ἡ δὲ γυνὴ [Εὐάδνη] καθάπερ οἱ ἐς τὰ ἱερὰ στεφάνους τε καὶ χρυσὸν ἐξασκοῦντες, ὡς φαιδρὰ θύοιτο, καὶ ἐς χάριν τοῖς θεοῖς; At mulier [Euadne] ſicuti illi qui ad templa coronas & aurum affabrè factum vt ſplendida ſacrificabat,

& in gratiam Deorum. Hæ coronæ fuerunt pretij tam enormis, vt ijs improbi quandoque ſacrilegas manus admouerint, exemplo earum murium, quas Pallas apud Iouem queritur deſtruere coronas in æde ſua,

> *Ὦ πάτερ, οὐ ἄν πώποτ' ἐγὼ μυσὶ τειρομένοισιν*
> *Ἐλθοίμην ἐπαρωγὸς, ἐπεὶ κακὰ μ' ἔοργαν,*
> *Στέμματα βλάπτοντες, καὶ λύχνους εἵνεκ' ἐλαίου.* *Homer. Batrac.*

ô pater, non certè vnquam ego muribus cùm vexarentur Venirem auxiliatrix, quoniam malè me multarunt Coronas deſtruentes & lucernas olei gratia. Sed mures, videlicet, corrodebant coronas Dijs dicatas. Sacrilegi eas auferunt. Et verò Dynaſtarum rapacitati incendendę illa tanta coronarum opulētia haud ſanè paruum incitamentum fuit. Hiſce ſacrilegijs meritò annumerandus eſt Philomelus ille qui Pharſaliam quandam ſaltatricem Theſſalicam munerauit aurea corona, quam Lampſaceni dedicauerant; nimirum, quam ipſe templo detraxerat. Quo ſacrilegio perpetrato, ex ænea lauru, quam Metapontini Apollini dedicauerāt, vox eſt edita. Et verò Pharſalia illa, quæ tunc fortè venerat in forum Metapontinum, ab ijs qui aderant, vatibus, & quidem lymphatis, diſcerpta fuit. Cuius rei cauſa cùm diligentiùs exquireretur, tandem compertum eſt, illam ſupplicij atrocitatem manaſſe ex atrocitate ſacrilegij tam impudentis. Poteſt & hoc ſuper hoc facto dici, meretricem geſtaſſe coronam prorſus aduerſus præſcriptum legis fortè non ſcriptæ, ſed quæ eſt publicæ honeſtati tam conſentanea, vt pro ſcripta haberi poſſit. *Nihil prohibet*, inquit Cicero, *fictam legem exempli loco ponere, quò faciliùs res intelligatur. Meretrix coronam auream ne habeto. Si habuerit, publica eſto.* Similì prope ſacrilegio Leo Copronymus cenſeri voluit, qui coronam à Mauricio dedicatam in templo ſanctæ Sophiæ auſus eſt imponere capiti ſuo. Hinc ſubita febre correptus vitam finijt. *οὐ γὰρ θέμις*, inquit Priſcus Rhetor, *ἀνθρώποις εἰς σφετέραν διακονίαν χρῆσθαι ἐκπώμασιν ἀνατεθεῖσι θεῷ.* Non enim fas hominibus ad proprium miniſterium vti poculis ſuſpenſis Deo. Tale ſacrilegium expreſſit Plautus,

Athen. lib. 13.

Cic. lib. 2. de inuent.

Zonar. in Leone Copron.

Priſcus Rhetor in eclog. legat.

Plaut. Menæch. actu 5. ſc. 5.

> *At ego te ſacram coronam ſurripuiſſe Ioui ſcio;*
> *Et ob eam rem te in carcerem eſſe compactum ſcio.*

In tales phanorum depeculatores inuehitur Iuuenalis,

> *Confer & hos veteris qui tollunt gaudia templi,*
> *Pocula admirandæ rubiginis, & populorum*
> *Dona, vel antiquo poſitas à rege coronas.* *Iuuen. ſat. 12.*

Quos M. Tullius vocat prædones religionum. Iſtis forſitan haud immeritò annumeretur P. Munatius, is *qui demptam Marſiæ coronam capiti ſuo impoſuit. Quem ob id in vincula duci Triumuiri iuſſe-*

Cic. act. 6. in Verr.

Plin. lib. 21. c. 3.

runt. Etſi ea corona, vt credibile eſt, nec fuit aurea, nec gemmata, ſed florea; neque tam rapacitas huic ſceleri cauſam dedit, quàm leuitas & inſolentia. Quippe noctu conuentus luxurioſorum Romæ habebantur apud Marſyam, vt ſcite licet ex eo loco Plinij, vbi is id quod dico, tradit; additque hæc verba, *Apud nos exemplum licentiæ huius non eſt aliud quàm filia*, vbi lego Iulia, *Diui Augusti, cuius luxuria noctibus coronatum Marſyam, literæ illius dici gemunt.* Plura de Marſya Seneca in epiſtolis. Et hæc quidem fuit rapax impietas illorum qui coronas Dijs dicatas, & in ſacris ædibus ſuſpenſas, aut numinum ſtatuis impoſitas inde detrahebant. Enimuero veriſſimum illud Pythagoræ dictum eſt, τὰ ἀναθήματα τὰ ἱεροσύλων χορηγία, donaria [ſunt] reditus ſacrilegorum. Contra, animaduerſa eſt modeſtia priſcorum ducum Romanorum, qui captis op-
Stob. lib. 2. pidis, tantùm profana ſigna inde Romam exportabant. At ſacris, Deoque dicatis abſtinebant. Ea continentia fuit L. Mummius,
Cic. act. 6. in Verr. *qui cùm Theſpijs ea, quæ Romæ in æde Felicitatis poſtea fuerunt, cateraq; prophana ex illo oppido ſigna tolleret, marmoreum Cupidinem, opus Praxitelis, quòd erat conſecratus, non attigit.* Illud ſciendum, Non ſemper ſacrilegio haſce coronas inde fuiſſe ablatas; non, inquam, vt ſpoliarentur talibus templa donatijs; ſed vt re peracta, cuius vſibus inde ſumebantur, ibidem reponerentur. Ergo & ipſæ coronæ Deo dicatæ & in templis appenſæ inde, vt ſic loquar, mutuo ſumebantur condecorando illi, cuius virtus vniuerſorum iudicijs vniuerſis vtilis fuiſſet. Id conijcio è verbis Cornelij Taciti
Tacit. lib. 15. Annal. de Nerone loquentis; *Neapolim*, inquit, *quaſi Græcam vrbem dilegit. Inde initium fore, vt tranſgreſſus in Achaiam, inſigneſq; & antiquitus ſacras coronas adeptus maiori fama ſtudia ciuium eliceret.* Id eſt, Nero hoc egit, vt ingentia illa ſacrarum coronarum decora, quod ipſi pulcherrimum, omniumq; honorũ cumulus videbatur, adipiſceretur. Neq; enim id penſi habebat, veris id fieret, an ſimulatis iudicijs. Tanta fuit illius portenti vecordia, vt ſibi ea decerni æquum cenſeret quę numinibus detraherentur. His coronis illas addo, quas aut Reſpublica Reipublicæ, aut homo homini mittit,
Liu. lib. 2. vt ſint luculenta accepti beneficij teſtimonia. Huius generis Latini *coronam auream, donum Ioui cum legatis in Capitolium miſerunt; poſteaquam captiuorum ſex millia ipſis à Senatu remiſſa; & de fœdere,*
Liu. lib. 18. *quod in perpetuum negatum fuerat, agi cœpit.* Talis eſt illa, quam Saguntini miſerunt Romam. *Ioui Opt. Max.* inquiunt, *non grates tantùm ob hæc agere iuſſi ſumus; ſed donum hoc etiam, ſi vos permitteretis, coronam auream in Capitolium victoriæ ergo ferre.*

CAPVT XI.

Corona gratulatoria. Harum aliquot exempla. Frequentes fuerunt in obuiam itionibus. E ſacris coronis quædam conyciebantur in ſtatua numinum. Locus Capitolini enarratus. Corona quandoque ponebatur ante pedes eius cui dabatur. Nulla pars diuini cultus caruit coronis.

Iis coronis quæ Deo conſecrantur, proximæ ſunt illæ, quas à re gratulatorias vocaui. Nempe hæc tam ſolennis officij ſignificatio non omitti potuit, quin eâdem multum de obſequijs & amicitia detractum crederetur. Qua occaſione, à quibus, & ad quos mitterentur, non meliùs quàm ab inſequentibus exemplis ſciri poteſt. *Inter hæc ab Latinis & Hernicis*, inquit Liuius, *legati gratulatum de concordia patrum ac plebis Romam venerunt; donumq́, ob eam Ioui Opt. Max. coronam auream in Capitolium tulère parui ponderis, prout res haud opulentæ erant; colebanturq́, religiones piè magis quàm magnificè.* Huius generis eſt illa aurea, quam, re à Romanis aduerſus Samnites bene geſta, *Carthaginienſes Romam miſerunt, quæ in Capitolio in Iouis cella poneretur.* Nondum, ſcilicet, orta inter vtramque Rempub. æmulatione, Carthaginienſes Romanis aut ex animo gratulabantur, aut ſe eis gratulari eo dono ſimulabant. Ea corona *fuit pondo XXV.* Multo ponderoſior fuit illa quam legati regis Attali poſuerunt in Capitolio. Fuit enim *CCXLVI. pondo.* De hoc genere ſunt illæ numero XL. *quas M. Acilius triumphans de rege Antiocho & Ætolis, aureas tulit, dona ſociarum ciuitatum.* Adde illas quæ in triumpho *L. Quintij tertio die, dona ciuitatum, tranſlata ſunt, quæ fuerunt CXIV.* Tum illam auream, *quam Ambracienſes Conſuli Rom. centum & quinquaginta pondo dederunt*; illaſque quas tulerunt ad Manlium priùs Conſulem, poſtea Proconſulem hybernantem in Aſia legationes vndique ex omnibus ciuitatibus. *Itaque*, inquit Liuius, *vt quibus libertas, Antiocho pulſo, pax, Gallis domitis data eſſet, non gratulatum modò venerunt, ſed coronas etiam aureas pro ſuis quæque facultatibus attulerant.* Hoc exemplo Amphictyones quoque quindecim legatos decreuerunt ad Alexandrum, qui ei coronam auream Græciæ nomine deferrent. Ad hunc ipſum regem honorandum à Cariæ ciuitatibus miſſæ ſunt legationes cum aureis coronis. In his fuit illa Athenienſium, quam præco magnificis verbis extulit. Extat quoque decretum Syracuſanorum, quo cauetur, vt quotieſcûque Syracuſas aduenerit Marcellus, aut quiſpiam poſterorum eius,

Liu. lib. 3.
Liu. lib. 7.
Liu. lib. 22.
Liu. lib. 27.
Liu. lib. 24.
Liu. lib. 28.
Liu. lib. 28.
Diodor. Sic. lib. 17. biblioth.
Diodor. Sic. lib. 17. biblioth.
Plutarch. Marcello.

omnes Syracuſani coronas geſtent, Diiſque ſacrificent. Pyrrhus
In chron. Diod. lib 22. quoque à Catanenſibus exceptus, cultus, & coronatus fuit coro-
In eclog. legat. nis magnis & aureis. Ad Iulianum, poſtquam renuntiatus fuit
Imperator, legationes vndique conuenerunt; multæque aureæ
coronæ à gentibus ad ipſum allatæ. Iouianus huius Iuliani ſucceſ-
ſor ab incolis Niſibis coronis & ſupplicationibus coli ſe paſſus eſt.
Eclog. legat. 10. Idem honor apud Nicæam Bithyniæ Valentiniano habitus, po-
ſteaquam eum eſſe imperatorem, cognitum. Potiſſimùm, ſi re
bene geſta continebatur illud beneficium, quo affecti eſſent gra-
tulantes, tum verò coronæ cum cæteris donis & laudibus impen-
Demoſt. de cor. ſiùs mittebantur. In hanc ſententiam ſunt illa Demoſthenica,
ἐξ ὧν ὑμῖν μὲν τὰ κάλλιστα, ἔπαινοι, δόξαι, τιμαὶ, στέφανοι, χάριτες παρὰ τῶν
εὖ πεπονθότων ἐγίγνοντο. E quibus vobis pulcherrima quæque, laudes,
gloria, honores, coronæ, gratiæ ab iis qui beneficiis affecti fuerāt,
Etymol. ἀβαρνίδα. habebantur. Potiſſimùm in obuiam itionibus hæ gratulatoriæ
coronæ conſpiciebantur. Huius generis fuit illa quam Venus
Zoſim. lib. 3. hiſtor. nexuiſſe dicitur, cùm obuiam iuit Baccho redeunti ex Media. Po-
pulus Edeſſenus Iuliano obuiam cùm proceſſiſſet, eumque roga-
ret vt vrbem iniret, eâdem ei obtulit coronam auream, qua acce-
pta, Iulianus vrbem ingreſſus eſt. De eodem genere illa quam
Cyaxares per vnicam filiam miſit Cyro victori Aſſyriorum, vrbiſ-
Xenoph. de inſt. Cy. lib. 8. que adeò ipſius Babyloniæ. καὶ ἡ μὲν δὴ παῖς ἐστεφάνου τὸν Κῦρον, & puella
quidem coronauit Cyrum. Quam coronam ipſa puella Cyro im-
Plutarch. Lucullo. poſuit. Hoc exemplo Machares filius Mithridatis, qui habebat
Boſphorum, Lucullo miſit coronam ἀπὸ χρυσῶν χιλίων, valoris mil-
le aureorum, rogans inſcribi amicus & commilito populi Rom.
Et hic quidem erat mos Græciæ, & conterminarum gentium.
Alienus tamen ab ingenio Romano, quod erat huiuſmodi, vt talia
velut inania facilè tranſmitteret, ſolida tantùm retineret. Non
ergo mirum, ſi & hunc morem, vnà cum illo, qui ſe ea ratione coli
paſſus eſt, homine Romano, Cicero ſubſanat his verbis. *Pom-*
Cic li. 1. Quaſt. Tuſc. *peio noſtro familiari, cùm grauiter ægrotaret, Neapoli, melius eſt
factum. Coronati Neapolitani fuerunt. Nimirum etiam Puteolani
vulgo ex oppidis publice gratulabantur. Ineptum ſanè negotium, &
Græculum, ſed tamen fortunatum.* Si ridendus Pompeius, multo
Val Max. lib. 9. c. 1. & Macrob lib 3. Sat. cap. 13. maiori ratione vituperandus Marcellus, *qui ſe in Hiſpania Deum
faciebat, cùm patiebatur ſibi in tranſenna ſedenti à demiſſo victoriæ
ſimulachro cum tonitruum machinato ſtrepitu, ſicuti capiti cæleſti
coronas imponi; ſibiq; adeò ſupplicari*; ſingulari, videlicet, impu-
dentia agnoſcens honorem quem humana conditio non recipit.
Et hæc quidem de iis coronis quas à re gratulatorias voco. Has
coniunxi cum illis quæ Deo dedicabantur, quia quas ob res ſolen-

nes Deo gratias agimus, ob illas ipſas alij alijs impenſiùs gratulamur. Aliæ fuerunt coronæ, quas eadem publica pietas Deo conſecrabat, ſed alia ratione. Neque enim in æde ſacra appendebantur vt aureæ illæ ingentes & ponderoſæ, ſed vt leuiores & plures conijciebantur in adyta ædium ſacrarum & in ipſas numinum ſtatuas. Cuius moris meminit Capitolinus. *In Caliatu, inquit, omen* *Capitol. in M.*
accepit imperij. [M. Antoninus] *coronas omnibus ex more iacienti-* *Anton. Philoſ.*
bus aliæ alijs locis hæſerunt. Huius velut manu capiti Martis aptata eſt; id eſt, corona quam M. Antoninus, cùm Salius eſſet, proiecit, ſtatuæ Martis tam congruenter hęſit, vt videri potuerit, non fortuito caſu, ſed prouiſu numinis id accidiſſe. Cęterùm ex hoc loco hoc quoque colligendum, Martem, ſicuti alia numina, fuiſſe cultum coniectu coronarum ſeu corollarum, nempe quę prę ſe ferrent notas, ſiue inſignia eius Dei cui mittebantur. Ergo veriſimile eſt has coronas quę à Salijs in Martem conijciebantur, fuiſſe gramineas. Et hoc veluti miraculo motos homines coniectaſſe eum futurum imperatorem, Quòd ipſi cum Marte authore generis Romani tam bene conueniret, vt vel iactu fortuito coronarit hoc numen; nec qualicunque corona, ſed illa quæ Martis propria eſt. Interdum quoque corona, quòd eſſet ingens & ampliuaga, ponebatur ante pedes eius numinis cui conſecrabatur. Propertius.

Vt caput in magnis vbi non eſt tangere ſignis, *Propert. lib. 2.*
Ponitur hîc imos ante corona pedes.

Denique, vt ſupra monere cœpi, vix vlla pars diuini cultus carebat coronis. Certè harum in ſolennijs vix vnquam non fit mentio vel ipſa inter præcipua & aduertenda; Veluti in ſacra pompa quam
Nicias Delum tranſtulit, cùm eſſet θεωρὸς, pręcipua fit coronarum *Plutarch. Nic.*
mentio, vt quæ eſſet præcipua pars ſacri apparatus. Enimuero
huc pertinet Apuleiana illa querela, *Ceremoniæ*, inquit, *negliguntur,* *Apul. lib. 4.*
incoronata ſimulachra. Ac ſi dicat, pro monſtro eſſe, ſi Deorum *Metam.*
ſimulachra nullo coronarum decore conſpicua aſpiciantur. Ergo Apuleius illam ſuam Deam, ſiue ea Ceres, ſeu Venus, ſeu Phœbi
ſoror, ſeu Proſerpina eſt, quæ ipſum ſibi reddidit, ita pingit; *Co-* *Apul. lib. 11.*
rona multiformis varijs floribus ſublimem diſtinxerat verticem. Cuius *Metam.*
media quidem ſuper frontem planam rotunditas in modum ſpeculi, vel imo argumentum lunæ candidum lumen emicabat. Pauſanias in Eliacis memorat, Iouem ex auro & ebore factum; & olea coronatum in æde ſua ſedere. στέφανος δὲ, inquit, ἐπίκειταί οἱ τῇ κεφαλῇ μεμιμημένος ἐλαίας κλῶνας. corona verò eius capiti eſt impoſita imitans oleæ ramos.

CAPVT XII.

Diuinus cultus quandoque conſtitit in ſolis coronis. Cultus Dianæ Epheſiæ. Coronæ, honor Deorum. In ſolennibus pompis nulla Deorum effigies incoronata. Cùm coronæ Dijs offerebantur, vniuerſi erant coronati. ἱκετηρίαι λευκοστεφεῖς. *Supplicantes coronati myrto. Rami ſupplicantium duo. Et plura de his ramis.* κατεύγματα *quid.* θαλλοφόροι. *Statuæ & columnæ virorum fortium coronatæ.*

IN diuino cultu tanta coronarum ratio habita eſt, vt is quandoque conſtiterit in ſolis coronis. Non, inquam, ſemper pecudes immolatæ, ſed res diuina quandoque per ſolas coronas peracta. Tali ratione Diana Epheſia culta eſt. Quippe Epheſi στεφάνοις διὰ θαλλῶν τὰς ἱκεσίας ποιοῦσι, coronis per oleæ ramos ſupplicationes faciunt. Teſtis eſt Plinius, *ætate Aphricani Romæ coronas fuiſſe honorem Deorum, & larium publicorum, priuatorumq́, ac ſepulchrorum & Manium.* In celeberrimis illis inclytorum regum pompis, quas Athenæus deſcribit, multæ numinum effigies ferebantur, ſed nulla incoronata. Euripides ποῖ τρεψόμεσθα; τίς γὰρ ἄστεπτος θεῶν; quo vertamur? quis enim incoronatus Deus? id eſt, eccui Deo non ſupplicauimus? Lucianus multa ait ab Dijs redimi vel gallo, vel corona, vel ſolo thure. Hîc noto, haſce coronas quandoque ab vniuerſis fuiſſe oblatas ad puluinaria Deorum, qui ipſi quoque erant coronati, vt palam fit è pluribus locis Liuij. *Maiores*, inquit, *duodecim annis omnes coronati, & lauream in manu tenentes ſupplicauerunt.* Et alibi, *Cunctiq́ magiſtratus circa omnia puluinaria victimis maioribus ſacrificarent, populuſq́ coronatus eſſet.* Qui mos quamlibet Romanus, in Græcia quoque viguit. Apud Æſchylum Danaïdes ſupplicantes ſunt coronatæ,

Etymol. ἱκετηρίας
Plin. lib. 21. c. 3.
Athen. lib. 5.
Euripid. Herac. actu 1.
Lucian. de ſacrif.
Liu. lib. 30.
Liu. lib. 33.

> ποίαν χθόνα εὐφρονα μᾶλλον
> τῆσδ' ἀφικοίμεθα,
> σὺν τοῖσδ' ἱκετῶν ἐγχειριδίοις
> ἐρεστέπτοισι κλάδοισι;

Æſchyl. ικετ.

ecquam igitur regionem lætiorem hac adeamus, manu geſtantes ſacras ſupplicantium coronas? Ibi enim Scholiaſtes ἐρεστέπτοισι κλάδοισι, interpretatur τοῖς στεφάνοις. Apud Sophoclem ſacerdos alloquens Oedipum tyrannum ait, turbam cõſediſſe ad aras; reliquam multitudinem ſedere coronatam in foro iuxta geminum Palladis delubrum, & ad Iſmeni fatidicas aras,

Sophocl. Oed. tyr.

> τὸ δ' ἄλλο φῦλον ἐξεστεμμένον
> ἀγοραῖσι θακεῖ, πρός τε Παλλάδος διπλοῖς
> ναοῖς, ἐπ' Ἰσμηνοῦ τε μαντείᾳ σποδῷ.

Sophocl. Oed. tyr.

ſiac

ac ſi dicat, vniuerſos adeſſe ſupplices, ac proinde, vt infra dicam, ab iniuria tutos. Apud Euripidem Xuthus Creuſam alloquens ait,

σὺ δ᾽ ἀμφὶ βωμοὺς, ὦ γύναι, δαφνηφόρους
λαβοῦσα κλῶνας εὐτέκνους, εὔχου θεοῖς,
χρησμοὺς μ᾽ ἐνέγκειν ἐξ Ἀπόλλωνος δόμων.

Euripid. Ion. actu 1.

Tu interim ad aras, ô mulier, lauriferas Accipe ramos prole fælices, Dijs ſupplica, vt oracula bona feram ex æde Apollinis. Apud Sophoclem Oedipus tyrannus ſic loquitur,

Ὦ τέκνα Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφὴ
Τίνας ποθ᾽ ἕδρας τάσδε μοι θοάζετε
Ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι;

Sophocl. Oed. tyr in princ.

ô noua ſoboles antiqui Cadmi, Quid hoc in loco conſediſtis ſupplicibus ramis coronati? Hoc exemplo Æneas, nempe coronatus, precatur numina terræ Italiæ.

Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat; & Geniumq́, loci, primamq́, Deorum
Tellurem, nymphasq́, & adhuc ignota precatur
Numina.

Virgil. 7. Ænei.

Ergo ſupplicantes ijs quos rogabant, ſæpe coronas offerebant. Quo exemplo Magetes Cybiræ tyrannus Conſuli Rom. protēdit coronam quindecim talentûm. Proximi ſupplicantibus illi ſunt qui ſeſe dedūt victori. nam deditionis ſymbolum ferunt coronam illi cuius in fidem ſeſe dedunt. Cuius rei frequentia ſunt exempla apud Polybium in eclogis legationum, & alibi. Illud aduertendum quod accidit Rhodijs, non ſemper coronam potētioribus miſſam deleuiſſe poſteriora eorum malefacta, quamuis ea mente miſſa fuerit vt ſit beneuolentiæ & amicitiæ ſymbolum; cuiuſmodi fuit illa quam Ariarathes Romam miſit decem millium aureorum. Denique vix vnquam vlla legatio commeauit inter amica imperia ſine hoc munere; tanquam ſi coronam offerens aut mittens hac beneuolentiæ ſignificatione patefaceret ſibi aditum aut ad impetranda illa quæ petebat; aut ſanè eo veluti pignore vetera amicitiæ iura confirmaret. Qui legit legationes Polybij nihil ibi frequentius obuium habuit quàm talia munera, ſicuti quoſdam præcurſores, ſiue caduceatores qui legationi omnia facilia & peruia impetrarent. Talium item munerum acceptio fidem faciebat animi mitis, & fauentis illi qui donum mitteret, potiſſimùm ſi ab infirmiori mittebatur ad potētiorem. Sed præter coronas quo habitu ſupplicarent, cuiuſmodi item eſſent hæ coronæ, id quoque videndum. Et quidem apud Æſchylum ſenior è choro monet mulieres ſupplicantes vt manu capiant ramos albo coronatos, hoc eſt, alba lana, in his verſibus,

Polyb. ecl. legat.

Polyb. in eclog. legat.

Æſchyl. ἱκέτ.

ἀλλ' ὡς τάχιστα βᾶτε, καὶ λευκοστεφεῖς
ἱκετείας ἀγάλματ' αἰδοίου Διὸς
σεμνῶς ἔχουσαι διὰ χερῶν εὐωνύμων.

Sed quàm citiſſimè ire, & alba lana coronatos ramos ſupplices, ſtatuas venerandi Iouis reuerenter in manibus conſentientibus habentes, &c. Ac ſi dicat, manu dextra retinete ſtatuas numinum, ſiniſtra ſupplices ramos. Hoc ipſum Rex paulò infra profitetur eſſe moris Græcorum, cùm cætera in Danaidis peregrina agnoſcat. Hos ipſos ramos infra vocat λευκοστεφεῖς νεοδρέπτους κλάδους. albo coronatos recens decerptos ramos. Id quod cuiuſmodi ſit, Plutarchus eſt interpres. *Plutarch. Theſ.* Nempe hæc fuit ἱκετηρία, hoc eſt, κλάδος ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας ἐρίῳ λευκῷ κατεστεμμένος, ramus ab ſacra olea lana alba redimitus. *Æſchyl. ἱκέτ.* Apud Æſchylum cùm mulierum chorus dixiſſet regi Argiuorum, Αἰδοῦ σὺ πρύμναν ὧδ' ἐστεμμένην, vetere tu extremum ramum ſic coronatum, Rex reſpondet, Πέφρικα λεύσσων τάσδ' ἕδρας κατασκίους, Horrui intuitus has ſedes ita vmbratas, id eſt coronatas. Paulò poſt idem rex ait,

ὁρῶ κλάδοισι νεοδρέπτοις κατάσκιον
νέον θ' ὅμιλον τόνδ' ἀγωνίων θεῶν.

video ramis nuper decerptis vmbratum nouum coetum, ſiue multitudinem ſollicitorum Deorum. Hi rami duo, vt ex eodem Æſchylo diſcimus,

Æſchyl. ἱκέτ.

Βα. Κλάδους μὲν αὐτοῦ λεῖπε σημεῖον πόνου.
Χο. καὶ δή σφε λείπω, χειρὶ καὶ λόγοις σέθεν.

Ramos quidem ibi linque ſignum laboris. CHO. Et iam eos linquo manu, & ſermonibus tuis. Porrò manu geſtati à ſupplicantibus frequenter mouebantur, ſiue quatiebantur, qui motus erat index animi intentiùs rogantis, atque adeò obteſtantis, cuius rei exempla ſunt apud Apuleium duæ mulieres ramos oleagineos vtræque quatientes. *Apul. Metam. lib. 3.* Hi rami, ſi ædes ſacra adibatur, à ſacerdote accipiebantur, & ponebantur ſuper ara,

Æſchyl. ἱκέτ.

σὺ μὲν, πάτερ γεραιὲ τῶνδε παρθένων,
κλάδους τε τούτους αἶψ' ἐν ἀγκάλαις λαβὼν
βωμοὺς ἐπ' ἄλλους δαιμόνων ἐγχωρίων
θὲς, ὡς ἴδωσι τῆσδ' ἀφίξεως τέκμαρ
πάντες πολῖται.

tu quidem pater ſenex harum virginum ramos hoſce ſtatim vlnis ſumens aras ad alias numinum huius terræ pone, vt videant huius profectionis ſignum omnes ciues. Quod autem hi ſupplicantium rami manu geſtarentur, docet locus Liuij quem proximè citaui, &c. illa verba Æſchyli,

καὶ τοῖς δ' ἱκετηρίοις ἐγχειριδίοις
ἱεροσίπτοισι κλάδοισι.

Certè Iocaſtæ aditura ædem Apollinis hæc ſunt apud Sophoclem verba; *Sophocl. Oed.*

χώρας ἄνακτες, δόξα μοι παρεστάθη,
ναοὺς ἱκέσθαι δαιμόνων, τάδ' ἐν χεροῖν
στέφη λαβούσῃ κἀπιθυμιάματα.

Principes terræ, decretum mihi eſt templa adire Deorum, acceptis his manu coronis & thymiamatis. Hæc ipſa paulò poſt vocat κατεύγματα, hoc eſt, vt ibi interpres ait, τὰ κινοῦντα κατάνευσιν τῶν εὐχῶν, ἤγουν τὰ θυμιάματα καὶ ἀναθήματα. mouentia annutum precum, videlicet ſuffitus, & donaria. At hæc ἀναθήματα nihil fuerunt niſi coronæ, vt ſupra dixi, quæ Dijs appendebantur vt reliqua donaria. Non prætereundus mos Athenienſium, qui ſiquando ſupplicarēt, ſe myrto coronabant.

Ἀλλ' ὡς τάχιστα πῦρ τις ἐξενεγκάτω, *Ariſtoph. σφη.*
Καὶ μυρρίνας, καὶ τὸν λιβανωτὸν ἔνδοθεν,
Ὅπως ἂν εὐξώμεσθα πρῶτα τοῖς θεοῖς.

Sed quàm celerrimè ignem aliquis efferat, & myrtos, & thus intus, vt ſupplicemus primùm Dijs. Cæterùm & Athenis in pompa Panathenaica ſeniores manu ferebant eos quos dixi ramos; dicebanturque θαλλοφόροι. Certè ille ſenum chorus apud Ariſtophanem de ſenibus loquens ait eos vt inutiles rebus agendis, ac pompæ traducendæ tantùm idoneos per ridiculum vocari θαλλοφόρους.

Σκωπτόμενοι γὰρ ἂν ἐν *Ariſtoph. σφη.*
Ταῖσιν ὁδοῖς ἁπάσαις
Θαλλοφόροι καλοίμεθα.

Irriſi enim in vicis omnibus Thallophori dicimur. Et hos quidem *Xenoph. conui.* θαλλοφόρους τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται, ὡς συμπαρομαρτοῦντος πάσῃ ἡλικίᾳ τοῦ κάλλους, thallophoros Mineruæ pulchros ſenes eligunt, ſicuti conſequentis omnem ætatem pulchritudinis. Sed priuſquàm vlteriùs pergo, non debui omittere, non ſolùm talia fuiſſe vſurpata erga Deos, verùm etiam erga eos homines qui magnitudine rerum geſtarum quàm proximè acceſſerunt ad Deos. Enimuerò & horum ſtatuis, veluti præſentibus numinibus coronæ veteri more imponebantur ab ijs qui eorum virtutem æmulari, ſibi & pulchrum & glorioſum putabant. Cùm Alexander Ilium *Plutarch. Alex. Mag.* tranſgreſſus Mineruæ ſacrificaret & Heroibus, columnam Achillis hoc eſt, eius ſtatuam vnxit pingui oleo. Deinde vnà cum ſocijs nudus ad eam cùm incitato curſu perrexiſſet, eam coronauit. Idem *Plutarch. Alex.* Alexander ſtatuam Theodecti Phaſelitis cùm vidiſſet poſitam *Mag.*

Hh ij

Plutarch. Iul. Caeſ. Plutarch. Brut. Lucian. in Toxa. ſiue hoſp. Lucian philopſ.

in foro, in eam multas coronas coniecit. Iulij quoque Cæſaris ſtatuæ cōſpectæ ſunt redimitæ διαδήμασι βασιλικοῖς inſignijs regijs. Id quod in inuidiam illius factum eſſe memorat Plutarchus. Athenis ſtatua Toxaris, etſi humi erat ſita, tamen frequentiſſimè ſertis recentibus redimiebatur, καὶ ἡ στήλη χαμαὶ πάλιν ἀλλ' ἐστέφθαι γε ἀεί. Statuæ quoque Hippocratis ſicuti numinis alicuius diuinus cultus fuit attributus, cui ſatis eſſe debuit, ſi quis ei parentaret, aut mulſum libaret, aut eius caput coronaret. Sed quia ſupra columnam Achillis interpretatus ſum ſtatuam, moneo in honorem heroum erectas fuiſſe columnas, quæ & ipſæ coronabantur, vt videre licet in his verſibus qui citantur à Clemente Alexandrino,

Clemen. Alex. ſtrom. lib. 1.

Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

Callithoe clauem reginæ geſtat Olympi Argiuæ Iunonis, ſertis atque corollis Reginæ primùm eſt à qua exornata columna. Hic mos coronandi ſtatuas & columnas præclariſſimorum hominum, etiam ſuperſtitum, Romæ ſub principibus viguit, vt è Cornelio Tacito palam fit. *Iamq́; tres laureatæ in vrbe ſtatuæ. Et adhuc raptabat Africam Tacfarinas.*

Tacit. lib. 4. Annal.

CAPVT XIII.

Sacerdotes & ſacrificantes coronati, vittati, infulati. Hæc corona erat oleaginea & aurea. Si ſacerdotum inſignia rumperentur, dilaberentur, inuerterentur, quale omen. Sacrificantium inſignia. Flamen laureatus. Vnde hic ritus coronandi ſacerdotes.

SACERDOTES omnes, omneſque ſacrificantes conſtat fuiſſe coronatos. Sed in hoc diſcrimen, quòd hi fuerunt tantùm coronati; ſed ſacerdotes & coronati, & vittati, & infulati. Quòd fuerint coronati, palam eſt è multis locis. E quibus promo verba Ionis alloquentis Xanthum virum Creuſæ, quam ipſe neſciebat eſſe matrem ſuam,

Euripid. Io. act. 2.

παῦε, μὴ ψαύσῃς τὰ τοῦ θεοῦ
στέμματα ῥίψῃς χερί.

Ammian. Marcell. lib. 29.

Quieſce, ne contrectans coronas Dei, eas frangas manu. Hanc coronam Ammianus Marcellinus vocat ſacerdotalem. *Biduoq́;*, inquit, *poſt Icoſium oppidum militaria ſigna, & coronam ſacerdotalem cum cæteris quæ interceperat; nihil cunctatus reſtituit.* Apud Plinium pingitur ſacerdos adſtante puero *cum acerra &*

corona. Qui mos coronandi ſacerdotes & in Syria viguit, vt liquet ex hiſce Hieronymi verbis, *Non priùs abire paſſi ſunt, quàm futuræ eccleſiæ lineam mitteret, & ſacerdos eorum, vt erat coronatus, Chriſti ſigno denotaretur*. Quod autem ſacerdos fuerit vittatus, id quoque perſpicuè palam eſt. Plin. li. 15 c. 30. Hieron. in vita D. Hilarionis.

Iamq́; in ſertato reſerabat viſcera cultro
Vittatus de more ſenex; manibuſq́; cruentis
Tractabat tepidas lethali frigore fibras. Prudent. in Apoth.

Et Silius Italicus de Maſſaniſſa, qui & rex eſſet & ſacerdos, ac tunc quidem ſacrificaret,

Vittaq́; maiorum decoramen fronte, ſine vllo
Delapſa attactu nudauit tempora regis. Sil. Ital. lib. 6.

Quod eſſent & vittati & coronati, diſcimus è Statio,

Huc gemini vates ſanctam canentis oliuæ
Fronde comam, & niueis ornati tempora vittis
Euadunt pariter. Stat. li. 3. Theb.

Idem alibi,

Ergo manu vittas, damnataq́; vertice ſerta
Diripit; abiectaq́; inhonorus fronde ſacerdos
Inuiſo de monte redit.

Quod eſſent infulati, docet Virgilius,

Nec procul Æmonides Phœbi Triuiæq́; ſacerdos
Infula cui ſacra redimibat tempora vitta, &c. Virgil. 10. Æne.

Et Prudentius,

Summus ſacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Acta in profundum conſecrandus mergitur
Mirè infulatus. Prudent. peri ſteph.

Quod eſſent vittati, infulati, coronati, in his ipſis verſibus videre licet,

Summus ſacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Acta, in profundum conſecrandus mergitur
Mirè infulatus, feſta vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino ruſſeam fultus togam.

Hunc habitum Clemens Alexandrinus deſcribit his verbis, Si Deum verè videre deſideras, participa piaculis non ramorum lauri, non quarundam tæniarum lana & purpura diſtinctarum. Iuſtitia verò redimitus, & temperantiæ ramis, & continentiæ folijs contectus id age vt ſis acceptus Chriſto. Cæterùm coronabantur quandóque olea, vt in loco Statij ſupra citato, dicebanturque θαλλοφόροι. Quandoque corona aurea, vt in verſibus Prudentij quos citaui, præcipuè in iſtis, Clemen. Alex. exhor. ad Græc. 4.

—feſta vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino ruſſeam fultus togam.

Certè aurea corona nunquam niſi eximijs viris data. Apuleius, *Dignus hercules ſolus omnium matronorum delicijs perfrui, dignus ſolus coronam auream capite geſtare.* Tertullianus quoque ſacerdotalem coronam diſertim auream eſſe firmat, ſed tantùm in ſacerdotibus prouincialibus. *Igitur purpura illa*, inquit, *& aurum ceruicis ornamentum eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis. Quo more nunc prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, & coronæ aureæ ſacerdotum prouincialium; ſed non eadem conditione. Tantùm enim honoris nomine conferebatur his qui familiaritatem regum merebantur.* Qua de re hæc Suetonius agens de Tito, *In conſecrando*, inquit, *boue Api diadema geſtauit. More ſiquidem, rituq́; priſcæ religionis.* Enimuerò coronæ ſacerdotales, quòd eſſent aureæ, quandoque dicta ſunt diademata, quòd qui diademara geſtarent, vt de Maſſaniſſa dixi, ijdem quoque ſacerdotalibus infulis inſignes aſpicerentur. Atque adeò Strabo memorat, apud Cumana Pontica eſſe templum Lunæ, cuius ſacerdos ſecundus à rege diadema geſtat. Quin & ipſi reges, quoties ſacrificabant, regalibus inſignijs erant conſpicui. Prudentius vbi agit de Ethnico quodam ſacrificio, quod interuentu diuini numinis perfici non potuit, vnde Perſephone ipſa fugit, & reliquus ſacrificalis apparatus diſiectus eſt, ait,

Apul. Metam. lib. 9.
Tertull. lib. de idol.
Sueton. in Tito.
Strabo lib. 12.

Ipſe quoque exanimis, poſito diademate, princeps
Pallet, & adſtantes circumſpicit.

Prudent. in Apoth.

Porrò ſummopere cauendum erat, ne amplexando & contrectando ſacerdotem, ϛέμματα inſignia eius rumperentur, nempe vitta, infula, corona. Quæ, ſcilicet, erat res mali ominis, vt in loco Euripidis ſupra citato,

πῶς μὴ ψαύσας τὰ τοῦ θεοῦ
ϛέμματα ῥήξῃς χερί.

Et verò ſic adornatus ſacerdos ab iniuria tutus erat ſicuti miniſter Dei. Niſi fortè is dira imprecaretur ciuitati. Tunc enim ſacerdotem haud minùs infenſis animis quàm tyrannum exturbare, & forte & præclarum facinus fuit. Hoc exemplo Theopus apud Plutarchum, vbi Cabirichum ſacerdotem à pernicioſis conſilijs auertere non potuit, nempe is in patriæ perniciem fauebat tyrannis, tunc verò hominem gladio peremit, dixitque hæc verba, Iace cum his quibus es adulatus. Neque enim liberis Thebis tu quidem coronabere, id eſt, ſacerdotium geres. Perinde ac ſi dicat. Tu patriæ infenſus, diruſque proditor, ſiquid liberi ac generoſi ſan-

Plutarch. π. τοῦ Σωκρ. δαιμ.

guinis in Thebanis eſt, Thebis ſacerdotium getas? Quin morere. Addit enim, Neque poſthac ſacrifices illis Dijs, quorum numina periurio violaſti, dum ſæpe pro hoſtibus vota feciſti. C. Cornelius Patauinus cùm ſacrificio intentus eſſet, & è quibuſdam ſignis Cæſarem in campis Pharſalicis victorem eſſe cognouiſſet, exilienſque dixiſſet, Vincis Cæſar, qui aderant ſtupore correpti ſunt, ſicuti audita re abominanda, nempe ore ſacrificantis palam fieri, cum qui ſit infenſiſſimus hoſtis patriæ libertatis, ſuorum vototum cõpotem eſſe. Qua re animaduerſa, is, detracta capiti corona, iureiurando firmauit, non ſe eam ſuo capiti priùs eſſe repoſiturum, quàm ea vox euentu probaretur, Ne, videlicet, ipſe planè impius eſſe, nec tam vera renuntiare, quàm patriæ dira imprecari crederetur. Cæterùm quomodo corona, præcipuè in ſacrificantibus, fuit omnis fauſtitatis index, ita quoque ſi cui ſacrificanti ea decideret, fuit certum argumentum mali ominis. Id quod in Galba obſeruatum fuiſſe Suetonius tradit; & in Sulpitio Valerius Maximus. Huic enim in ſacrificando apex prolapſus ſacerdotium abſtulit. Neque ſolùm in ſacrificando, ſed & in quauis publica & ſolenni adminiſtratione lapſa corona ſemper fuit malum omen.

Plutarch. Iul. Cæſ.

Sueton. in Galba.

Val. Max. lib. 1. cap. 1.

Tum verò infelix veluti delapſa corona
Victoris capiti foret, in ſe verſus ab ira
Auratam medio diſcindit pectore veſtem.

Sil. Ital. lib. 16.

Inuerſa quoque corona non minùs quàm rupta aut lapſa erat infauſtum omen, vt accidit in perſona Caſſij, cùm eius coronam inuerſam lictor attuliſſet. Porrò Flaminis Romani coronam fuiſſe lauream, diſco è Prudentio in his verſibus,

Plutarch. Bruto.

Flamen & ipſe ſuas miratur vertice lauros
Cedere, & incertum fruſtratur victima ferrum.

Prudent. in Apoth.

Alibi hic ipſe poëta hos Flamines, quos vocat Deûm miniſtros, facit laurigeros,

Laurigeroſq́, Deûm templis adſtare miniſtros.

Philoſtrat. in imag.

Amphiaraus quidem in imaginibus pingitur fugiens cum coronis & lauro, inſignijs ſacerdotalibus. Et hunc quidem ritum coronandi ſacerdotes apud noſtros antiquiſſimum eſſe conſtat, nempe deriuatum ab illo initio, de quo hæc Plinius loquens de aruorum ſacerdotibus, quos Romulus in primis inſtituit, ſeque duodecimum appellauit. *Huic certè*, inquit, *ab Acca Laurentia nutrice ſua ſpicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in ſacerdotio pro religioſiſſimo inſigni data. quæ prima apud Romanos fuit corona. Honoſq́, is nonniſi vita finitur; & exules etiam captoſq́, comitatur.* Et hæc quidem dici poſſunt de corona ſacerdotali.

Plin. lib. 18. c. 2.

CAPVT XIV.

Magiſtratus στεφανηφόροι qui. Alij magni viri ſacrificantes coronati coronis aureis & laureis. Quanta fuerit laureæ frondis in ſacerdotibus reuerentia. Loca ſacra vmbrata lauro. E' folijs eius corona, quam is geſtabat qui ſacrificaret, intelligebatur cuius numinis myſta eſſet. De corona hodiernorum ſacerdotum.

QVIA præter ſacerdotes alij quoque pro publica ſalute vota faciebant, ſupplicabant, ſacrificabant, & quidem coronati, de his quoque agendum. Et quidem apud Græcos inter ſacrificantes primi erant illi magiſtratus quibus à re nomen inditum στεφανηφόροις coronigeris; quæ fuit dignitas omnium eminentiſſima. Certè Plutarchus hos copulat, θεσμοθέτην, χορηγὸν, στεφανηφόρον. Porrò Athenis fuit magiſtratus, cui nomen ἐννέα ἄρχοντες, dicebaturque στεφανηφόρος ἀρχὴ, quaſi auguſtior conſeſſus, cui coronæ geſtandæ, ac proinde ſacrificandi ius fuit. Ideoque horum munera vocabãt κοινὰς στεφανηφορείας. Παρ' ἡμῖν, inquit Plutarchus, τὸ μὲν στεφανηφορεῖν, καὶ κομᾶν, μηδὲ τοῖς Φωκέων ὄρεσιν ἐμβαίνειν, ἴδια λειτουργήματα τοῦ ἄρχοντός ἐστιν. Apud nos coronigerum eſſe, & comam nutrire, neque Phocenſium montes conſcendere, ſunt propria miniſteria magiſtratus. Stephaniforus fuit Lyſias Tarſi tyrannus à ſuis popularibus Græco more creatus. Amabant Græci talibus epitheris condecorare numina, & qui proximum numinibus locum occupant, tyrannos ſuos. Tradit Philoſtratus ab hac ſumma dignitate cui nomen στεφανηφόρος ἀρχὴ Smyrnæos imponere nomina ſingulis annis, videlicet quomodo Romæ annua tempora notãtur nominibus Conſulum. Illi apud Platonem magiſtratus, qui in Magnetum Repub. exquiſita quadam ſuffragij ferendi ratione renuntiabantur optimi, quibuſque decernebantur προεδρείαι ἐν ταῖς πανηγύρεσι prima loca in generalibus conuentibus, qui ijdem erant principes ſacrarum legationum, his, inquam vnis licebat inſigniri laurea corona, τούτους μόνους δάφνης στεφάνῳ τῶν ἐν τῇ πόλει κεκοσμημένους εἶναι. Porrò quod alij ſacrificantes præter hos magiſtratus eſſent coronati, diſcimus è Luciano, apud quem is qui mactata oue, aliiſque quæ ad rem ſacram pertinent, peractis, ſe coronauit, alios, qui idem iter ingrediebantur, coronatos eſſe voluit. Charontem quoque Plutarchus, cùm ſacrificat, coronatum facit. Apud Platonem Polemarchus ſacrificans ita pingitur, καθῆστο δὲ ἐστεφανωμένος ἐπί τινος προσκεφαλαίου τε καὶ δίφρου. τεθυκὼς γὰρ ἐτύγχανεν ἐν τῇ αὐλῇ. Sedebat autem coronatus in quodam puluinari & ſede. fortè enim ſacrificauerat in aula. Iuncus in

Plutarch in præcept. pol.
Æſchin. in Timarch.
Plutarch. κεφαλ. ϟγ τῶν ῥωμ.
Athen. lib. 5.
Philoſtrat. Heraclit.
Plato lib. 12. de leg.
Lucian. de Sy. Dei.
Plutarch. περὶ τοῦ Σωκρ. δαίμ.
Plato lib. 1. de Repu.

præclaro

præclaro illo tractatu de ſenectute & ſenibus ait, *μάλιστα ἐν τοῖς ἱεροῖς θύοντας ἐστεφανωμένους περιβλεπτοτέρους τῶν ἱερῶν γίνεσθαι*, maximè in ſacris ſacrificantes eos qui ſint coronati inſigniores ipſis ſacris fieri. *Stob. ἔπαινος γήρως ριβ΄.* Coronatus fuit Dio cùm in Sicilia ſacrificaret in conſpectu quinque millium hominum, qui ſe quoque illius imitatione coronarunt. *Plutarch. Dione.* Coronatus fuit Cyrus cùm prælium initurus ſacrificauit vnà cum homotimis & ipſis coronatis. *Xenoph de inſtitut. Cy. lib. 3.* Æneas & comites eius, expedito omni, quem ſacrum deſiderabat, paratu, circùm altaria Deorum coronati conſtiterunt. *Halic. lib. 1.* Strabo adnotauit, neminem in India rem diuinam facere coronatum, Ac ſi dicat, Iſtorum mira eſt ſiniſteritas, qui contrario cæteris gentibus ritu ſacrificant, ac ſicuti inuiſi Dijs. *Strabo lib. 15.* Vt enim Athenæus ait è verſibus quibuſdam Sapphûs quos ipſe recitat, quoſque ego ſupra citaui, Eos immortales auerſantur coronam qui non habent. His, ſcilicet, Sappho palam facit, inquit Athenæus, magnificentius, magiſque Dijs eſſe cordi, ſi is qui ſacris operatur corona ſit redimitus. *Athen. lib. 15.* Id quod in Græcia vix vnquam omiſſum fuit. Ariſtophanes,

> *Καὶ νῦν ὁ δεσπότης μὲ ἔνδον θύεται* *Ariſtoph. Plu.*
> *ὗν καὶ τράγον, καὶ κριὸν ἐστεφανωμένος.*

Et nunc herus quidem intus immolat ſuem, hircum, arietem coronatus. Demoſthenes ille Ariſtophanæus iubet Allantopolam coronari, & coronatum libare Coalemo,

> *Ἀλλὰ στεφανοῦ, καὶ σπένδε τῷ Κοαλέμῳ.* *Ariſtoph. ἱππ.*

Ne multa, Quiſquis vota nuncupabat pro vniuerſis, aut primitias & victimas aris adolebat, is nunquam ad rem diuinam niſi coronatus accedebat. *Magiſtratus vero*, inquit Tertullianus, *inſuper aureis, vt Athenis, vt Romæ*, ſupple coronis, *ornant*. *Tertull. de cor. lim.* Et cùm Plutarchus ait, etiam mortalium peſſimos adipiſci gloriam & pulchritudinem corporis, & ducatus, addit ius ſacrificandi, quod exprimit his vocibus, *ἱερατικὸν στέφανον*, ſacram coronam, non tam inſigne poteſtatis, quàm ſymbolum eius authoritatis qua illum oportet eſſe præditum qui rem diuinam facit. *Plutarch quom. oporteat adoleſ. poemata aud.* Talium corona fuit aurea. Romæ à maioribus magiſtratibus Conſules, Prætores, Cenſores purpurati & lauro coronati hoſtias immolabant, vt de Poſthumio Halicarnaſſæus, & de Cenſoribus tradit Athenæus. *Halicarn. lib 6.* *Athen. lib. 14.* De quo more hæc Macrobius, *Conſtat quidem nunc lauro ſacrificantes apud aram maximam coronari. Sed multo poſt Romam conditam hæc conſuetudo ſumpſit exordium. In ſacrificio quod Iunoni reginæ Romæ inſtitutum eſt, Coſſ. C. Claudio Nerone, & M. Liuio iterum, inter cætera decretum eſt, vt ſeptem & viginti virginum ordinem ſequerentur Decemuiri coronati laurea, prætextatiq.* *Macrob. lib. 3. Sat. cap 12.* *Liu. lib. 17.* Et Macrobius in eo loco quem ſupra citaui, firmat in capite Prætoris vrbani aſpici lauream coro-

nam cùm rem diuinam Herculi facit. Cæterùm tanta fuit laureæ frondis in ijs qui ſacrificabant, reuerentia, vt, cùm rei diuinæ intenti erant tunc verò iudices capitalium cauſarum cognitione & judicio abſtinerent. Qua de re extat inſignis locus apud Achillem Tatium, ὁ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερεὺς δάφνην ἐστεμμένος προσιὼν ὁρᾶται. σημεῖον δὲ τοῦτο ἐστιν ἡκούσης θεωρίας τῇ θεῷ. τοῦτο δὲ ὅταν γένηται, πάσης εἶναι δεῖν τιμωρίας ἐκεχειρίαν, ἡμερῶν τοσούτων ὅσας ἂν ἀποτέλεσωσι τὴν θυσίαν οἱ θεωροί. Dianæ ſacerdos laureatus adueniens conſpicitur. Id quod ſignum eſt venientium ad ſacra Deæ facienda peregrinorum. Quæ res cùm accidit, abſtinere à ſupplicio tot dies oportet, quot rei ſacræ perficiendæ abſumpti. Nec ſolùm ipſi ſacrificantes ſeſe lauro coronabant, ſed & hac ipſa fronde loca ſacra vmbrabant. Silius Italicus,

Achill. Tat. lib. 7.

Æneadæ ſenſère Deûm, teliſq; repoſtis
Summiſſas tendunt alta ad Capitolia dextras;
Et feſta cingunt montis penetralia lauro.

Sil. Ital. lib. 12.

Hæ illæ ſunt quas Æſchylus, vt ſupra dixi, vocat ἕδρας κατασκίους Deorum ſedes vmbratas nempe lauru. Ad hoc exemplum Virgilius facit laurum incumbentem aræ in ædibus Priami,

Æedibus in medijs, nudoq; ſub ætheris axe
Ingens ara fuit, iuxtaq; veterrima laurus
Incumbens aræ, atque vmbra complexa penates.

Virgil. 2. Æneid.

Hîc obſeruo, è folijs coronæ, ſiue ſerti quod quilibet ſacerdos ſacrificans geſtaret, intellectum fuiſſe cuius numinis myſta eſſet, vt apparet ex his verſibus alibi à me relatis, quorum hic eſt ſenſus, At quinam huc veniunt baculos tractantes manibus? Capita coronati ſunt folijs Acteæ. Cuiuſue dæmonum celebrant feſtum chorum? An Phœbe Pæan numen extollunt tuum? At Delphica nulla cingit illos laurea. An fortè canitur laus aliqua Bacchanalium? Sed non adeſt ſignum comis hederaceum. In quibus verbis Græcus poëta σφραγῖδα vocat illud quod eſt ſertum, ac ſi dicat ſymbolum & notam. Priſcorum & ſacerdotum & ſacrificantium inſignia monuerunt me ne noſtros præterirem, qui certò propria corona ſunt inſignes, ne obuij cuiuſque petulantiæ & iniurijs ſint obnoxij. In hoc tamen differt inſigne hodiernu ſacerdotij ab illo priſco Ethnico, quòd noſtris ſacerdotibus caput raditur eo quòd perpetuam ſeruitutem vouerunt vero Deo. Relinquitur tamen eis illa pars capillitij quæ forma circulari caput amplectitur; vt intelligât, illam ſeruitutem excipi corona non quidem laurea, aut oleaginea, aut florea areſcente & marceſcente; ſed illa quę eſt perpetuo florida, certo æternæ libertatis pignore, cuius ſymbolum eſt ſubinde renaſcens capillitium.

Lucian. Trag.

CAPVT XV.

Quî quidpiam Deo dedicaret fuit coronatus. Qui Dijs libabant, coronati. Corona ſacra conuiuiales. Conuiuia in ſacrificijs. In Græcia magiſtratus ſuo munere fungentes coronati. Vocis στέφανος elegantiſſimus ſignificatus. Magiſtratus Athenienſes coronati myrto. Flaminica. Baccha. Veſtales coronatæ.

AD exemplum ſacerdotum & ſacrificantium, conſecrantes ac dedicantes aliquid Dijs coronas geſtabant; vt Hercules cùm Olympicos ludos Ioui dedicauit, *Diodor. Sic. rer. antiq lib. 5.* *Stat li. 6. Theb.*

—Primus Piſæa per arua
Hunc pius Alcides Pelopi certauit honorem,
Puluereumq́; fera crinem detorſit oliua.

Et hæc, ſcilicet, eſt illa corona quam Tertullianus idolothytorum effici ait. *Ita, inquit, & corona idolothytorum efficitur. Hoc enim ritu & habitu, & apparatu idolis immolatur authoribus ſuis.* Quorum eo vel maximè proprius eſt vſus, ne in communionem poſſit admitti quod in Dei rebus non inuenitur. Herculis imitatione cæteri heroës & viri principes, atque adeò ipſi reges coronas non tantùm aureas, ſed & frondeas & floreas geſtarũt. Non omiſerim id quod ex Athenæo obſeruaui, coronas eorum qui Dijs libabant, in templa ferri ſolitas, nempe vetuſtiſſimo more. Locus Athenæi is eſt, vbi agit de diebus feſtis quos Athenienſes vocabãt congios. Quippe cùm Oreſtes Athenas profectus eſſet, humaniter quidem eum exceptum fuiſſe memorat. Sed quòd iudicio nondum fuerat abſolutus, edicto ſacræ ædes clauſæ fuerũt. Tum ſingulis congius vini adpoſitus. fuitque edictum ne quis vbi compotare deſiiſſent, coronam, qua erat cuinctus, referret, quoniam cum Oreſte vinum bibiſſent. Qua re audita, vnuſquiſque ſuo congio coronam quam geſtabat, circumuoluit; eamque in eo nemore quod lacus ambit, ſacerdoti reddidit. Has coronas equidem non abſurdè ſacras conuiuiales appellari poſſe puto. Et verò Plutarchus, cùm Deo res ſacra fit, nec tibias, neque coronam demi ait ſicuti in alijs feſtis. αὐλὸν μὲν γὰρ ἑτέρων ἱερῶν καὶ στέφανον ἀφαιροῦμεν· θεοῦ δὲ θυσία μὴ παρόντος, ὥσπερ ἱερὸν ἑορτῆς, ἄθεόν ἐστι καὶ ἀνιερώτερον. tibiam quidem aliorum feſtorum & coronam tollimus. At ſacrificium Dei non præſentis, quemadmodum ſacrum conuiuij, impium eſt & feſto maximè indignum. Certè in ſacrificijs conuiuia fuiſſe conſtat, de quibus Lactantius; *Quinetiam ſacras dapes apparant, & exquiſitas epulas quaſi aliquid inde libaturis offerunt.* Ergo & inter ſacras dapes coro-

Tertull. de cor. mil. *Athen. lib. 10.* *Plutarch. ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέ. κατ' Ἐπίκ.* *Lactant. lib. 6. de Iuſtit. cap. 1*

nis locū fuiſſe cōſtat. Huius generis ſunt illę, quas è Iouis Ἀσκληπιοῦ Aſclepij templo in conuiuium allatas memorat Ariſtides, ἐκέλευσε γὰρ ἐμὲ ὁ θεὸς τήμερον αὐτῷ χρήσασθαι καὶ φυλλίοις, καὶ προσθεῖναι στέφανον παρὰ τοῦ θεοῦ. ἐποίησα ταῦτα. ὁ δὲ στέφανος ἦν ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διὸς Ἀσκληπιοῦ. Iuſſit autem, inquit, Deus hodie duo vti, & folijs, & addere coronam ab Deo. Feci hæc. At corona fuit è phano Iouis Aſclepij. Hîc adnoto, in Græcia magiſtratum, non ſolùm cùm ſacris operabatur, ſed & alibi ſuo munere fungentem fuiſſe coronatum. Et quidem Plutarchus ait, ſe rogatum à Cratone ac Theone, vt diu intermiſſum morem præfecturæ conuiuiorum reuocaret; ſeque ſi eam curam ſuſcipiat, vocat στεφανηφοροῦντα magiſtratum coronatum, οἰόμενοι, inquit, με δεῖν στεφανηφοροῦντα μὴ περιιδεῖν ἔθος ἐκλειφθὲν παντάπασιν arbitrati me oportere coronam ferētem non ſpernere morem relictū vſquequaque. Hinc eſt, quod interdū στέφανος ſumitur pro ea authoritate, qua prędirus eſt magiſtratus. Plutarchus cùm hortatur illum qui fungitur munus publicū, ne nimis fidat authoritati ac dignitati ſuæ, monet illum τῷ στεφάνῳ μὴ πολὺ φρονεῖν μηδὲ πιστεύειν, coronæ non multum faſtum credere. Athenis magiſtratus plerunque myrteis, ramis redimiebantur. Vnde, μυρρινῶν dicebatur ἀρχῆς ἐπιθυμῶν candidatus poteſtatis, aut magiſtratum ambiens. Illæ mulieres quæ Romæ ſacrificabant, nempe Flaminicæ ornabant capita corollis. Hæ corollæ ſimiles erant ijs, quibus ſtatuæ Dianæ Epheſiæ in Græcia conſpicuæ fuerunt. Hos noſtri tutulos, & hałce ſacerdotes tutulatas dixerunt. *Numa Pompilius*, inquit Fulgentius, *de Pontificalibus ſcribens, tutulum dici ait pileum, quo ſacerdotes caput tectabant, cum ad ſacrificium acceſſiſſent, ſicut & Virgilius ait, Et capite ante aras Phrygio velamur amictu.* Verbum eſt Alexandri Seueri, *Matronas regias contentas eſſe debere vno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona cum qua ſacrificium facerent.* Hæc eadem corona videtur fuiſſe illa ipſa, cui nomen inarculum. Quippe *inarculum erat virga ex malo Punico incuruata, quam regina ſacrificans capite geſtabat.* Bacchę quoque, id eſt furioſæ illæ mulieres quæ erant in comitatu Bacchi, eique ſacrificabant, præter cæterum habitum, ſertis redimiebant comas. ἡ τοῦ Πρωτεσιλάου κατεστεφθεῖσα οἷς ἐβάκχευεν, inquit Philoſtratus. [vxor] Proteſilai coronata [erat] vbi bacchabatur, aut Bacchi ſacris operam dabat. Quos inſanos ritus Lactantius innuere videtur his verbis, *Illos dico qui vel inhoneſto ſaltatu tripudiant, vel qui nudi, uncti, coronati, perſonati, aut luto obliti currunt.* Has feminas luculenter pingit Lucianus, vbi eas facit κιττῷ ἐστεμμένας, hedera redimitas. Et ante Lucianū Ouidius in his verſibus, *— feſtum celebrare ſacerdos*

Immunes operum famulas, dominaſq; ſuorum,

Pectora pelle tegi, crinales ſoluere vittas.

Ariſtid. ἱερ. orat. 1.

Plutarch. συμποσιακ. προβλημ. α. α.

Plutarch. πολ. παραγγ.

Scholiaſt. Ariſtoph. ορ.

Dion. Halic. lib. 2.

Fulgent. de priſ. ſerm. in Tutuli.

Lamprid. in Alex. Seu.

Feſt. in arculum.

Philoſtrat. in imag.

Lactant lib 1. de fal. relig. c. 21.

Lucian. Bacch.

Ouid. lib. 2. Metam.

Serta comis, manibus frondentes ſumere thyrſos.

Cæteram turbam Bacchantium Valerius Flaccus deſcribit ad exemplum ipſius Bacchi, *Valer. Flacc. lib. 2.*

> *Serta patri,* [l. capit] *iuuenisq́; comam, veſteſq́; Lyæi*
> *Induit, & plenas tacita formidine ciſtas*
> *Ipſa ſinus, hederisq́; ligat famularibus artus,*
> *Pampineamq́; quatit ventoſis ictibus haſtam.*

Apud Eleos feminæ ſacerdotes Bacchi, quibus nomen ſexdecim, *Plutarch. γυν. ἀρε.* cùm id agerent vt placarent ſæuum illum Ariſtotimum tyrannum, ἱκετηρίας καὶ στέμματα τὰ ἀπὸ τοῦ θεοῦ λαβοῦσαι, περὶ τὴν ἀγορὰν ἀπήντησαν τῷ Ἀριστοτίμῳ. ramo ſupplici, coroniſq; à Deo captis circa forum obuiam factæ ſunt Ariſtotimo. Veſtales quoque præter alia ſacerdotij inſignia continuis tribus decennijs coronatas fuiſſe conſtat. Decennijs exactis, nihil vetabat eas, poſitis coronamentis, cæteroque ſacerdotali cultu, nubere. De quo more Prudentius, *Dionyſ. Halic. lib. 2.* *Prudēt. contra Symm. lib. 2.*

> *Nubitamus veterana ſacro perfuncta labore,*
> *Deſertiſq́; focis quibus eſt famulata iuuentus,*
> *Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas,*
> *Diſcit & in gelido noua nupta tepeſcere lecto*
> *Interea dum torta vagos ligat infula crineis,*
> *Fataleſq́; adolet prunas innupta ſacerdos,*
> *Fertur per medias vt publica pompa plateas.*

Et paulò poſt. *—ſedet illa verendis*

> *Vittarum inſignis phaleris, &c.*

Et in ſequentibus,

> *Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt*
> *Tempora tæniolis, & licia crinibus addunt.*

Denique quiſquis, ſiue mas eſſet, ſiue femina, quod publicæ vtilitatis gratia ſuſciperetur, quidpiam rei diuinæ, tenebat is coronam vt ſacrum inſigne ſumebat. Eulchidas ille Platæenſis qui ſe ignem purum Græcis redditurum pollicitus eſt, cùm purificaſſet aſperſiſſetque corpus, coronatus fuit lauro. *Plutarch. Ariſtid.*

CAPVT XVI.

Victima coronata. Victimæ auratæ.

IPSAS victimas coronatas fuiſſe conſtat. Bœoti, inquit Athenæus, anguillas Copaidas hoſtiarum more coronant. Plinius quoque victimas teſtatur fuiſſe coronatas. Et Strabo loquens de ritibus Perſarum, ait eos rem diuinam facere in loco mundo, & coronatam hoſtiam ſtatuere. Et Lycophron vaccam coronatam, ſeu vittatam vocat στεφηφόρον, ſiue, vt habet alia lectio, στεφανηφόρον. Sacrificantes, inquit Lucianus, primùm coronant victimam. *Athen. lib. 7.* *Strabo lib. 15.* *Lycophr. Caſſ.* *Lucian. de ſacrif.*

Apud Ariſtophanem Socrates ita loquitur, τουτονὶ τοίνυν λάβε τὸν

Ariſtoph. nub. στέφανον. Στ. ἐπὶ τί στέφανον; οἴμοι Σώκρατες

Ὥσπερ με τὸν Ἀθάμανθ' ὅπως μὴ θύσετε.
Σωκρ. Οὐκ· ἀλλὰ πάντα ταῦτα τοὺς τελουμένους
Ἡμεῖς ποιοῦμεν.

Hanc igitur cape coronam. Str. ad quid coronam? Heu me Socrates, modò ne me ſicut Athamãtham ſacrificetis. Socr. Minimè. Sed omnibus his afficimus eos qui initiantur. Supra dicebam, Iphigeniam, cùm ſicuti victima duceretur ad ſacrificium, fuiſſe coronatam.

Euripid. Iphi. in Aul. actu 4.

σὲ δ' ἐπὶ κάρᾳ στέψουσι καλλικόμαν
πλόκαμον Ἀργεῖοι.

Te verò pulchris ſpectandam capillis ſertis redimient Argiui. Certè ipſa iens ad mortem vult redimiri ſertis,

Euripid. Iphig. in Aul. actu 5.

στέφεα περίβολα δίδοτε, φέρε-
τε· πλόκαμος ὅδε καταστέφειν.

Date ſerta textilia, ferte. coma hæc redimienda eſt. Et infra it ad mortem caput ſertis redimita.

ἐπὶ κάρᾳ στέφη
βαλλομέναν.

Apud eundem Euripidem Macaria moritura coronari vult,

Euripid. Herac. actu 2.

ἡγεῖσθ' ὅπου δεῖ σῶμα κατθανεῖν τόδε,
καὶ στεμματοῦτε, καὶ κατάρχεσθ' εἰ δοκεῖ.

Plutarch. Pelo. Ducite vbi oportet corpus hoc cadere, & coronate, & initiate ſi videtur. Hoc exemplo Plutarchus memorat equam, quæ inter arma curſu peruenit vſque ad Pelopidam, cùm iuſſu Theocriti vatis immolaretur, fuiſſe coronatam. Idem Plutarchus author eſt, Ageſilaum per quietem vidiſſe quemdam, à quo monitus eſt, ipſum electum eſſe Ducem omnium Græcorum ad exemplum Agamemnonis. Ergo imitatione Agamemnonis æquum eſſe vt ibidem eandem illam rem diuinam faceret quam fecerat Agamemnon antequam nauigaret. Ageſilaum tamen noluiſſe imitari inſcitiam Agamemnonis, qui filiam immolaſſet, ſed ſe Deam eo cultu habiturum, quo ipſam delectari veriſimile eſt. Itaque coronato in hoc ceruo vt eſſet victima, iuſſit eum à vate abduci. Hunc morem condecorandi, atque adeò coronandi victimas Ouidius elegantiſſimè deſcribit in his verſibus,

Plutarch. Ageſil.

Ouid. lib. 15. Metam.

Victima labe carens, & præſtantiſſima forma
(Nam placuiſſe nocet) vittis præſignis & auro
Siſtitur ante aras, auditq; ignara precantem;
Imponiq; ſua videt inter cornua fronti
Quas coluit fruges; percuſſaq; ſanguine cultros

Inficit in liquida præuiſos forſitan vnda.

Vetuſtiſſimo more non quidem coronabatur victima, ſed eius pulcherrima & conſpectiſſima pars deaurata aſpiciebatur. Certè Neſtor ille Homericus ait ſe rem diuinam Palladi facturum boue victima, cui non quidem coronam imponet, ſed ei certè inter cornua circumfundet aurum. Alloquitur Palladem,

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον
Ἀδμήτην· ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ. *Homer. Odyſſ. 3.*
Τήν τοι ἐγὼ ῥέξω χρυσὸν κέρασιν περιχεύας.

Tibi autem ſacrificabo bouem legitimam, lata fronte indomitam, quam nullus ſub iugum duxit vir. Hanc tibi ego ſacrificabo aurum cornibus circumfundens. Et paulò poſt de hac ipſa victima,

Εἷς δ' αὖ χρυσοχόον Λαέρκεα δεῦρο κελεύσω
Ἐλθεῖν, ὄφρα βοὸς χρυσὸν κέρασιν περιχεύῃ.

Vnus iterum aurificem Laerceum huc iubeat venire, vt bouis, aurum cornibus circumfundat. Denique addit,

-- γέρων δ' ἱππηλάτα Νέστωρ
Χρυσὸν ἔδωχ'. ὁ δ' ἔπειτα βοὸς κέρασιν περιχεῦεν
Ἀσκήσας, ἵν' ἄγαλμα θεὰ κεχαροίατ' ἰδοῦσα.

Senex autem eques Neſtor aurum dedit. ille verò deinde bouis cornibus circumfudit Aptans, vt ſimulachrum Dea gauderet videns. Quem locum Plutarchus videtur eſſe imitatus in triumpho Æmilij Pauli, vbi loquitur de centum viginti bobus qui ducti ſunt in pompa. Etſi ibi deauratis cornibus, more receptiſſimo, additæ ſunt coronæ, μετ' δὲ τούτους ἤγοντο χρυσόκερῳ τροφίαι βόες, ἑκατὸν εἴκοσι, μίτραις ἠσκημέναι καὶ στέμμασιν. At poſt hos ducebantur auratis cornibus armentales boues centum viginti mitris ornati & corollis. Hinc, ſcilicet, auratæ & auratiores hoſtiæ dicebantur, vt apud Tertullianum, *Negas te quod facis, colere? Sed illi non negant quibus hanc ſaginatiorem, & auratiorem & maiorem hoſtiam cadis.* De hoc ritu deaurandi cornua boum ipſe alibi ita loquitur; *Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? Prima in principijs, ſecunda in Capitolijs,* [l. in Prętorijs] Deinde addit, *Hũc tibi Iuppiter bouem cornibus auro decoratis vouemus.* Cætera ſunt mutila. Neque tantùm boues, ſiue tauri, ac iuuenci coronantur cùm victimæ ducũtur ad ſacrificium, verùm etiam illo ipſo die qui ſacer eſt Terræ & Cereri, poſt factam ſementem. Ouidius,

Plutarch æmil. Paulo.

Tertull. lib. de idol.

Tertull. de cor. mil.

-- ſic tempore certo *Ouid. li. 1. Faſt.*
Seminibus iactis eſt vbi fœtus ager,
State coronati plenum ad præſepe iuuenci.

CAPVT XVII.

Victima coronata cupreſſu. Cupreſſus duplex. Fabula de cupreſſis. Cuius rei ſit ſymbolum cupreſſus. Cupreſſus coronamentum athletæ Cretenſis. Cupreſſus læta & odorata. Triſtis & funeſta. Teſtis patrity luctus. Arbor picea. Cupreſſus inſtantis mortis index. Cupreſſus Arbor præſaga. Victima coronata pinu, & alys floribus. Domus coronatæ cùm fieret res ſacra.

VICTIMAS plerunque cupréſſu coronatas fuiſſe conſtat, vt liquet è Prudentio,

Pontificum feſtis ferienda ſecuribus illic
Prudent. in Apoth. *Agmina vaccarum ſteterant; vitulaſq́; reuincta*
Fronte coronatas vmbrabat torta cupreſſus.

Quandoque coronabantur ea fronde quæ illius numinis propria eſſet, cui immolabantur, vt ſupra dixi victimas quæ Baccho offerrentur, fuiſſe hederatas, & hircus ille ἀγελάρχης gregis ductor apud
Long. lib. 2. Longum coronatur pinu, quia immolatur Pani. Cæterùm quòd
Virgil. in Cul. cupreſſus vnà cum victima Deo offerebatur, Virgilio eſt læta, ſi-
Nicand. Ther. cuti ἀειθαλὴς ſemper florida, & longiſſimæ vitæ. Theocrito eſt
Theocr. in epig. εὐώδης odorata; iungiturque frondibus odoratis, lætis, fauſtis,
Ariſtot. de lōg. & breu. vit. cap. 3. nempe lauro & myrto. Neque aliter vnà cum victima eam Deo offerri par eſſet. Hîc aduertendum hanc arborem cenſeri duplici nomine. Nam cupreſſi vocantur χάριτες gratiæ, eo quod delectant.
Conſtãtin Caſ. lib. 1. cap. 5. certè ipſe Cupido filius Veneris, *ac deus amator Pſychem alloquu-*
Apul. Metam. lib. 5. *turus inuolauit hanc arborem, deq́; eius alto cacumine eam eſt affatus.* Vocantur quoque cypariſſi, nempe cùm progignunt, ac ſi dicas, æquales rami, æquales fructus. Porrò cypreſſi fuerunt filiæ Eteoclis. Hæ cùm ſaltando certarent cum Deabus, ab his eiectæ è chorea in puteum deciderunt. Quarum terra miſerta, virides ex ipſis progenuit plantas ſimiles virginibus. Qua ratione viris præbuit lęta & grata lepidiſſimarum feminarum monimenta. Fortaſſe hinc illud eſt quod Artemidorus tradit, Cupreſſum viſam, in ſom-
Artemidor. lib. 2. cap. 25. nis eſſe ſymbolum μακροθυμίας καὶ μεγαλχῆς διὰ τὸ μῆκος, magnanimitatis & moræ propter longitudinem. Alij tradunt, Cypariſſum fuiſſe adoleſcentem Aſſyrium, qui conuerſus eſt in eam arborem
Philoſtrat. vita Apoll. lib. 1. apud Ladonem fluuium, vbi plurimæ & laurus & cypariſſi, & fontes in quibus lauatur Apollo. À noſtris eius altitudo commendatur. Statius,

Stat. li. 4 Theb. *-- atque vni miſſilis illi*
Cuſpide præfixa ſtat frondibus alta cupreſſus.

Enimuero

Enimuero hæc arbor & propter pulchritudinem, quæ eſt è proceritate, delectat; ſimulque eſt veluti munimentum rei proximæ. *Conſtant.Cæſ.*
Ea re Democritus aiebat cupreſſum plantari oportere inter ſepem *lib.11.cap.6.*
& parietem. Propter hanc, vt veriſimile eſt, firmitatem videtur hæc arbor fuiſſe coronamentum eius qui victor fuiſſet in quodam agone gymnicò qui edebatur in Creta, quomodo pinus fuit coronamentum Iſthmicum. Id quod conijcio ex hiſce verbis Plutar- *Plutarch. ſym.*
chi, *οὐδὲ ὁ ναυπηγὸς προστάττει τὴν Ἰσθμικὴν πίτυν, ἢ τὴν Κρητικὴν κυπάριττον*, *lib 1 probl 2.*
neque naupegus, id eſt, fabricator nauium præordinat Iſthmicam pinum aut Criticam cupreſſum, hoc eſt, non vno loco hoc aut illud lignum omne conſtituit, ſed quid cuique loco conueniat, ita illud collocat ac diſponit, vt ipſemet Plutarchus interpres eſt. Extra hos vſus hæc arbor non ſolùm non eſt læta, verùm etiam triſtis ac funeſta, proprieque arbor luctus. Cauſa eſt apud Ouidium qui facit Cypariſſum puerum imprudentem, ſauciato ſeruo ſibi adamato, & ob id flentem mutatum eſſe in arborem.

Affuit huic turba metas imitata cupreſſus, *Ouid. lib. 10.*
Nunc arbor, puer ante Deo dilectus ab illo *Metam.*
Qui citharam neruis, & neruis temperat arcum.

Et paulò poſt vbi refert verba Apollinis,

Ingemuit; triſtiſq́; Deus, lugebere nobis,
Lugebiſq́; alios, aderiſq́; lugentibus, inquit.

Certè quòd eſt arbor luctus Horatius vocat eam inuiſam.

Linquenda tellus, & domus, & placens *Horat. lib. 2.*
Vxor, neque harum quas colis arborum *Carm.od.14.*
Te præter inuiſas cupreſſos
Vlla breuem dominum ſequetur.

Hanc ipſam ob cauſam Virgilio eſt atra

- ſtant manibus aræ *Virgil. 3. Æneì.*
Cæruleis mœſtæ vittis atraq́; cupreſſo.

Statio eſt arbor triſtis & mœſta,

Triſtibus interea ramis, teneraq́; cupreſſo *Stat.li.6.Theb.*
Damnatus flamma torus, & puerile pheretrum
Texitur.

Idem alibi oſtendit, lugentes cupreſſu fuiſſe coronatos.

- tempus nunc ponere frondes *Stat.li.4.Sylu.*
Phœbe tuas, mœſtaq́; comam damnare cupreſſo

Addo, cupreſſum non plebeij, ſed patritij luctus & funeris teſtem fuiſſe, Lucanus,

Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus. *Lucan. lib. 3.*

Natu, inquit Plinius, *moroſa, fructu ſuperuacua, baccis torua, folio* *Plin.li.16.c.33.*
amara, odore violenta; ac ne vmbra quidem gratioſa; materie rara,

vt pene fruticoſi generis. Diti ſacra, & ideo funebri ſigno ad domos poſita. Fermè eadem hic ipſe Plinius tradit de arbore picea, quæ ipſi eſt *arbor feralis, & funebri indicio ad fores poſita, ac rogis virens.* Sed vt hæc ſint trita & vulgata, illud ſanè eſt ſingulare, quod colligo è loco Spartiani, nempe cupreſſum non ſolùm mortis quæ iam aduenisset, ſed & inſtantis indicem fuiſſe, & quaſi prænuntiam. *Æthiops quidam,* inquit Spartianus, *è numero militari claræ inter ſcurras famæ, & celebratorum ſemper iocorum cum corona è cupreſſu facta eidem occurrit. Quem cum ille* [Alexander Seuerus] *iratus remoueri ab oculis præcepiſſet, & coloris eius tactus omine, & corona, dixiſſe illi dicitur ioci cauſa, Totum fuiſti, totum viciſti; Iam Deus eſto victor,* id eſt, iam relinque hæc humana, quorum omnium iam potitus es, ac tranſi ad Deos. Et verò hanc arborem neſcio quid diuini præſagire, vel illud indicio eſt, quod priſco more adhibebatur publicis monumentis, iiſque manſuris. Plato vbi egit de cultu qui Terræ, vti Deæ debitus eſt, addit, *χάλκωσας δ' ἐν τοῖς ἱεροῖς θήσουσι κυπαριττίνας μνήμας εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον καταγεγραμμένας.* In ſacris autem ad futuram rerum memoriam, cupreſſea monumenta accuratè deſcripta imponent. Cupreſſus ingens ab radicibus vi venti euerſa, & ſequenti die reuiuiſcens & per ſe ipſa conſiſtens ac refloreſcens vt mortem Neronis, ſic imperium Veſpaſiani prænũtiaſſe eſt credita. Victima interdum fuit coronata alijs frondibus & folijs, vt apud Prudentium taurus,

Plin li 16. c. 10.
Spartian. in Alex. Seu.
Plato lib. 5 de leg.
Xiphilin. Veſp.

> *Huc taurus ingens fronte torua & hiſpida*
> *Sertis reuinctus aut per armos floreis,*
> *Aut impeditus cornibus deducitur.*

Prudent. Periſteph. hym. 10.

Ipſæ domus quoties fiebat res ſacra, luſtrabantur ſulphure, ſale mixto, & coronabantur virenti lauro. Tireſiæ alloquentis Alcmenam hæc ſunt verba apud Theocritum,

> Καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
> Πρᾶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)
> Θαλλῷ ἐπιρραίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

Theocr. ἡρακλ. εἰδ. κδ'.

& puro luſtrate domum ſulphure primùm, deinde ſale, mixtam, vt conſuetum eſt, ramoque virenti coronata aſpergite puta aqua. In feſtis Palilibus ipſas ouilium fores Ouidius coronari iubet, deſcribens id genus ſacrificij.

> *Paſtor oues ſaturas ad prima crepuſcula luſtret;*
> *Vuda prius ſpargat, virgaq; verrat humum.*
> *Frondibus & fixis decorentur ouilia ramis,*
> *Et tegat ornatas longa corona fores.*

Ouid. li 4. Faſt.

Hæc item omnia vera eſſe Tertullianus firmat, è Claudio Saturnino, *Ipſæ denique fores,* inquit, *ipſæ hoſtiæ & aræ, ipſi miniſtri & ſa-*

Tertull de cor. mil.

cerdotes eorum coronantur. Habes omnium collegiorum ſacerdotalium coronas apud Claudium. Ipſæ in domibus columnæ floreis nitoribus coronabantur. ἔνιοι δὲ [κελεύουσι] καὶ στέφειν τὰς στήλας ἄνθεσιν. nonnulli verò [iubent] & coronare columnas floribus. *Lucian. Nig.*

CAP. XVIII.

Alnei, lintres, naues adhibitæ vehendis ſacris, uſq; quæ ad ſacra pertinerent, erant coronatæ. Nauis θεωρὶς *quæ. Hæc quoque coronata. Naues quæ vehebant eos qui victores eſſent, coronatæ. Tutela nauis coronata. Equi & aſini feſtis diebus, & quoties ſacra veherent, fuerunt coronati. Aſini vehendis ſacris adhibiti. Aræ & altaria coronata. Sacella & ædiculæ Deorum coronata. Templa coronata.* στέμματα *in templis quid.*

Ipsi aluei & lintres quæ vehebant eas epulas, quibus, cùm ſacra fierent, indulgeri mos fuit, erant coronatæ. Ouidius de ſacris Fortunæ.

Ferte coronatæ iuuenum conuiuia lintres *Ouid. li. 6. Faſt.*
Multaq; per medias vina bibantur aquas.

Apud hunc ipſum poëtam nauis quæ matrem Deorum Romam vehebat, eſt coronata,

Ante coronarunt puppem; & ſine labe iuuencam *Ouid. li. 4. Faſt.*
Mactarunt operum, coniugijq; rudem.

Alibi dico, hanc nauem quæ Deos & ſacra veheret, vocatam fuiſſe θεωρίδα, hoc eſt ἱεραγωγόν. Quo nomine illam quoque donabant *Polyb. ed. legat.* quæ veheret ipſos θεωρὺς, eos qui mittebantur ſciſcitatum oraculum Apollinis. Æſchylus,

χρύσολον θεωρίδα *Æſchyl. ἑπτ.*
ταῖ ἀστῷ Ἀπόλλωνι. *ἐπὶ Θηβ.*

nauigantem nauem theoridem, hanc inuio Apollini. vbi Scholiaſtes ait, Athenienſes ſolitos fuiſſe mittere coronatam nauem Apollini propter vaticinium. Ergo eam, inquit, vocarunt θεωρίδα tanquam adeuntem numen, ac Dei oracula rurſus referentem. *Lucian. Ner. ſeu de foſſa Iſthm.* Ergo apud Lucianum quidam ita loquitur, Quæ hæc eſt, quæ huc accedit, nauis? vt videtur aliquid boni aduehere. Nam capitibus eſt coronata, vt chorus boni ominis. Huius coronaméti meminit Plato in Phædone. Quem locum Plutarchus citat his verbis, ἔτυχε γὰρ τῇ προτεραίᾳ τῆς δίκης ἡ πρύμνα ἐστεμμένη τοῦ πλοίου ὃ εἰς Δῆλον Ἀθηναῖοι πέμπουσιν. *Plutarch. περὶ εἱμαρμ.* Et paulò poſt, ὁ μὲν γὰρ ἱερεὺς ἔστεφε τὸ πλοῖον ἀρχὴν χάριν, ἀλλ' οὐ Σωκράτους. Eucnit enim vt poſtridie iudicij habiti coronaretur puppis ſacri nauigij quod Athenienſes quotannis Delum mittunt. Et ipſe qui-

dem ſacerdos coronauit nauigium alius gratia, ſed non Socratis. Sed operæ pretium eſt referre ipſa verba Platonis quæ nullo interuallo ſequuntur illa quæ à Plutarcho memorantur, è quibus tota huius inſtituti ratio pleniſſimè cognoſcitur. τοῦτ' ἐστὶ τὸ πλοῖον quod ita Latinè redditur, Illud eſt nauigium, vt aiunt Athenienſes, quo olim Theſeus illos bis ſeptem iuuenes in Cretam deduxit; & illos & ſeipſum ſeruauit. Votum autem, vt dicitur, nuncuparant, vt ſi incolumes redirent, ſacrum quod θεωρίαν vocant, Apollini quotannis in Delo celebrarent. Id quod & quotannis, miſſo illo nauigio fieri ſolet. Ergo vbi primùm illius θεωρίας ſacrum inierunt, lege cautum eſt vt interea vrbs expietur, neque quiſquam publico decreto capite multetur, priuſquam nauis & Delum ierit hinc, & huc redierit. Quibus rebus multum temporis aliquando inſumitur, cùm, ſcilicet, contrarijs ventis detinentur. Principium illius theoriæ tunc eſt, cùm Apollinis ſacerdos puppim nauigij coronauit. Ipſæ naues, quæ vehebant eos qui victoriam vſpiam adepti eſſent, tanquam victrices coronabantur, vt de illis quæ Græcos è Troia redeuntes cecinit Q. Calabet in his verſibus,

Plato in Phæd. — *Q. Calab. li. 14.*

— κατεστέψαντο δὲ νῆας
καὶ κεφαλὰς, καὶ δοῦρα, καὶ ἀσπίδας ᾗσι μάχοντο
ἀντία δυσμενέων.

coronarunt verò naues & capita, & lanceas, & ſcuta quibus pugnant contra hoſtes. In primis aduertendum, tutelam nauis fuiſſe coronatam, id eſt, numen tutelare cuiuſq; nauis. Valerius Flaccus,

Valer. Flacc. 1. Argon.

Mox vbi victa graui ceciderunt lumina ſomno,
Viſa coronatæ fulgens tutela carinæ
Vocibus his inſtare duci.

Ne ipſis quidem equis & aſinis ſuæ coronę defuerunt. Certè Conſualibus vtroſque coronabant & equos & aſinos, eoſque otiari permittebant. An quòd, inquit Plutarchus, Neptuni equeſtris feſtum agunt, aſinus cum equo ſimul quieſcit, & pari ſecuritate fruitur? An quòd, inuenta nauigatione, otium & quies iumentis data? Cæterùm aſelli qui ferebant panem ad rem ſacram fuerunt coronati. Ouidius de ſacris Deæ Veſtæ,

Plutarch. κεφαλ. ζητημ. ῥωμ. — *Ouid. lib. 6. Faſt.*

Ecce coronatis panis dependet aſellis;
Et velant ſcabras florida ſerta molas.

Sic apud Propertium loquentem de priſco, eoque ſimplici cultu Deorum aſelli vehentes Veſtam ſunt coronati.

Propert. lib. 4.

Veſta coronatis pauper gaudebat aſellis;
Ducebant macra vilia ſæpe boues.

Enimuero aſinos baiulandis ſacris adhibitos fuiſſe, præter cætera; hinc quoque manifeſtum, quòd nato Libero ſacer chorus Baccha-

rum arcanam arcam, eamque coronatam aſini tergo impoſuit, *Oppian. κυνηγ. lib. 4.*

χηλὸν δ' ἀῤῥήτην ἱερὸς χορὸς ἀείραντες,
Στεψάμεναι νώτοισιν ἐπεστήριξαν ὄνοιο.

Arcam porrò arcanam ſacer chorus ſublatam, Et coronatam tergis impoſuerunt aſini. Ipſæ aræ apud quas res ſacra fiebat, fuerunt coronatæ, id eſt vmbratæ, folijs, frondibus, floribus. Propertius, *Propert. lib. 3.*

Inde coronatas vbi thure piaueris aras.

& Statius,

-geminas ergo ilicet aras
Arboribus viuis, & adulto ceſpite texi *Stat. li. 8. Theb.*
Imperat; innumeroſq́; Dea ſua munera flores,
Et tumulos frugum, & quicquid nouat integer annus
Addit.

Antoninus ingreſſus ditionem Perſicam, ſimulabat ſe lætari quòd vndique ſibi adducerentur ſacrificia, & vbique aræ coronarentur. *Herodian. li. 4.* Memorat Athenæus, in pompa Ptolemæi tranſuecta fuiſſe altaria quinquaginta cum aureis coronis. *Athen. lib. 5.* Euripides ait, aram habere rubras è ſanguine comas, id eſt, ſerta & coronas.

ἐξ αἱμάτων γοῦν ξανθ' ἔχει τριχώματα. *Euripid Iphig. in tau. actu 1.*

Et hæc τριχώματα capillamenta ſunt ſerta & flores. Statius, *Stat. lib. 3. Sylu.*

-date ſerta per aras,
Feſtaq́; pallentes hilarent altaria lucos.

Et alibi,

Semper odoratis ſpirabunt floribus aræ.

Admirabilis illa ara, quam Lucianus collocatam memorat in media palude, ἔστεπται ἀεὶ, ſemper eſt coronata, καὶ θυμιάματα ἔχει, & incenſa habet. *Lucian. de Sy. Dea.* πολλοὶ δὲ κατ' εὐχὴν ἐς αὐτὸν νηχέονται στεφανηφορέοντες, Multique voti gratia eò natantes coronas portant. Theophraſtus author eſt, Ægyptios coronare aras ea planta, quam vocant ἄπτον, ſiue εἴγγον. *Theophraſt. lib. 1. de plant.* Ipſa ſacella eâdem ratione erant coronata, id eſt, flore conſperſa. Propertius,

Flore ſacella tego, verbenis compita velo; *Propert. lib. 4.*
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

Certè & ipſæ diuerſorum numinum ædiculæ vndecunque coronabantur. Euripides,

Τίς ἡδονή σοι θεοῦ θανεῖν ἐν στέμμασι; *Eurip in Io. actu 4.*

Quæ tibi voluptas mori in coronis Dei? Nec ſacella tantùm, ſed & templa antiquitas coronauit. Euripides,

χο. ἆρ' ὄντως μέσον ὀμφαλὸν
Φοίβου κατέχει δόμος; Ιων. στέμμασί γ' ἐνδυτὸς,
ἀμφὶ δὲ Γοργόνες. *Eurip. Io. act. 1.*

An reuera in medio [terræ] vmbilico Phœbi delubrum eſt; Ion. Coronis etiam redimitum, & circa Gorgones. Diſertim Plutarchus, Adorant, inquit, ſedes Deorum, & coronant templa. Cùm Iupiter queritur de Epicuro, ſi, inquit, ei credãt homines, tũ nobis templa erunt incoronata, id eſt, infrequentia, inculta ac deſerta. Potiſſimùm in publica lætitia templa coronabãtur; vt in triumpho Pauli Æmilij, Nam omnia templa fuerunt aperta; & coronatum & ſuffitionum plena. Hoc autem coronare tẽpla nihil aliud eſt quàm frondibus ea contegere. Valerius Flaccus,

Plutarch. περ. στωι. εναν. *Lucian bis accuſ.* *Plutarch. Æm. Paulo.* *Valer. Flacc. lib. 2. Arg.*

-æquora cuncta
Proſpiciunt, ſimulantq; choros; delubraq; feſta
Fronde tegunt.

Illud antrum vnde edebantur Apollinea reſponſa, dicebatur eſſe coronatum, id eſt, multa fronde vmbratum. Pythias apud Æſchylum,

Æſchyl. εὐμεν.

Ἐγὼ μὲν ἕρπω πρὸς πολυστεφῆ μυχόν
Καρ. τί δῆθ᾽ ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων;

Ego quidem vado ad coronatum antrum. Car. Quid autem Phœbus reſonauit [clamauit] è coronis? Vbi Scholiaſtes ἐκ τῶν στεμμάτων interpretatur ἐκ τῶν στεφάνων τῆς προφήτιδος. è coronis eius vatis cuius ore reſponſa dabantur. Ego ab interprete ſeorſim ſentio, & ἐκ τῶν στεμμάτων interpretor ex adyto, ἐκ τοῦ μυχοῦ, quod frondoſum, id eſt fronde contectum oſtendi. Hac eâdem ratione templa Chriſtianorum coronari cœpta. Hieronymus de quodam presbytero, *Qui*, inquit, *baſilicas eccleſiæ, & martyrum conciliabula, diuerſis floribus, & arborum comis, vitiumq; pampinis adumbrant, vt, quicquid placebat in eccleſia tam diſpoſitione, quàm viſu, presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.*

Hieron. ep. li. 2. ep. 22.

CAPVT XIX.

Vaſa ſacrificalia coronata. Lac coronatum. Calices coronati. Qui ſacris initiabantur erant coronati. Sacrificia bene coronata. In ſacrificali apparatu coronis locus eſt eminentiſſimus. Θεωροὶ coronati. ἱερομνήμονες & ἀρχιθέωροι coronati. Sacrificantes & legati coronati verbena. Legati velati olea. Vates coronati.

VASA quoque & ciſtas in quibus condebantur ſacrificio neceſſaria, ſertis redimitas & coronatas fuiſſe conſtat. Euripides,

ὁρᾷς τόδ' ἄγγος ὑπ' ἀγκάλαις ἐμαῖς;
Ἴων. ὁρῶ παλαιὸν ἀντίπηγ' ἐν στέμμασιν, — *Eurip. Ion. actu 5.*

Vides hanc ciſtam ſub brachio manus meæ? I. Video antiquam arcam ſertis implicatam & floribus. Tibullus ſe & caniſtra coronat myrto,

Hunc pura cum veſte ſequar, myrtóque caniſtra — *Tibull. lib. 3.*
Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.

Similiter Ouidius,

Illa fortè die caſtæ de more puellæ, — *Ouid. lib. 2. Metam.*
Vertice ſuppoſito feſtas in Palladis arces
Pura coronatis portabant ſacra caniſtris.

Non omiſerim, ruſtica ſuperſtitione lac à capris & quibus recens expreſſum fuiſſe coronatum; eoque agreſtium numinum effigies conſpergi ſolitas, vt videre eſt apud Longum. Calices quoque eorum qui Dijs libabant, fuerunt coronati. Tibullus de ſacrificio quod ruri fit. — *Long. lib. 3.*

Tunc operata Deo pubes diſcumbit in herba, — *Tibull. lib. 2. el. 6.*
Arboris antiquæ quà leuis vmbra cadet.
Aut è veſte ſacris tendent vmbracula ſertis
Vincta, coronatus ſtabit & ipſe calix.

Ij qui ſacris operabantur in ipſo myſteriorum aditu coronam accipiebāt. Id licet conijcere è verbis Socratis apud Ariſtophanem, qui Strepſiadem cupientem admitti in adyta philoſophiæ ſic alloquitur in loco ſupra citato. *Σωκ. τουτογὶ λάβε τ̀ στέφανον. Στρ. ἐπὶ τί στέφανον; οἴμοι Σώκρατες, ὥσπερ με τ̀ Ἀθάμανθ' ὅπως μὴ θύσετε. Σω. οὐκ· ἀλλὰ πάντα ταῦτα τοὺς τελουμένους ἡμεῖς ποιοῦμεν.* Cape hanc coronā. St. Cui rei coronam? dummodo non me ſicut Athamantem immoletis. Soc. Minimè. Sed hæc omnia nos initiatis facimus. Cæterùm cùm & ipſi ſacrificantes, & omnia quæ ad ſacrificium pertinent, coronarentur, non mirum eſt, ipſa ſacrificia vocari bene coronata, id eſt, ſuis ornamentis prædita, & placentia Dijs. Ariſtophanes, — *Ariſtoph. νεφ.*

Εὐστεφανοί τε θεῶν
Θυσίαι. — *Ariſtoph. νεφ.*

Extant & hi verſus qui dicuntur eſſe Sophoclis, relati ab Hecateo, teſte Clemente Alexandrino,

Θυσίας τε τούτοις καὶ καλὰς πανηγύρεις
Στέφοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν. — *Clem. Alex. Stromat. lib. 5.*

Sacrificia his, & pulchros conuentus coronantes, ita pietatem colere exiſtimamus. Et verò inter illa omnia, quibus ſacrificij apparatus continetur, corona eminentiſſimum locum obtinet. Idem Ariſtophanes,

Ariſtoph. εἰρ.

Τὸ κανοῦν πάρεστιν ὀλὰς ἔχον, καὶ στέμμα, καὶ μάχαιραν,
Καὶ πῦρ γε τυτί. κ' οὐδὲν ἴσχει πλὼ τὸ πρόβατον ἡμᾶς.

Caniſtrum adeſt ordeum habens, & coronam, & cultrum, & ignem hunc. Et nihil remoratur niſi ouis. Ipſi adeuntes oracula, θεωροί, nimirum, erant coronati; neque niſi re, ad quam miſſi fuerant, peracta, coronam ponebant. Quam ipſam in æde alicuius Dei repoſitam eidem conſecrabāt. Id quod diſcimus ex hoc loco

Liu. lib. 23. Liuij: *Tum dixit* [Q. Fabius Pictor] *ſe oraculo egreſſum templo his omnibus diuis rem diuinam thure ac vino feciſſe; iuſſumq́; ab antiſtite, ſicut coronatus laurea corona & oraculum adiſſet, & rem diuinam feciſſet, ita coronatum nauim aſcendere; nec ante deponere eam, quàm Romam perueniſſet. Se quæcunque imperata ſint, cum ſumma religione ac diligentia executum coronam Romæ in ara Apollinis depoſuiſſe.* Id quod non Romano ſolùm, ſed & Græco more fiebat. Et quidem Oreſtes apud Æſchylum, cæſa matre & Ægiſtho, ait ſe eum ſupplici ramo, nempe oleæ, atque adeò coronatum iturum Delphos.

Æſchyl. χοηφ.

καὶ νῦν ὁρᾶτέ μ' ὡς παρεσκευασμένος
ξὺν τῷ δὲ θαλλῷ καὶ στέφει προσίξομαι,
Μεσόμφαλόν τ' ἵδρυμα λοξίου πέδον.
Πυρός τε φέγγος ἄφθιτον κεκλημένον.

Et nunc videte me vt paratus cum hoc ramo virenti & corona proficiſcar ad ſolum quod eſt in medio terræ vmbilico, [vbi eſt] ſtatua Apollinis, Igniſque lumen indeſinens vocatum. Apud eundem Æſchylum Pythias, viſo apud oraculum Oreſte, ait,

Æſchy. Εὐμεν.

ὁρῶ δ' ἐπ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ
ἕδραν ἔχοντα προστρόπαιον, αἵματι
στάζοντα χεῖρας, καὶ νεοσπαδὲς ξίφος
ἔχοντ' ἐλαίας θ' ὑψιγέννητον κλάδον
λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον
ἀργῆτι μαλλῷ.

Video autem in vmbilico virum Deo inuiſum, ſedem habentem, impurum, ſanguine ſtillantem manibus, & nuper faſcijs inuolutum gladium habentem, & oleæ altè genitum [nobilem] ramum lanæ maximæ caſtè coronatum puro vellere. Hoc exemplo ij qui Athenis vocabantur ἱερομνήμονες, reges ſacrorum, Delphoſque mittebantur, erant coronati, vt apud Ariſtophanem,

Ariſtoph. νεφ.

Σπένδεθ' ὑμεῖς καὶ γελᾶτ' αὖθ' ὃν λαχὼν Ὑπέρβολος
Τῆτες ἱερομνημονεῖν, κἄπειθ' ὑφ' ὑμῶν τῶν θεῶν
Τὸν στέφανον ἀφῃρέθη.

libatis vos, & ridetis pro eo quod Hyperbolus hoc anno electus rex ſacrorum, poſtea à vobis priuatus eſt corona Deorum. Hos ipſos video quoque vocari ἀρχιθεώρους, præfectos inſpectorum;

eorumque

eorumque munus ἀρχιθεωρίαν, ac ſi dicas præfecturam aut ducatum inſpectionis. Qua de re extat inſignis locus in oratione Dinarchi, vbi is exprobrat Demoſtheni ipſum voluiſſe intereſſe ludis Olympicis, vt per occaſionem huius legationis congrederetur cum Nicanore exule, vbi διὰ τῆς ἀρχιθεωρίας, interpres vertit, fretus feſti ſolennitate. Ego malo, per occaſionem huius Olympicæ ſolennitatis. Nam paulò poſt ait, Demoſthenem ſuo ſibi ſuffragio hanc legationem dediſſe, ἐπειδὴ δὲ τοὺς φυγάδας ἀλέξανδρον ἔφασαν κατάγειν, καὶ Νικάνωρ εἰς ὀλυμπίαν ἧκεν ἀρχιθέωρον αὐτὸν ἀπέδειξε τῇ βουλῇ. Quando verò Alexandrum aiebant reducere exules, & Nicanor ad Olympiam venit, regem ſacrorum ſe reddidit Senatui. Cæterùm, vt ſupra dixi, quiſquis quacunque occaſione ſacrificaret, quiſquis Deos ſibi propitios inuocaret, verbena priſco more coronabatur. Virgilius, *Dinarch. cõtra Demoſth.*

– alij fontemq́; ignemq́; ferebant, *Virgil. 11. Æne.*
Velati lino, & verbena tempora vincti.

Huic coronæ haud quaquam abſimilis fuit illa, qua priſco more, capita legatorum coronari mos fuit. Ea corona fiebat è verbenaca. Nimirum, talis legatio, vt monui in Legato meo, inter ipſos hoſtes erat veluti quædam pacis ſequeſtra. Quanquam & legatos olea velatos, ſicuti pacem petentes, legimus. Virgilius, *Hegeſipp. lib. 2. cap. 36.* *In Legato meo, cap. 18.*

Centum oratores auguſta ad mœnia regis *Virgil. 7. Æneid.*
Ire iubet ramis velatos Palladis omnes.

Certè hoſtem credebatur exuiſſe is, qui, quòd ſe conciliatorem pacis profitetur, tam venerabili cultu inſignis incedebat. Vates quoque, id eſt, ij qui numine diuino afflati futura prædicebant, erant coronati, aut certè & baculum & coronas geſtabant. Caſſandra apud Æſchylum hunc ſuum habitum, cuiuſmodi ſit, his verbis profitetur,

τί δῆτ' ἐμαυτῆς καταγέλωτ' ἔχω τάδε *Æſchyl. Agamem.*
καὶ σκῆπτρα, καὶ μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη;

Quid ita in mei deriſionem habeo hos baculos, & vaticinij circa collum coronas? quibus ex verbis hæc vaticinij coronamenta collum circundediſſe conſtat. Hunc omnem habitum paulò poſt vocat χρηστηρίαν ἐσθῆτα vaticinij, ſeu vaticinantem veſtem. Stephanus in hanc ſententiam citat verſum Lycophronis, vbi vates mortuus coronatur non ſolùm vt mortuus, ſed vt vates. *Steph. Εὐρυτᾶνες.*

Μάντιν δὲ νεκρὸν Εὐρυτανὸν στέψει λεώς. *Lycophr. Caſſ.*

Vaticinans autem cadauer Eurytanum coronabit populus. ſiue, Vatem verò mortuum Eurytanum, &c. Ipſa Caſſandra de qua mox dicebam, cùm ab Clytemneſtra ſtricta in ipſam ſecuri, acciderer genubus Agamemnonis, ab ſe proijcit coronas & inſignia *Philoſtrat. in imag.*

Plutarch. Alex. Mag. vatis, ῥίπτων ἀφ' αὑτῆς τὰ στέμματα. Apud Plutarchum Ariſtander vates ante inſigne prælium Alexandri cum Dario, veſte alba amictus, & corona coronatus aurea, oſtendit aquilam ſuperuolitãtem capiti Alexandri. Luciano hæc ſiue ſacerdotalis, ſiue vaticinãtium, ſiue prophetarum corona eſt ἱερατικὸν, καὶ προφητικὸν σῆμα, vbi agit de eo qui aſſumendus eſſet in locum Alexandri illius pſeudomantis.

Lucian in Alex. ſeu pſeudo.

CAPVT XX.

Mitra vnde dicta, & quid ſit. Mitra geſtamen capitis muliebris. Mitra pileus nocturnus. αἰολομίτρα. μιτροφορεῖν. Mitra corona plexa è faſcijs. Mitra, lamina ferri. μιτροῦσθαι armari. Mitra, faſcia munimen pectoris muliebris.

MITRÆ decus, quo Epiſcopalis, ſiue Pontificalis dignitas demonſtratur, monuit me vt hanc quoque, imò hanc potiſſimùm adnumerarem ijs coronis quas ſacras nomino. Sed priuſquam de hac mitra dicô, huius vocis & originem & ſignificatus mihi altiùs intelligo eſſe exquirẽdos. Mitram dici aiunt à dictione μίτον, id eſt filum. Mitra, inquit Heſychius, ænea lamina, diadema, hoc eſt faſcia, zona, thorax, tænia. Addit Suidas, μίτρας eſſe zonas, & indutum purpureum, & Laconicos peplos, ac talia cuiuſmodi eſt ὁ ἀμφιτραχήλιος κόσμος, ornatus qui ceruicem circumdat. Vt nos diſtinctè tradamus illa quæ apud hoſce ſcriptores aceruatim ſcribuntur, primùm diſcimus Mitram eſſe ornamentum, ſeu redimiculum capitis muliebris, τὸ γυναικεῖον τῆς κεφαλῆς ἀνάδεσμον, vt apud Herodotum deſcribentem cultum & habitum Babyloniorum & Aſſyriorum, κοσμεῦντες δὲ, inquit, τὰς κεφαλὰς μίτρῃσι ἀναδέοντα μυριζόμενοι πᾶν τὸ σῶμα, ornantes verò capita mitris redimiuntur vncti totum corpus; delicatos eos, & voluptarios homines demonſtrãs qui capite geſtent muliebres vittas, ſiue muliebria redimicula. Nempe, odioſius eſt, mitram imponi capiti virili, quòd mitra propriè eſt muliebre capitis geſtamen; quod tamen viri molles & effeminati vſurpare ſuſtinerent. Ergo Iuno apud Iouem acerrimè inuecta in mores Bacchi tam molles, tamque effeminatos, vt tanto patre ſit indignus, præter cætera exprobrat ei comam mitra religatam, μίτρᾳ μὲν ἀναδεδεμένος τὴν κόμην, &c. Hoc probrum Iupiter paulò infra agnoſcit vnico epitheto, cùm eum vocat θηλυμίτρην. Iarbas quoque deridens Æneam vt mollem & effeminatum, ait,

Heſych. μίτρα.
Suid. μίτρα.
Etymol. μίτρα.
Herodot. lib. 1.
Lucian. in Dial. Deor.

Virgil. 4. Æneid.

Et nunc ille Paris cum ſemiuiro comitatu
Mæonia mentum mitra, crinemq́ madentem.

Subnixus rapto potitur.

Ille item Numanus Remulus, qui Troes ab Turno obſeſſos irridet, opponit eis vitam deſidem & effeminatam, quam mitra ſatis demonſtret,

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis, Virgil. 9 Æneid.
Deſidiæ cordi; iuuat indulgere choreis.
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

ac ſi dicat, qui in morem muliebrem mitrati inceditis. De hoc mitræ genere loquitur Hieronymus in his verbis, *Non habuit criſpantes mitras, nec ſtridentes calceolos, nec orbes ſtibio fuliginatos.* Hieron. ep. lib. 2. ep. Huius mitræ frequens apud ſcriptores mentio. Et quidem Ariadne apud Catullum,

Non flauo retinet ſubtilem vertice mitram. Catull. Argon.

Achilles Tatius loquens de ornatu muliebri, καὶ ἐπισκευάσαντες μίτραις τε καὶ ζώσμασιν ἐνδεδυμένην τὴν στολὴν ταύτην ἐπικρύψομεν. Hunc in modum adornata puella, ſtolaque ſuperimpoſita, mitris deinde, ac vittis additis, apparatum iſtum occultabimus. Achill. Tat. l. 3. Parthenius de puella quam Naxij honoribus colere volebant, καὶ οἱ μὲν, inquit, ταῖς αὐτὴν μίτραις ἀνέδουν· οἱ δὲ ζώναις. Parthen. in Polycr. 8. Et hi quidem quibuſdam eam mitris redimierunt, hi zonis. Apud eundem ſcriptorem alia puella dicitur iniecisse collum mitræ ab quadam quercu ſuſpenſæ. Parthen. in bibli. De hac mitra ſic loquitur Momus apud Lucianum, Qualis ipſe eſt non dico, Lucian. Deor. neque mitram, neque ebrietatem, neque inceſſum. Omnes enim, conc. opinor videtis quàm femineus ſit & mulieroſus. Solinus quoque Solin. cap 56. ait, Arabas geſtare capita mitrata & redimita. Notantur & priſci Maſſilienſes ſicuti effeminati, quòd induerent veſtes verſicolores & talares; ac ne quid probro deeſſet, aſpiciebantur τὰς κόμας μεμυρισμένας ἀναδεδεμένοι, nempe μίτραις, καὶ διὰ ταύτην τὴν μαλακίαν ἀσχημονοῦντες, vnguentatas religare comas [mitris,] & propter hanc ἐν παροιμ. mollitiem fœdos. Vnde, credo, natum prouerbium in eos qui luxurioſè viuunt, ἐκ μασσαλίας ἥκεις. E Maſſilia venis. Notantur quoque apud Plautum hi mores,

Vbi tu es qui colere mores Maſſilienſes poſtulas? Plaut. Caſ. act. 5.

Huic mitræ affinis fuit illa, cui apud Pollucem nomen κεκρύφαλος, quod ait eſſe δέρμα κεχρυσωμένον, ὃ περὶ τὴν κεφαλὴν φοροῦσι, nempe γυναῖκες, pellem deaurararatam, quam circa caput ferunt mulieres Xiphil. Ner. fortaſſe cuiuſmodi fuit illud κράνος χρυσοῦν quod vxor Tiridatis ἐν παροιμ. cùm Romam vnà cum marito proficiſceretur, geſtabat pro calyptra, ne videretur tranſgredi mores patrios. Pollux lib. 7. cap 30. Quippe calyptra fuit proprium geſtamen veterum reginarum. Calyptræ meminit Apollonius Rhodius, Athen. lib. 4.

Ἀμβροσίῳ δ' ἐφύπερθε καρήατι βάλλε καλύπτρην
Apollon. Rhod. lib. 3.
Ἀργυφέην.

At diuino deſuper capiti iniecit calyptram argẽteam. Et Ariſtides Smyrnam terræ motu & ruinis deformatam commendat Imperatoribus, εἴτε ὡς καλύπτραν βασιλίδων, εἴτε ὡς βασιλείας ἀνάδημα. ſiue vt calyptram reginarum, ſiue vt regiam faſciam. Aëtion pictor in inſigni illa tabula in qua exhibuit nuptias Alexandri & Roxanes, pinxit regem auferentem calyptram è capite ſponſæ. Scitè admodum Plato ait, quemdam agrum eſſe in Perſide quem vocant reginæ καλύπτραν. Cæterùm quia mitra fuit ornamentum capitis muliebris, ille apud Statium Atlantiades, firmans ſe eſſe virum fortem, ait, -- *haud vnquam deformes vertice mitras*

Ariſti l. in epiſt. ad Impp. — Lucian Herod. ſiue Aetio. — Plato in Alcib. 1.

Induimus, turpiq́; manu iactauimus haſtam.

Stat. li. 9. Theb.

Tradit Palæphatus, Amazones quamuis eſſent viri, quòd induebant veſtes longas ac talares, καὶ τὴν κόμην ἀνεδοῦντο μίτραις, & comam religabant mitris, & barbam raſitabant, exiſtimatos fuiſſe ſequioris ſexus. Licuit tamen & viris ferre mitram, ſi nón muliebrem, at muliebri ſimilem, ſed noctu, & comitem ſomni. Nimirum mitra quoque ſignificauit pileum nocturnum. Id conijcio ex hoc loco, ᾔτησα ὕδωρ εἰς ὄψιν. νίπτομαι πρῶτον τὰς χεῖρας, εἶτα τὴν ὄψιν ἐνιψάμην, ἀπέμαξα, ἀπέθηκα τὴν μίτραν. petij aquam ad oculos. Lauo primùm manus, deinde oculos laui, abſterſi, depoſui mitram. Porrò quia muliebribus mitris plerunque addũtur flores, eas vocarunt πολυανθέμους, floridas, florentes, corollis & coronis inſignes. Et αἰολομίτραν vocarunt ποικίλην μίτραν ἔχοντα, cum qui verſicolorem mitram haberet. Hinc quoque μιτροφορεῖν, quod apud Ariſtophanem eſt muliebrem in modum caput ornare,

Palæph. in fab. — in ὁμιλ. ... — ἐν πασιμ... — Etymol. αἰολομίτρ.

Μιτροφορεῦντε καὶ διεκάνων ἰωνικῶς:

mitrabantur & verſabantur Ionicè. Hinc χρυσόμιτρις, quo epitheto Oppianus Dianam ornauit,

Ariſtoph. Θεσμοφ.

Παρθένε χρυσόμιτρε, & χαλκεομίτρης,

Oppian. κυνηγ. lib. 2.

æreo baltheo inſignis. Hoc epitheto donatus eſt Euelpor ille apud Q. Calabrum,

Κτεῖνε δ' ἐπασσυτέρως Εὐήνορα χαλκεομίτρην.

Q. Calab. lib. 1.

Interfecit illico Euenorem æreo baltheo conſpicuum. Interdum mitra eſt corona plexa è faſcijs. In vſu tamen eſt vt omnis corona vocetur μίτρα, inquit author etymologici. Quandoque hæc dictio ſignificat laminam ferri, vt ſupra dixi è Suida & Heſychio. Homerus,

Etymol. μίτρα.

Μίτρης θ' ἣν ἐφόρει ἔρυμα χροός, ἕρκος ἀκόντων.

Homer. Iliad. δ.

Laminam quam portabat tutamen corporis, ſeptum telorum. Hanc eandem vocat εὐκίνητον πολεμιστήν, motu facilem bellatoriam,

nempe diuerſam ab illis quæ ſunt æreæ ante pudenda, vt mox dicam. Nimirum, aliæ ſunt mitræ æreæ latæ, quibus ſuccincti ſunt Salij galeas æreas ferentes, inquit Plutarchus. Hinc Græci vocarunt *ἀμιτροχίτωνας ἄζωνας, ἢ μίτρᾳ ϗ θώραξι μὴ χρωμένους*, diſcinctos, aut thorace minimè vtentes. Ergo & *μίτρην* interpretantur balteum, vt in his verſibus, *Plutarch. Numa.* *Etymol. ἀμιτροχίτωνας.*

Δῶκε δ' ἄρα Σθενέλῳ βριαρὰν κόρυν ἀστεροπαίου
Χαλκείην, ϗ δοῦρε δύω, ϗ ἀτείρεα μίτρην. *Q. Calab. lib. 4.*

Steneleo autem dedit grauem Aſteropæi caſſidem Ex ære, & haſtilia duo, & durabilem balteum. Hinc *μιτροῦσθαι*, quod eſt armari, tegi, protegi. Strabo de Luſitanis, *μιτρωσάμενοι δὲ τὰ μέτωπα μάχονται*, mitratis, ſeu ferratis frontibus pugnas ineunt. Indos quoque mitrari, id eſt armari, idem ſcriptor tradit. Apud hunc ipſum Strabonem legimus, *τὰς ναῦς κατεσκευασμένας ἀμφοτέρωθεν ἐγκοιλίων μίτρων χωρίς*, naues paratas vtrinque abſque cauis mitris, non mitratas, hoc eſt, intectas, & nullo ſuperimpoſito interiori tabulato. Fuit quoque mitra faſcia ſeu lamina quæ pectus muliebre tuebatur, qualis illa in quam Medæa condidit *φάρμακον προμήθειον*, venenum è radice Promethei, *Strabo lib. 3.* *Strabo lib. 15.*

Τὸν ῥ' ἥγ' ἐξανελοῦσα θυώδει κάτθετο μίτρῃ,
Ἥ τε οἱ ἀμβροσίοισι περὶ στήθεσσιν ἔερτο. *Apollon. Rhod. lib. 3.*

Hunc hęc decerptum odoratæ impoſuit mitræ, Quæ ei circa diuinum pectus conſerta erat. Et alibi, eodem libro,

Περ πρὸ δ' ἀφειδήσασα θυώδεος ἔξελε μίτρης
Φάρμακον. *Etymol. μίτρα.*

Atque illico non vltra cunctata eduxit ex odorata mitra venenum. Eſt ergo hæc mitra texta è filo. Sed alia interior ferebatur ærea in ima parte ventris, maioris ſecuritatis gratia. Et verò mulieres primò parturientes dicuntur ſoluere zonas, hoc eſt, haſce mitras quas Dianæ ſuſpendebant. Et Athenis fuit ædes Dianæ *λυσιζώνης*, ſoluentis Zonam, ſeu mitram. Alcimedes hæc ſunt verba apud Apollonium Rhodium, *Apollon. Rhod. lib. 1.*

— τῷ ἔπι μούνῳ
Μίτρην πρῶτον ἔλυσα

ſub quo vno mitram primùm ſolui. Apud hunc ipſum poëtam Medæa aduoluta genubus Aretæ, ait ſe nulla mala libidine impulſam è domo patris aufugiſſe; atque adeò ſibi adhuc mitram manere, hoc eſt, virginitatem eſſe inlibatam, *Apollon. Rhod. lib. 4.*

— Ἔτι μοι μίτρη μένει, ὡς ἐνὶ πατρὸς
Δώμασιν, ἄχραντος ϗ ἀκήρατος.

Etiam mihi mitra manet, vt in patris ædibus immaculata, & incorrupta.

CAPVT XXI.

Mitra eſt in muliebri mundo. κροκωτὸς quid. Mitra geſtamen Bacchi. Bacchæ mitratæ. Mitella, mitrula. Mitra corona regia. Mitra faſcia. Mitra diadema Epiſcopale & Pontificium. Sacerdotes mitrati Flamina & Flamines. Saliorum apices. Significatus mitræ Epiſcopalis. Pileus cornutus. Mitra indices ſordium & infamiæ. Corona pœnitentiæ.

HI mitræ ſignificatus etſi apud ſcriptores ſunt aduertendi, tamen frequentiùs mitra ſignat ornamentum, ſiue tegmen capitis muliebris, vt multis exemplis demonſtratum eſt, quibus addo verba M. Tullij, *P. Clodius, inquit, à crocota, à mitra, à muliebribus ſoleis, purpureiſq́ faſciolis, à ſtrophio, à pſaltrio, à flagitio, à ſtupro eſt factus repente popularis.* Quibus in verbis mitram in muliebri mundo numerari, manifeſtum eſt. Quæ ſanè verba M. Tullius ſumpſit ab Ariſtophane, cuius locum propè Latinè vertit,

Cic. de aruſp. reſp.

ἵνα μὴ κροκωτοῖς καὶ μίτραις γέρων ἀνὴρ
Γέλωτα παρέχω,

Ariſtoph. Θεσμοφ.

ne crocotis & mitris vir ſenex indutus, aſpicientibus ſim ludificatui. Porrò κροκωτὸς eſt γυναικεῖον φόρημα, ſiue etiã Διονυσιακόν, muliebre geſtamen, ſiue Dionyſiacum. Saltem ſi non fortaſſe ipſius Bacchi, at certè Sileni illius qui ſecundas à Baccho partes agit in eius exercitu. Hic enim ἐπ' ὄνου τὰ πολλὰ ἱππεύει ἐν κροκωτῷ aſellum vt plurimùm equitat amictus crocoto. Qua de re videnda eſt illa concio quam Apollonius Tyanæus habuit apud Athenienſes, κροκωτοὶ δὲ ὑμῖν καὶ ἁλουργίαι καὶ κροκοβαφία τοιαύτη πόθεν; crocoti autem vobis & purpura, & in croco tincturæ vnde? Ergo & Ariſtophanes, & Ariſtophanis imitatione M. Tullius ſcitè agglutinarũt crocotam, ſeu crocotum mitræ. Verùm mitra eſt quoque geſtamen Bacchi. Statius de Baccho,

Lucian. Bacch.

Philoſtrat. in vita Apoll. lib. 4.

--ſerta comis, mitramq́ leuat.

Stat. li. 1. Achil.

Certè Plinius loquens de Ioue parturiente Bacchum, facit eum *mitratum, & muliebriter ingemiſcentem inter obſtetricia Dearum.* Quid mirum, Bacchum geſtare mitram, cùm ipſe non ſolùm ſit mas, ſed & femina? Id quod antiquitas ideo finxit, vt oſtenderet hunc Deum non tam effeminare viros, quam mulieribus addere fortitudinem. Ipſe quidem Bacchus, vt alibi dico, κερασφόρος, βότρυσιν ἐστεφανωμένος, μίτρᾳ τὴν κόμην ἀναδεδεμένος. Vnde corniger, racemis coronatus, mitra comam habet redimitam. Vnde vt dixi,

Plin. li. 35. c. 11.

Ariſtid. Διον.

Lucian. Bacch.

& vocatus eſt θηλύμιτρος ἀρχων princeps effœminatus, & mitratus. Porrò hęc Bacchica mitra fuit niuea & cornuta. Valerius Flaccus,

Reſpiciens teneat virides velatus habenas, Valer. Flacc. lib. 2.
Vt pater, & niuea tumeant vt cornua mitra,
Et ſacer vt Bacchum referat ſcyphus.

Huius Bacchicæ mitræ frequens mentio. Sophocles eam vocat auream, & ipſum Bacchũ τὸ χρυσομίτρην. Enimuero quòd Bacchici illi cætus potiſſimùm conſtabant è feminis lymphatis, quibus ipſe Bacchus præerat, furoriſque dux erat, vt & numinis & Baccharum habitus conſimilis eſſet, & quòd ipſe Bacchus fœmina, non vtique mirũ, ſi mitram ſumpſit. Ergo & hoc ſenſu Liberi patris proprium fuit μιτρηφορεῖν. Vertumni apud Propertium hæc ſunt verba, Sophoc. œd. tyr. Strabo lib. 15.

Cinge caput mitra, ſpeciem furabor Iacchi;
Furabor Phœbi ſi modò plectra dabis. Propert. lib. 4. de Vertum.

Quòd autem Bacchæ eſſent mitratæ, diſcimus è loco Euripidis, apud quem is qui Pentheo dicit ſe adornaturum ipſum in muliebrem modum, vt Baccharum & Mænadum cœtui intereſſe poſſet, interroganti Pentheo qua ipſum veſte indueret, reſpondit,

κόμλω μὲ ἐπὶ σῷ κρατὶ ταναὸν ἐκτενῶ.

Prolixam capiti tuo inducam comam. Rurſus Pentheus interrogat, quiſnam alter ipſius ornatus futurus ſit, Euripid. Bacchi actu 3.

τὸ δεύτερον δὲ σχῆμα τοῦ κόσμου τί μοι;
Διο. Πέπλοι ποδήρεις· ἐπὶ κάρα δ' ἔσται μίτρα.

Altera ornatus ſpecies quænam erit mihi? Veſtes talares. In capite autem erit mitra. À mitra fit mitella. M. Tullius, *Deliciarum cauſa & voluptatis non modò ciues Romani, ſed & nobiles adoleſcentes, & quoſdam etiam Senatores ſummo loco natos non in hortis aut ſuburbanis ſuis, ſed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella ſæpe videmus.* Et Apuleius, *Die ſequenti varijs coloribus induſiati, & deformiter quiſque formati, faciem cœnoſo pigmento deliti, & oculis obunctis graphicè prodeunt, mitellis & crocotis, & carbaſinis, & bombicinis iniectis.* Hinc quoque mitrula apud Solinum loquentem de baſiliſco, *Serpens eſt pene ad ſemipedem longitudinis, alba quaſi mitrula lineatus caput.* Neque verò mitra tantùm facta eſt Bacchica, & integumentum diurni capitis, ſed, vt Suidas & Heſychius aiunt, ſignauit quoque diadema, id eſt, coronam regiam. Id ea re factum eſt quòd mitram priſci vocarunt faſciam. Q. Calaber loquens de vulnere Teucri, ait illud à medicis faſcia fuiſſe obligatum, Cic. pro C. Rabirio Poſth. ora. Apul. Metam. lib. 6. Solin. cap. 30.

- ἀμφὶ δὲ μίτρlω
Δῆσαν ἐνδυκέως. Q. Calab. lib. 2.

& faſciam circùm ligant diligenter. Et apud Herodotum referen-

te Stobæo, *περὶ δὲ χερὸς αὐτὴν πλαφεν εἵλιξε μίτρης ἰδόμενοι*, vt verò manu
Stob.πι.ὁπλοζ. comprehenderet circumuolutionem mitræ ligauit. At cùm pri-
Agath.lib 3. ſcum diadema nihil aliud fuerit niſi faſcia, non mirum eſt, mitram,
qua dictione ſignatur faſcia, ſumptam pro inſigni regio. Enim-
uero Agathias inter inſignia regia, quibus Iuſtinianus circumde-
Philoſtrat. in vita Apollon. lib. 2. dit Zatem regem Lazorum, nominat mitram auro, lapilliſque di-
ſtinctam. Cum quidam Satrapa propter magna beneficia à rege
quodam Indico accepta mitram auream varijs gẽmis ornatã capiti
eius imponere vellet; Ego, inquit Rex, ſi ex illis eſſem qui talia
amant, nunc tamen præſente Apollonio, ea repudiarem. Vnde
manifeſto apparet, ibi mitram ſumi pro regio capitis inſigni. Ergo
Plati. in Paſch. II. non abſurdè nec impropriè noſtri hac eâdem appellatione dona-
runt ipſum diadema Pontificium. Tradit Platina, Paſchalem II.
indutum purpura, inſignitum mitra, inſidentem equo albo per-
ductum fuiſſe ad ædem Laterani. Ibi ſediſſe ſede Pontificia. Idem
de Paulo II. ait, cum magnificentia paratus ſuperaſſe deceſſores
ſuos, præcipuè in regno ſeu mitra. Sed de hoc diademate Pontifi-
cio alibi dico. Quippe inter inſignia Pontificis agnoſcimus &
mitram & diadema, quæ hodie vnico texto ita ſunt comprehenſa,
vt nihilominus vtriuſque dignitas integra maneat, nec alterius ma-
ieſtas alterius ſanctitati quicquam detrahat. Hodiernus ergo mi-
træ vſus deſumptus videtur ab ſublimi illo inſigni capitis Aaronis
ſummi ſacerdotis; Ne & in hac parte minùs illuſtre eſſet Euange-
Plutarch ſymp. 4. probl. licum miniſteriũ quàm priſcum illud legale. Plutarchus Hebræo-
rum *ἀρχιερέα* mitratum facit. Sed quid hoc ſit à nemine explicatiùs
& veriùs traditur quàm à Philone. Is enim deſcribens ornatum
Philo π. β. Μωσ. capitis ſummi ſacerdotis diſertim diſtinguit *πέταλον* laminã à mitra.
Mitra enim, inquit, erat ſub petalo id eſt lamina, ne lamina, quæ
erat aurea, caput tangeret. Deinde ſubijcit, additam fuiſſe laminæ
cidarim, id eſt, ſuperiorem partem Pontificiæ coronæ. Cæterùm
vel hinc omne Chriſtianum nomen intelligere oportet, quàm
præclarè ſecum actum ſit, cui dati ſunt paſtores animarum inſi-
gnes candida, fulgida, ſalutari mitra; Quæ ſucceſſit in locum fe-
ralis illius, quæ tegebat dira illa capita infernalium dæmonum.
poſtremò, cuius ſalutaris fulgor expunxit vmbras mitræ illius Aa-
ronicæ. Et verò hæc eſt illa ipſa mitra, qua Tertullianus Chriſtum
Tertul lib. adu. Iud. de ſec. adu. Chriſti. facit mitratum, quanquam ſenſu myſtico. *Dehinc*, inquit, *ſpolia-
tus priſtinas ſordes, exornatus podere & mitra, & cidari munda, id eſt,
ſecundi aduentus; quoniam gloriam & honorem adeptus demonſtratur*,
Nicephor. lib. 4. cap. 17. Et hæc propriè eſt mitra Epiſcopalis, ſeu Pontificia, qualem geſta-
Plati. in Eug. IV. uit Syluester, linea & candida. Hanc ipſam Eugenius IV. ex vrbe
Auinione Romam allatam magna veneratione geſtauit adiens
ædem

ædem Sancti Ioannis Lateranenſis. Huius epiſcopalis mitræ forma deſumpta videtur ab illa priſcorum ſacerdotum mitra. Nam & ſacerdotes mitra redimitos legimus. Apud Coos ſacerdos Herculis indutus veſte muliebri, & caput euinctus mitra accedit ad rem ſacram. *Plutarch. κεφαλ. ἑλλην. ζητημ.* Apud Indos illi qui vocabantur ſapientes *μίτραν ἀναδοῦνται λευκὴν*, redimiuntur alba mitra, Atque adeò illi quos ſupra dixi *στεφανηφόροι*, hoc eſt maiores Sacerdotes non ſolùm fuerunt coronati, ſed & geſtarunt pileos, inſignia ſacerdotij. *Philoſtrat. in vita Apol. lib. 3.* Hi pilei Romæ vocabantur flamina, quaſi filamina. Et Flamines erant ſacerdotes geſtores huius inſignis ſiue apicis. His nec eſſe capite nudo, nec ſine apice ſub diuum prodire faſfuit. Ea re apicem geſtabant qui filo regebatur, hoc eſt, quodam lanæ velamine. Id Plutarchus docet. *Plutarch. in Numa.* Vocabant, inquit, priſcos Flamines à coronarijs ſiue caput redimientibus pileis, ſic enim verto *ἀπὸ τῶν στεφανιαίων πίλων*, quos geſtant circum capita. *Halic. lib 2.* Salij quoque geſtabant ſuos apices, hoc eſt, virgam quæ eſt in ſummis ipſorum pileis; in cuius extremitate aliquantum lanæ eſt. Et ideo Virgilio ſunt lanigeri apices,

Hîc exultantes Salios, nudoſq; Lupercos,
Lanigeroſq; apices, & lapſa ancilia cœlo
Extuderat. *Virgil. 8. Æneid.*

Hunc apicem Seruius ait, ab Aſcanio apud Albam primùm ſtatutum fuiſſe. *Seru. in lib. 2. Æn.* *Inde dictus apex*, inquit Feſtus, *quòd comprehendere vinculo antiqui apere dicebant. Vnde aptus is qui conuenienter alicui iunctus eſt.* *Feſt. apex.* Hi quoque pilei dicebantur *κυρβασίαι*, & apud Perſas tiaræ. Sed de his infra dico. Apicum meminit Latinus Pacatus, *Quid ego*, inquit, *referam pro mœnibus ſuis feſtum libera nobilitatis occurſum? conſpicuos veſte niuea ſenatores? reuerendos municipali purpura Flamines? inſignes apicibus ſacerdotes?* *Lat. Pacat. in Panegyr.* Habitus certè fuit multæ venerationis, quique demonſtrabat caput eius qui & miniſterio & ſanctitate præcelleret; cuiuſmodi eſt hodierna Pontificalis mitra de qua nunc ago; quam & niueam, & bicornem, & patulo curuamine inſignem aſpicimus, vt præcipuum Epiſcopalis, ſiue Pontificiæ ſanctitatis inſigne, præcipuum, inquam; quia præter mitram adeſt annulus, cappa, galerus, & illud cui nomen rochetum Romanum. Quippe his omnibus cuipiam conceſſis, eidem epiſcopatus cenſetur eſſe conceſſus; detractis, ablatus. Id quod accidiſſe memorant Hugoni epiſcopo Cadurcenſi, qui ab Ioanne XXIII. coactus eſt abdicare ſe epiſcopatu. *Plati. in Ioan. xxiij.* Cuius rei indubium argumentum fuit detractio horum inſignium. Qui attentiùs inquirunt in ſignificatus huius Epiſcopalis mitræ, quam ipſi cidarim bicornem vocant, aiunt hinc ſignificati ſcientiam vtriuſque teſtamenti. *Syntag. iur. lib. 15. cap. 12.* Id quod quàm conuenienter & quàm verè

dicatur, ipſi qui iſta commentantur, viderint. Equidem non omne Epiſcopale munus in ſcientia colloco; ſed & partem in ſanctitate morum. Hac enim ſi Epiſcopus nitet, ſi hoc decore conſpicuus ſuo gregi præit, ſi inquam, factis vtraque docet, tunc verò maximam partem tanti muneris impleuerit. Et hoc ipſe quidem puto luculenter ſignificari illo duplici cornu, vt vnum ſit ſanctitatis, alterum doctrinæ. Tale quidpiam credibile eſt demonſtraſſe illum priſcorum ſacerdotum apicem, ſiue pileum cornutum. Neque enim ſola mitra Bacchi fuit cornuta, verùm etiam ex aliorum numinum ſacerdotibus quidam hoc inſigni cornuto conſpicui fuerunt, vt de Nabide Ammonis ſacerdote canit Silius Italicus,

Sil. Ital. lib. 15.

Ardebat gemma Garamantide cærula veſtis,
Vt cum ſparſa micant ſtellarum lumina cælo.
Et gemmis galeam, clypeumq́ accenderat auro.
Caſſide cornigera dependens infula ſacros
Præ ſe terrores, diuumq́ ferebat honorem.

In mitra præter cornua aſpicimus oram denticulatæ aſperitatis, ne ab quoquam, cui id iuris non eſt, impune tangi aut contrectari poſſit. Et hæc quidem dici poſſunt de hac ſiue Epiſcopali, ſiue Pontificia mitra. Cæterùm, vt alibi dico quaſdam eſſe coronas infamiæ, ita quoque quædam ſunt mitræ indices, aut etiam exprobratrices ſordium, dedecoris, ignominiæ; eodem, ſcilicet, exemplo quo Tertullianus *pugilem Cleomachum inter fullones Nouianos coronandum ait.* Mater Æneæ Pij Pontificis Maximi, cùm propinqua partui per quietem vidiſſet ſe peperiſſe partum mitratum, non deſtitit vereri ne illud eſſet dirum aliquod omen, ſignumque futuræ infamiæ, donec filium cognouit ad Epiſcopalem dignitatem euectum fuiſſe. Nempe, more à priſcis ſæculis ad hoc noſtrum deriuato, & hodie quidem receptiſſimo nebulones & impoſtores ſolent inſigniri mitra picta, μιτρῶσαι, & catamidiari; taleſque exponi oculis, vocibus, ludibrijs multitudinis; eo planè pacto quo Athenienſes eum qui in aliquo delicto deprehenſus eſſet cœno vngentes publicabant. Dicerem de pileis & galeris Cardinalium, ſi aut inter ſacras coronas connumerari poſſent, ac non potiùs eſſent inſignia dignitatis ampliſſimæ; aut ſiquid in ijs eximium eſſet ac notabile extra decus purpuræ, cuius honos eſt notior & celebratior, quàm vt hîc longiori executione opus habeat. Coronis pietatis ſiue ſacris non immeritò adnumero coronam pœnitentiæ, quæ eſt propria Chriſtianæ pietatis. Huius coronæ meminit Hieronymus in his verbis, *Hæc omnia quaſi per pulcherrima ſcripturarum prata diſcurrens in vnum locum volui congregare, & de*

Tertull. lib. de pallio.

Etymol. περι-πηλακισθέντα.

ſpecioſiſſimis floribus coronam tibi texere pœnitentiæ, quam imponas capiti tuo. *Hieron. ep. lib. 2. ep. 10.*

CAPVT XXII.

Inſula quid. Vitta quid. Vittæ virginales, matronales, crinales. Vitta fronde circumuoluta. Inſula proprium inſigne ſacerdotis. Inſulæ magiſtratuum. Inſulæ oſtentatæ ab obſeſſis, & ab legatis.

INFVLARVM & vittarum ſæpe facta mentio monet me vt, quid infula ſit, quid item vitta propiùs diſpiciam. Nempe cognatio & promiſcuus vſus harum vocum rem per ſe claram ſæpe obſcurat. Seruius ait, *Infulam eſſe faſciam in modum diadematum, à qua dependent vittæ ab vtraque parte.* Quibus verbis vtramque ita deſcribit, vt nulli errori locum relinquere videatur. Hinc enim perſpicuum eſt, aliud eſſe infulam, aliud vittam; ſiquidem ex infulis dependent vittæ. Et hactenus equidem Seruio aſſentior, niſi quod parum explicatè rem tradit. Nam & vitta dici poteſt faſcia ſeu faſciola, ἀνάδημα, διάδημα. Verus ergo eſt Seruius cùm infulam ait eſſe faſciam. Sed hoc nimis ieiunè dictum. At cùm addit, in modum diadematum, aliquid dicit; ſed ne hîc quidem quantum ſit ſatis; Et id quoque perplexè. Ergo vt res tradatur enodatiùs, aio infulam eſſe latiorem faſciam, eamque laneam & albam, quæ ambit eam capitis partem quæ capillo tegitur, ab vno tempore pertingens ad alterum; & vtrinque adſtricta ac dependente vitta. Quod infula ſit faſcia, Seruius diſertim tradit. Quòd ſit latior, id quoque colligere licet è verbis eiuſdem Seruij, *in modum diadematum*; ſiquidem diadema quò conſpectius eſſet, latius fiebat. Quod eſſet lanea, id verò docent hæc verba Virgilij, *Seru. in lib. 10. An.*

Lanea dum niuea circumdatur infula vitta. *Virgil. lib. 3. Georg.*

vbi ſcio, pro *lanea*, vulgo legi *linea*. Sed ego contra conſenſum exemplarium audeo ſcribere *lanea*. Id facio adductus authoritate Statij, cui hæc lanea faſcia ſunt vellera, vbi deſcribit Mercurium ſumpſiſſe vultum, vocem, cultum, habitum Tireſiæ vatis,

Tireſiæ vultus, vocemq́; & vellera nota
Induitur. *Stat li. 2. Theb.*

At quod hæc quæ ipſe vocat vellera, id eſt lanam, eſſet illa ipſa infula, qua ſacerdotes & vates, ipſe in primis Tireſias, inſigniri ſolitus eſſet, docent illa quæ ſequuntur,

--manſere comæ, propexaq́; mento
Canicies, pallorq́; ſuus.

id eſt, vultus quidem Tireſiæ, colorque manſit idem & verus & ſuus. Sed inſigne ſacerdotij quo maximè, vt ſacro ſymbolo Mercurius id agebat vt regem impelleret ad bellum, falſum fuit & ſimulatum. Ideóque addit,

--ſed falſa cucurrit
Infula per crineis,&c.

id eſt, illico iſti ſimulato Tireſiæ caput velari cœpit infula. Et paulò poſt hanc ipſam infulam iterum vocat vellera. Hoc, ſcilicet, vocabulo vt pereleganti doctiſſimus poëta delectatus addit,

-- ramos ac vellera fronti
Diripuit.

Quod infula eſſet alba, è Statio quoque verum apparet,

Stat.li.6.Theb. *Concolor eſt albis & caſſis & infula criſtis.*

Et alibi,

Stat.li.4.Theb. *Albaq; puniceas interplicat infula criſtas.*

Quòd eam capitis partem, quæ capillo tegitur, ambiret, id verò planum fit ex eo loco Statij, quem paulò ante citaui,

--ſed falſa cucurrit
Infula per crineis.

tum è Prudentio,

Prudent.lib 2. cõtra Symmac. *Interea dum tota vagos ligat infula crineis,*
Fataleſq; adolet prunas innupta ſacerdos?

Quod infula vtrinque eſſet adſtricta vittis, id quoque liquet è Prudentio,

Prudent. peri ſteph. *Mirè* [alij, opinor, meliùs legunt Mitra] *Infulatus feſta vittis tempora*
Nectens.

id eſt, vittis nexis, aut aſſutis infulæ apud tempora. Certè vittas eſſe inuentas adſtringendæ ei rei, quæ ipſis proxima eſſet, docet earum vſus. Et coronis quidem adſtringendis adhibitas fuiſſe diſcimus ex hoc loco Plinij de Romulo loquentis, *Huic certè, ab*
Plin lib.18.c.2. *Acca Laurentia nutrice ſua ſpicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in ſacerdotio pro religioſiſſimo inſigni data.* Et à viris doctis iamdiu obſeruatum eſt, alias fuiſſe vittas virginales, alias matronales, quibus vtræque capillum religabant. Vna dictione dicebantur crinales,

Virgil.7.Aene. *Soluite crinales vittas, capite Orgia mecum.*

Et paulò poſt, *-- induit albos*
Cum vitta crineis.

Quod ex infulis vtrinque dependerent vittæ, id quoque diſcimus è Seruio; & Statius innuit his verbis,

--glaucaq; innexus oliua

Vittarum prouenit honos.

ac ſi dicat, vittas naſci ac manare ex vtraque infula. Et hæ, videlicet, illæ ſunt, quas Prudentius vocat phaleras vittarum,

--ſedet illa verendis — Prudent. lib. 2. contra Symm.

Vittarum inſignis phaleris.

Ergo infula ſacerdoti idipſum eſt quod diadema regi. Virgilius deſcribens necem Pantheu, qui eſſet ſacerdos Apollinis, ait,

--nec te tua plurima Panthu — Virgil. 2. Aenei.

Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

perinde ac ſi Martem accuſet impietatis qui infulato ſacerdoti vitam eripere non dubitauit. Cæterum vt è regia corona, ſiue diademate dependent lemniſci, ita ex infula vittæ. Vt lemniſcis corona inuoluebatur, ita infulari, vt ſic loquar, vittæ circumuoluebatur frons oleæ, aut etiam lauri. Statius,

--glaucaq; innexus oliua

Vittarum prouenit honos.

id eſt, vtrinque ex infula cœperunt depēdere vittæ, quibus innexa & intorta fuit olea. Quod laurus quandoque vittæ eſſet implicita, conijcio è loco Martiani Capellæ, *Subdendæ tamen*, inquit, *Clario fidibus perſonanti, atque inter ſerta laurigera infularum lubrico, implexoq; crine.* Ibi enim infulas apparet ſumi pro toto hoc capitis ſacerdotalis cultu qui conſtabat ex infula & vittis. Enimuero hoc totum velamen, cui proprium nomen infula; Illud quoque vittarum additamentum quod frontem ac tempora circumdabat, & infulam vtrinque adſtringebat, tum illæ frondes, quæ vtrique & infulæ & vittæ colligabantur, & intorquebantur, ille, inquam, omnis ornatus tam venerabilis, tam ſacer & auguſtus quandoque vnica infulæ dictione continebatur. Statius, — Martian. Cap. lib. 1.

Concolor eſt albis & caſſis & infula criſtis.

Id quod verum eſſe liquet è loco Silij Italici, vbi is facit infulam dependentem è caſſide Nabidis ſacerdotis Ammonis. Neque enim infula propriè dependebat, ſed vittæ infulæ additæ. Silius tamen eum omnem ornatum vnica dictione infulæ complexus eſt.

Caſſide cornigera dependens infula ſacros — Sil. Ital. lib. 15.

Præ ſe terrores, diuumq; ferebat honorem.

id eſt, ea pars infulæ cui nomen vitta, aſpiciebatur præter caſſidem, & ſicuti exiens è caſſide. Certè non ſolum apud poëtas, ſed & apud alios ſcriptores infulatus ſæpe ſignat vtrumque & infulatum & vittatum. Contra, vittatus quoque ſumitur pro vtroque, infulato, ſcilicet, & vittato. Prudentius,

Prudent. in apoth.

Vittatus de more ſenex, manibuſq́; cruentis
Tractabat trepidas lethali frigore fibras.

vbi manifeſtum eſt, vittatum ſacerdotem dici eum qui & infulatus ſimul & vittatus eſſet; quomodo vitta quoque vnica dictio ſignificat vittam & infulam, vt apud Virgilium, vbi poëta ſacerdotibus caſtis & pijs, doctis item viris, & bene de patria meritis tribuit vittas.

Virgil. 6. Aen.

Quiq́; ſacerdotes caſti, dum vita manebat;
Quiq́; pij vates, & Phœbo digna loquuti.
Inuentas aut qui vitam excoluêre per artes;
Quiq́; ſui memores alios fecêre merendo;
Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.

Cæterum vt reges vix vnquam diademata ponebant, ita vix vnquam ſacerdotes ſuas infulas, vt propria & perpetua inſignia ſacerdotij; ac ne armati quidem, & manu hoſtem prouocantes. Statius de ſacerdote Apollinis,

Stat. li. 7. Theb.

--ſacrumq́; Lycorea Phœbo,
Inuitus [ſupple metit] *iam fraxineum dimiſerat haſtæ*
Robur, & excuſſis apparuit infula criſtis.

Nempe hic ſacerdos Apollinis ita fuit infulatus, vt eâdem quoque eſſet galeatus. Ergo galeæ infula aptata fuit; aut veriùs ſub galea, ſub criſtis & cono eius infula latuit. Et verò, decuſſa capiti galea, inſigne ſacerdotis apparuit, quod ita capiti fuit aptatum, vt non vna cum galea deiectum ſit. Idem Statius Amphiarao cum caſſide dat infulam,

Stat. li. 6 Theb.

Ipſe habitu niueus; niuei dant colla iugales,
Concolor eſt albis & caſſis & infula criſtis.

Neque verò infulæ, cuiuſmodi eas deſcripſi, ſolùm ornarunt capita ſummorum ſacerdotum, ſed & ſummorum magiſtratuum, vt Romæ Conſulum. Iornandes, is qui ſcripſit librum de ſucceſſoribus, vbi leguntur ipſiſſima verba & ſententiæ putiſſimorum ſcriptorum, è quibus ſua conſarcinauit; quibus vbi deſtituitur, cùm, inquam, peruenit ad citeriora, & proxima ſuo ſæculo tempora, tum verò è Latino totus recipit ſe in Gothum; Is ergo Iornandes memorans, exactis regibus vrbem Romam fuiſſe ſub auſpiciis

Iornand. in lib. ſucceſſ.

Conſulum, ait, *Poſtremò, Superbi illius importuna dominatio nonnihil, imò vel plurimum profuit. Sic enim effectum eſt, vt agitatus iniurijs populus cupiditate libertatis incenderetur; mutataq́; regali dominatione, ad Conſulum infulas ſe conferret.* Infulæ quandoque nulli capiti aptabantur, ſed manibus geſtabantur, oſtendebantur, proferebantur. Quippe qui eas ita tractabat aut proferebat, ſibi quadam veneratione mixtam miſerationem conciliabat. Ergo &

à legatis ſupplicibus manu ferebantur & tutelæ, & miſerationis, & venerationis cauſa, vt apud Virgilium,

- ne temne quod vltro
Præferimus manibus vittas, ac verba precantum. Virgil. 7. Aen.

Obſidio preſſi hoc quoque ſigno pacem expoſcunt. Tacitus, *Velamenta & infulas pro muris oſtentant.* Liuius quoque refert, nauem velatam infulis & ramis oleæ Scipioni occurriſſe in portu Carthaginis. Nempe, qua religione tuti erant illi, qui vel ipſis hoſtibus protendebant *ἱκετείας*, eadem protegebat illos, eaque loca quæ iſtis & velamentis & infulis erant inſignita. Infulæ quoque videntur fuiſſe additamenta diadematis regij. Qua de re hæc Firmicus, *Facietq́; claros & coronarum infulis adornatos.* Certè tales hodierno die aſpiciuntur dependere è diademate Pontificio, de quo infra dico. Et hæc quidem viſum eſt tradere de ijs coronis quas pietatis, aut ſacras nomino, eas ob cauſas quas ſupra memoraui.

Tacit. lib. 9. Annal.
Liu. lib.

CAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI
DE CORONIS LIBER QVINTVS;
QVI EST DE CORONIS VIRTVTIS.

CAPVT PRIMVM.

Etſi virtutis præmium in ipſa virtute poſitum eſt, tamen accendendis huius amore mortalibus inuenta ſunt alia, quibus quoque nomen eſt præmijs. In his primum eſſe coronæ locum, & hîc & ſequentibus capitibus planum fit. Corona virtutis. Vitia coronata. Fama & æternitas coronatæ. Singulæ virtutes coronatæ.

HVc vſque duorum generum coronamenta texui eo ordine quo in mea coronæ definitione collocata ſunt, lætitiæ & pietatis. Lætitię coronas vocaui non ſolùm conuiuiales, ſed & eas quas circumuolitantes Cupidines impulſu Veneris varias ob cauſas amantium capitibus imponunt. Si quæ aliæ his adfines, ſimilésue ſunt, aut his commodè inſeri potuerunt, harum quoque idoneis locis eſt à me facta mentio. Et hæ quidem omnes tribus primis libris continentur. Altero loco eas quæ pietatem reſpiciunt, collocaui; hiſque indidi nomen ſacris quod ſacrificiorum ſollennitatibus adhiberentur. Neutræ fortaſſis tanti ſunt, vt, ſi nullæ præter ipſas coronæ forent, aut ſi in his vnis omne coronarum momentum aut decus eſſet, tantum mihi laboris exantlandum fuerit. Etſi hoc genus coronarum, & quicquid ad hanc executionem pertinet, non ſum neſcius plurimi fieri à Grammaticis

à Grammaticis, iiſque omnibus qui omnia priſca rimantur & admirantur. Vt vt eſt, non me ſuſcepti ac prope dimidiati operis pœnitet, ſi non ob aliud, at ſaltem vel propter hoc vnum, quòd illis veluti ductricibus ad has perueni, quæ ſuſpiciuntur non eo tãtùm quòd ſunt coronæ, ſed quòd, cùm hoc ſint, eædem ſunt præmia virtutum. De his vt agere incipiam, præfari libet, Nulla vnquam tanta barbarie humanitatem deformatam fuiſſe, vt vbiuis gẽtium ſi non plures, at perpauci, at vnus aliquis ſit repertus virtutis amator, admirator, ſectator. Enimuero hominum animis hæc opinio penitus inſedit; Vnam virtutem ſuos numeros habere, hanc nullis damnis decreſcere, nullo quamuis graui pondere deprimi, nulla vi obrui, nullis aduerſis neque frangi neque debilitari. Quin potiùs hanc vnam inter dura roborari, inter aſpera eniteſcere, inter infecta integraſcere. Ea re aiunt virtutem vix vnquam incedere per plana, decliuia, tuta; ſed promptè ſubire ardua, fortiter ac feliciter perrumpere clauſa, animoſè perfringere obſepta, inuia, terribilia; videlicet inter ruinas infragilem, inter fluctus immobilem, inter media tela inuulnerabilem. Talem, tãtamque, eliſis omnibus impedimentis, demum cœlo vt ſua ſede recipi, ac proinde excipi complexu æternitatis. Addunt ſapientię profeſſores, Virtutis eam eſſe pulchritudinem, quæ ſi mortalibus oculis tam facilè conſpici poſſet, quàm & mente concipi, & eius effectus manu tangi, ſui amore humana pectora mirabiliter incenſuram fuiſſe. Certè ſi mortales ab ea ſe conſpici putarent, ſi, inquam, mutui aſpectus interuentu ab illa quoque ſe amari intelligerent, omnes, reiectis, atque adeò proiectis omnibus ſarcinis, quà illa præit agminatim ſequerẽtur. Sed quòd hîc quidem plurimùm agit in contubernio ſeuerioris diſciplinæ, & durioris exercitationis, maxima pars eius veſtigijs inſiſtere formidat. Lippiẽtibus, videlicet, oculis, illis ipſis, quibus vitia, quòd perſonata ſunt, pulchra ſunt, eius facies eſt horridior. Ea re, pauculis exceptis, omnes eius conſpectum auerſantur. Hinc eſt, quòd qua via itur ad virtutem non modò infrequens, ſed deſerta propemodum eſt. Venus oculorum petulantia imperitiſſimi cuiuſque venenat animum. Cur cenſes? Nimirum, non ob id ſolùm, quod hanc ſæpe ſtatuarij, ſæpe pictores effingũt; ſed quòd in feminis pulchritudine conſpicuis, vt in viuis imaginibus ipſa ſe conſpiciendam, contrectandamque præbet. Virtutis auguſtiſſimam ſpeciem nulla manus delineare, nulla ars effingere, nulla perſona repræſentare poteſt. Vitiorum fuco illaqueantur plebeij & imbecilles oculi. Virtus quo minùs carneos oculos captat, hoc magis animis eſt illex. Huius nonniſi ſublimes animas vrit inuitatrix pulchritudo. Porrò ipſa animo author eſt, vt, calcatis

terreſtribus ac vilibus, erigatur ſupra illa ad quæ vulgus concurrit. Nam qui hæc poſſidet is nihil niſi fluxa & inania poſſidet. Hinc conficitur, quem penes virtus eſt, nihil eſſe quod vltra ſperet aut optet. Hic vnus eſt ſecurus ſuorum bonorum. hæc item vna ſola ſunt bona. Ac poſt ſe trahunt, aut, quod in æquo eſt, contemnunt ac rident illa quæ dicuntur eſſe munera fortunæ, genus, opes, claritudinem, quicquid hîc fulget nomine præſidij ac decoris. Perquàm ſcitè antiquitas effigiauit virtutem vtroque pede inſiſtentem ſummę palmæ. Nempe ipſa habet ſub pedibus omne genus victoriæ. Q. Calaber, vbi dixit in clypeo Achillis effictum eſſe montem diuinæ virtutis, addit, Inibi ipſam pedibus inſiſtere vertici palmæ, & quidem arduam, atque adeò pertingentem cœlum.

Q. Calab. li. 5.

— ἐν δ' ϗ αὐτὴ [ζαθέη ἀρετὴ]
εἱστήκει φοίνικος ἐπεμβεβαυῖα κατ' ἄκρης
ὑψηλὴ, ψαύουσα πρὸς οὐρανόν.

in quo [monte] ipſa ſteterat palmę vertici pedibus innitens, ardua, ad cœlum pertingens. Ergo virtutis, quamlibet degentis in tugurio, imperantes imperium agnoſcunt, beatiſſimi diuitias, ſpecioſiſſima quæque pulchritudinem. Contra, quem virtus deſtituit, ille ipſus eſt in ſummis opibus egens, in imperio ſeruus, in media felicitate miſer. Hinc intelligimus quàm falſi ſint illi qui putent virtutis eſſe inane ac futile nomen; hoc eſt, virtutem ſola cogitatione comprehendi, ac verborum phaleris veriùs extolli, quàm monſtrari eam quæ nuſquam ſit. His non ferè minùs præpoſteri ſunt illi, quæ magna manus eſt, qui etſi virtuti plurimùm tribuunt, tamen eam faciunt miniſtram voluptatis, ſaltem indagatricem ac ſectatricem commodorum; denique ductricem ad illa quæ falsò dicuntur eſſe bona. Ab iſtis virtutem vix vnquam viſam, aut cognitam eſſe veriſimile eſt. Sordidè virtutem amat quiſquis eam magnificat non propter ipſam. At quibus illa ſeſe nudauit, hi ſuas cogitationes, ſuaque omnia vota huc dirigunt, huc toti vertuntur, nihil vltra ſpectant. Vt omnes humanę pulchritudines etiam pulchreſcere, firma etiam ſolidari, quę videntur abſoluta perfici & conſummari poſſint; poſtremò, vt in rebus humanis nihil ſit tanti quod non poſſit eſſe pluris, vna virtus ſemper ſui ſimilis nunquam intendi, nunquam minui, nulla re cumulari poteſt, ſua ſe felicitate inuoluit. Tempori imperat, ſenium ignorat, mortalitatem domitat,

Claudian. in Conſul. Theod.

Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animoſa ſuis; immotaq́; cunctis
Caſibus ex alta mortalia deſpicit arce.

Denique virtus puro diuinitatis animata conceptu nihil eſt niſi numen & diuinitas. Animus quidem, cuius ſubſtantia diuina eſt, negat ſe vlla re poſſe capi, niſi vno decore, vniſque virtutis illecebris. Id quod hi verſus apud Athenæum à Democrito recitati ſignificanter exprimunt & luculenter. Eorum hic eſt ſenſus; Virtus *Athen lib. 15.*
laborioſa generi mortalium, indago vitæ pulcherrima, Ob tuam virgo formam Græcis mors eſt optabilis; Tolerandique grauiſſimi laboris indefeſſa conſtantia. Tali ſcilicet fructu mentes accẽdis immortali, auro præſtãtiore, anteponendo vel parentibus, ac lenienti dolores ſomno. Tua cauſa diuus Hercules, Ledæque filij Multa perpeſſi ſunt, geſtis rebus potentiam tuam, ac vim prædicantes. Tui deſiderio Achilles & Aiax deſcenderunt ad Ditis atria. Ob amabilem formam tuam ſe priuauit lumine ſolis alumnus Atarneę, quem geſtis rebus clarum & celebrem ſempiterna laude Muſæ decorabunt, Mnemoſynes ac Iouis filiæ, maieſtatem Iouis hoſpitalis extollentes, firmæque amicitiæ præmia. Talibus præconijs cùm *Athen. lib. 5.*
celebretur virtus, meritiſſimò eam ſapientiſſima antiquitas humano effigiatu repræſentatam donauit aurea corona oleaginea. Vt enim nullum numen incoronatum fuiſſe conſtat, virtutem, cui vel inter ipſa maiora numina locus eſt, nulla corona inſigniri, non ipſius tantùm, ſed & omnium numinum iniuria eſſet. Ergo corona virtuti dicata ſicut excellenti numini, proprio vocabulo dicta *Philoſtrat. in*
eſt corona virtutis. στέφανον ἀρετῆς eam diſertim nominat Apollonius. *vita Apollon.*
Et hoc quidem tantum ſuæ coronæ decus virtus mira benignitate *lib. 7.*
communicat cum ſui cultoribus & ſectatoribus. Quippe hi quotieſcunque poſt exantlatos ingentes labores, ampliſſimis prę̃mijs donãtur, coronã virtutis accipere dicũtur; hoc eſt, non fragili, aut fluxa aliqua re, ſed ipſa quoque immortalitate donari, quæ virtuti it comes indiuidua. In hanc ſententiam extat præclarus locus Lactantij, *Etſi*, inquit, *patientiam iugem ad ſummum illum gradum,* *Lactant. de ve.*
finemq; perduxerit, dabitur ei corona virtutis; & à Deo pro laboribus *cul. lib 6.*
quos in vita propter iuſtitiam pertulit, immortalitate donabitur. Itaque iure optimo dictum eſt, coronam virtutis eſſe ſupra omnem oleaſtrum, ὑπὲρ ἅπαντα κότινον εἶναι τὸν ἀρετῆς στέφανον, hoc eſt, nullam co- *Himer. μελ.*
ronam, ne illa quidem excepta quæ athletæ Olympionici caput *ἐκλ.*
euincit, cum virtutis corona eſſe comparandam. Quidni virtus donetur corona tam ſublimi, cùm ipſa vna coronarum ſit æquiſſima diſpenſatrix? Ipſamet noſtrorum theologorum culmina huius coronæ diſertim mentionem faciunt. Hieronymus, *Fruatur*
ille virtutis corona, & ob quotidiana martyria ſtolatus agnum ſequa- *Hieron. lib. 2.*
tur. Ipſi poëtæ hoc ipſum genus coronæ, vbicunque occaſio da- *ep. ep 11.*
tur, magnificant. Euripides,

Euripid. troad. actu 1.

Σικελῶν ὀρέων ματέρ᾽ ἀκούω
Κηρύσσεσθαι, στεφάνοις τ᾽ ἀρετᾶς.

Siculorum montium matrem audio prædicari & propter coronas virtutis. Sed virtutis & habitum & coronam Silius Italicus eleganter deſcripſit in his verſibus, vbi virtutem & voluptatem Scipioni, illi qui poſtea fuit Africanus, apparuiſſe dicit;

Sil. Ital. lib. 15.

Cum ſubitò aſſiſtunt dextra læuaq; per auras
Allapſæ haud paulum mortali maior imago,
Hinc virtus illinc virtuti inimica voluptas.
Altera Achemenium ſpirabat vertice odorem,
Ambroſias diffuſa comas, & veſte refulgens
Oſtrum quam fuluo Tyrium diffuderat auro.
Fronte decor quæſitus acu, laſciuaq; crebras
Ancipiti motu iaciebant lumina flammas.

id eſt capite geſtabat diadema acu pictum, ac lapillis diſtinctum lucidiſſimis. Hac virtutis corona Diogenem quẽdam Epicureum impudenter abuſum fuiſſe, Athenæus author eſt. Is enim cùm ab Alexandro rege Syriæ impetraſſet vt ſibi & eſſe purpurato, & aurea virtutis corona liceret eſſe coronato, eam coronam capiti meretricis impoſitam polluit. Eoque facto & ab rege, & ab conuiuis ab rege inuitatis deridiculo fuit. Nempe, inſignia virtutis ab illo vſurpata qui ſit hoſtis virtutis, non modò illi non circumdant honorem & famam, ſed & eum afficiunt infamia cò notabiliore, quo pulchrius ac illuſtrius eſt decus illius qui virtuti conſtanter militat. Cæterùm ipſa virtus propter excellentiam & ſuam & ſuæ coronæ vocatur ἐυστέφανος bene coronata, vt in hiſce Q. Calabri verſibus, Quæ ſunt verba Achillis præceptis ſalutaribus imbuentis Neoptolemum.

Athen. lib 5.

-- ὁπόσοισι δ᾽ κάρτος ὀπηδεῖ
καὶ πόνος, ἐκ καμάτε πολυγηθέα καρπὸν ἀμῶνται,
εἰς ἀρετῆς ἀναβάντες ἐυστεφάνε κλυτὸν ἔρνος.

Q. Calab. li. 16.

Quos autem fortitudo comitatur & labor, iucundiſſimum ex labore fructum metunt, Ad inclytum coronatæ virtutis germen enixi. Hinc quoque eſt, quod vitia quæ volunt videri ſimilia virtutibus, imitatione virtutum ijs qui ſunt deceptu faciles, ſeſe coronata exhibent, id eſt ornata inſignijs virtutis. Plato loquens de pernicioſis cupiditatibus, quæ iuuenem circumſiſtunt, addit, Poſtquam his virtutibus euacuarint, ſpoliarintque illius animum quem occupant, cumque magnis ſuis ſacris initiarint inaugurarintque, tum verò deinceps contumeliam & licentiam impetij legibus ſolutam, intemperantiam & impudentiam cum magno comitatu coronatas deducunt, eas laudibus & plauſibus exci-

Plato de Repub. lib. 8.

pientes. Poſtremò antiquitas non ſolùm virtutem, ſed & virtutis perpetuas comites famam & æternitatem coronauit. Et quidem coronæ famæ, ſiue celebritatis mentio eſt apud Euripidem, vbi Æthra loquitur,

πόλει παρὸν σοι στέφανον εὐκλείας λαβεῖν
δείσας ἀπέστης. — Euripid. Suppl. actu 2.

cùm vrbi inſignis coronam famæ & celebritatis comparare potuiſſes, præclarum facinus omiſiſti. Alibi etiam Euripides huius coronæ meminit nempe in Antiopa tragœdia quæ non extat.

Τρεῖς εἰσὶν ἀρεταὶ, ἃς χρὴ σ' ἀσκεῖν τέκνον· — Stob. ſerm. 2.
θεούς τε τιμᾶν, τούς τε θρέψαντας γονεῖς·
νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος. καὶ ταῦτα δρῶν
κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί.

Tres ſunt virtutes quas oportet te exercere fili, Deos colere, eoſque qui te aluerunt, parentes, Et leges communes Græciæ. Hęc faciens pulcherrimam habebis coronam celebritatis ſemper. De corona æternitatis alibi dico. Quod ſi virtus illa rerum domina, ſua vnica appellatione omnium virtutum genera continens redimitur corona, ecquæ ſit inuidia, eas quoque, quæ huius aut illius virtutis nomine cenſentur, eadem ratione coronari? Ergo ſingulis virtutibus ſingulæ coronæ ſunt attributæ, vt cuilibet regi ſuum diadema. Id quod diſertim profitetur Petrus ille verè Chryſologus, vbi memorat quanta Deus tribuerit Moſi. *Dedit*, inquit, *eum in Deum Pharaonis; Deum facit, munit ſignis, armat virtutibus, iuſſis bella expugnat, militem ipſo verbo vincere tribuit; præceptis triumphare concedit; atque per omnes virtutum coronas ad amicitiam ſuam prouocat.* — Petr. Chryſol. ſerm. 147.

CAP. II.

Omne virtutis premium eſt in ipſa virtute. Nihilominus tamen virtus præter ſe alia præmia ſui cultoribus largitur. Platonis mores. Scripta & mores rarò conſentiunt. Vis virtutis. Homini duæ animæ. Præmium cui rei inuentum. Pœna cur inuenta. Virtuti & honori gemellis numinibus gemella templa ædificata. Coronæ ſunt quæſitiſſima præmia.

QVæ de virtute ſum præfatus ſatis oſtendũt, omne prçmium virtutis in ipſa virtute poſitum eſſe.

Ἀρετὴ τῶν ἐν ἀνθρώποις μόνη — Clem. Alex. Strom. lib. 4.
Οὐκ ἐκ θυραίων τἀπίχειρα λαμβάνει
Αὐτὴ δ' ἑαυτὴν ἆθλα τῶν πόνων ἔχει.

Sola virtus in rebus mortalium non è clypeis prçmia militiæ capit,

Sed ipſa ſe ipſam habet laborum præmium.

Stob. ἔπαιν. πολ. μ. μδ΄.

ἡ δ' ἀρετὴ τὸ δ' ἄεθλον ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστον.

Virtus eſt præmium inter homines optimum. Verſus eſt Tyrtæi. Itaque ſingulæ virtutes ſingulis coronis donantur, quia nulla eſt quæ non ſua perfectione cenſeatur. Quæ etſi vera ſunt, tamen virtus tanta benignitate nobiſcum agit, vt ſui ſectatoribus præter ſe & ſua, det ἐπιφορὰν auctarium, quo illud ſummum præmium etiam cumulatur: Certè res docet, hoc cumulo homines haud mediocriter laceſſi. Cauſa in promptu ita eſt, vt paulò altiùs repeti debeat. Id adeò inde eſſe dico, quòd ex omnibus animantibus præcipua & interior pars hominis nequaquam ſimplex eſt, ſed mixta. Eſt quidem homo diuina ſubſtantia, ſed cui per multum adhæret materiæ putris & fluidæ. Hæ in anguſtum arctatæ, compactæque locum hoſtire conſueuerunt, donec altera è certamine diuturno ac pertinace victrix redeat ac triumphatrix. Præclarè in hanc ſententiam Prudentius,

Prudēt. pſychomach.

Non ſimplex natura hominis; nam viſcera limo
Effigiata premunt animum; contra ille ſereno
Editus afflatu nigrantis carcere cordis
Æſtuat, & ſordes acta inter vincla recuſat.

Nempe, cœleſtis pars hominis ſibi vindicat imperium in illam quæ tota caduca, tota mortalis eſt. Hæc obſequij inſolens illi obſtinatè repugnat. Illa ſuadet optima; hæc ſectatur deterrima. Hinc interius illud, tamque fœdum in homine diſſidium, Id quod mēte probat, & ore firmat, factis improbat. Hinc erigitur quà ratio monet; hinc deprimitur quà ſenſus impellunt, & affectus cogunt. Sæpiſſimè qui virtutem laudat vitijs mergitur. Qui ſuſpicit innocentiam, ille ipſus indagine criminum totus irretitur. Vix credibile eſt quod de Platone memorant, memorant tamen. Ille enim vir qui

Lucret. lib. 1.

Omne immenſum peragrauit mente animoq.

dictus eſt liuere, & eſſe moribus parum probis. Si hoc non verum eſt, at hoc verum è ſchola eius prodiiſſe homines impensè improbos. Hinc illi dicto fides,

Athen. lib. 11.

Ouid. lib. 2. de triſtib.

Nec liber indicium eſt animi.

Nihil eſt frequentius quàm videre homines qui in ſuis libris oderunt ſordes, quas domi, & in abdito obſtinatiſſimè ſectantur. Qua de re videndus Lucianus in Icaromenippo. Enimuero tales, vt ait Lactantius, *ſcientiam ſuam non putant legem vitæ, ſed eam inducunt in oſtentationem ingenij, cum nulli rei minus obtemperant quàm decretis ſuis. Denique patrocinia turpitudini ſuæ fingunt, vt etiam honeſtè peccare videantur.* Nos quoque poſt Lactantium dicimus, tales

Lactant lib. 3, de fal. ſap. c. 15.

ſuis moribus deſtruere ſua præcepta, dum in fronte pudicitiam oſtentant, qui intus libidinem occultant. Certè hominibus doctrina cõſpicuis hoc identidem ſubijcio, Calliopen priſcos finxiſſe non tantùm regibus adeſſe, verùm & αἰδοίοισιν ὀπηδεῖν, viros pudentes ac probos ſectari. *Phornut. in Muſis.* Huc accedit, quod hæc ipſa vniuſcuiuſque non dicta ſed opera profert in apertum, vt ſciri poſſit an cum profeſſione cõſentiant. Ergo pudeat nos, in nobis aſpici tam fœdum, tamque ferale diſſidium, quod extingui niſi alterius partis victoria poteſt. Hæ ſunt partes virtutis. Nam vbi hæc dominatur, ibi neceſſe eſt mentem eſſe optimam; tum quicquid menti obtemperat, nobiliter figurati. Qui virtutem recepit intra pectus, hic ſecum feliciter concors eſt. Nam pectore excepta virtus applicat ſe animo, hoc eſt, diuinæ hominis parti. Ibi agunt conſociatiſſimæ. Ibi duæ valeſcunt aduerſus vnam. Hæc vincitur, & accipit iugum potioris. Illæ victrices totum hominem vindicant ſibi, dum eum reddunt innocentiæ, ſanctitati, diuinitati. Non abſurdè Araſpas apud Xenophontem ait, homini duas eſſe animas. *Xenoph. de inſtit. Cy. lib. 6.* Quarum illa quæ bona eſt, quotieſcunque victrix eſt, homo honeſta ſectatur. Cùm illa quæ mala eſt, bona ſuperantior eſt, tum verò effuſè itur ad turpia. Cæterùm admittere virtutem nihil eſt aliud quàm excludere vitia, & noſſe artem bene viuendi. Doctè enim adnotatum eſt, nomen artis ἀπὸ τῆς ἀρετῆς deriuaſſe noſtros. Huic tanto negotio peragendo duæ rationes inuentæ. Priori loco eſt hoc, quod dico, prĕmiũ ſummi præmij acceſſio, auctarium, cumulus. Altero pœna. Illud animi alacritati etiam intendendæ; hæc affectibus coërcendis, & ſenſuum immodeſtiæ reprimendæ. Cæterùm præmijs illis quæ ſenſus titillant, ipſa, quod mirere, excitantur & inuitantur ingenia proba & præclara. Id ea re fit, quòd etſi deterior illa pars hominis, quam dixi, ſuperatur, non tamen planè extinguitur. *Aug. lib. 4 de ciu. Dei, cap 21.* Vitia quæ ei adhærent ei vt plurimùm eximuntur; imbecillitas manet, quæ hoc veluti præmiorum fulcro ſuſtinetur. At ſeueris animaduerſionibus reprimuntur, aut extinguntur deſperatæ ſortis homines. Hæ ſunt illæ duæ columnæ quibus Reſpub. fulcitur. His demptis, hanc quoque concidere neceſſe eſt. Grex eſt ferarum immanium, non cœtus hominum ea multitudo apud quam nulla pœna quiſquam deterretur à ſceleribus, nullo item præmio homines reuocantur ad originem, nobilitatemque ſuam. Eſt ergo hoc, de quo nunc ago, præmium egregia humanæ imbecillitati fultura, ignauiæ ſtimulus, animo iam per ſe ad res præclaras eunti haud paruum incentiuum. Ne multa, tanti eſt præmium, vt, authore Quintiliano, *nullum inueniatur quod non contra legem aliquam ſit.* *Quintil. decla. 2. in ſerm. 75.* Vnde intelligere licet quanta ſit virorum fortium

Plutarch. γυν. ἀρ. poteſtas, quæ ſit ſupra leges. Plutarchus obſeruauit, Aretaphilam, ſublatis è patria tyrannis, ipſaque adeò tyrannide, rogatam à ciuibus vt ſuſciperet regimen rerum, hactenus obtemperaſſe, vt, id quod mirè eſt arduum, coronas, id eſt, præmia diſtribueret. Quo facto, eam ſe vitæ priuatæ reddidiſſe. Tanti præſtantiſſima femina putauit eſſe diſtributionem coronarum, hoc eſt, eorum præmiorum quæ maxima ſunt. Certè inter homines abſque præmio haud magis intelligitur virtus, quàm animal ſine alimento. Aufer præmia, næ tu omnem animi vim hebetaueris; eâdem Rempub. viduaueris præclariſſimis experimentis; eâdem conſopiueris quantum eſt ſaluberrimorum exemplorum. Hinc quoque intelligimus, vt nobiliori hominis parti ſola virtus eſt propoſita vt præmium, ita alteri monſtrari honorem & compendium. Honoris apud animum excelſum maxima ratio eſt, compendij minima, aut etiam nulla. Id quod prudens ille dux Romanus palam profeſſus eſt, cùm virtutem & honorem non quidem fecit σύνναους, vnius eiuſdemque templi, neque συμβώμους, vnius eiuſdemque aræ; ſed quod eſt magnificentius, ædem ædificauit vtrique numini ſuam; gemellas tamen & proximo interuallo, vt ijs Dijs, qui, vt quidam *Clemen. Alex. exhor. ad Græc.* ait, ſunt θεοὶ διδυμαῖοι, dij gemelli. Qua ſpecie *hæ ædes poſtea pi-* *Plin. li. 35. c. 10.* *ctæ ſunt à Cornelio Pino, & Actio Priſco nobilibus pictoribus, Imperatori Veſpaſiano Auguſto, qui eas reſtituit.* Id quod non quidem *Strabo lib. 11.* nouo exemplo à Metello factum eſt, ſed noua certè ac nobiliſſima *Clemen. Alex. Stromat. lib. 5.* de cauſa. Sic Amanum & Anandatum Perſica numina Strabo vocat συμβώμους θεούς. Hoc fermè exemplo Clemens Alexandrinus *Strabo lib. 9.* memorat, Numam regem Romanum primum omnium mortaliũ fidei & pacis templum poſuiſſe. Sic ad Coroneam Bœotiæ vrbem Palladis & Plutonis ædes conſtructa fuit κατά τινα μυστικὴν αἰτίαν ſecundum quandam myſticam cauſam. Quæ ſanè myſtica cauſa multò verior eſt in hoc percelebri facto, & laudatiſſimo conſilio Metelli, qui virtuti ſolum addidit honorem, quòd honore verum eſt vera compendia contineri. De pœnis non eſt huius inſtituti quicquam tradere. Quicquid eò pertinet legibus eſt comprehenſum. Hac cura mihi conſilium eſt perſequi præmia non quælibet aut omnia, ſed ex omnibus quæſitiſſima, & eminentiſſima, hoc eſt, coronas. Et verò quoties coronæ dantur ijs qui de genere *Plin. lib. 7. c. 27.* humano optimè meriti ſunt, tunc verò vnà cum Plinio dici poteſt, non tam ipſos coronas accipere, quàm patriam ipſorum co- *Liban. in encomio Achill.* ronari. Libanius poſt enumeratas res geſtas Achillis, ita concludit, ἄξιον μὲν οὖν ἦν στεφανοῦν αὐτὸν καὶ ἀναῤῥήσειν νικητήν. Æquum, inquit, fuit propter tot merita Achillem coronari, & renuntiari, ſcilicet, victorem. Id eſt, quod hominum votis, & in rebus humanis amplissimum

pliſſimum

pliſſimum eſt, adipiſci. Quæ ſanè gloria non ſolùm in Achillem, ſed & in ſuos perpetuò redundat.

CAPVT III.

Premiis & inſigniis honoris, nempe coronis caput plerunque honeſtatur vt illa pars humanæ compaginis in qua humana dignitas potiſſimum eminet. Siquidem caput in homine eſt illud ipſum quod culmen in ædificio, quod cœlum in hac rerum vniuerſitate, quod arx in vrbe. Caput eſt fons & origo ſenſuum, & numen quoddam viſibile. Caput ſignat principium, quandoque finem, ſæpe vtrumque, id eſt perfectionem. Præterea ſignificat imperium, tum cuiuſque rei primam authoritatem. Cur caput ſit ſummo loco, cur ſit rotundum. Præſtantia cerebri & dignitas vultus. Magnum iuſiurandum concipitur per caput illius qui eſt caput rerum.

QVIA inter præcipua honoris præmia connumerantur ea decora quæ caput euinciunt; id quid ita ſic fiat, hoc loco tradam. Vetus & conſtans exiſtimatio eſt, caput hoc eſſe in homine *Artemidor. li. 1. c. 37. & li. 2. c. 8.*
quod culmen in ædificio, quod cœlum in mundo. Ratio eſt, quia τὸ λογικὸν μέρος τῆς ψυχῆς ἐστὶν ἐν τῇ κεφαλῇ, rationalis pars animæ eſt in capite, cùm aliæ quæ vexant hominem, ſint in pectore & abdomine. *Artemidor. lib. 2. cap. 38.*
Ergo verum eſt id quod ex Homero ſumptum eſt, caput ſortitum eſſe nobiliſſimum ordinem in corpore, ibique eſſe ὡς ἀκρόπολιν, id eſt ὥσπερ ἄκραν ἐν πόλει λαχὸν, cui obtigit habitare in arce ſumma, ſiue in editiſſimo loco vrbis. Vt pedes ſunt ὑπηρετικώτατον ἅπαντι τῷ σώματι obſequentiſſimum, ſiue id quod maxime ſeruit toti corpori. *Philo ἀλληγ. Heracl. Pont. Plutarch. in ſymp. 3. Plato lib. 2 de leg.*
Ita caput eſt τὸ ἀρχικώτατον ſummè imperioſum, natura ſua continens principales ſenſus, omneque id quod in homine eſt ἡγεμονικὸν, ſiue κρατιστεῦον. ducatus, ſiue regimen corporis, qui potiſſimùm eſt ἀπὸ τῆς ὄψεως καὶ τῆς ἀκοῆς, ab viſu & auditu. *Clem Alex lib. 2 pedag. c. 8. Plato lib. 12. de leg.*
Ideo κράτα caput dici volunt παρὰ τὸ κραίνειν καὶ βασιλεύειν τῶ ἄλλου σώματος, ab eo quod præeſt, ac regit cæterum corpus. *Etymo. κράτα.*
Quippe ὁ κρατῶν, καὶ ἄρχων, ἐκεῖνός ἐστι κεφαλὴ, qui potitur corpore, eique imperat, illud eſt caput. Eſt ergo caput fons & origo atque adeò domicilium ſenſuum, οἶκος τῶν αἰσθήσεων. Id quod vſque eò verum eſt, vt Varro ad Ciceronem ſcribat, datum illi hoc nomen eſſe, *quòd hinc capiant initium ſenſus ac nerui*. *Lactant. lib de opif. Dei cap. 5.*
Hæc omnia non abſurdè ſignificarunt illi Ægyptij ſapientes; qui ſimulachro Serapidis ſpecie humana pro capite cœlum impoſuerunt. Qua imagine diuinitatem capitis repræſentarunt. Et verò, authore Euſtathio, priſci vocabulo cœli ſignarunt caput; tanquam caput ſit compactum ad ſimilitudinem huius *Euſtath. ἰλια.*

Plato in Timæo. mundanæ machinæ. θειότατόν ἐστι, ait Plato de capite, καὶ τῶν ἐν ἡμῖν πάντων δεσποτοῦν, diuiniſſimum eſt, & eorum omnium quæ in nobis ſunt imperantiſſimum. Capiti eſt inditus quidam diuinitatis radius; dicique meritò poteſt numen quoddam viſibile & conſpicuum. Huic quoque Iupiter præeſſe dicitur, vt ſingulis membris alia minora numina. Vt Iupiter eſt mens mundi, ita caput eſt ſacrarium mentis, atque adeò domicilium animi, vbi omnis elucet humana dignitas & maieſtas. Quia verò initium eſt præcipua & nobiliſſima pars cuiuſque rei, non mirum eſt, ſi cùm hanc deſignamus, vtimur vocabulo capitis. Sed quòd res omnis ab initio tendit ad finem, & perfectio conſtat vtroque, nulla quoque nobilior vox deſignando fini inuenta, hoc eſt, conſummationi quàm caput. *Ariſtoph. Plu.* Ariſtophanes, ἐκ τῶν ποδῶν εἰς τὴν κεφαλὴν σοι πάντ' ἐρῶ, à pedibus ad caput tibi omnia dicam. *Philo de ſacrif. Ab. & Cain* κεφαλὴ πραγμάτων ἐστὶ τὸ τέλος αὐτῶν, inquit Philo, caput negotiorum eſt finis, ſiue perfectio ipſorum. *Plato in Gorg.* Socrates apud Platonem ait, fabulas non oportere relinqui imperfectas, ſed iis caput addendum, hoc eſt, perfectionem. Vice verſa, *Ariſtid. εἰς τὸ αἰγ. πέλ.* dicimus ἐκ κεφαλῆς ἐς πόδας, à capite ad pedes. Has ipſas ob cauſas caput quoque ſignat imperium; nimirum, quòd à capite eſt in omnia membra motus & regimen. Indidem eſt quòd cuiuſque rei prima authoritas capitis appellatione demonſtratur. Hinc & illa frequenter vſurpata, caput amnis, caput Reip. caput rerum. Tum iſta, ſine capite multitudo, hoc eſt, ſine authore & duce. Vt princeps & Reſpub. diſſidentia componunt, ſic caput diſperſa *Plato in Phæd.* membra copulat, cogitque in vnam συμφωνίαν. Quòd dolor & voluptas vno faſce comprehendi non poſſunt, quod proximum fuit, inquit Socrates, Deus harum capita colligauit, i. originem. συνῆψεν εἰς ταυτὸν αὐτῶν τὰς κορυφάς. Capita papauerum decuſſa, hoc eſt, principes è medio ſublati. Tanta cùm ſit capitis dignitas, ſummo loco poſitum eſt vt in ſpecula; & primo, vt dixi, quòd ei ducatus datus. Tum cœlo proximum eſt. Et verò quod terrenum in capite eſt minimum eſt. Eſt item rotundum, quia perfectum eſt, nec quicquam in illo prius aut poſterius. Nam quis auſit eam capitis partem, in qua cerebrum eſt, cerebrum, inquam, ſedes animi, origo *Plato in Phæd.* ſenſuum, arx memoriæ, opinionis, ſcientiæ, poſteriorem dicere? Ecquis item non ſtupeat in illa altera quę eſt attributa vultui, qui *Lactant. Firm. in 4. de ve. ſap. cap. 26.* vultus eſt imago ingenij? Nam quia frons eſt ſummum limen hominis, nimirum, ibi ſedent grauitas & maieſtas. Tectus in animo pudor manat per oculos, quos natura fecit inſignes lenitate, acritate, flagrantia. In naſo latet ſagacitas; In genis nobilis illa ruboris purpura efflorescit. Ab ore manat ſal ſapientiæ. Denique in toto *Ariſtoph. νεφ.* vultu eſt non ſolùm, vt ille ait, ἀττικὸν βλέπος. Atticus aſpectus, ſed

& θεῖον, diuinus. Certè hoc eſt in homine facies quod prora in naui; quod Zodiacus in cœlo, quod character in annulo. Ibi agnoſcitur viua & expreſſa ſimilitudo Dei, hoc eſt, totus homo. Tale cùm ſit caput, omneſque capitis partes, non abſurdè exiſtimatum eſt, nullum iuſiurandum eſſe maius aut ſanctius illo quod concipitur per caput eius, qui ſit caput rerum, hoc eſt initium, nempe Iouis. Certè Mercurius ille Homericus, ille infans tam vafer, licet adhuc in cunis, iurat magnum iuſiurandum per caput patris, ſe non abegiſſe boues Apollinis. *Schol. Æſchy. in ἑπ. ἐπὶ Θηβ.*

Πατρὸς κεφαλὴν μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι. *Homer. hym. in Mercur.*

Patris caput magnum iuſiurandum iuro. Quale autem eſſet magnum iuſiurandum, & qua forma conciperetur, docet Plutarchus his verbis, cùm deſcendiſſet [tunc quidem Callippus illud perfidiæ columen] in legumlatorum templum is qui dederat fidem, ſacris quibuſdam peractis, circumamicitur veſte purpurea Deæ, & accepta face ardente iurat. Diana apud Homerum iurat, tacto capite patris, ſibi ſemper inlibatam fore virginitatem. *Plutarch. Dion.*

Ὤμοσε δὲ μέγαν ὅρκον, ὃ δὴ τετελεσμένος ἐστὶν,
Ἁψαμένη κεφαλῆς πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο.
Παρθένος ἔσσεσθαι πάντ' ἤματα δῖα θεάων. *Homer. hym. in Ven.*

Iurauit magnum iuramentum, quod vtique perfectum eſt, vbi cepiſſet caput patris Iouis ęgidiferi, virgo vti eſſet omnibus diebus diua Dearum. Hercules præhenſa dextera Hylli filij ſui, eum iure iurando adigit, quod vult concipi per caput Iouis patris, ſe facturum quæ receperit.

Ὄμνυ Διὸς νυν τοῦ με φύσαντος κάρα. *Sophocl. Trach.*

Iura Iouis nunc qui me genuit, caput. Ad hoc exemplum, fidei ſacroſanctum vinculum habetur, iurare tacto capite principis. Hoc iuſiurandum Iouius concipit apud Zoſimum; aitque ſe cum Alarico pacem nunquam eſſe facturum. Alios inſuper ad illud ipſum iuſiurandum adigit, quod ipſe audacter firmat eſſe grauius & ſanctius illo quod concipitur per Deum. Huius notæ eſt vetus illud, παραβάλλομαι τῇ ἐμαυτοῦ κεφαλῇ, ſpondeo mei capitis periculo. *Zoſim. lib. 5.* *Phrynich. παραβόλ.*

CAPVT IV.

In qualicunque capite vel mortuo eſt momentum, ſicuti in motibus capitis. Capite annuere quid. Caput notare quid. Caput pro toto homine. Dignitas capitis. Caput elatum, demiſſum, velatum, obuolutum, intectum, pileatum, opertum, adopertum quid ſignet. Caput aperire. Nudo capite aliquid patrare. Aliæ notæ capitis. Victima ſine capite. Capita hoſtium oſtentantur. Ægyptiis nefas eſt edere caput victimæ. Caput leonis.

NON ſolùm in capite hominis præſertim viuo, ſed & in qualibet re quæ capitis modò nomine cenſeatur, eſt haud leue momentum. Caput humanum inde effoſſum vbi poſtea condita fuit arx Romana, rem coniectantibus fuit certiſſimum ſymbolum ſeu pignus inibi futuri imperij. Quid, quod in ipſis motibus capitis eſt aliquid vnde prodirur animus? Capite annuere inter Deos eſt ſignum datę fidei. Sic Apollo apud Homerum alloquens Mercurium adhuc infantem, air,

Homer. hym in Merc.

Ἀλλ' εἴ μοι τλαίης γε θεῶν μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι,
Ἢ κεφαλῇ νεύσας ἢ ἐπὶ Στυγὸς ὄμβριμον ὕδωρ,
Πάντ' ἂν ἐμῷ θυμῷ κεχαρισμένα καὶ φίλα ἔρδεις.

Verùm ſi ſuſtineres Deorum magnum iuſiurandum iurare, Aut capite annuens, aut per Styga fortem aquam, Omnia certè meo animo grata & amica faceres. Deinde vterque annuit, & in fœdus, amicitiamque perpetuam coierunt. Caput motare inter homines eſt murmurando aliquid improbare. Creon apud Sophoclem ait, ciues ſuos ſibi obmurmurantes capita mouere,

Sophocl. Antig.

— ἀλλὰ ταῦτα καὶ πάλαι πόλεως
Ἄνδρες μόλις φέροντες ἐρρόθουν ἐμοί,
Κρυφῇ κάρα σείοντες.

Sed hæc & olim Homines vix ferentes in me concitabantur, latenter caput mouentes. Apud ſcriptores probatiſſimos nihil eſt tam obuium quàm caput pro toto homine, vt apud Syneſium,

Syneſ. ep. 37.

οὐ γὰρ αὐτῷ δεινὸν ἦν ἡ νόσος, ἀλλὰ τὸ σοῦ τῆς ἱερᾶς ἀπεῖναι κεφαλῆς; non illi morbus erat grauis, ſed quòd aberat abs tuo ſacro capite. Et alibi,

Syneſ. ep. 49.

οἷον ἐγὼ Θεότιμον οἶδα τὴν πρᾳοτάτην καὶ θεοφιλῆ κεφαλήν. Qualem ego Theotimum noui, manſuetiſſimum, Deoque charum caput. Euripides,

Euripid. Phœniſſ. actu 2.

οὐ θεμιτόν σοι ματρὸς ὀνομάζειν κάρα.

Non fas tibi matris nominare caput. Sic Virgilius,

Virgil. lib. 4. Æneid.

Me puer Aſcanius, capitiſq; iniuria chari;

De hoc genere ſunt hæc, dirum caput & Ioui ſacrum. Item, capite cenſi, capite minuti, capitis diminutio, taliaque. Ex his apparet verum eſſe id quod dixi, hominem eſſe materiam mortalem, quæ eſt agglutinata diuinæ; & quicquid in homine diuinitatis eſt capite potiſſimùm contineri, ſicuti arce, & quodam loco munitiſſimo, editiſſimo, conſpectiſſimo. Certè quæ eſt laus totius hominis, hanc ſibi caput vindicat vt propriam. Laus vniuerſæ gentis etſi pertineat ad ſingulos, tamen ad vnum principem refertur. Nimirum, quod omnis populi poteſtas eſt collata in vnum principem. Eadem eſt ratio capitis, cuius in decus cedit omnis illa dignitas quæ membrorum eſt. Vt princeps ab vniuerſis colitur & ſuſpicitur, ita omnia mẽbra capiti aſſurgunt. Memoriæ proditum *ἐν παρέργῳ* eſt, Sidones, gentem feram, cùm parentes comedant, eorum tamen capitibus abſtinere, eaque deaurare. Qualis apparet habitus capitis, talis cenſetur eſſe animus. Et quidem caput elatum plerunque eſt argumentum lætitiæ ſuperfluentis, aut væcordis ſuperbiæ; demiſſum mœſtitiæ; velatum luctus; obuolutum ſignat eum hominem qui nihil expectat niſi dirum. Quoties res ferro cernitur, quiſquis ἀποκαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ capite intecto verſatur in acie, is cenſetur præbere ſe adgnoſcendum, ciere pugnam, & hoſtem prouocare. Olim in foro demonſtrabat eos, *qui in tribu*, vt Plautus *Plaut. Capt.* ait, *ſontes condemnant reos*. Caput pileatum, aut alba lana velatum *actu 3. ſc. 1.* eſt euidens argumentum ingenuitatis, vt raſum ſeruitutis, capillatum reatus. Capite operto eſſe, eſt degere inter pares; adoperto, inter maiores, eóque quos & vereri & reuereri æquum eſt. Etſi *Plin. lib. 28. c. 9.* non ſum neſcius, ex authoritate Varronis Plinium tradere, *capita aperiri aſpectu magiſtratuum, non venerationis cauſa iuſſum, ſed vale-* *Niceph lib. 9.* *tudinis, quo firmiora conſuetudine ea fierent*. Nudo capite aliquid *cap. 2.* patrare, Græcis fuit, nullo rubore, nulloque reſpectu id, quicquid *Plato in Phæd.* eſt, ſuſcipere, & ſuſceptum peragere. Socrates apud Platonem, Conabor, inquit, ei reddere recantationem nudo capite, & non quomodo tunc verecundia coopertus. Illicitos coitus prohibuit *Clemen Alex.* Moſes non per ænigmata, inquit Clemens Alexandrinus, ſed ad- *pædag. li. 2. c. 10* huc γυμνῇ τῇ κεφαλῇ nudo capite. Qualia cuiuſque gentis capita eſſent, vt res maximè animaduertenda, nec ſemel, nec incurioſè eſt adnotatum. Huius notæ illud eſt quod Herodotus tradit, ca- *Herod. lib. 3.* pita Perſarum eſſe fragilia, Ægyptiorũ ſolida. Nempe hinc vtriuſque gentis ingenium præbuit æſtimandum. Idem ſcriptor tradit, inter multa pretioſa reperta à Platæenſibus fuiſſe caput ſine vlla ſutura, κεφαλὴν ἐξ ἑνὸς ἐοῦσαν ὀστέου, conſtans ex vno oſſe, ſcilicet, con- *Herodot. lib. 9.* tinuo. Cùm res diuina fit, pro diro omine, proque monſtro eſt, ſicubi in victima caput non inuenitur. Id quod Liuius adnotauit

Liu. lib. 31. accidiſſe Cn. Cornelio & Q. Petilio Coſs. *Nam quo die*, inquit, *magiſtratum inierunt, immolantibus Ioui ſingulis bubus, vti ſolet, in ea hoſtia qua Q. Petilius ſacrificauit, in iecinore caput non inuentum.* Capita hoſtium ex inſidijs, è pugna, è prælio relata oſtentantur in argumentum fortitudinis & felicitatis; atque adeò in decus victoriæ ſæpe diſponuntur in loco celeberrimo omnibus oſtentui. Hoc Zonar. in Dau. exemplo Dauid poſt proſtratos Palæſtinos, centum hoſtium capita è pugna retuliſſe dicitur, eaque in ornamentum regiæ domus diſpoſuiſſe. Certè caput hoſtis omni tempore eſt argumentum, ἐν παρέργῳ. victoriæ. Cùm Euryſtheum Hyllus Herculis filius in pugna occidiſſet, caput eius detulit ad Alcumenam, quæ illi acubus oculos confixit. Apud Euripidem Oreſtes, occiſo Ægiſtho, argumentum ac trophæum tanti facinoris refert caput eius,

Euripid. Electr. actu 4.

—ἔρχεται δέ σοι
Κάρα γ' ἀποδείξων οὐχὶ Γοργόνος φέρων,
Ἀλλ' ὃν στυγεῖς Αἴγισθον.

Venit autem tibi caput oſtenſurus non Gorgonis ferens, ſed [eius] In relat. Perſ. Italicè ſcripta. quem odiſti Ægiſthi. Hoc quoque noſtro ſæculo, nempe anno M. D. LXXVII. Muſtafa Turcici dux exercitus quinque millia Perſarum ab ſe in prælio cæſorum capita mœſto ordine diſponi, & ex his propugnaculum extrui iuſſit, horribili ſpectaculo, & atroci exemplo. Extat & quoddam oraculum quod Ioui iubet mitti capita. Ita ſe res habet; *Cùm priſco more Saturnus in Latio,* Lactant. lib. 1. de fal. reli. c. 21. *crudeli quodam ſacrificij genere coleretur, non quidem vt homo*, inquit, Lactantius, *ad aram immolaretur, ſed vti in Tyberim de ponte Miluio mitteretur, id ex reſponſo quodam factitatum, Varro author eſt. Cuius reſponſi vltimus verſus eſt talis,*

καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Et capita Saturnio, & patri mittite facem, ſiue hominem. Quod quia videtur ambiguum, & fax illi, & homo iaci ſolet. Cæterùm non ſolùm in homine, ſed & in cæteris animantibus nunquam non eſt præcipua capitis habita ratio. Apud Ægyptios nefas fuit eſſe caput victimæ, vt numinis nonnihil habens. Horum hierophantæ caput leonis habebant inter hieroglyphica; ſignabatque vigilantiam & cuſtodiam. Hiſce quæ dixi, alijſque quæ quàm plurima de capite dici poſſent, fides fit, in hominis textura primum locum eſſe huius partis, vt illius quæ eſt arx, apex, faſtigium cæterarum. Rem perſpicuam, quæque in confeſſo eſt, non tam neceſſe fuit probare argumentis, & confirmare exemplis, quàm ordinem ſequi ſuſceptę curæ. Hæc adegit me ad hæc tradenda, ſine quibus non ſatis commodè ſequentia contexi poſſunt. Id quod lectorem non neſcire volui, ne, quod πάρεργον eſt, id me ἔργον facere quiſpiam

putet. Summa hæc eſt, Quia caput eſt nobiliſſima pars hominis, corona omnium præmiorum nobiliſſimum huic parti honeſtandæ inuenta eſt. Id quotieſcunque fit, non tantùm caput, ſed & cætera membra, non item ſolum corpus, ſed totus homo eo honore, qui ſummus eſt, cohoneſtari dicitur.

CAPVT V.

Corona eſt præmium præclari capitis. Coronæ manu geſtatæ. Coronati capitis multa erat authoritas. Quiſquis in concione ad dicendum conſurgeret ſe coronabat. Qui dicendi laudibus emineret, huic loco præmii, ſiue honorarii dabatur corona. Hiſtriones προσωπιάζοντες erant coronati. Corona COSS. Romanis adempta.

NON cuilibet capiti, ſed vni illi quod multis, magniſque laudibus cenſeretur, inuēta fuit corona, hoc eſt præclarum præmium. Nimirum, caput coronatum trophæis ac præconijs cenſetur eſſe redimitum. De Polemone ſophiſta memoriæ proditum eſt, Laodicenos ciues ſuos, omnes, quotquot erant domi coronas in eius caput contuliſſe κατιδόντες τι ἐν αὐτῷ μέγα, perſpicientes aliquid magnum in ipſo. Et huc, ſcilicet, ſpectat vetus illud Alcæi, iubentis perfundere vnguentum circa ea capita, quibus multa fuerunt toleranda. Eſt ergo corona proprium decus capitis. Etſi is eſt coronarum decor, vt quandoque manu ferrentur: Cuius generis eſt illa, quam Athenæus in quadam pompa memorat altera manu fuiſſe geſtatam à muliere quadam formoſiſſima, & ſumptuosè veſtita. Quę corona fuit è Perſęa fronde Ægyptia; cùm eadem mulier altera manu teneret ramum palmæ. Quo exemplo legimus Amphiaraum cornu manu geſtaſſe, ὃς τὰ ἐνύπνια διὰ τῆς ἀληθοῦς ἀνάγων, vt ſomnia per id quod verum eſt, reducens. Apud Apuleium ſacerdos in ipſo procinctu pompę roſeam manu dextra filtro cohęrentem coronā iubetur geſtare. Nero ingrediēs vrbem Romam curru ſublimis, & cotino coronatus pythicā laurū manu tenuit. Sed hoc rarum, vt coronæ manu geſtentur. Frequētiſſimè, & ferè ſemper capiti imponuntur. Ibi locata corona mirum dictu quātum authoritatis cōciliet geſtori ſuo. Et verò ad tātum decus, hoc eſt ad ius coronę geſtādę, nemini niſi per ingētia in Rempub. merita aditus patuit. Hinc deriuatus mos, vt quiſquis ad agendum publicum negotium feriò accederet, is non priùs ſe rationibus & argumentis, quàm authoritate muniret. At id authoritatis, quanta maxima eſſe potuit, fuit in corona. Quippe corona non-

Philoſtrat. in Polem.

In carm. Alcm.

Athen. lib. 5.

Apul. Metam. lib. 11.

Xiphilin. Ner.

Philoſtrat. in Amphiarao.

niſi magni nominis caput circumdare credebatur. Certè quia hoc tantum decus etiam imò maximè omnium ſuperbia ſibi aſſumit quamuis nullis ſubnixa meritis, non mirum eſt ſi potentiores, & primores ciuitatium hinc ſe conſpiciendos & ſuſpiciendos multitudini præbebant. Nimirum inter inſignia potentiæ & authoritatis, vt alibi dico, corona primum locum obtinet. In vrbibus,

Philo π. τῶν δεκ. λογ.

inquit Philo, ὁ πάντων ἐπιβουλότατος φύεται τῦφος, ὅν τινες τεθήπασι καὶ προσκυνοῦσι τὰς κενὰς δόξας σεμνοποιοῦντες διὰ χρυσῶν στεφάνων καὶ ἁλουργίδων, καὶ πλήθους θεραπόντων καὶ ὀχημάτων ἐφ' ὧν οἱ λεγόμενοι μακάριοι καὶ εὐδαίμονες μετέωροι φέρονται, omnium inſidioſiſſimus naſcitur faſtus quem quidam admirantur & adorant, vanas glorias magnificantes per aureas coronas & purpuram, & multitudinem ſeruientium & curruum. Et quidem de ſacrificantibus, & maioribus magiſtratibus, qui eſſent coronati, ſupra ſatis eſt dictum. Nunc prodeũdus eſt mos illorum qui dicturi in concionem prodibant. Iſti enim non ſe populo conſpiciendos præbebant priùs quàm eſſent coronati. Et

Ariſtid. ῥοδ. περὶ ὁμον.

hoc illud eſt quod Ariſtides ait, vbi Rhodios hortatur ad concordiam. Olim, inquit, tanta erat animorum veſtrorum coniunctio, vt, cùm in concionem veniebatis, ſatis vobis eſſet videre coronam, id eſt, ſcire quis eſſet concionaturus. Quippe ſola hominis authoritate moti, vix orationem eius expectabatis. rectè enim vobis & coronæ ac talia ſatis erant. In hanc ſententiam rectè Euripides ait, dignitatem loquentis, etſi non ornatè dicit, tamen perſuadere, in hoc verſu quem Stobæus refert,

Stob. π. τῶν ἐν ταῖς πόλεσ. δυνάσ.

τὸ δ' ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν
Πείσει.

Hieron. ep. li. 2. ep. 22.

Aiunt Periclem, amiſſis duobus filijs, coronatum in concione

Lucian. Demō.

diſſeruiſſe. Id fermè ipſum memorat Lucianus de Demonacte. Is enim magno animo, & corona redimitus, & nitida veſte amictus ſuis calumniatoribus reſponſurus in concionem venit. Ipſemet Demonax ſic loquitur, ἐμὲ μὴ ὁρῶντες ἐστεφανωμένον ὑμεῖς ἤδη κἀμὲ καταθύσετε; cùm me ſertis coronatum videatis, quin me iam ſacrificatis? Quibus verbis repræſentatur vterque mos, nempe & coronandi victimas, qua de re ſupra dixi, & illos qui in concione verba faciebant. Hunc ipſum morem exprimit Praxagora mulier apud Ariſtophanem his verbis,

Ariſtoph. ἐκκλησ.

Ἐγὼ δὲ θεῖσα τοὺς στεφάνους περιδήσομαι
Κἀυτὴ μεθ' ὑμῶν, ἤν τί μοι δόξῃ λέγειν.

Ego verò impoſitis coronis redimibor & ipſa cum vobis, ſiquid mihi viſum fuerit dicere. Ibi ſcholiaſtes, τὸ, inquit, περιδήσομαι, ὅτι οἱ δημαγωγοὶ ἐστέφοντο, quoniam populares oratores coronabantur. Paulò poſt hæc ipſa mulier addit,

τίς

--τίς ἀγορεύειν βούλεται;
Γυ. ἐγώ. Πρ. περίθου δὴ τὸν στέφανον τύχ' ἀγαθῇ.
Γυ. ἰδού.

Quis concionari vult? Mul. Ego. Pr. Circũponere ergo coronam [capiti] τύχ' ἀγαθῇ, felici omine. Et infra,

Πρ. ἔθ' ὅστις ἑτέρα βούλεται λέγειν; Γυ. ἐγώ.
Πρ. ἴθι δὴ στεφανοῦ.

Eſt ne alia aliqua quæ velit dicere? Mul. Ego. Pr. Aage dum coronare. Hoc exemplo Cippus concionaturus, priuſquam prodeat in conſpectum vniuerſorum, coronat ſeſe. Ouidius,

Dixit, & extemplo populum, grauemq́; ſenatum
Conuocat. Ante tamen capitis noua cornua fronde
Velat, & aggeribus factis à milite forti
Inſiſtit.

Ouid. lib. 15. Metam.

Idem cùm capiti coronam dempſiſſet, repoſita eſt illi à populo,

Rurſus ad hos Cippus, quem poſcitis, inquit, habetis.
Et dempta capiti populo prohibente corona,
Exhibuit gemino præſignia tempora cornu.
Demiſere oculos omnes, gemitumq́; dedere.
Atque illud meritis clarum (quis credere poſſit?)
Inuiti videre caput; nec honore carere
Vlterius paſſi feſtam impoſuere coronam.

Videtur quoque fuiſſe in more poſitum, vt qui ſæpiùs apud populum diceret, ſæpeque coronatus aſpiceretur, huic ipſi concederetur ius geſtandæ coronæ. Hinc eſt, quod Demoſthenes ex quali-bet occaſione illam ſuam coronam ſæpe oſtentauit & obiectauit illis à quibus violatæ legationis accuſabatur, ſicuti omnium veriſſimam ac tutiſſimam defenſionem. Perinde ac ſi diceret, ſi eſſem vir improbus, vt iſti volunt, non donatus fuiſſem ea corona, cuius geſtandæ ius eximijs tantùm oratoribus, ac Reip. probatiſſimis permiſſum eſt. Porrò illi qui dicturus ſurgeret, ab illo qui proximè dixiſſet, corona tradebatur, vt è ſupra dicto loco Ariſtophanis perſpicuum fit, tum è ſequentibus,

Plutarch. περὶ τῦ ἑαυ. ἐπ. ἀνεπιφθ.

Γυ. φέρε τὸν στέφανον· ἐγὼ γὰρ αὖ λέξω πάλιν.

Affer coronam. Ego enim rurſus dicturus ſum. Et alibi apud eundem Ariſtophanem in hoc verſu,

Ariſtoph. Θεσμοφ.

περίθου νυν τὸν δὴ στέφανον πρὶν λέγειν. τόνδε,

τοῦτ' ἐστι στέφανον. Circumda nunc priùs quàm dicis, hanc coronam. Imitatione oratorum hiſtriones, qui proœmijs recitandis id agebant, vt ſpectatorum beneuolentiam ſuo gregi conciliarent, fauſti ominis gratia coronas ferebant, oſtendebantque populo; & inde fauſtitatem, aſſenſum, plauſuſque referebant. Certè in corona tan-

Dionyſ Halic. lib. 3. Antiq.

tum fuit authoritatis, vt Halicarnaſſæus memoret, coronam regum Romanorum, vnà cum toga palmata, ademptam fuiſſe Cōſulibus; cùm alia potentiæ & dignitatis inſignia ijs relicta eſſent. Nam corona & veſtis regia, vtraque liberæ ciuitati intolerabilis viſa eſt. ἔξω, inquit, τοῦ στεφάνου, καὶ τῆς ποικίλης ἐσθῆτος. ταῦτα δ' αὐτῶν ἀφῃρέθη μόνα, extra coronam, & veſtem verſicolorem [cætera inſignia illis relicta ſunt.] Hæc vna ipſis adempta. Ita tamen adempta, vt eis relinquerentur cùm triumpharent. Vtroque, ſcilicet, inſigni triumphans conſpicuus erat. τότε καὶ χρυσοφοροῦσι, tunc enim aurea [corona] inſignes aſpiciuntur, καὶ ποικίλοις ἀλουργίσιν ἀμφιέννυνται, & verſicoloribus veſtibus circumamiciuntur. Hoc cultu Æmilius Paulus currui inſidens triumphali conſpectus eſt, ἁλουργίδα χρυσόπαστον ἀμπεχόμενος, purpura auro intertexta indutus.

Plutarch Æm. Paulo.

CAPVT VI.

Coronæ decus vel inter ſupplicia conſpicuum. Quidam coronæ, eiuſq. materiæ, vt rei vili illudere non dubitarunt. φυλλίνοι ἀγῶνες. Flores coronarum quales. Corona non eſt pretium neque merces, ſed præmium. Corona, id eſt præmium.

TANTI erat corona, vt eius dignitas nullo concurſu rerum aduerſarum; eiuſque fulgor ne inter ſupplicia quidem hebetari poſſet. Quippe inuenti ſunt qui poſt magna merita viſi ſunt commiſiſſe quo capite pœnas darent. Illud tamen tunc quidem infelix caput ipſo etiam vltimo momento ſuis inſignijs honeſtatum manſit. In vno, inquam, eodemque capite ſæpe vtrumque conſpectum eſt & præmium & pœna. Torquatus ille infeliciter fortis iuſſu Manlij patris coronatur. Sed ei caput coronatum illico amputatur. Qua ſeueritate, vt hoc obiter dicam, Steſibrotus Epaminondæ filius aduerſus edictum patris cum pugnaſſet, punitus. Simile propemodum memoratur factum Syllæ, qui ſeruum Sulpitij, à quo herus proditus fuerat, libertate donatum per præceps dati iuſſit. Huius quoque generis eſt iudicium Ephororum, qui Iſadan, quòd fortiter pugnans hoſtes repuliſſet, coronarunt; ſed quòd ſine armis ad pugnam exiiſſet, mille drachmis multarunt. Haud abſimile illud Secundi de eo qui fuerat author ſeditionis, eandemque compeſcuerat, Pro ijs, inquit, quæ deliquit, puniatur. Deinde pro ijs quæ benefecit, ſi pōteſt, prēmium capiat. Vnde intelligimus, in crimine læſæ maieſtatis pœnam præire præmio. His, talibuſque exēplis docemur, eam eſſe virtutis prærogatiuam, vt ne infelices quidem fraudet ſuo præmio. Etſi ridiculè corona

Plutarch. Fab. Max.

Zonar. in Māl. Torq.

Plutarch. παραλλ. ἑλλην. καὶ ῥωμ.

Plutarch. Sylla.

Plutarch. Ageſilao.

Philoſtrat. Secundo.

videtur dici illud præmium quo magna ingenia excitari poſſint. Num enim flores, frondes, ramuli, denique ipſa auri lamina tanti eſt, vt virtuti ſit remuneratio? Ergo præmiorum honos reponetur in rebus contemptibilibus, non in incorruptis hominum iudicijs expendetur? Enimuero non tantùm vulgus hominum, ſed è grauiſſimis ſcriptoribus nonnulli reperti qui huic toti negotio non dubitarunt inludere. In his eſt Dion Chryſoſtomus ſcriptor & ſapiens & eloquens, qui ait, publicè repertas eſſe eſcas pro fatuis, hoc eſt, coronas, primos locos, & præconia. Atque adeò quoſdam fronde viridi, vel corona, mitraue circumduci vt oues. Itaque etſi militari ioco, tamen verum dixiſſe viſus eſt Opilius quidam, *στεφάνους μὲν καὶ πορφύραν εἶναι παισὶν ἀθύρματα, στρατῷ δ' ἕτερα, χωρία καὶ χρήματα,* coronas quidem & purpuram eſſe pueris oblectamenta, exercitus autem, alia, prædia, ſcilicet, & pecunias. Conſentaneum prope dictum illi militum querelæ, quæ eſt apud Cornelium Tacitum. *Queruntur enim veterani, ſe trahi adhuc diuerſas in terras, vbi per nomen agrorum vligines paludum, vel inculta montium accipiunt.* Ac ſi dicat, callidos iſtos præmiorum oſtentatores veriùs quàm datores id agere vnũ, vt militari ſimplicitati per hæc ſpecioſa & inania nomina illudat. Diogenes quoque aiebat, oratores eſſe miniſtros, ſiue mancipia plebis; at coronas, bullas gloriæ *δόξης ἐξανθήματα.* Epicurus neque naturales, neque neceſſarias quaſdam voluptates exiſtimabat; in his coronas ac decora ſtatuarum. Apud Ariſtophanem paupertas & Cremilus iurgantes iſtis propemodum ſimilia loquuntur. Et paupertas quidem vt ſibi authoritatem concilier, ait Iouem eſſe pauperem. Id quod hinc probat. Nam ſi is, inquit, diues eſſet, non illos quos in ludis Olympicis victores renuntiat, coronaret oleaſtro, hoc eſt, re nihili. Quippe talibus viris auream coronam potiùs dari æquum fuit. Huic Cremilus reſpondet, vel hinc eſſe perſpicuum, quanto apud Iouem in honore ſint diuitiæ, quibus is tam ſedulò parcit, vt in coronas nullum ſumptum fieri velit, *λήροις ἀναδῶν τοὺς νικῶντας* nugis redimiens victores. Vocat ergo Olympiacas coronas, quamlibet omnium coronarum præclariſſimas, *λήρους,* hoc eſt, meras nugas, quas callidè Iupiter dat victoribus, cùm interim ſibi ipſe ſeponat aurum. Certè, ne nihil Cremilus apud Ariſtophanem dicere videatur, obſeruatum eſt, illa tam celebria coronaria certamina fuiſſe vocata *φυλλιταίους καὶ φυλλοφόρους ἀγῶνας* foliacea certamina, in quibus nequaquam proponitur argentum, aut quidpiam tale, ſed corona, & quidem foliacea. Id eſt, Pro tanta, tam vtili, tamque felici fortitudine victores deniq; adipiſcuntur folia, materiam defloreſcentem, areſcentem, putreſcentem. Sed enim, inquit Philo, agens de ſacris certaminibus,

Dion Chryſoſt. orat. 66.

Appian. Alex.

Tacit. lib. 1. Annal.

Diog. Laert. in Diog. lib. 6.

Laert. lib. 10. in Epic.

Ariſtoph. Plu.

Etymol. φυλλιταίους ἀγῶνας

Pindar. Ol. od. 8.

Philo ὅτι πᾶς σπουδ. ἐλεύθ.

pro oleaſtro & apio glorioſa eſt certantibus mors. In hac ipſa ſententia fuit Anacharſis Scythicus ille ſapiens, qui talia præmia ridet. Cùm enim is Solonem interrogaret quęnam in gymnicis certaminibus præmia victoribus proponerentur; Solonque reſpondiſſet, in Olympicis dari coronã oleagineam, in Iſthmijs pineam; in Nemeis ex apio, in Pythijs poma Apollinis, ſublato cachinno Scytha, Præclara, inquit, præmia percenſuiſti ô Solon, tum digna ijs qui talem exhibent hominibus munificentiam, tum etiam athletis qui talia tam cupidè ſectantur. Is quoque eſt ſenſus eius epigrammatis quod eſt primum in anthologia.

Lucian. de gymnaſ.

Anthol. lib. 1. in princ.

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱεροὶ,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων,
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quatuor ſunt certamina in Græcia, quatuor ſacra, Duo quidem mortalium, duo verò immortalium, Iouis, Apollinis, Palæmonis, Archemori. Præmia verò illorum olea, poma, apium, pinus. Quæ omnia etſi verè dicuntur, tamen iſti ſunt illi ipſi flores, ſiue rami, quibus & ipſa ſumma capita inſigniri geſtiunt, quibuſque meritò efferuntur, vt præclariſſimis virtutis ſpectatiſſimæ teſtimonijs, cuiuſmodi hiſce elegantiſſimis verſibus ab Oppiano repræſentantur, vbi coronati magna frequentia domum deducuntur.

Oppian. θηρευ. lib. 1.

Οἷον δὴ βασιλῆα φερέπτολιν, ἠὲ τιν' ἄνδρα
Ἀθλοφόρον θαλλοῖσι νεοδρέπτοισι κομῶντα
Παῖδές τ' ἠΐθεοί τε καὶ ἀνέρες ἀμφὶς ἕποντες,
Εἰσόκεν εὐερκῆ μεγάρων ὑπὲρ οὐδὸν ἀμείψῃ.
Ὣς οἵγε.

Qualiter ſanè regem qui vrbem cœpit, aut aliquem victorem athleticum ramis recens decerptis ſuperbientem Pueriſque iuueneſque, & viri comitantes ſuam domum deducunt, & frequentes ſemper ſequuntur, Donec pulchrum ſub ædes limen tranſcendat. Sic hi, &c. Ergo falſum eſt athletarum præmia eſſe κότινον, σέλινα, πίτυν, μῆλα, oleaſtrum, apium, pinum, mala, ſiue baccas, Quippe verum præmium eſt, ἔπαινος ὁ παρὰ τῶν θεατῶν, καὶ τὸ ἐπισημότατον γενέσθαι, καὶ δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ, ἄριστον εἶναι τῶν καθ' ἑαυτὸν δοκοῦντα, laus quæ eſt à ſpectatoribus, & eſſe clariſſimum, ac demonſtrari digito, inter æquales hunc viſum eſſe etiam ſua opinione præſtantiſſimum. Fatendum eſt aliquid eſſe in his folijs, frondibus, floribus, in quo vel ipſi mortalium optimi magnopere commouentur. Et quidem Olympiacos flores Pindarus deſcribit vt ſuauiſſimos.

Lucian de gymnaſ.

Pindar. Oly. od. 4.

Ὑψηλᾶν ἀρετᾶν, καὶ
στεφάνων ἄωτον γλυκὺν

Τῶν ὀλυμπίᾳ.
Ὠκεανοῦ θύγατερ
Καρδίᾳ γελανεῖ,
Ἀκαμαντόποδός τ' ἀπήνας δέκευ.
Ψαύμιδός τε δῶρα.

Ceſſatum virtutum & coronarum florem ſuauem, quæ ſunt in Olympia, ô filia Oceani corde hilari accipe dona vehiculique indefeſſi pedibus, & Pſaumidis. Nec mirum, tales flores eſſe tam ſuaues, vt potè in quibus ineſt fructus, iſque dulciſſimus, teſte eodem Pindaro, —οἴ-

καδε κλυτοκάρπων
οὐ νόστ' ἄνευ στεφάνων. *Pindar. Nem. od. 4.*

domum non ſine coronis inclytum fructum ferentibus redeunt. Et hoc, ſcilicet, illud eſt quod Oppianus ait,

Νίκης τε γλυκύδωρον ἑλεῖν κράτος. *Oppian. ἁλιευ. lib. 4.*

Victoriæque dulcem auferre excellentiam. Sunt Hercule hi flores & fructus tam ſuaues, tamque optabiles, vt Græcia nũquam fatua, ſemper docta, ſæpe generoſa nihil quicquam tanto ſtudio concupiuerit. Qua de re eſt inſignis apud Herodotum locus, quem hîc placuit adſcribere. De quibuſdam Arcadibus loquitur, In conſpectum, inquit, regis adducti, interrogatique cùm ab alijs Perſis, tum verò à quodam præcipuè de Græcis, quidnam illi agerent, reſponderunt, eos agere Olympia, & ſpectare certamen gymnicum atque equeſtre. Rurſus eodem percontante quodnam illis præmium eſſet propoſitum propter quod certarent, oleaginam coronam inquiunt eſſe qua donarentur. Ibi Tigranes Artabani filius generoſiſſimam dixit ſententiam, quæ apud regem pro timida eſt habita. Audiens enim præmium illis coronam eſſe, non pecuniam, ſilentium tenere non potuit quin coràm omnibus diceret, Papæ Mardoni, in quos viros duxiſti nos ad pugnandum, qui non pecuniarum certamen agitant, ſed virtutis? Quòd ſi talium & frondium & florum tãta dignitas eſt, meritò corona hinc plexa exiſtimata eſt præmium, non pretium, remuneratio, merces. Nam ſi in corona vnius compendij ratio haberetur, hoc eſſet quod dico, & pretium & merces. Sed quòd corona altiùs aſſurgit, eique nobilior & excelſior meta propoſita eſt, neutiquam pretium, ſed vtique præmium eſt, cuius dignitate & magnitudine continentur illa quæ ſunt infra ipſam, pretium, remuneratio, merces. Et hoc, ſcilicet, illud ipſum eſt quod Anacharſi talium præmiorum contemptori reſpondet Solon. Nos, inquit, non ad nuda tantùm dona intentos oculos habemus. Sed hæc ſunt ſigna atque indicia victoriæ, per quæ victores cognoſcuntur. Gloriam enim victores

Herodot. lib. 8.

Lucian. de gymn.

pro oleaſtro & apio glorioſa eſt certantibus mors. In hac ipſa ſententia fuit Anacharſis Scythicus ille ſapiens, qui talia præmia ridet. Cùm enim is Solonem interrogaret quęnam in gymnicis certaminibus præmia victoribus proponerentur; Solonque reſpondiſſet, in Olympicis dari coronã oleagineam, in Iſthmijs pineam; in Nemeis ex apio, in Pythijs poma Apollinis, ſublato cachinno Scytha, Præclara, inquit, præmia percenſuiſti ô Solon, tum digna ijs qui talem exhibent hominibus munificentiam, tum etiam athletis qui talia tam cupidè ſectantur. Is quoque eſt ſenſus eius epigrammatis quod eſt primum in anthologia.

Luctan. de gymnaſ.

Anthol. lib. 1. in princ.

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱεροί,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων,
Ζηνός, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Quatuor ſunt certamina in Græcia, quatuor ſacra, Duo quidem mortalium, duo verò immortalium, Iouis, Apollinis, Palæmonis, Archemori. Præmia verò illorum olea, poma, apium, pinus. Quæ omnia etſi verè dicuntur, tamen iſti ſunt illi ipſi flores, ſiue rami, quibus & ipſa ſumma capita inſigniri geſtiunt, quibuſque meritò efferuntur, vt præclariſſimis virtutis ſpectatiſſimæ teſtimonijs, cuiuſmodi hiſce elegantiſſimis verſibus ab Oppiano repræſentantur, vbi coronati magna frequentia domum deducuntur.

Oppian. κυνηγ. lib. 1.

Οἷον δὴ βασιλῆα φερέπτολιν, ἠέ τιν' ἄνδρα
Ἀθλοφόρον θαλλοῖσι νεοδρέπτοισι κομῶντα
Παῖδές τ' ἠΐθεοί τε καὶ ἀνέρες αὐτὸν ἕποντες,
Εἰσόκεν εὐερκῆ μεγάρων ὑπὸ οὐδὸν ἀμείψῃ.
Ὣς οἵγε.

Qualiter ſanè regem qui vrbem cœpit, aut aliquem victorem athleticum ramis recens decerptis ſuperbientem Pueríque iuueneſque, & viri comitantes ſuam domum deducunt, & frequentes ſemper ſequuntur, Donec pulchrum ſub ædes limen tranſcendat. Sic hi, *&c.* Ergo falſum eſt athletarum præmia eſſe κότινον, σέλινα, πίτυν, μῆλα, oleaſtrum, apium, pinum, mala, ſiue baccas, Quippe verum præmium eſt, ἔπαινος ὁ παρὰ τῶν θεατῶν, καὶ τὸ ἐπισημότατον γενέσθαι, καὶ δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ, ἄριστον εἶναι τῶν καθ' ἑαυτὸν δοκοῦντα, laus quæ eſt à ſpectatoribus, & eſſe clariſſimum, ac demonſtrari digito, inter æquales hunc viſum eſſe etiam ſua opinione præſtantiſſimum. Fatendum eſt aliquid eſſe in his folijs, frondibus, floribus, in quo vel ipſi mortalium optimi magnopere commouentur. Et quidem Olympiacos flores Pindarus deſcribit vt ſuauiſſimos.

Lucian de gymnaſ.

Pindar. Oly. od. 4.

Ὑψηλᾶν ἀρετᾶν, καὶ
στεφάνων ἄωτον γλυκύν

Τὰν οὐλυμπίᾳ.
Ὠκεανοῦ θύγατερ
Καρδίᾳ γελανεῖ,
Ἀκαμαντόποδός τ' ἀπήνας δέκευ.
Ψαύμιδός τε δῶρα.

Ceſſatum virtutum & coronarum florem ſuauem, quæ ſunt in Olympia, ô filia Oceani corde hilari accipe dona vehiculique indefeſſi pedibus, & Pſaumidis. Nec mirum, tales flores eſſe tam ſuaues, vt potè in quibus ineſt fructus, iſque dulciſſimus, teſte eodem Pindaro, —οἴ-

καδε κλυτοκάρπων *Pindar. Nem. od. 4.*
οὐ νέοντ' ἄνευ στεφάνων.

domum non ſine coronis inclytum fructum ferentibus redeunt. Et hoc, ſcilicet, illud eſt quod Oppianus air,

Νίκης τε γλυκύδωρον ἑλεῖν κράτος. *Oppian. ἁλιευ. lib. 4.*

Victoriæque dulcem auferre excellentiam. Sunt Hercule hi flores & fructus tam ſuaues, tamque optabiles, vt Græcia nũquam fatua, ſemper docta, ſæpe generoſa nihil quicquam tanto ſtudio concupiuerit. Qua de re eſt inſignis apud Herodotum locus, quem hîc placuit adſcribere. De quibuſdam Arcadibus loquitur, In conſpectum, inquit, regis adducti, interrogatique cùm ab alijs Perſis, tum verò à quodam præcipuè de Græcis, quidnam illi agerent, reſponderunt, eos agere Olympia, & ſpectare certamen gymnicum atque equeſtre. Rurſus eodem percontante quodnam illis præmium eſſet propoſitum propter quod certarent, oleaginam coronam inquiunt eſſe qua donarentur. Ibi Tigranes Artabani filius generoſiſſimam dixit ſententiam, quæ apud regem pro timida eſt habita. Audiens enim præmium illis coronam eſſe, non pecuniam, ſilentium tenere non potuit quin coràm omnibus diceret, Papæ Mardoni, in quos viros duxiſti nos ad pugnandum, qui non pecuniarum certamen agitant, ſed virtutis? Quòd ſi talium & frondium & florum tãta dignitas eſt, meritò corona hĩc plexa exiſtimata eſt præmium, non pretium, remuneratio, merces. Nam ſi in corona vnius compendij ratio haberetur, hoc eſſet quod dico, & pretium & merces. Sed quòd corona altiùs aſſurgit, eique nobilior & excelſior meta propoſita eſt, neutiquam pretium, ſed vtique præmium eſt, cuius dignitate & magnitudine continentur illa quæ ſunt infra ipſam, pretium, remuneratio, merces. Et hoc, ſcilicet, illud ipſum eſt quod Anacharſi talium præmiorum contemptori reſpondet Solon. Nos, inquit, non ad nuda tantùm dona intentos oculos habemus. Sed hæc ſunt ſigna atque indicia victoriæ, per quæ victores cognoſcuntur. Gloriam enim victores

Herodot. lib. 8.

Lucian. de gymn.

ſectantur; pro qua conſequenda etiam in ventrem calcitrare præclarum eſt venantibus. Certè Caſſiodorus ſcriptor grauiſſimus his nomen indit præmijs, *Si*, inquit, *Olympici currus agitator rapit præmia poſt labores; ſi ferarum certamen inhoneſtum velociter ſolet coronare victores, &c.* Quinimo hæc ipſa vox corona ſæpiſsimè pro præmio ſumpta legitur. Hoc ſenſu dicimus, corona victoriæ, fidei, immortalitatis; vt apud Lactantium, *Incorruptibiles ſibi theſauros bonis operibus acquirat, vt poſſit Deo iudice pro virtutis ſuæ merito vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipiſci.* Et donari corona, eſt renunciari victorem, ac proinde adipiſci ſummum præmium. Euripides,

Caſſiod. lib. 11. Var. ep. 35.
Lactant. in fo. Epit.
Euripid. Troa. actu 2. in fin.

> στέφανον ἔφερεν Ἑλλάδι κουροτρόφῳ,
> Φρυγῶν πατρίδι πένθη.

Coronam afferebat Græciæ iuuenibus florenti, luctus autem Phrygum patriæ.

CAPVT VII.

Corona ſignat præmium victoriæ. Coronæ donaticæ. Præter coronas alia genera præmiorum. ἀριστεῖα. *dignitas illorum qui* ἀριστεῖα *eſſent adepti. Honor* λαοβόρος.

CÆTERVM corona non ſignat qualecunque præmium, ſed præmium victoriæ, hoc eſt pugnando & vincendo partum, *Vbi durior pugna ibi glorioſior eſt victoria*, inquit Seuerus Sulpitius. Ergo qui vicit, is propriè coronam accipere dicitur. ἀθλητικῆς ἔργον μὲν ἂν εἴποις τὴν τοῦ στεφάνου πρὸς τὸν ἀντίπαλον ἅμιλλαν. ἄσκησιν δὲ, τὴν ἐπὶ τούτῳ διὰ τῆς γυμνασίας παρασκευὴν τοῦ σώματος. Athleticæ opus quidem dicas [eſſe] certamen coronæ contra aduerſarium. At exercitationem, eum apparatum qui in hoc fit, per exercitamentum corporis. Ariſtophanes,

Seuer. Sulpit. in Dial.
Plutarch. πε. τοῦ Σωκρ. δαιμ.
Ariſtoph. ἱπ.

> — καὶ νικήσας
> Αὖθις ἐκεῖθεν πάλιν ὡς ἡμᾶς
> Ἔλθοις στεφάνοις κατάπαστος.

Et victoriam adeptus inde rurſus ad nos venias coronis plenus, ſiue inſignis. Ergo fortiter pugnare Pindaro eſt ire, ſeu vadere ad victoriam.

Pindar. Oly. od. 4.

> χαλκέοισι δ' ἐν ἔντεσι νικῶν
> Δρόμον, ἔειπεν Ὑψιπυλείᾳ
> μετὰ στέφανον ἰών.

æreis enim armis vincens curſum, dixit Hypſipylæ ad coronam

vadens, &c. Hic certè corona ſignificat præmium. Sic quoque locutus eſt Euripides,

Euripid. Elect. actu 3.

ἥκω 'πὶ τὸν ſτέφανον, ἀλλὰ πῶς λάβω;

Venio ad hanc coronam, ſed quomodo accipiam? Ergo non ſine labore & periculo itur ad coronam. Ironicè & lepidè Maximus Tyrius ait, præclarus hic certator, qui ſine ſudore vult coronari, perinde ac ſi dicat, haud ſtultè ſapit quiſquis ſine ſudore vult conſequi præmium. Eſt ergo corona comes & ſequax victoriæ. Huiuſmodi multæ obuiæ ſunt in priſcis monumentis, vt illa quam Halicarnaſſæus memorat datam fuiſſe Horatio Cocliti, addito multo ornatu verborum. Huic annecto illam, qua Hercules Telamonem ob egregia merita coronauit; tradita inſuper ei Heſione filia Laomedontis. Tum illam, quam Dioxippus, victo Macedone, à ſuis popularibus accepit; illamque qua Theſeum ab Amphiarao donatum eſſe, Pauſanias eſt author. Huius quoque generis ſunt illæ aureæ, quibus Scipio Maſſaniſſam & Lælium laudibus oneratos donauit. His haud abſurdè adnumerentur illæ quas Hiero tyrannis dari dicit, καὶ ſτεφανοῦσι [τυράννους] κοινῆς ἀρετῆς καὶ εὐεργεσίας ἕνεκα. & coronant [tyrannos] communis virtutis & beneficij cauſa. Talem coronam ipſe populus Romanus Scipioni impoſuiſſe dicitur, poſtquam Scipio dixit, Nequaquã decorum eſſe ipſos de Scipione iudicare, per quem adepti eſſent facultatẽ iudicandi. Denique his coronis adnecti poſſunt illę quas Feſtus donaticas dici ait. *Donaticæ, inquit, coronæ dictæ ſunt, quòd his victores in ludis donabantur; quæ poſtea magnificentiæ cauſa inſtitutæ ſunt ſuper modum aptarum*, [ſ. aptum, vel aptatum, id eſt, conuenientem] *capitibus, quali amplitudine fiunt cùm lares coronantur.* Cæterùm tanti fuerunt hæ coronæ, vt ille cætera frugi Hippolytus, illud adeò ſingulare ſpecimen modeſtiæ, cogatur fateri, ſe in Græcanicis certaminibus primum eſſe cupere, quamuis in ciuitate non recuſet ſecundum locum. Hic certè vbique modeſtus, cùm agitur de corona omnium præmiorum eminentiſſimo, tunc verò acri ambitione vexatur, vt ipſe ſe hac ſua confeſſione prodit,

Max. Tyr. diſſ. 6.
Halic lib. 5. antiq.
Diodor. Sic. lib. 5. antiq.
Diodor Sic. lib. 17. bibl.
Pauſan. lib. 1.
Liu. lib. 28. & ſeqq. & Appia. Alex in Liby.
Xenop in Hier. ſiue Tyr.
Feſt. Donatica.

ἐγὼ δ' ἀγῶνας μὲν κρατεῖν Ἑλληνικοὺς
Πρῶτος θέλοιμ' ἄν· ἐν πόλει δ' ἧσσων
Σὺν τοῖς ἀρίſτοις εὐτυχεῖν ἀεὶ φίλοις.

Euripid. Hippo. actu 4.

Ego autem in certaminibus palmam Græcanicis primus tenere velim, & in republica cum optimatibus felices ſecundus annos exigere. Aiacem, licet furentem, quia in ipſo nondum extincta erat illa heroica generoſitas, pudet redire ad patrem Telamonem ſine præmio, atque adeò ſine corona.

Sophocl. Aia. flagell.

Καὶ ποῖον ὄμμα πατρὶ δηλώσω φανεὶς

Τελαμῶνι. πῶς με τλάσεταί ποτ᾽ εἰσιδεῖν
γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ,
ὧν αὐτὸς ἔσχε στέφανον εὐκλείας μέγαν;

At quo vultu ad patrem redibo Telamonem? Quomodo me ſuſtinebit intueri, ſi nudus, & abſque primis præmijs virtutis ad illum venero, quorum ipſe obtinuit coronam gloriæ magnam? Cæterùm hæc tanta, tamque flagrans acriſque præmij expetitio inde eſt, quod quicquid magnis viris datur vice præmij, illud ipſum, vt

Pindar. Oly. od. 11. Pindarus ait, eſt *πιστὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς*, fidum pignus magnis virtutibus. Porrò cùm plura eſſent genera certaminum, pluribus quoque rationibus neceſſe fuit æſtimari victoriam. Ac proinde plurima conſtat fuiſſe genera præmiorum. Certè inter præmia

Strabo lib. 8. cenſebãtur chlænæ & veſtes. Id quod Strabo diſertim tradit, *ἔστι δ᾽*, inquit, *κώμη Πελλήνη, ὅθεν καὶ αἱ Πελληνικαὶ χλαῖναι, ἃς καὶ ἆθλα ἐτίθεσαν ἐν τοῖς ἀγῶσι*. Eſt verò & vicus Pellene, vnde & Pellenicæ chlænæ, quas & præmia poſuerunt in certaminibus. Fuerunt & tripodes, & alia de quibus ago ſuis locis. Denique fuerũt illa, quibus omnibus nomen

Strabo lib. 12. *ἀριστεῖα*, præmia fortitudinis, & quidem bellicæ. Cuius generis fuit Tomiſa caſtellũ cuidam Cappadoci ab Lucullo donatũ. Enimuero hæc *ἀριστεῖα* non alij dabantur quàm duci, ſiue alicui è ducibus, & inſigni alicui viro, & à ſummo duce. Ariſtides apud Platonem hoc

Plato in ſymp. Socrati teſtimonium reddit; cùm enim pugna fuit, ex qua mihi & ipſa præcipua præmia dederunt duces, nullus alius me ſeruauit hominũ niſi hic. Et paulò poſt, Et ego quidem ô Socrates & tunc iuſſi tibi dare *ἀριστεῖα* duces. Talibus præmijs donati homines diceban-

Philoſtr. Æſch. tur coronari *ἀριστείοις*, vt in hoc loco Philoſtrati de Æſchine loquentis, *ἀριστεῖα τούτου δημοσίᾳ ἐστεφανοῦτο*. Hic publicè coronatus fuit *ἀριστείοις*. Hîc obſeruandum eorum qui *ἀριστείοις* honeſtati eſſent, tãtam fuiſſe dignitatem, vt ſoli fierent arbitri rerum iudicatu difficillimarũ,

Plato 11. de leg. veluti cùm agitur de ſtatu illius, quem incertum eſt, ingenuus ſit, necne. Liberum verò & non liberum, [quempiam eſſe] inquit Plato, haud facilè poteſt legibus accuratè definiri. Illius tamen ingenuæ conditionis iudicium penes eos eſto qui rerum præclarè ab ſe geſtarum *ἀριστεῖα* reportarunt. Sed & alibi Plato hiſce ariſteijs donat ſummos magiſtratus, illos quorum virtutem ipſa cenſura

Plato lib. 12. de leg. verita eſt carpere. Qui, inquam, cenſentur victores omnium vitiorum, quæ eſt victoria omnium pulcherrima. Alia item præmiorum genera reperta ſunt ſignandæ eximiæ virtuti. Neque enim magnis meritis ſatis eſt, ab ſingulis præſtari illum, qui eis debitus eſt, honorem iudicij ſæpe tacitum, & cohibitum intra ſepta conſcientiæ, amoris, admirationis. Verùm & vniuerſorum, ipſius, inquam, Reipub. potiſſimùm intereſt hæc hominum iudicia ſciri, ac publicari;

ac publicari; ipſumque adeò præmium maximis quibuſque rebus amplificari. Certè talia propriè dicuntur alimenta virtutis. Ea re & ſignificanter & eleganter Pindarus honorem vocat λαοτρόφον altorem populi. *Pindar. Oly. od. 6.*

CAPVT VIII.

Corona eſt præcipuum & nobiliſſimum inter ἀριστεῖα. Et cur. Corona communis quæ. Laus & laudatio quid. Corona virtute parta propriè eſt præmium. Hymnus eſt præmium regum, atque adeo Deorum immortalium. Præcones æternitatis qui. Artemidori locus enarratus. Omnia genera virtutis ducunt ad coronam. Corona patientiæ. Ingenij facultates cur quodammodo annumerem virtutibus.

INTER ἀριστεῖα, ſiue ἀριστήïα eminentiſſimo loco fuit corona. Hoc diſcimus è verbis Herodoti, ἀριστήïα μὲν νῦν ἔδοσαν Εὐρυβιάδῃ ἐλαίης στέφανον. præmia quidem nunc dederunt Eurybiadæ oleæ coronam. His præmiis duo conficiuntur. Nam homines fortibus factis explorati in eam quam meriti ſunt, claritatem & celſitudinem etiam ſublimantur. Hinc quoque honorem conſequuntur illi qui hoc ſe debito munificè exſoluunt. *Herodot lib. 8.*

καλὸν γὰρ ἀστοῖς στέφανος Ἑλλήνων ὕπο
ἀνδρ' ἐσθλὸν ἀφθονοῦντας εὐκλείας τυχεῖν. *Euripid Herc. fur. actu 5.*

Egregium enim ciuibus decus, dum virum bonum Debito proſequuntur cultu, eos à Græcis inſignem conſequi gloriam. Enimuero ſi quanti quidque ſit, è comparatione veriſſimè æſtimari poteſt, proferatur quantum eſt externorum ornamentorum, ea dico quæ dantur loco præmij, nullum non coronæ aſſurgere videbimus; etſi per ſe nullum non eſt magnum & ſuſpiciendum. Id videtur indicare diuinus Plato, vbi ſecernit coronam à cæteris præmijs. Qui verò, inquit, reuera ſunt curſores ad metam peruenientes, & præmia capiunt, & coronantur. Ac ſi dicat, non ſolùm donantur ijs præmijs quæ victoriæ ſunt propoſita, verùm etiam eminentiſſimo omnium præmiorum, hoc eſt, corona. Ego vltra adnoto, illum vnum donatum fuiſſe cæteris præmijs qui priùs coronam adeptus eſſet. Nempe corona, præcipuum ac luculentiſſimum præmium cæteris præibat. Hoc luculenter docet Plinius ſcribens Traiano; *Athletæ, domine, ea quæ pro Iſelaſticis certaminibus conſtituiſti, deberi ſibi putant ex eo die quo ſunt coronati.* Ac ſi dicat, qui coronam ſunt meriti, hos ipſos cætera præmia athletis abs te propoſita conſequi, æquiſſimum eſt. Cætera præmia tribuuntur aut perſonæ, aut nomini, hoc eſt, famæ & exiſtimationi. Corona vtrū- *Plato lib. 10. de Repub.* *Plin epiſt. lib. 10. ep. 119.*

que præſtat. Quæ nomini ornando & æternando ſunt inuenta, ea plerunque ſunt ſtatuæ, imagines, tituli, columnæ, inſcriptiones, carmina, annales, cætera de eodem genere. Perſonam ornant dignitas, magiſtratus, imperium, prærogatiua ſedendi altiùs, & conſpectiùs ambulandi, cultus auguſtior, veſtitus & calciatus quæſitior; in omni vitæ ratione neſcio quid ſupra vulgum eminentius. Præter hæc erant ſcipiones, annuli, ſupellex lautior, taliaque. Sed hæc omnia præ corona ſunt fluxa, caduca, leuia; præcipuè ſi collata ſunt in indignos. At corona præmium tam cupitum, pro quo tam acriter, tam fortiter; tam conſtanter certatur, ſecum rapit decus, honorem, laudem, celebritatem, æternitatem. Cur cenſes? Quia corona eſt luculentiſſimum teſtimonium virtutis, cui hæc omnia neceſſariè adhærent. Ideoque nulla meritis parta corona, vt ſupra dixi, non poteſt dici corona virtutis. Eam certè hoc nomine Pindarus donat,

Pindar. Oly. od. 3.

> ὅγε πολὺ φρονέων, Διὸς αὐτῷ πανδόκῳ
> ἄλσει, σκιαρόν τε φύτευμα,
> ξυνὸν ἀνθρώποις, στέφανόν τ' ἀρετᾶς.

Ipſe amica cogitans, Iouis petit omnes excipiente luco, vmbroſamque plantam communem hominibus, coronamque virtutis. Meritò Pindarus virtutis coronam vocat communem, quia nulli ad tale decus aditus eſt præcluſus. Cæterùm quem vocamus honorem ſeu decus, ea eſt laus. Hæc item eſt aliud nihil, niſi vberrimus virtutis prouentus. Laus eſt in tacitis hominum iudicijs, aut in publicatis. Illa propriè laus, hæc dicitur laudatio. Vtraque iuſtitiæ comes it. Vt enim nihil eſt iniquius quàm virum præſtantem debita fraudare laude, ita nihil eſt æquius quàm eidem rependere benignum, debitumque præconium. Et hæc eſt illa quam Pindarus vocat laudatoriam legem, à qua quò longiùs receſſeris, eò iniuſtior fueris.

Pindar. Oly. od 13.

> δέξαι δέ οἱ στεφάνων ἐγκώμιον τέθμον, τὸν ἄγει πεδίων
> ἐκ Πίσας.

accipe eius coronatum laudatoriam legem quam aduehit ex campis Piſæ. At hæ & laudes & laudationes potiſſimùm continentur ſcriptis hominum eloquentium. Quippe horum ſtylus de morte, de obliuione, de vetuſtate, de mendacijs, inuidia, maledicentia magnificè triumphat; denique eos qui conſtanter virtuti militant, iniuriæ ereptos commendat famæ & æternitati. Hanc talem, tantamque coronam quiſquis adeptus eſt, is haud dubiè eſt in faſtigio omnis humanæ felicitatis. Non reges ſua regna, non inſignia regni faciunt in hominum iudicijs magnos, in ore longinquorum

celebres, apud ſeram poſteritatem venerabiles, ſed ſola corona virtutis eos aſſerit immortalitati. Quippe hanc coronam certatim comitantur laudationes & hymni, manſura Hercule virtuti præconia. Itaque ſcitè, verè, perelegantèr, Pindaricè dictum eſt, hymnum eſſe præmium regum.

ἄλλοις δέ τις ἐτέλεσσεν ἄλλος ἀνὴρ *Pindar. Pyth.*
εὐαχέα βασιλεῦσιν ὕ- *od. 2.*
μνον, ἄποιν' ἀρετᾶς.

Alijs autem aliquis alius vir confecit canorum regibus hymnum, præmia virtutis. Alibi huic adſini ſenſu dixit, laudem eam, quæ hymnis continetur, æquare eum qui laudatur, ipſis regibus.

ὕμνος δὲ τῶν ἀγαθῶν *Pindar Nem.*
ἐργμάτων βασιλεῦσιν ἰ- *od. 4.*
σοδαίμονα τεύχει
φῶτα.

Hymnus rerum præclarè geſtarum virum reddit regibus parem ſorte. Euripides dixit, Iouis filium eſſe honeſtum & conueniens hymnis argumentum,

τὸ γὰρ εὖ
τοῖς ὕμνοισιν ὑπάρχει *Euripid. Her. fur. actu 2.*
Διὸς ὁ παῖς.

decus enim, & honeſta hymnis adeſt materia Iouis filius. Theocritus etiam ſublimius locutus eſt, cùm dixit, hymnos eſſe præmium Deorum ipſorum immortalium,

ὕμνοι δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν. *Theocr. in enc. Ptol.*

Porrò etſi tale præmium eſt munus virtutis, tamen traditur manu & miniſterio illius cui & ingenium, & ſtudiorum honor hanc conceſſerunt eloquendi facultatem. Nempe talium ea eſt vis & poteſtas, vt verè dici poſſint præcones æternitatis. Et quoties hiſtoriæ ſcriptores aut poëtæ quempiam laudibus extollunt, hoc agunt, vt eum vindicent ab obliuione, & commendent immortalitati. Iſtis vnis hoc tantum negotium in manu eſt. Audacter Euripides ait,

εἴτε Διός νιν εἴπω. *Euripid. Herc.*
εἴτ' Ἀμφιτρύωνος ἶνιν. *fur. actu 1.*
ὑμνῆσαι στεφάνωμα μόχθων
δι' εὐλογίας θέλω.

ſiue Iouis ipſum appellem, ſiue Amphytrionis propaginem Celebrare præconijs volo, ne deſit præmium & corona laborum. Ac ſi dicat, meum eſt, atque adeò eius facultatis proprium quæ in me eſt, inſignem virtutem coronare. Huic tantæ rei peragendæ, hoc eſt, homini vſque ad immortalitatē ſublimando, cùm corona præ-

cipuum atque adeò ingens argumentum præbeat, ei meritò antiquitas inter omnia præmia conſpectiſſimũ locum aſſignauit, ſicuti præclari & inclyti capitis inſigni præcipuo. Hinc illud cuiuſdam præclarè dictum, τὰ ψευδῆ μου καταμαρτυρήσει στέφανος, mea mendacia teſtata eſt corona; hoc eſt, an falſò & mendaciter de me ipſe aliquid dicam, ex eo ſciri poteſt quod coronam ſum adeptus. Nempe, οἱ δυσωπεῖς inutiliter aut præpoſterè verecundi nequid de ſe ipſi inflatius dicere cogerẽtur, ita ſolebant amicum rogare, ὄμοσον ὑπὲρ ἐμοῦ, καὶ τὰ ψευδῆ μαρτύρησον, ἀπόφηναι παρὰ τὸ δίκαιον, Iura pro me, & mendacia teſtare, & aſſeuera præter æquum. At verò quilibet vir præclariſſimus intrepidè dicere poteſt, Mihi abundè eſt in laudibus meis; Quippe ſi is ſum, quem me eſſe tot præconia prædicant. Certè cùm humani ingenij proprium ſit, tendere ad celebritatem, quiſquis vniuerſorum ſuffragijs coronam adeptus eſt, is non fruſtra ſe apud omnem poſteritatem percelebrem fore ſperat. Cùm Artemidorus dixit, coronas ἐλέγχειν τὰ κρυπτὰ reuelare occulta, hoc dixit, eam virtutem quæ adhuc ſit in occulto, à corona produci in conſpectum hominum, non illorum tantùm qui ſunt, ſed & illorum, qui multis ab hinc ſæculis futuri ſunt. Simulatque ſe virtus intelligendam præbuit, nempe bonis fortibuſque factis, tunc verò nulla gloria, nullus honos, nulla celebritas cum illa conferri poteſt, quam corona, nobiliſſimus virtutis fœtus progignit. Nimirum, hoc quoque illud eſt quod Artemidorus ait, περιβοήτους εἶναι τοὺς στεφάνους, coronas eſſe celebres. Quæ celebritas eſt propria earum coronarum quas ipſe diſertim ibi nominat querceas, laureas, myrteas, oleagineas. Hinc ſatis palam fit, coronam verè & propriò dici præmium, eam potiſſimùm quæ virtute parta ſit. Pindarus,

Pollux lib. 8. cap 310.

Plutarch. π. δυσωπ.

Artemidor. lib. 1. cap. 79.

Pindar. Oly. od. 2.

ὀλυμπίᾳ μὲν γὰρ αὐτὸς
γέρας ἔδεκτο.

Apud Olympiam ipſe præmiũ accepit. Cæterùm cùm virtute ad coronam iri dico, non ſolùm ſigno virtutem militarem, ſed certè omnia genera virtutũ. quippe is cui ex virtutibus vna aliqua deeſt, vix fidem fecerit ſe alias poſſidere. Vſque eò indiuiduo nexu quãtũ eſt virtutũ inter ſe colligatæ ſunt, vt vnã qui verè habet, omnes habeat. Cui vnã deeſſe conſtet, huic item vix vlla ſit. Enimuero ab Olympionice id eſt illo qui in ludis Olympicis victor fuiſſet, omnia genera virtutũ ſcrupuloſiùs exigebantur. Neque ſanè aliter tali corona dignus videbatur. Nihil quicquam illi proderant merita, aut victoriæ maiorũ, niſi ipſe pari virtute eniteret. Ridiculus erat qui putabat Olympicam coronam hoc vno ſibi deberi quòd eſſet patre Olympionico prognatus, inquit Ariſtides. Inde fortaſſe accuſationes Olympiacæ, quæ vitia athletis exprobrabant.

Ariſtid. Cim.

Certè Diogenes, cùm aduertiſſet Dioxippum Olympionicem inſidentem curru, totum eſſe verſum in feminam pulchritudinis eximiæ, quę tum fortè ludos ſpectabat, Videre, ait, athletam à puella ceruice tractum. In hanc ſententiam Ariſtides, vbi commendat quoſdam inſignes ac celebres athletas, Agedum, inquit, & eos qui coronarijs certaminibus operam dant, conſideremus, qualis fuit Dorieus Rhodius, & Glaucus Caryſtius, iam & Milo, & Polydamas, & omnes quorum [extant] æneæ ſtatuæ, vtrum delicijs & vino indulgentes, & ſaltarricibus impliciti coronarentur, an potiùs Ioui Olympio ludos adornantes, aut patientiam quandam admirabilem, & robur animi ſimul & corporis præbentes, maximarum & ſolidiſſimarum voluptatum ſibi conſcij fuerint. Ergo & hîc quoque libet coronare patientiam, quæ eſt comes & adiutrix maximis virtutibus. Hac donabantur pueri Spartani. Iſti enim lege circa quandam aram flagris cæduntur, donec pauci relicti coronentur, nempe illi qui plagis ſufferendis omnium patientiſſimi iudicarētur. *Spartæ pueri*, inquit M. Tullius, *ad aram ſic verberibus accipiuntur, vt multus è viſceribus ſanguis exeat, nonnunquam etiam, vt, cùm ibi eſſem audiebam, ad necem; quorum non modò nemo exclamauit vnquam, ſed ne ingemuit quidem.* Idem alibi, *Pueri Spartiatæ non ingemiſcunt verberum dolore laniati.* Hic quoque moneo, à me hoc loco virtutibus inſeri eas ingenij facultates, quæ & ſi propriè non ſunt virtutes, tamen quod ſunt in famulatu virtutum, atque adeò virtutibus ſunt veluti buccinatrices, virtutibus annumerari poſſunt. Huius generis ſunt illæ dotes quibus rerum ſcriptores validiſſimè commendantur, de quibus cœpi dicere per quos, ſcilicet, fit, vt corona virtute parta ſit immarceſſibilis, & victrix liuidæ vetuſtatis. Nam hos quoque coronari, ſuis locis oſtendam. eâdem prope ratione qua ſupra non ſacerdotes tantùm, ſed & quemlibet ſacrorum miniſtrum corona inſignem fuiſſe oſtendi.

Philoſtrat. in Heroic.

Plutarch. πε. πολυπραγμ.

Ariſtid. κατὰ τῶν ἐξορχουμ.

Stob. πε. νόμων καὶ ἐθ.

Cic. Tuſcul. quæſt. lib. 2.

Cic. Tuſcul. quæſt. lib. 5.

CAPVT IX.

Coronæ ijs ſunt propoſitæ qui Remp. iuuant conſilio & monitis, manu & periculis, ſcriptis & laudationibus. Schola & profeſſores ſapientiæ. Publico decreto quidam è ſapientibus coronabantur aurea corona. Virtus non intelligitur ſine probitate, nec probitas ſine pietate. Pietas coronatur.

NE per deuia abſtrahar à materia percopioſa, eam redigo ad tria capita. Eorũ omnium qui Reip. operā dant, quidam eam iuuant cōſilio, prudētia, exēplis, & profeſſione probitatis. Alij manu & periculis. Alij huic operi intentos etiā ſtimulant hortatione,

erigunt gratulatione, gratiarum actione, laudatione, præclariſſimis famæ, æternitatiſque monumentis. εὐποιοῦσι πολλούς, inquit Plutarchus, οἱ ποιοῦντες ἀγαθοὺς ὧν πολλοὶ δέονται. Beneficia in multos conferunt qui faciunt bonos, quibus omnes opus habent. Ergo his omnibus coronas propoſitas eſſe oſtendam. Enimuerò vt nemo naſcitur ſapiens, ſed fit; ita prudentiſſima antiquitas præcipuo cultu habuit eos homines quibus præcipua, imò vna cura eſt, vt ſapientiæ præceptis eam ætatem erudiant, quæ tali alimento deſtituta omnium minimè ſapit. Vt pueris apertus erat ludus Grammaticæ & cæterarum artium, ita adultioribus patebat ſchola ſapientiæ. Ibi ſermo, hîc mores formabantur. Illic loqui, hîc viuere, hoc eſt, vitæ officia diſcebāt. Literarum finis eſt eruditio. At ſapientiæ priuatim ſanctitas, publicè æquitas. Qui illa docebant, artium & literarum, Qui hæc, ſapientiæ profeſſores dicebantur. Ergo omnium operum maximum & præſtantiſſimum exiſtimarunt, formare ingenium & mores iuuentutis, hoc eſt illorum qui aliquando acceſſuri ſunt ad Rempub. ad quorum, ſcilicet, munus futurum eſt, vt aliquando publicæ conſultationes, iudicia, imperia, maxima quæque pertineant. Nemo, quod hodie fit, à ludo literario rectà perrumpebat Senatum. Sed priùs totos ſeſe formandos tradebant hiſce, quos dico, ſapientiæ doctoribus; quiquidem ore diſerti, moribus & caſtitate ſancti, ingenij dotibus eximij, prudentia conſpicui fœtus ſui ſimiles formabant. Hæc fuit ſecta illa & Pythagorica, & Socratica, & Zenonis, & aliorum, è quorum ſcholis prodierunt tot, tantaque lumina, quibus admirabilis illa antiquitas etiamnum tota collucet. Non ridebantur illi vt amentes; non hoc totum, tantumque negotium ſpernebatur vt ſuperuacuum. Nulla laus ex inſcitia naſcebatur; non mores incompti, inſulſi, abſurdi, peſſimi erant pro titulo & inſigni præcipuo nobilitatis. Nulla ferocia, aut etiam feritas illudebat fortitudini. Nulla calliditas, nulla fraus ſe iactabat pro ſolertia & prudentia. Talis inſtitutionis ſtato tempore vberrimi prouentus apparebant. Quod in tales tantæ rei profeſſores impendebatur, fœneratò redibat. Hinc res priuata, hinc publica ſua præſidia, ſua decora, ſua columina promebat. Qui inde prodibant, vbi loquendum, ſapientes; vbi conſultandum, prudentes; vbi facto opus erat, manu prompti aſpiciebantur. Non togatus ſagato, non paludatus prætextato illudebat. Conſilio, brachijs, re quiſque quoties expediret, Rempub. promouebat. Quæ ergo inuidia, ſi per quos tot ac tanta bona in vniuerſos redundabant, his quoque vniuerſi quas maximas potuerunt, gratias egerunt, habuerunt, rependerunt? Horum, videlicet, vt ingens fuit meritum,

Plutarch. περὶ τοῦ ὅτι μάλ. τοῖς ἡγεμ. δεῖ τὸν φιλοσ. διαλέγ.

ita conſimile debuit eſſe præmium. Ergo his quoque corona decreta. Et hoc illud eſt quod de Pythagora Samio Ælianus tradit, Nempe, hunc tantum, tamque celebrem ſapientiæ profeſſorem alba veſte, quæ ſummarum poteſtatum propria eſſet, amiciri, tum caput aurea corona redimiri ſolitum; Quæ corona ei publicè decreta eſſet, ad illud ipſum exemplum quo Plato cenſores illos honeſtari vult, quos vt eminentiſſimas poteſtates, ſummis honoribus cumulat. Nam vita functis ſuper προθέσεις ϗ ἐκφορὰς ϗ θήκας funebrem pompam & totum ſepulturæ ritum, quo eos magnificentiùs quàm cæteros mortales inſigniri vult, addit albatam veſtem; nec eos lugeri aut plorari vult. Simile ferè apud Plutarchum extat decretum de Lycurgo Butade ab Athenienſibus factum. Huius quoque generis eſt illud horum ipſorum Athenienſium, quo Demoſthenem ornant, quod Æſchines falſum eſſe firmabat, quod ſic habet, Demoſthenem Demoſthenis Pæanienſis filium aurea corona donandum; & in theatro, magnis Bacchanalibus, nouis tragœdijs proclamandum. Donari ergo Demoſthenem Demoſthenis filium Pæanienſem aurea corona virtutis ergo & beneuolentię, quam conſtanter habebat erga & Græcos vniuerſos, & populum Athenienſem, atque fortitudinis. Et quia non deſiſtit agere, & dicere populo vtiliſſima; atque alacer eſt ad bene de eo merendum quocunque modo poteſt. Quod decretum in ſequentibus Demoſthenes interpretatur. Denique à præcone iterum pronuntiatum eſt, ſed verbis paulò amplioribus. Haud abſimili decreto ab iiſdem Athenienſibus honeſtatus eſt Zeno, qui fuit philoſophus inclytus, moribus & vitæ ſanctitate inſignis, doctrina & præceptis clariſſimus. Hunc ergo Athenienſes maximo quoque pręmio dignum iudicantes honorificentiſſimo decreto aurea corona donarunt. Huius decreti vt inſignis, & ab omnibus Reipub. rectoribus non ſolùm aduertendi, ſed & memorię tradēdi ipſiſſima verba hîc referre operæ pretium haud leue duxi. Quoniam Zeno Mnaſæi filius, Cittieus complures annos in vrbe philoſophicè, ſiue vt philoſophum decet, verſatus eſt, atque in omnibus vir bonus eſſe perſtitit; ac iuuenes qui ad illum diſciplinę cauſa conuenerunt, ad virtutem & frugalitatem exhortando, ad ea quæ ſunt optima, intendit, vitam ſuam verbis ac doctrinæ ſuæ conſentaneam exemplar omnibus proponens, quod fauſtum, felixque ſit, viſum eſt plebi laudare Zenonem Mnaſæi filium Citticum, & aurea corona ritè ac legitimè ornare propter ſingularem eius virtutem & temperantiam. Prætereaque conſtruere illi ſepulturam in Ceramico publicè. Coronę autem faciendæ, exædificandique tumuli plebem iam quinque viros ex Athenienſibus

Ælian lib. 12. var. hiſtor. c. 32.

Plato lib. 12. de leg.

Plutarch. in ψηφισμ.

Demoſth. de cor.

Diog. Laert. libro 8.

eligere qui curam habeant; decretumque hoc ſcribam plebis inſcribere columnis duabus; licereque ſibi alteram in Academia, alteram in Lyceo ponere. Sumptus verò columnarum diſtribuere eum qui negotijs pręeſt; vt omnes intelligant populum Athenienſem bonos viros & viuos & defunctos honorare. In quo decreto præcipuè aduertenda ſunt illa, Zenonem dici virum bonum. Nec ſolùm hortatum eſſe iuuentutem ad præclara, ſed ſuam vitam propoſuiſſe vniuerſis exemplum, præclaris factis ſua dogmata firmantem. Id quod ne inficiari quidem auſi ſunt illi, qui quamuis ei illuderent, hoc tamen teſtimonio eum honeſtarunt.

Clem. Alex. Strom. lib. 10.

Φιλοσοφίαν κενὴν γὰρ οὗτος φιλοσοφεῖ·
Πεινῆν διδάσκει, καὶ μαθητὰς λαμβάνει.
Εἷς ἄρτος, ὄψον ἰσχὰς, ἐπιπιεῖν ὕδωρ.

Philoſophiam vanam hic philoſophatur. Eſurire docet, & diſcipulos ſumit. Vnus panis, obſonium carica, bibere aquam. Quæ verba produ͞t ſeueritatem illam Zenonianam quam ille non dictis tantùm aſſeruit, ſed & moribus comprobauit. Quippe caſſa ſunt illa quæ doctè dicuntur & ſcitè, ſi non moribus firmatur. Hinc eſt quod corona datur probitati, ſine qua nulla virtus hoc nomen meretur.

Athen. ex Eurip. lib. 2.

ἄνδρας οὖν ἐχρῆν σοφούς τε καὶ ἀγαθοὺς
φύλλοις στέφεσθαι, χὤστις ἡγεῖται πόλει
Κάλλιστα σώφρων καὶ δίκαιος ὢν ἀνήρ.

Viros igitur oportuit ſapientes & bonos folijs coronari, & quicunque præeſt vrbi pulcherrimè temperans & iuſtus exiſtens vir. Quippe virtuti probitas adhęret, vt vix diſcriminari poſſint, certè ſeparari nequeant. Vix virtuti corona dari poteſt quin eâdem quoque probitas coronetur. Probitatem cùm dico, eâdem pietatem dico. Nam pietas eſt radix omnium virtutum. Talis cùm ſit, prudenter antiquitas pietatem quoque coronauit. Huius coronæ mentio fit in panegyrico dicto Conſtantino Auguſto Conſtantij filio incerto autore, his verbis, Merito igitur tibi, Conſtantine Imperator, ſenatus ſignum Dei, & paulò ante Italia ſcutum & coronam, cuncta aurea dedicarunt; vt conſcientiæ debitũ aliqua ex parte releuarent. Etenim ſæpe debetur & diuinitati ſimulachrum aureum, & virtuti ſcutum, & corona pietati. Non aliam quàm hanc ipſam pietatis coronam deſignat Sara filia Raguelis, quæ cùm apud Deum preces funderet, ſuper cætera, hæc dicit, Domine quiſquis tui cultor eſt, huius vita etſi experimentis ſubiacet, tamen is pro certo habet ſe iri coronatum.

Panegyr. Conſtant. Aug. Conſtant. fil. dict.

Lib. Tob. cap. 3. v. 20.

CAP. X.

CAPVT X.

Corona fortitudinis, temperantiæ, ſapientiæ, conſilij, libertatis. Corona rectè adminiſtrati publici officij, tum publicè exhibitæ liberalitatis. Corona illorum qui, Repub. ancipiti, malam cauſam deſerunt vt accedant bonæ. Qui coronam virtutis immeritò adeptus eſſet, huic id factum vix vnquam fuit impune. Coronæ virtutis vt cupidiſſimè petebantur, ita nemini dabantur niſi præcedente ſcrupuloſa totius rei cognitione.

DATVR & corona virtutibus ijs quorum effectus apparent. Huius generis fuerunt illæ coronæ fortitudinis, quas matronæ Eleæ virorum ſuorum capitibus impoſuerunt ob interfectum Ariſtotimum tyrannum, ipſamque adeò ſublatam tyrannidem. Sed de his coronis infra dico vberiùs. Dantur & temperantiæ, vt in verbis decreti, ἀρετῆς ἕνεκα καὶ σωφροσύνης, virtutis ac temperantiæ gratia. Hac temperantiæ corona æneam ſtatuam Milonis athletæ redimitam fuiſſe aiunt, τὴν ταινίαν ἣν ἀναδεῖται, σωφροσύνης ἡγεῖται σύμβολον. tænia qua redimitur, exiſtimatur temperantiæ ſymbolum. Id quod tamen non vſquequaque probatur Apollonio, qui ait, hanc, quam ipſe non tæniam vocat, ſed mitram à Crotoniatibus datam eſſe Miloni, quòd eum fecerant ſacerdotem Iunonis. Ergo non vt athletam redimiri eum, ſed vt ſacerdotem. Ea, quæ verè temperantiæ corona ſit, ac talis adgnita, ab Apollonio Tyaneo miſſa fuit Tito Veſpaſiani Cæſaris filio. Is enim cùm capta Hieroſolyma inibi eſſet vt ab finitimis gentibus coronaretur, ea ſe non dignum eſſe profeſſus eſt. Nec enim, inquit, hæc ego feci, ſed manus meas irato Deo commodaui. Id quod ſummopere collaudatum, eò quod σωφροσύνης μεστὸν, τὸ μὴ στεφανοῦσθαι ἐφ' αἵματι, temperãtiæ plenum non coronari [velle] ſuper ſanguine. Ergo Apollonius ita illi ſcripſit Βουληθέντι σοι μὴ ἐπ' αἰχμῇ κηρύττεσθαι, μηδ' ἐπὶ δηΐῳ αἵματι, δίδωμι ἐγὼ τὸν σωφροσύνης στέφανον, ἐπειδὴ ἐφ' οἷς δεῖ στεφανοῦσθαι γιγνώσκεις. Nolenti tibi propter bellum præconio ornari, [quo victores coronantur] neque ſuper hoſtili ſanguine, do ego temperantiæ coronam, quandoquidem ſuper quibus coronari oportet, noſti. Cæterùm vt corona ſequatur, neceſſe eſt vt actio præclara præcedat, hoc eſt, euidens opus virtutis, quo aſſeruntur præcepta ſapientiæ. Hanc ergo quiſquis ita docet, vt moribus & vita profiteatur, hunc certè corona manet. His affinis eſt corona ſapientiæ, cuiuſmodi eam Herodotus & Philoſtratus nominant. Quæ, eodem Herodoto authore, ex olea plectebatur. Huius coronę mẽtio

Plutarch. γυν. ἀρ.

Philoſtrat. in vita Apoll. li. 4.

Philoſtrat. vita Apoll. lib. 6.

Herodot. lib. 8. Philoſtrat. in Heroic.

eſt apud Plutarchum in verbis Metrodori ſcribentis fratri, nempe
Plutarch. ὅτι οὐδὲ ζῆν. ad Epicureum modum, Nihil, inquit, oportet ſeruare Græcos, neque propter ſapientiam coronas ab illis adipiſci, ſed edere, & bibere vinum. Et alibi σοφίας ἀριστεῖον θαλλοῦ στέφανον ſapientiæ præmium
Plutarch. Themiſtoc. oleæ coronam Themiſtocli datam ait. Hæc corona priſcis ſæculis tanti fuit, vt heroibus tantùm data ſit, vt vnis illis qui ingentibus meritis omne mortale genus ſibi deuincirent. Ergo de Palamede,
Philoſtr in Her. qui fuit æmulus Vlyſſis, hæc legimus, ὁ μὲ σοφίας ἀριστεῖα ἐστεφανοῦτο· ὁ δὲ Ὀδυσσεὺς ἀτίμως ἡγεῖτο πράττειν. Ille quidem ſapientiæ præmijs coronabatur. At Vlyſſes inhoneſtè exiſtimabatur agere. Huius generis ſunt illæ coronæ de quibus loquitur Ioannes in Apocalypſi. Et in
Apoc. cap. 4. circuitu throni ſedilia viginti quatuor. Et ſuper ſedilia vidi viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamictos ſtolis albis. Et habebãt in capitibus ſuis coronas aureas. Hos ſeniores Prudentius vocat ſapientes.

Prudent lib. 1. cont Symmach.

Eſtne ille è numero paucorum qui diadema
Sortiti æthereæ coluerunt dogma ſophiæ?

Et verò coronam, & quidem auream ſapiẽtiæ dari minimè mirum eſt, cùm ſapientia res omnes habeat in poteſtate. Ariſtophanes,

Ariſtoph. ὄρνιθ.

Στεφανῶ σε χρυσῷ τῷ δὲ σοφίας οὕνεκα.
Στεφανοῦσι καὶ τιμῶσιν οἱ πάντες λεῴ.

Corona te aurea hac ſapientiæ gratia Coronant & honorant om-
Phornut in fi. nes populi. Hanc ſapientiæ coronam quidam tribuit Æſopo. Cuius, inquit, fabulæ ad viri ſapientis fores accedunt, vittis ipſum, oleagineoque ramo coronaturæ. Sed quòd à ſapientia manat vis conſilij, conſilio quoque inuenta corona eſt, nempe qua is redi-
Plutarch. γυν. ἀρ. mitur qui bono conſilio Rempub. iuuit. Hac corona à matronis honeſtatus memoratur Daiphantus is, qui conſilium Phocenſibus dedit, vt vxores vnà cum liberis in locum lignis circumdatum compulſas, ſi ipſi prœlio victi eſſent, cremarent. Huius generis illa eſt, quam à populo Athenienſe quibuſdam conceſſam, tum à qui-
Demoſth. de corona. buſdam ciuitatibus vrbi Athenarum ſe authore datam, Demoſthenes gloriatur, his verbis; Ac multos iam à vobis verſatos in Repub. coronis eſſe donatos, ſciunt omnes. Propter quem autem alium Reſpub. coronata ſit, conſiliarium dico & oratorem, niſi propter me, nemo omnium dicere queat. Simili corona inſignitus fuit
In vita Ariſtoph. Ariſtophanes, certè oleaginea, quæ dignitate æquabat auream, ob id tantùm quòd auſus eſt firmare, Rempub. Athenienſem nullius eſſe in dominio, ſed per omnia eſſe ſui iuris. Nempe hæc tam nobilis aſſertio capi potuit pro ſalutari conſilio, atque adeò pro vehemente hortatione ad tuendam libertatem. Certè dici potuit

corona libertatis; cuiuſmodi eſt illa Adimanti, de qua extat hoc diſtichum, etſi mutilum,

> Οὗτος Ἀδειμάντου τάφος, ὃν διὰ πᾶσα
> Ἑλλὰς ἐλευθερίας ἀμφέθετο στέφανον.

Plutarch. περὶ τ. Ἡροδ. κακοηθ.

Hoc Adimanti ſepulchrum, per quem omnis Græcia libertatis circumpoſuit [ſibi] coronam. Atque hæc quidem cùm ita ſint, eos meritò coronari dicimus, ſine quorum aut prudentia, aut diſciplina vix vllum cõſilium initi nec publicè poteſt, nec priuatim, quod deprehendatur eſſe ſalutare. Certè Alcibiades apud Platonem capiti Socratis imponit hanc coronam conſilij, ſcilicet, ab Socrate ſibi dati. καὶ μὴν, inquit, τουτονὶ τὸν στέφανον, ἐπειδή μοι δοκεῖς χαριέντως συμβεβουλευκέναι, σοὶ περιθεῖναι. Atqui hanc coronam, quando mihi videris præclarè conſuluiſſe, tibi circumponam. Enimuero omne forte præclarumque factum manat à ſimili conſilio. Vt dator conſilij coronatur, ita quiſquis in publica adminiſtratione eximium aliquod & memorabile facinus fecerit, hic ſolenni decreto, ſolẽni ritu, tum loco percelebri & perilluſtri coronam accipit. Qua de re præter decreta Athenienſium quæ alibi memoro, extat inſignis apud Ciceronem locus, ſumptus è loco Demoſthenis quem ſupra citaui. *Cùm eſſet lex Athenis ne quis populi ſcitum faceret, vt quiſquam corona donaretur in magiſtratu, priuſquam rationes detuliſſet. Et altera lex, Eos qui à populo donarentur, in concione donari debere. Quia in Senatu Demoſthenes curator muris reficiendis fuit, eoſq; refecit pecunia ſua; De hoc igitur Cteſiphon ſcitum fecit; nullis ab ipſo rationibus relatis, vt corona aurea donaretur; eaq; donatio fieret in theatro, populo conuocato. Qui locus non eſt concionis legitimæ. Atq; ita prædicaretur, eum donari virtutis ergo, beneuolentiaq; quam erga populum Athenienſem haberet.* Itaque Demoſthenes aurea corona, iudicio ac decreto Senatus, ob refectos ſua pecunia muros, populo ſpectante, donatus eſt. Hiſce coronis adnecto illas quibus euinciuntur ij, quorum luculenta extat erga Rempub. liberalitas. Et hanc quidem coronam Nauſicli claſſico duci datam fuiſſe, Demoſthenes ait. Hac ipſa liberalitatis corona donati ſunt Diotimus & Charidemus cùm clypeos publicè dederunt. Et de Nauſicle quidem extat decretum apud eundem Demoſthenem, quo is coronatur, quòd propria ſubſtantia neceſſaria militibus diſtribuit. Huic decreto nullo interuallo proximum eſt decretum factum in honorem Diotimi & Charidemi; quorum vterque donatur aurea corona, quòd priuato ſumptu milites armarunt clypeis octingentis. Sequitur decretum factum in honorem ipſius Demoſthenis, ob id quòd reficiendis muris curator factus, tria talenta de ſuo in id operis inſumpta populo donauit; & quòd theatrali pecuniæ

Plato in Alcib. lib. 2.

Cic. de opt. gen. orat.

Demoſt. de cor.

præfectus, ex omnibus tribubus, ijs quibus theatralis pecunia diſtribui ſolet, largitus eſt centum minas ad ſacrificia. Videre operæ *Lucian. Tim.* pretium eſt lepidum illud & fictitium decretum quo Timon apud Lucianum, poſteaquam diues factus eſt, honeſtatur, quod veris decretis, quæ percenſui, eſt perſimile. Hiſce coronis illas quoque adnecto, quibus illi honeſtantur, qui, Repub. ancipiti, malam cauſam deſerunt vt accedant bonæ. In quo ipſo magnum meri- *Appian. Alex. lib. 3. bel. ciu.* tum eſſe, antiqua prudentia cenſuit. Hoc exemplo M. Tullius decreuit ijs qui ab Antonio defecerant, præter quinque millia drachmarum, ſicuti iam victoribus, vt oleæ ramo diebus feſtis coronati eſſent. Nullum ex hac materia exitum inuenirem, ſi alia præmia, quæ præter coronas eximiæ virtuti dabantur, perſequi vellem; vt ſepulchra, quale decretum eſt Zenoni; vt ſtatuas quibus donabantur ij qui Athenis erant ἐπώνυμοι, è quorum nume- *Etymol. ἐπώνυμοι.* ro quidam indebant nomina tribubus; alia, quorum à me, vbi res poſtulat, mentio fit. Hoc tantùm ſuperioribus addo, tanti fuiſſe has coronas virtutis, de quibus proximè egi, vt ſiquis fronte effronte eas affectaſſet, aut etiam inlicitis artibus adeptus eſſet, id certè non longum tulerit. Exemplo adſumendus eſt Heraclides *Diog. Laert. in Heracl. lib. 5.* philoſophus. Is argento Pythiam corruperat, impuleratque vt diceret, tunc demum Heracleotas fame, qua premebantur, liberatum iri, ſi Heraclidem Euthyphronis filium, dum in viuis eſt, aurea corona donarent; tum ſi mortuum venerarentur ſicuti heroem. At nihil hæc techna architecto profuit. Siquidem ex hoc oraculi reſponſo cùm is in theatro coronatus fuiſſet, illico obſtupuit ſicuti ſydere tactus. Nec ipſe ranrùm non fuir inultus, ſed & illi qui ipſi tanti ſceleris miniſtri fuerant. Nam ipſis theoris in terram deiectis vita adempta. Ipſa quoque mendax Pythia morſu draconis icta malè periit. Cæterùm hæ omnes coronæ, quas proximè nominaui, tanta animorum contentione petebantur, tamque accurata cauſæ cognitione præcedente dabantur, vt in id vnum ſæpe vniuerſa ciuitas erecta eſſet. Illi adeò ad quos negotium parum pertinebat, quò ea res euentura eſſet, id quoque *Æſchin. ep. 1.* penſi habebant. Quem morem Æſchines agnoſcens, ſcilicet improbæ curioſitati nimis affinem, cùm ſe ventis plurimos dies in mari detentum memorans, tandem Anthronam appuliſſe ait, quinque, inquit, noctes in mari cùm fuiſſemus, appulimus Anthronæ, vt diſcamus non curare ſiquis in ſua patria ſecundum leges, an non, coronatur. Ac ſi dicat, Ea maritima conflictatio nos docuit; ſuperfluis curis abiectis, ea tantùm curare quibus ſalus & *Æſchin. ep. 7.* incolumitas noſtra continetur. Et verò illa accuſatio, qua is Demoſthenem petijt, magno ei ſtetit. Inde enim concitatus in eum

Demoſthenes perfecit vt exilio puniretur. Et hæc quidem habeo quæ in genere dicam de ijs coronis, quibus euinciuntur ij qui ſapientiam ſermone, moribuſque profitentur. Mox veniam ad eas coronas, quæ honeſtant capita illorum, quorum præconijs eximia virtus etiam excitatur, erigitur, enitelcit.

CAPVT XI.

Corona doctrinæ. Muſæ coronatæ, Poëtæ coronati. Muſæ præter hederaceam coronatæ palma. Muſæ diademata. Artes liberales coronatæ. Arithmetica coronata. Aliæ artes coronatæ. Artium liberalium profeſſores coronati. Facundia coronata. Venus facunda.

ENIMVERO etſi aliud eſt ſapere, aliud ſcire, tamen quia is qui multum ſapit multa quoque ſcire exiſtimatur, à corona ſapientiæ haud longè diſtat corona doctrinæ. Talem coronam ſibi ereptam queritur Plato, in ea tamen epiſtola quæ doctorum iudicio νοθεύει pro notha habetur. Equidem non aliam coronam ibi ſignificari puto. Scribit Dionyſio his verbis, Sunt mihi fratris filiarum, quæ tum mortuæ ſunt cùm ego, te tamen iubente, non ſum coronatus, filiæ quatuor. Quibus verbis Plato hic ſubditius videtur exprobrare Dionyſio iniuriam non acceptæ coronæ. Haſce doctrinæ coronas innuit Euripides in hac profeſſione & voto, *Plato ep. 13.*

οὐ παύσομαι τὰς χάριτας. *Euripid. Herc. fur. actu 2.*
μούσαις συγκαταμιγνὺς,
ἡδίσταν συζυγίαν.
μὴ ζώην μετ' ἀμουσίας,
αἰεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην.

Non ceſſabo ego gratias iungere muſis, iucundiſſimam coniugationem. Vtinam in cultu Muſarum viuam, Semperque ſim inter ſerta. Muſas vbi nominauit, ſtatim addit ſerta & coronas, eas, ſcilicet, quibus antiquitas Muſas coronatas exhibuit. Nec mirum, ſi, cùm ad Muſas omnem cultum Poëtæ conferant, ipſi quoque ambiunt coronari. Ergo Muſarum exemplo Muſarum cultores coronantur. At Muſas ſupra dixi coronari hedera. Quod coronamenti genus & ab ipſis poëtis eſt vſurpatum.. Inuenio tamen quandoque Muſas coronari palma. Id quod Pharnutus diſertim tradit de Muſis, coronantur, inquit, palma, vt quidam exiſtimant, propter cognominationẽ, quòd à Phœnicibus literę ſint inuentę. Sed rationi magis cõſentaneũ eſt, id fieri propter τὸ τρυφερὸν, καὶ εὐεργὲς, καὶ ἀείζωον, καὶ δυσανάβατον, καὶ γλυκύκαρπον τοῦ φυτοῦ, molliciem, efficaciam, ſemper viuidũ, aſcẽſu difficile, & fructus dulcedinẽ huius arboris. *Pharnut. περὶ τῶν μουσ.*

Alij Muſas non ſolùm coronatas faciunt, verùm & diademataſ,vt
Fulgēt.mythol. Fulgentius Polymniam, *Maieſtate*, inquit, *ſubnixa elata frontis Polymnia argenteis aſtrorum purgauerat margaritis. Cuius phaleratum exoticis diadema carbunculis corniculata lunæ ſinuatio deprimebat.* Nec Muſæ tantùm,verùm etiam artes eæ quas liberales vocāt, coronantur. Certè coronam Arithmeticæ Martianus Capella de-
Martian.Cap. lib. 7. ſcribit his verbis; quæ non vbique ſunt ſatis ſyncera. *Quæ etiam miraculis quibuſdam capitis reuerenda videbatur. Nam primo à fronte vno, ſed vix intelligibili radio candicabat, ex quo item alter erumpens quadam ex primo linea defluebat. De hinc tertius & quartus, tumq; etiam nonus. Decuriatuſq; primus honorum, reuerendumq; verticem duplis, tripliſq; varietatibus circulabant. Sed innumerabili radios multitudine prorumpentes, in vnum denuò tenuatos miris quibuſdam defectibus contrahebat.* Nec ſolùm liberales artes, ſed aliꝗ quo-
Heſiod. ἔργ. καὶ ἡμ. que coronari videntur apud Heſiodum in his verſibus,

——— αὐτὰρ Ἀθήνην

Ἔργα διδασκῆσαι, πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν.

Καὶ χάριν ἀμφιχέαι κεφαλῇ χρυσέην Ἀφροδίτην.

At Mineruam [Iupiter iuſſit] opera docere ingenioſam telam texere, Et gratiam circumfundere capiti auream Venerem. Quorum verborum,vltima dico,interpretatio ſumenda eſt è loco Pauſaniæ quem proximè cito. Cæterùm & Muſarum cultores, hoc eſt, eloquentiæ, & artium liberalium profeſſores priſco more coronabantur. Certè hanc tam nobilem ſiue coronam,ſiue corollam Empedocles imponit capiti ſuo in his verſibus,

Diog. Laer. in Emped. Ὦ φίλοι οἳ μέγα ἄστυ κατὰ ξανθοῦ Ἀκράγαντος

Ναίετ' ἀν' ἄκρα πόλεως, ἀγαθῶν μελεδήμονες ἔργων,

Χαίρετ'. ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς,

Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικε,

Ταινίαις τε περίστεπτος στέφεσίν τε θαλείοις,

Τοῖσιν ἅμ' εὖτ' ἂν ἵκωμαι ἐς ἄστεα τηλεθόωντα,

Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ σεβίζομαι.

Quos interpres totidem verſibus Latinos fecit,

Vrbem qui flaui ad ripas Acragantis amici
Incolitis magnam, res & curatis honeſtas,
Saluete, immortalis ego conuerſor apud vos,
Vt par eſt, Deus, & tali me dignor honore.
Formoſis vinctus vittis, roſeiſq; corollis.
Queis quando egregias veniam comitatus ad vrbes,
Mulieribus, maribuſq; colar,&c,

Enimuero vt doctrina progignit facundiam,atque vt hæc ſine doctrina nulla eſt,ita illa ſine hac latens & obſcura eſt. Facundia illa

eſt quæ doctrinæ arcana reuelat. Et ideò facundiæ priſca ſapientia coronam quoque tribuit, ſatis intellecto, facundiæ munus eſſe quod tempus res magnas neque attenuat, neque elidit. Hæc eſt illa nobilis corona, qua apud Pauſaniam Dea Pithò Venerem donat è mari emergentem. Cauſa eſt, quòd proprium Veneris eſt vt ſit ſuauiloqua. Nimirum, ea re dicta eſt popularis, & ſuada. Et quia talis eſt, eius cultum Theſeus induxit, cùm ex agris in vnam ciuitatem populum Athenienſem compulit. Itaque iure bono Lucretius hanc eloquendi facultatem petit à Venere, *Pauſan. lib. 1. Eliac.* *Pauſan. in Attic.*

Quo magis æternum da dictis Diua leporem. *Lucret. lib. 1.*

Poulò poſt, huius ipſius Deæ facundiam extollens, ait,

Hunc tu Diua tuo recubantem corpore ſancto
Circumfuſa ſuper ſuaueis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis inclyta pacem.

Hanc ipſam facundiæ coronam diſertim Tacitus nominat deſcribens perditiſſimos mores principis hiſtrionis, ludionis, aurigæ, inceſti, demum parricidæ. Cui nihilominus *Senatus aufert victoriam cantus, adycit facundiæ coronam, qua ludicra deformitas velaretur.* Certè tum pulchritudo verè eſt conciliatrix amoris, cùm comitem habet facundiam. Nec ſanè abſque facundia ipſa Venus eſſet tam Venerea, tamque adlubeſcens. Martianus Capella loquẽs de dotibus quas quodque numen animæ adpoſuit, ſermonis thymum, mel, lepores, omnes ei ab Venere inditos ait, *Omnes verò illecebras*, inquit, *circa ſenſus cunctos appoſuit Aphrodite. Nam & vnguentis oblitam, floribusq́; redimitam halatu paſci, foueriq́; docuerat, & melle permulſerat, & auro, atque monilibus inhiare, membraq́; vinciri honorationis celſa affectatione perſuaſerat.* Hinc ergo eſt quod illorum ingens honor & authoritas eſt, quorum opera ea quæ ſumma ſunt, & maxima, talia poſteritati oſtenduntur. Hi illi ſunt, quorum ingenio ac ſtylo perficitur, vt, quę dum aguntur, ſunt merita, eadem in infinita poſteritate ſint exempla. Veriſſimè Pindarus ait, virtutem claris ſcriptionibus illuſtrem redditam diuturnam quoque reddi. Hoc ergo eſt ſummum eloquentiæ decus, quod ipſi virtuti vitam largitur ac diuturnitatem. *Tacit. lib. 16. Annal.* *Martian. Cap. lib. 1.*

ἁ δ' ἀρετὰ κλειναῖς ἀοιδαῖς
χρονία τελέθει
παύροις δ' ἐ πράξασθ' εὐμαρές. *Pindar. Pyth. od. 3.*

Quæ cognoſcitur virtus per inclytos cantus, diuturna eſt. Sed paucis id facere facile eſt. Quæ ergo inuidia, ſi ad diſertos quoque non minùs quàm ad rerum geſtores perueniunt præmia virtutis, ea quæ vocaui honoris aut honoraria; & ex his illa ipſa de quibus

nunc ago, coronaria? Etſi enim antiquitas vtroſque proprijs coronis inſigniuit, tamen eas coronas gemellas fecit. Et imperatoria, & poëtica laurus vnum, idemque caput quandoque eſt circumplexa. Statius,

Stat. lib. 1. Achill.

At tu quem longè primum ſtupet Itala virtus
Graiaq́, cui geminæ florent vatumq́, ducumq́,
Certatim laurus (olim dolet altera vinci.)

Vnde datur intelligi, parum eſſe res gerere, niſi geſtæ ſcriptis illuſtrentur. Ergo hoc genus coronæ tam expetitum præmium fuit, vt ipſi oratores, ipſi quoque poëtæ acribus hinc inde ſtudijs de ea quàm ſæpiſſimè certarint. Hanc ipſam Nero, vt magnus, ſi Dijs placet, orator affectauit teſte Suetonio. *Et orationis quidem*, inquit, *carminiſq́, Latini coronam, de qua honeſtiſſimus quiſque contenderat, ipſorum conſenſu conceſſam ſibi recepit.* Memoratur Theodectes quidam Phaſelites poëta, ſcriptor tragœdiarum & orationum, tum etiam artis Rhetoricæ profeſſor è ſacris literarum certaminibus, ijſque tredecim retuliſſe octo coronas incorruptas. Qua de re extant quidam verſus editi Athenis poſt eius obitum, non ſatis ſani. qui tamen recitantur à Stephano.

Sueton. in Ner. cap. 12.

Stephan. φασηλις.

CAPVT XII.

Poëtæ coronati lauro. Rhapſodi & enarratores poëtarum coronati. Oratores coronati.

ITAQVE inſignes illi poëtæ qui virorum fortium benefacta canebant, ſibi non minus quàm illis rerum geſtoribus coronam deberi exiſtimarunt. Hinc illa frequentia celeberrimorum poëtarum certamina & victoriæ, quales illæ quas dixi Theodectis, & illæ è quibus Æſchylus & alij innumerabiles mirum in modum claruerunt. Certè Æſchylo cum in vita tredecim victoriæ obtigiſſent, is poſt obitum quoque non paucas retulit, vt memorat is qui ſcripſit vitam eius. Certè fuit ſæculum quo inter doctrina & eloquentia conſpicuos homines haud minus certatum quàm inter pugiles, eoſque qui è militaribus exercitamentis famam ſunt adepti. Quippe his certamen erat de vi brachiorum, de agilitate, de pernicitate. Illis de dotibus animi, de acritate ingenij, de perennitate nominis. Cæterùm etſi iam oſtendi poëtas hedera coronari ſolitos, tamen hanc quoque poëticam coronam conſtat fuiſſe lauream. Heſiodus canit, ſe à Muſis donatum viridi lauro, & ab ijſdem ſibi inditam diuinam vocem.

Καί μοι σκῆπτρον ἔδον δάφνης ἐριθηλέος ὄζον
Δρέψασαι θηητόν. ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
Θείην, ὡς τ' κλύειμι τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα,
Καί με κέλονθ' ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων,
Σφᾶς δ' αὐτὰς πρῶτόν τε καὶ ὕστερον αἰὲν ἀείδειν.

Heſiod. Theog. & Lucian. in diſſert. Luc. & Heſ.

Et mihi ſceptrum dederunt lauri peruiridis ramum Decerpere mirandum. Inſpirarunt autem mihi vocem Diuinam, ita vt audirem tam futura, quàm præterita. Et me iubebant celebrare beatorum genus ſempiternorum, Se verò primò & poſtremò decantare. Quos verſus Tzetzes ita explanat, vt dicat, nouem quaſdam mulieres muſas, id eſt, quæ eædem ſint muſæ, decerpſiſſe ramos lauri Heliconitidis, eoſque ei mandendos dediſſe. Eumque ſic & ſapientia & poëtica repletum. Et paulò poſt dicit, Heſiodum in ſomnis circa Heliconem vidiſſe nouem mulieres indere ſibi lauros in os. Quod ſomnium omnino oſtendebat, fore vt is adipiſceretur eruditionem laborioſam & amatam quæ æterna progigneret poëmata. Alibi quoque idem Tzetzes ait, laurum eſſe ἀειθαλῆ, ſemper floridam, vt & ſermones ſemper florent. Non item mirum eſt, lauru redimiri capita poëtarum; cùm Apollo ſummus omnium vatum è lauro edat oracula, vt infra vberrimè dico, vbi ago de lauro. Itaque Horatius vbi memorat ſe, cùm puer eſſet, à palumbibus fuiſſe tectum fronde noua, addit, haſce frõdes fuiſſe laurum & myrtum.

Tzetz. in prolo. in Heſiod.

Vt tuto ab atris corpore viperis
Dormirem & vrſis, vt premerer ſacra
Lauroq́, collataq́, myrto
Non ſine Dîs animoſus infans.

Horat. lib. 3. carm. od. 4.

Hanc poëticam laurum ſibi deberi ipſe ſibi audactor profitetur,

- ſume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Horat lib. 3. car. od. vlt. inf.

Hanc alibi vocat Apollinarem, eamque Pindarum mereri ait,

– immenſuſq́, ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari.

Horat. lib. 4. carm. od. 2.

Itaque vt viros fortes per fortia facta ad coronam ire ſupra dixi, ita quoque quoties poëtæ in præclaro argumento cum laude verſantur, tunc verò ſibi ipſi coronam nectere dicuntur. Horatius,

—— ſequere & procul audi
Quid ferat, & qua re ſibi nectat vterque coronam.

Horat. lib. epiſt.

Et alibi,

—neque ego illi detrahere auſim
Herentem capiti multa cum laude coronam.

Hanc ob cauſam ipſe Horatius alicubi dixit, ſub lauru mea, veluti ſub arbore mihi propitia & familiari. Et illud idem eſt ac ſi dicat, apud me,

—longaq; feſſum militia latus
Horat. lib. 2. carm. od. 7. *Depone ſub lauru mea.*

Propertius poſt obitum ſuum vult coronari lauro.

Propert. lib. 2. *Et ſit in exiguo laurus ſuperaddita buſto,*
Quæ tegat extincti funeris vmbra locum.

Idem de pugna nauali,

Propert. lib. 4. *Ite procul fraudes, alio ſint aëre nexæ.*
Pura nouum vati laurea mollit iter.

Vbi *pura* puto eſſe veram interpretationem eius quam Græci Poëtæ ſæpe vocant ἀκήρατον. Hanc quoque lauream coronam ſibi Valerius Flaccus imponit,

Valer. Flacc. lib. 1. Argon. *Phœbe mone, ſi Cumææ mihi conſcia vatis*
Stat caſta cortina domo; ſi laurea digna
Fronte viret.

Ouidius hac ſe fronde redimitum gloriatur ſcribens ad Solanum,

Ouid. lib. 2. de Ponto. *Thyrſus enim vobis, geſtata eſt laurea nobis.*

Et hac ſe corona à Tomitis donatum memorat,

Ouid. lib. 4. de Ponto. *Tempora ſacrata mea ſunt velata corona,*
Publicus inuito quem fauor impoſuit.

Statius meminit laureæ Homeriaæ & Virgilianæ in his verſibus,

Stat. lib. 4. Sylu. *—non ſi pariter mihi vertice læto*
Nectat odoratas & Smyrna & Mantua lauros
Dract. de opif. VI. dier. *Digna loquar.*

Dracontius vocat laurum poëticam honorem linguæ, eamque dicit eſſe præmium poëtarum.

Linguæ laurus honos ſoluit donanda poëtis.

Videntur quoque poëtæ hanc frondem alijs prætuliſſe frondibus propter eius perennem viriditatem, ſicuti ſymbolum ſi non æternitatis, at ſaltem diuturnitatis. Et verò eam Lucretius vocat frondem perennem cùm eam tribuit Ennio,

Lucret. lib. 1. *Ennius vt noſter cecinit, qui primus amœno*
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

Caſſius Parmenſis laurum poëticam vocat frondem æternam in Orpheo ſuo,

Epig. lib. 4. *Non leuis aſcenſus ſiquis petit ardua, ſudor*

Plurimus hunc tollit, nocturno exſomnis oliuo
Immoritur; iactat quod mox laudauerat in ſe
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

Ac ne quid de ſe humiliùs ſentiat; aut minùs dicat quàm de alijs, talem coronam ipſe Lucretius capiti ſuo circumponit.

Nec me animi fallit quàm ſint obſcura; ſed acri Lucret. lib. 1.
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor.
Et ſimul incuſſit ſuauem mi in pectus amorem
Muſarum, quo nunc inſtinctus mente vigenti
Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo, iuuat integros accedere fontes,
Atque haurire; iuuatq́; nouos decerpere flores;
Inſignemq́; meo capiti petere inde coronam
Vnde prius nulli velarint tempora Muſæ.

Huius coronæ alibi quoque mentionem facit Calliopen alloquēs,

Tu mihi ſupremæ præſcripta & candida calcis Lucret. lib. 6.
Currenti ſpatium præmonſtra, callida Muſa
Calliope, requies hominum, diuumq́; voluptas;
Te duce, vt inſigni capiam cum laude coronam.

Ennij coronam Propertius vocat hirſutam, hoc eſt, aſperam & incomptam, alludens, opinor, ad duritiem verſuum eius,

Ennius hirſuta cingat ſua dicta corona. Propert. lib. 4.
Mi folia ex hedera porrige Bacche tua.

Etſi manifeſtum eſt hoc loco hirſutam coronam vocari lauream, ac ſi dicat, acutam & pungentem qualia ſunt lauri folia, è quibus plectitur hæc corona verè poëtica, quamuis Propertius hederaceam expetat, nēpe vt nunc quidem videatur potiùs in comitatu Bacchi, quàm in choro Apollinis. Siue vt hinc oſtendat, ſuam coronam non è tot meritis conſurgere, neque ea dignitate eſſe qua ſunt coronæ laureæ quæ circumplectuntur capita magnorum poëtarum: ſed ſibi tantùm propoſitos eſſe Cupidines, luſus, & feſta Bacchi, cuius corona eſt hederacea. Cæterùm vel hanc ob cauſam laurus, & laurea corona Poëtis tantopere fuit expetita, quòd Apollo ipſis œſtrum creditur immittere per lauros ſuas, hoc eſt, per ſpiritum quemdam diuinum & vaticinantem. Statius,

Tempus erit, cùm laurigero tua fortior œſtro Stat. li. 1. Theb.
Facta canam.

Ea re Socrates apud Platonem ait poëtas eſſe interpretes Deorum. Plato in Ione.
Deinde addit, illos hoc numine corripi quod noſtris dicitur œſtrum, κατεχόμενοι ἐξ ὅτου ἂν ἕκαστος κατέχηται, à quocunque tandem illorum vnuſquiſque corripiatur. Ex his omnibus palam eſt, non eos tantùm qui publicam rem manu promouiſſent, ſed & illos qui

horum facta luculentis ſcriptionibus æternitati commendaſſent, qui perituram purpuram, & laureas marceſcentes immortali præconio circumdarent, in primis poëtas, ſuper hederam lauro coronari ſolitos. Cui lauro interdum fuerunt additæ vittæ, vt inſignia vatum. Id quod diſcimus è Statij epicedio in filium,

Stat. lib. 5. Sylu.

— ſed nec ſolitæ mihi vertice laurus,
Nec fronti vittatus honos. En taxea marcet
Sylua comis; hilareſq́; hederas plorata cupreſſus
Excludit ramis.

Plato in Ione.

Porrò nemini nouum aut mirum accidet coronari poëtas, cùm ipſimet rhapſodi, hoc eſt poëtarum enarratores ſibi quoque coronam vindicatint, & quidem auream. Ion, audax ille apud Platonem Rhapſodus Socratem alloquens gloriatur ſe ita ornaſſe Homerum, vt ab Homeri ſtudioſis mereatur donari aurea corona. Non omiſerim, coronis facundiæ à me additas eſſe poëticas, quod vtraque facultas & ſolutæ orationis & verſuum nihil eſt niſi viua eloquentia, cuius ſunt plures, eædemque pulcherrimæ facies. Neque vero ſua refert qua ſe potiſſimùm ratione agnoſcendam præbeat, an metro, an oratione libera, an dictis, an ſcriptis, an publicè, an priuatim. Quacunque aſpicitur, pulchra eſt; quacunque aditur, amabilis; Quicquid, quantumque illud eſt quod ſuſcepit, eius rei effectrix eſt; vbique ductrix, vbique domitrix, vbique triumphatrix ac regnatrix eſt. Id quod cùm ſapientiſſimæ antiquitati cognitiſſimum fuerit, quis vltra miretur, reginam tanto imperio ſubnixam, incoronatam aſpici flagitium viſum? Itaque & ipſis oratoribus, qui ſunt canales per quos eloquentia fluit, vt ingentium rerum victoribus coronæ dantur, ὁ ῥήτωρ οἰχήσεται τὸν στέφανον λαβὼν, inquit Ariſtides, orator diſcedet accepta corona. Id quod ſatis apertè innuit Iulianus Cæſar his verbis, ὥσπερ γὰρ ἐν Ἑρμοῦ λογίου σταδίοις δόλιχον πολλάκις τοῦ δρόμου στεφανωθεὶς ἤδη, δι' ὧν ἐν ὀλίγοις γράφεις, τῆς ἀρετῆς τὸ ἄκρον ἐμφαίνεις. Nam vt in Mercurij facundi ſtadijs toties iam victor & coronatus, mirabilem in paucis his ſcriptis virtutem tuam demonſtras.

Ariſtid. de rhet. orat. 2.

Iulian. in epiſt. ad Georgium.

CAP. XIII.

Plures coronas ſæpe vnus adipiſcebatur. Et hinc de talis ingenij felicitate coniectura fiebat. Coronæ facundiæ ſcrupuloſè numerabantur. Familiæ cuſtodes coronarum. Corona decemplex. Facundiæ præter coronas alia præmia propoſita.

CÆTERVM, vt cœpi dicere, vni alicui ſæpe contingebat accipere plures coronas, ſicuti adepro multas victorias ingenij & eloquentiæ. Atque adeò è numero talium coronarum æſtimabatur laus eorum ad quos hæc præmia deferebantur, potiſſimùm poëtarum, vt liquet ex hiſce verbis Petronij Arbitri, *Ego poëta ſum, &, vt ſpero, non humillimi ſpiritus; ſimodò coronis aliquid credendum eſt, quas etiam ad imperitos deferre gratia ſolet.* Nempe eadem ratione numerabantur coronæ qua ſtatuæ. Huiuſmodi eſt illud quod traditur fuiſſe ſubſcriptum imagini Demetrij Phalerçi, *Petron. Arb. in ſatyr.*

Hic Demetrius æneas tot aptus'ſt *à M Varrone in epigr. lib. 2.*
Quot luces habet annus abſolutus.

Numerabantur, inquam, hæ coronæ facundiæ & poëticæ propemodum vt Olympicæ, aliæque ex alijs certaminibus partæ. Quin, quò plures coronæ alicubi aſpiciebantur, quò auctius fuit hoc decus parrum in loco tantæ claritudinis, hoc maior & cumulatior laus accedebat generi & familiæ. Ipſæque adeò clariſſimæ familiæ hac de cauſa dicebantur eſſe cuſtodes coronarum. Pindarus,

— σὺν θεοῦ δὲ τύχᾳ *Pindar. Nemeon. od 6.*
ἕτερον οὔ τινα οἶκον
ἀπεφαίνατο πυγμαχία ταμίαν
στεφάνων μυχῷ Ἑλλάδος ἁπάσας.

cum Dei fauore aliam nullam familiam protulit pugilatus [adeò] cuſtodem coronarum in ſinu Græciæ vniuerſæ. Scholiaſtes Ariſtophanis in argumento nebularum ex Herodoto vocat familiam Alcmænidarum τεθριπποτρόφον quadrigarum altricem, eamque quę multas adepra eſt victorias Olympiacas, Pythicas, Iſthmicas, Nemeas, aliaſque. Non ergo mirum, ſi Pindarus ille lyricorum diſertiſſimus pluribus locis quot quiſque athletarum coronas meritus ſit, anxiè memorat. Idem quoque ab alijs eſt factitatum. Ipſe Pindarus de Ergotele ait, *Scholiaſt. Ariſtoph. in προθεωρ. νεφέλ.*

νῦν δ' Ὀλυμπίᾳ στεφανωσάμενος
καὶ δὶς ἐν Πυθῶνι, Ἰσθμοῖ τ' Ἐργότελες, &c. *Pindar. Oly. ſ. od. 12.*

At nunc apud Olympiam coronatus, & bis apud Pythonem, &

Pindar. Oly. od. 13.

apud Iſthmum Ergoteles. Idem alibi,

μηνός τέ οἱ τωὐτοῦ, κρανααῖς
ἐν Ἀθάναισι, τρία μὲν
ἔργα ποδάρκης ἁμέρα
θῆκε κάλλιστ' ἀμφὶ κόμαις·
Ἑλλώτια δ' ἑπτάκις.

menſe prӕterea eodem aſperas apud Athenas tria certamina celeripes dies poſuit pulcherrimas circùm comas. Hellotia autem ſepties [vicit.] Alibi ſexagies ad coronam itum eſſe memorat,

Pindar. Oly. od. 13.

ἑξηκοντάκι γὰρ
ἀμφοτέρωθεν γ' ἁδύγλωσ-
σος βοὰ κάρυκος ἐσλοῦ.

ſexagies enim vtrinque dulcilinguis vox prӕconis victores eos pronuntiauit. Idem alibi Ariſtagoram ſexdecim coronas meruiſſe ait,

Pindar. Nem. od. 11.

-- ἑκκαίδεκ' Ἀρισταγόραν
ἀγλααὶ νῖκαι πάτραν τ' εὐώνυμον
ἐστεφάνωσαν πάλᾳ
καὶ μεγαλαυχεῖ παγκρατίῳ.

ſedecim Ariſtagoram illuſtres victoriӕ coronarunt, patriamque magni nominis; quas adeptus eſt lucta, atque valde gloriabundo pancratio. Diagoram memorat obtinuiſſe duas; dein in Iſthmo quatuor,

Pindar. Ol. od. 7.

τῶν ἄνθεσι Διαγόρας
ἐστεφανώσατο δίς· κλεινᾷ τ' ἐν Ἰσθμῷ
τετράκις εὐτυχέων,
Νεμέᾳ τ' ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ.

quorum floribus Diagoras coronatus fuit bis, inclytaque in Iſthmo quater proſpera vtens fortuna, in Nemeaque aliam [coronam] ſuper aliam. Blepſiadas ſex,

Pindar. Ol. od. 8.

ἕκτος οἷς ἤδη στέφανος περίκει-
ται φυλλοφόρων ἀπ' ἀγώνων.

ſexta quibus iam corona circumpoſita eſt frondiferis ex certaminibus. Timodemidam apud Parnaſſum quatuor, apud Pelopen octo, Nemeӕ ſeptem,

Pindar. Nem. od. 2.

ἐν ἐσλοῦ Πέλοπος πτυχαῖς
ὀκτὼ στεφάνοις ἔμιχθεν ἤδη·
ἑπτὰ δ' ἐν Νεμέᾳ.

in boni Pelopis receſſibus coronis octo ſe immiſcuerunt iam; ſeptem autem apud Nemeam. Apud Pollucem Megarenſis Herodorus ἑπτακαίδεκα περιόδους ἀνείλετο τῶν στεφανιτῶν ἀγώνων, ſeptemdecim circuitus abſtulit coronariorum certaminum. Artemidorus ait, athletam eum qui per quietem ſe duo, triaue capita in ſacris

Pollux lib. 4. cap. 11.

certaminibus habere viderit, bonum ſomnium ſomniaſſe. τοσούτους *Artemid. lib. 1.*
γὰρ ἀγῶνας στεφανωθήσεται, totidem enim ſacra certamina coronabitur. *cap. 36.*
Coronæ quibus Nero ſe donatum gloriabatur, poſtquam Ægy-
ptio obeliſco circumpoſitæ fuerunt, numeratæ ſunt octo & octin- *Xiphil. Ner.*
gentæ ſupra mille. Alexander Seuerus octoginta duas ſupra ſeptin-
gentas abſtulit. Ergo in lepido illo & fictitio, & adulatorio de- *Dio in Anton. Carac.*
creto quo Timon, poſteaquam diues eſt factus, ab Athenienſibus
ſublimatur, nempe, quòd in ludis Olympicis pugilatu, lucta, curſu, *Lucian. Tim.*
quadriga, equeſtri certamine victor extiterit, & ob alia quæ ibi
falsò memorantur, donatur ſeptem coronis, & quidem verbis ma-
gnificentiſſimis. Super his omnibus viſum eſt conſilio, & populo,
& Eliææ per tribus, & populis priuatim, & publicè omnibus au-
reum erigere Timonem iuxta Palladem in arce, fulmen dextra te-
nentem, & radios in capite; & ipſum aureis coronis coronari ſep-
tem, & [præconis voce] renuntiari, ſiue publicari coronas hodie
Bacchicis tragœdis nouis. Neque verò tantùm ſacrorum certa-
minum coronæ numerabantur, ſed & aliorum, vt muſicorum.
Quo exemplo ille apud Plutarchum citharœdus ſexies vicit in lu-
dis Pythicis. Non omitto, coronam decies partam à Prudentio *Plutarch. Lyſandro.*
vocari decemplicem.

Cingit coronis interea Deus *Prudent. peri ſteph. hym. 4.*
Frontem duabus martyris innubæ.
Vnam decemplex edita ſexies
Merces perenni lumine conficit.
Centenus extat fructus in altera.

Quæ dictio ne inuſitata, & à Prudentio excogitata videatur, facit
locus Æmylij Probi, vbi agit de pugna pugnata apud Marathо-
nem; *In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienſes, vt decempli-* *Æmil. Prob. Milt.*
cem numerum hoſtium profligarent, Vbi decemplicem interpretare
δεκαπλάσιον, decem partibus ſuperiorem. Quippe Athenienſes in
eo prælio habuerunt armatorum decem millia completa. In caſtris
Perſarum erant peditum centum, equitum decem millia. Talem
coronam prudentiſſimus Caſſiodorus vocat numeroſam. *Cer-*
tantes, inquit, *in ſtadio numeroſior corona glorificat. Olympicos cur-* *Caſſiod. lib. 3. Var. ep. 22.*
rus frequens palma nobilitat. Itaque ad hoc exemplum ſcriptoribus
& poëtis ſuas coronas, id eſt victorias numerare licuit, vt de Theo-
decte & Æſchylo ſupra dixi. Hoc loco moneo, id quod ſupra in-
nui cùm de coronis virtutis agerem, facundiæ non tantùm coro-
nas, ſed & alia præmia fuiſſe propoſita. Id quod in decus corona-
rum haud dubiè cedit; quibus alia præmiorũ genera, vt ita dicam,
aſſurgunt.

CAPVT XIV.

Aliorum præmiorum quæ poëtis dabantur, breuis enumeratio. Alia præmia quandoque vocata coronæ. Ius dandi talia præmia fuit penes Imperatorem Romanum.

Pollux lib. 8. IN alijs præmijs numerabantur τιμαὶ, δωρεαὶ, γέρα, προπομπεύσεις, χάρητες, σιτήσεις, σιτηρέσιον, καὶ σύσσιτον εἶναι, πορφύρα, προεδρεία, χαλκοῦν ἑστάναι, ἀτέλεια χρήματα, honores, dona, honoraria, honorum prærogatiuæ, gratiæ, iura epulandi ſiue annona, frumentatio, conuiuam eſſe, purpura, honor primi ſubſellij, æneum ſtare, pecuniæ immunes. *Strabo lib. 10.* Canem quandoque pro præmio datum legimus. In hippodromia tertium præmium fuit lebes, quartum duo auri talenta. Erant enim in præmijs τὰ πρωτεῖα, τὰ δευτερεῖα, τὰ τριτεῖα. Ergo & in ipſis Græciæ certaminibus præter coronas victoribus proponebantur tripodes, lebetes, phialæ, nihil non aureum. Pindarus,

Pindar. Iſthm. od. 1.

ἐν δ' ἀέθλοισι θίγον πλείστων ἀγώνων,
Καὶ τριπόδεσσιν ἐκόσμησαν δόμον,
καὶ λεβήτεσσιν, φιάλαισί τε χρυσοῦ,
γευόμενοι στεφάνων νικαφόρων.

Et in ludis ſolennibus potiti ſunt plurimis certaminibus, & tripodibus ornauerunt domum, & lebetibus, & phialis aureis guſtantes [fructum] coronarum victricium. Nimirum, hæc omnia ſæpe dabantur pro coronis. Atque adeò vt talibus præmijs ſumma authoritas accederet, vocabantur coronæ, vt videre eſt in hoc loco Pindari. Athletarum exemplo ipſi quoque poëtæ talibus præmijs donabantur. Certè Heſiodus ait ſe carmine victorem præmium tuliſſe tripodem auritum, quem ipſe Muſis ſuſpendit.

Heſiod. ἔρ. καὶ ἡμ. & Plutarch. ἑπτ. σοφ. συμπ.

Ἔνθα δ' ἐγὼν ἐπ' ἄεθλα δαΐφρονος Ἀμφιδάμαντος
Χαλκίδα τ' εἰσεπέρησα, τὰ δὲ προπεφραδμένα πολλὰ
Ἄθλ' ἔθεσαν παῖδες μεγαλήτορες, ἔνθα μέ φημι
Ὕμνῳ νικήσαντα φέρειν τρίποδ' ὠτώεντα.
Τὸν μὲν ἐγὼ Μούσῃς Ἑλικωνιάδεσσ' ἀνέθηκα.
Ἔνθα με τὸ πρῶτον λιγυρῆς ἐπέβησαν ἀοιδῆς.

Illuc ego ad certamina ſtrenui Amphidamantis Chalcidemque traiecci, prædeliberata verò multa Certamina inſtituerunt iuuenes magnanimi, vbi me aio Carmine victorem tuliſſe tripodem auritum, Quem ego quidem Muſis Heliconiadibus dicaui, Vbi me primùm ſonorum aggredi fecerunt cantum. Interdum loco præmij accipiebatur argentum. Et hoc eſt illud quod, meo quidem animo, ſentit Artemidorus, cuius hęc ſunt verba loquentis de

quodam qui Romæ in certamine victor fuerat. Cùm verò, inquit, inibi eſſet vt coronaretur, prohibitus eſt ab Alipta proponente ac obijciente τὴν ἐργασίαν τοῦ στεφάνου difficultatem adipiſcendæ coronæ. Nam accepto argento, non ſiuit ipſum pro corona luctantem decertare. Is enim meritò corona arcebatur qui pro præmio argentum accepiſſet. Et his quidem rationibus honeſtabantur ij qui pollebant dotibus ingenij, in his poëtæ. Quid mirum? Ipſis hæc eſt militia, hæ, quibus inuigilant, artes; quibus Reipub. ſeruiunt. Id quod ingenioſiſſimus poëta Ouidius diſertim profitetur, *Artemidor. lib. 4. cap. 84.*

Hæc mea militia eſt; gerimus quæ poſſumus arma; *Ouid. li. 2. Faſt.*
Dextraq; non omni munere noſtra vacat.
Si mihi non valido torquentur pila lacerto,
Nec bellatoris terga premuntur equi;
Nec galea tegimur, nec acuto cingimur enſe;
His habilis telis quilibet eſſe poteſt.
At tua proſequimur ſtudioſo pectore Cæſar.
Nomina, per titulos ingredimurq; tuos.

Vt militibus emeritis ſuper ſtipendia dantur quoque præmia, ita poëticam militiam hoc optatiſſimo fine concludi æquiſſimum eſt. Enarrator operum Italicorum Franciſci Petrarchæ tradit, ad hunc inſignem poëtam, edita Aphrica nobili poëmate, itum ex Italia miſſu Senatus vrbis Romæ, è Gallia mandatu Cancellarij Academiæ Pariſienſis. *Alexand. Velutell. in vita Franc. Petr.* Vtrinque enim vir literis & eloquio clariſſimus, eodemque tempore vocabatur ad capiendum laureæ decus. Sed ipſe, dilecta Roma, eò multo comitatu deductus eſt iuſſu Roberti Siciliæ regis. Quippe rex cum clariſſimo poëta de hac laurea Neapoli ſumenda accuratis precibus egerat. Sed nequicquam. Itaque anno 1341. vt Platina tradit, 1338. ingenti concurſu multitudinis, parique vniuerſorum gaudio & plauſu, ſolenni die Dominicæ reſurrectionis, is in Capitolio laurea corona redimitus perhibetur manu Stephani Pontificis maximi. Idē Platina author eſt, Æneam Pium, cùm miſſu Pontificis legatione fungeretur apud Federicum Imperatorem, ex admiratione ingenij ab ipſo Cæſare euinctum corona poëtica laurea. *Plat. in Pio II.* Qui mos etſi, vt dixi, antiquiſſimus, certè laudabilis, hodie tamen, vt multa præclara, exoleſcit; niſi fortè in vna Germania, vbi audio, hac ipſa corona quandoque à Cæſaribus eos inſigniri qui carmina feliciter pangunt; quique peculiari & honorifica appellatione vocantur poëtæ laureati. Cæterùm poëtæ laureati & armati ſpeciem exhibet Statius in his verſibus,

—vatem cultu Parnaſia monſtrant *Stat. li. 4. Theb.*

Te

Vellera; frondenti crinitur caſſis oliua;
Albaq; puniceas interplicat infula criſtas.

Huius coronæ tribuendæ, ſimiliumque præmiorum ius iudiciumque Romani Imperatores tanti fecerunt, vt ſibi id ſeponerent, *Tacit. lib. 2. Annal.* vt diſcimus è Cornelio Tacito. *Cùm enim Germanico cenſeretur,* nempe à Senatu, *clypeus auro & magnitudine inſignis inter authores eloquentiæ, adſeruit liberius, ſolitum, paremq́; cæteris dicaturum.* Et *Tacit. Annal.* alibi idem Tacitus, *Afrum ait primoribus oratorum fuiſſe additum, diuulgato ingenio, & ſecuta adſeueratione Cæſaris qua ſuo iure diſertum eum appellauit.*

CAP. XV.

Cur Plato Homerum coronet lana. Olea & lana ſunt indicia pacis. Mos nubentium. Mos nouæ nuptæ. Mos precantium Deos. Multa circa lanam ſuperſtitiones. Licium quid. Albæ lanæ corona cui vſui adhibita. Pileus laneus purpureus. Εἰρεσιώνη *quid, & quales circa eam ſuperſtitiones. Lanificium eſt matronis exercitamentum. Lana cuius rei ſit ſymbolum. Mos Athenienſium die natali ſiue maris ſiue fœmina.* στέφανον ἐκφέρειν *Athenis quid. Laneum capitis redimiculum eſt coronamentum infamiæ. Corona podagræ.*

ANTEQVAM hanc, quæ eſt de poëticis coronis materiam abſoluo, libet quærere, quid ita Plato, poſtquam ſæpe & acri- *Plato lib. 3. de repub.* ter Homerum reprehendit, alioſque poëtas, etſi faſſus eſt Homeri vires eſſe in poëſi admirabiles, vt qui ad omnia ſit idoneus; atque *Dion Chryſoſt. orat. 54.* omnia palàm promat nomina fluminum, ventorum, fluctuum, non tamen eum coronet hedera aut lauro, ſed lana. Iubet, inquā, *Max. Tyr. dial. 7.* eum valde pacificè lana coronatum, perfuſumque vnguento dimitti ad alios. Id quod, inquit Dion Chryſoſtomus, mulieres in hirundinibus faciunt. Et quidem, vt quod de hac re ſentio, tradam, altiùs rem repeto. Itaque inuenio, vt oleam, ſic & lanam eſſe argumentum pacis, & vtramque ſicuti gemellas vnà emerſiſſe. *Iuſtin. lib. 2.* *Primi Athenienſes*, inquit Iuſtinus, *lanificij, & olei, & vini vſum docuêre, quibus, ſcilicet, omnibus homines fruuntur in pace.* Huius ſocietatis quæ eſt inter lanam & oleam non neſcius Virgilius oleæ ramo, quem Pallanti Æneas prætendit, addit vittas, id eſt lanam, vt alibi monui,

Virgil. 8 Æneid. *Et vitta comptos voluit prætendere ramos.*

Feſt. cingulo. Huc accedit, quod lana nihil quicquam eſt neque mollius, neque tenerius. Et ideo *cingulo noua nupta præcingebatur*, inquit Feſtus, *quod vir in lecto ſoluebat factum ex lana ouis; vt ſicut illa in glomos.*

ſublata coniuncta inter ſe ſit, ſic vir ſuus ſecum cinctus, vinctuſq; eſſet. Fortaſſe hac ipſa de cauſa noua nupta ianuam viri lana coronabat. *Lanis authoritatem*, ait Plinius, *veteres Romani etiam religioſam habuêre, poſtes à nubẽtibus attingi iubẽtes.* Pauſanias memorat, in Iouis Olympij templo laneum velum cum textili Aſſyriorum opere, tum Phœnicum purpura luculentum dedicatum fuiſſe ab rege Antiocho. Tradit quoque Pollux pileo laneo purpureo Deorum ſedes illuſtrari. Deos precantiũ mos fuit, baculum & lanam tenere, vt palam fit ex hoc loco Plutarchi, *οὐδ' ἔρια καὶ σκύτη κτησάμενος κάθηται τῇ τύχῃ προσευχόμενος ἱμάτιον αὐτῷ καὶ ὑποδήματα γενέσθαι*, vbi pro *σκύτη* lego *σκυτάλην*, vt ſit ſenſus, neque lanam neque baculum poſſidẽs ſedet fortunæ preces admouens vt ſibi ſit ſcutale & calcei. Non paucis ſuperſtitionibus lanam adhibitam legimus. Huius generis eſt illa de qua loquitur Athenæus deſcribens effigiem Iouis Cteſij, cuius cadiſus nouus deponi iubetur, eiuſque aures alba lana coronari. Eadem ratione qua apud Sophoclem crateres ouis iuuenculę noua lana coronari iubentur. Albam lanam in ijs quæ ſpectabant cultum Deorum adhibebant, vt conſultò vitarent lanea licia, ſiue laneas coronas verſicolores, cuiuſmodi ſunt bilices, & qualis apud Virgilium lorica,

> *— rumpitq; infixa bilicem*
> *Loricam, & ſummum deguſtat vulnere corpus.*

ſiue etiam trilices, id eſt, habentes tria licia, & vnumquodque diuerſi ab alio coloris.

> *Terna tibi hæc primum triplici diuerſa colore*
> *Licia circumdo.*

Et apud Petronium, *Illa* [Chryſis] *de ſinu licium protulit varij coloris filis intortum, ceruicemq; vinxit meam*; Vt hic licium ſit non quidem filum laneum, ſed ſtamen filis intertextum obligando aptum. Id quod ex alio Petronij loco diſcimus, *Simulq; pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad vſum repoſita, & ſincipitis vetuſtiſſima particula mille plagis dolata. Vt ſoluit ergo licio pannum partem leguminis ſuper menſam effudit.* Licio, id eſt, qua parte erat licium, hoc eſt, filum, ſeu funiculus quo pãnus vinciebatur. Certè diſtingui ſubtegmen, licium, telã, ſtamen, docet locus Hieronymi; *Itaq; ſubtegmẽ, inquit, & ſtamina, liciaq; & telas, quæ mihi ad veſtram tunicam parauerant, vobis inconfecta tranſmiſi; vt quicquid mihi deeſt veſtro texatur eloquio.* Hæc licia veriſimile eſt eſſe laneas coronas, eas quas in ſomnis viſas ob varietatem Artemidorus ait ſignificare venena & vincula. Repertum quoque eſt, vt corona ex alba lana ſit remedium aduerſus ea mala quæ apes & apiaria circumſiſtunt. Fuit & inter hæc lanea ſeu vincula & redimicula, ſeu coronas illa

Plutarch. κεφαλ. κατὰ χ. ῥωμ.
Plin. lib 29 c 2.
Pauſan lib. 5.
Pollux lib. 7. c. 13.
Plutarch. π. τύχ.
Athen. lib 11.
Sophocl. Oed.
Virgil. 12. Æn.
Virgil. Pharm.
Petr. Arb. in Satyr.
Hieron. lib. 1. epp. ep. 15.
Artemidor. lib. 1. cap. 79.
Conſtãtin Caſ. lib 15. cap 8.

cui nomen εἰρεσιώνη, quam aiunt eſſe εὐμεγέθη κλάδον ἐξ ἐρίων ἔχοντα στέμματα, κλῶνας, καὶ ἰσχάδας, καὶ τῶν καθαρῶν ἀκροδρύων ὁρμαθοὺς permagnum ramum è lana habentem ſtemmata, ſurculos, caricas, & purorum fructuum ſeries, ἢ, inquit author etymologici, θαλλὸς τῆς ἐλαίας πάντας τοὺς καρποὺς ἔχων ἀπηρτημένους, καὶ στέμμα λευκὸν καὶ φοινικοῦν, aut truncus eſt oleæ omnes fructus habens ſuſpenſos, & ſtemma album & purpureum. Paulò aliter Plutarchus deſcribit εἰρεσιώνην his verbis, τὴν δὲ εἰρεσιώνην ἐκφέρουσι, κλάδον ἐλαίας ἐρίῳ μὲν ἀνεστεμμένον (ὥσπερ τότε τὴν ἱκετηρίαν) παντοδαπῶν δὲ ἀνάπλεων καταργμάτων, eireſionem efferunt ramum oleæ lana quidem redimitum, quemadmodum tunc caduceum, omnigenis repletum primitijs. Addit cauſam Plutarchus, διὰ τὸ λῆξαι τὴν ἀφορίαν, quòd ſterilitas ceſſaſſet. Res ita habet. E quodam priſco oraculo manauit mos pro foribus ponendi hunc ramum cui nomen eireſione. Fortè enim & fame, & quod à Plutarcho tacitum eſt, peſte vniuerſam terram conflictante, conſultantibus quo pacto malum auerruncari poſſet, reſpondit Apollo, ſi ſacrificium ante ſulcamina terræ fieri ſuetum pro omnibus Athenienſibus fieret. Qua re peracta, lues ceſſauit. Ea re finitimi omnes gratulationis cauſa omnium fructuum primitias miſerunt Athenienſibus. Etſi non ſum neſcius alios huius rei originem referre ad Theſeum vt paulò poſt dicam. Aut eireſionem, aut ἱκετηρίαν, aut his quidpiam ſimile fuit τίνος, quam interpretantur coronam oleagineam lana intextam. Porrò eireſione ponebatur pro foribus auertendis ijs, quæ imminerent, periculis. Ideo apud Ariſtophanem populus, conſpicatus duos ciues factioſos & promptos, qui ipſius fores pulſauerant, indignabundus reſpondet, τίνες οἱ βοῶντες; οὐκ ἄπιτ' ἀπὸ τῆς θύρας; Τὴν εἰρεσιώνην μου κατεσπαράξατε. Qui hi clamantes? non abitis ab ianua; eireſionem meam fregiſtis. Ac ſi dicat, mihi propter vos nulla eſt annonæ abundantia, ſed potiùs ſterilitas. Denique nihil eſtis, niſi turbatores mei, & peſtes ciuitatis. Non omiſerim, ſuper eireſione hos verſus cani ſolitos ab Athenienſibus.

Etymol. εἰρεσιώνη. — *Plutarch. Theſ.* — *Ariſtoph. ἱππ. & ibi ſchol.*

Clem. Alex. lib. 4. Strom.

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει καὶ πίονας ἄρτους
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.

Eireſione fert ficus & pingues panes, & mel in catino, & oleum ad detergendum, & calicem purum, vt inebriata dormiat. Apud authorem horum verſuum præſcribitur iſte,

Clem. Alex. lib. 4. Strom.

Σὺ μὲν εἰρεσιώνην, οὐ γεωργίαν λέγεις.

Tu quidem eireſionem, non agri culturam dicis, id eſt, ipſam fru-

ctuum abundantiam repræſentas, non ipſos labores per quos ad fructus perueniri poteſt. Ergo ſtemmata eireſiones conſtat fuiſſe laneá. Nempe in hoc omnis ſuperſtitio. Eo, videlicet, ramo ſupplicabant quoque Apollini illo ipſo die, quo Theſeus vnà cum ſocijs periculo exemptus creditur. Ibi verò & bellaria, & calicem vini effundentes, canebant eos verſus quos paulò ante retuli. Hanc lanam vocabant στέμμα τὸ περιειλημμένον ἔριον τῷ θαλλῷ, coronam obuolutam lanam ramo oleæ. Et verò ita eireſionem nominabant ab eo quod eſt coronari lana; ſiue à complicandis, ſeu commiſcendis fructibus, quomodo lana in glomos ſublata confunditur. Alij eireſionem dici voluerunt ἀπὸ τοῦ ἐρωτᾶν ab interrogando, quia Deam interrogabant, quid illo ramo poſt ſacrificium facerent. Vocarunt quoque eam corythaliam. Certè aut eireſionem, aut aliquid eireſioni perſimile Statius deſcribit in his verſibus, *Scholiaſt. Sophoc. in Oed. ty.*

Stat. li. 7. Theb.

Ecce truces oculos ſordentibus obſita canis
Exangues Iocaſta genas, & brachia [imò, lumina] *planctu*
Nigra ferens, ramumq; oleæ cum velleris atri
Nexibus, Eumenidum velut antiquiſſima portis
Egreditur.

Quæ author Etymologici vocat στέμματα, huic ſunt nexus; nempe lanæ dependentis. Quod illi eſt λευκὸν καὶ φοινικοῦν στέμμα, album & puniceum, huic eſt vellus atrum. Neque tamen neſcio quandoque εἰρεσιώνας ſimpliciter dicta fuiſſe virgulta, ſiue ſurculos, ſiue virgas, vt apud Ariſtophanem πληγεὶς ταῖς εἰρεσιώναις verberatus virgis. Et hæc quidem de lana quæ adhibebatur eireſione. His accedit, quod lana & lanificium eſt matronis exercitamentum. Certè Troianæ mulieres exituræ ab vrbe, vt exemplo Pentheſileæ impetum facerent in Græcos, *Ariſtoph. σφηξὶν*

Q. Calab. lib. 1.

—— ἀπὸ σφισι δ' εἴρια θέντο,
Καὶ ταλάρους,

procul ſepoſuerunt, id eſt abiecerunt cum lana calathos. Cæterum & lanificium & opera lanificij propria eſſe matronarum, docet Symmachus his verbis; *Interea domina filia honoratum me opimo lanificij tui monimento ſatis gaudeo. Vnà quippe & amor in parentem tuum, & induſtria matronalis inclaruit. Sic priſcæ feminæ vitam coluiſſe traduntur. Et illas quidem deliciarum ſterile ſeculum colo & telis animum iubebat intendere, quia illecebra ceſſante temporum viuebatur.* Et hæc quidem Romanis moribus vera ſunt. Nam feminas Perſarum Q. Curtius tradit, *non aliud magis in contumeliam accipere, quàm admonere lana manus.* Ex ſupradictis diſcimus, lanam vſibus *Symmach. lib. 6. ep. 68.* *Q. Cur. lib. 5.*

priuatis adhibitam, qua, ſcilicet, vtuntur matronæ in ſuis opificijs; & virgines circa corpus; & nouæ nuptæ in ſolennibus nuptiarum. Tum etiam ei locum datum in magicis ſuperſtitionibus, in religione & cultu Deorum, ac præterea in priſcis coronamentis. Nam
Feſt. lemniſci. ſupra è Feſto dixi, coronarum lanearum fuiſſe antiquiſſimum genus. Proinde lana, vbicunque tandem eam ſpectes, videtur fuiſſe ſymbolum non altæ & eximiæ, ſed mediocris, ordinariæ, & quotidianæ curæ, cuiuſmodi eſt mulierũ. Quæ etſi non caret ſua laude non tamen maximã & exquiſitiſſimã meretur. Vnde coronamẽtũ hoc laneum, quo illi demonſtrabantur qui in nullo quidem certamine ſuperiores extitiſſent; ſed qui nihilominus propter mediocres ingenij dotes laudabiles eſſent. Tradit Heſychius, moris
Heſych. στέφαν. ἐκφέρ. fuiſſe Athenis, cùm mas natus eſſet, ante fores ponere ramum oleæ: ſi femina, lanam; διὰ τὴν ταλασίαν, propter texturam, quam ſcilicet, lana repræſentat. Et hoc illud eſt quod Attici dicebant, στέφανον ἐκφέρειν, coronam efferre; id eſt, publicè viſendam præbere,
Heracl. Pont. vt inde ſciri poſſit quid intus natum ſit. Cùm ergo Plato, ſiue iudicio, ſiue liuore (id quod credi vult Heraclitus Ponticus, vbi acerbè inuehitur in Platonem) Homerum ita laudat, vt eâdem illi multum detrahat, non quidem eximium illum & admirabilem facit, ſed, ſi Dijs placet, mediocris ingenij poëtam, nec planè reijciendum. Gratis ergo videtur illi tribuere hoc laneum coronamentum, ἐν ἡσυχίᾳ pacificè illum dimittit, tanquam ignauiæ pacem obtendentem, & cum nemine contendere auſum; aut ſanè eum, qui poëtæ perfecto minimè ſit comparandus. Enimuero
Ariſtid. orat. 3. in Plat. Homerp inuidiſſe Platonem tum è ſuperioribus palam fit, tum è tertia Ariſtidis oratione aduerſus Platonem, vbi; præter cætera, oſtendit quàm iniquè is Homerum excipiat qui eum nominet τραγῳδοποιὸν tragœdiarum fictorem; non hunc, inquit, hoc ornans, ſed hos quidem [tragœdiarum, ſcilicet, ſcriptores] per hæc minuens. Et hæc eſt ſatis clemens Platonici de Homero iudicij interpretatio, præ eo quod dici poſſet, laneum capitis redimiculum eſſe coronamentũ infamiæ; Nam quaſdam eſſe infamiæ coronas, ſupra mihi dictum; haud ſanè cuiquam inuidendę, nõ magis quàm
Lucian. Tragopod. illæ podagræ, ſiue podagricæ apud Lucianum, quæ ſunt ex herba
Philo π. ὀργ. Actæa; quam dicunt eſſe illam quæ Græcis eſt χαμαιάκτη quaſi humilis ſambucus, & coactæ breuitatis actę; noſtris ebulum graui
Ælian. Var. hiſtor. lib. 12. cap. 12. foliorum odore. Ideoque podagræ myſtis hoc coronamentum à Luciano tribuitur. Huius ferme generis eſt illa corona ἐκτόπιος, ſic enim malo legere apud Philonem quàm ἔκτοπος, quam à legiſlatore dicit vocari νάρκη, torporem. Cæterùm tradit Ælianus, Gortinæ,

quæ eſt vrbs Cretæ, adulterum deprehenſum, ad magiſtratus perductum, & criminis conuictum lana coronari. Quo, ſcilicet, coronamento ſignificabant illum eſſe mollem, effæminatum, libidini mancipatum. Quid? Annon huc reſpexit Propertius cùm virum funeſtum lana redimit? Mihi quidem ſit veriſimile.

Et Strigis inuentæ per buſta iacentia plumæ, Propert. lib. 3.
Cinctaq; funeſto lanea vitta viro.

Talibus corònis addi poteſt illa τῆς ἀθεότητος qua Philo improbos Philo π. τῆς
donari ait. Et hæc quidem mihi ſint dicta de coronis doctrinæ, εἰς τὰ [illegible]
virtutis, morum optimorum, facundiæ, poëſeos.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

CAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

DE CORONIS LIBER SEXTVS, QVI EST DE CORONIS QVATVOR Græciæ certaminum.

CAPVT PRIMVM.

Imperio & obſequio Reſpub. continetur. Virtus præſtita in ijs coronamentis quæ ducunt ad victoriam, coronatur. Quanti ſint ea exercitamenta. Virtus militis Græcis ἀνδρεία, fortitudo. Coronæ athletarum multæ dignitatis. Olympici coronati floribus. Durities priſcorum exercitamentorum.

VSQVE adhuc egi de coronis illorum qui Rempub. iuuant conſilio, prudẽtia, exemplis & profeſſione probitatis. Tum illorum qui homines Reipub. tam vtiles etiam laudibus hortantur, eoſque commendant immortalitati. Dehinc agam de ijs coronamentis quę illorum capita euinciunt qui brachijs, periculiſque ſuis Rempub. tuentur, ſeruant, promouent. Horum etſi plures vtique ſpecies recenſeri poſſunt, tamen duplex potiſſimùm ratio eſt. Quippe alij cenſentur imperio, alij obſequio. Vtroſque ſum cõplexus ea definitionis parte, qua dixi coronam eſſe inſigne virtutis. Nempe nullum ſine virtute imperium, nullum item ſine virtute eſt obſequium. Huic tam nobili, tamque vtili materiæ propriam curam infra dico, cùm ago de victoribus & victoriæ coronis.

coronis. Sed quòd ad tantum decus non rectà itur, aut impetu, ſed ſenſim & gradibus, hoc eſt, per illa exercitamenta quæ ducũt ad virtutem bello ſpectatam; in quibus ipſis tantum quoque ſpecimen generoſitatis eſt, vt ibidem nobiliſſimæ coronæ naſcantur, de his mihi priùs agendum intelligo. Huic enim virtuti dantur quoque propria inſignia; Quia hæc illa eſt vnde progeneratur ea cuius ope recta itur ad victoriam. Neque enim hæc exercitamenta inuenta ſunt propter ſe, ἀλλὰ τοῦ πρὸς ὃν ἀναφέρεται σκοποῦ, ſed eius finis gratia ad quem referuntur. Enimuero cuius athletæ in agone laudati ſunt tori, huius ipſius in vera pugna celebrantur lacerti. Tanta eſt inter vtrumque certamen affinitas. Quid? tanti ſudoris fuerunt hæc exercitamenta, vt ſæpe æquarint, aut etiam ſuperarint bellicos labores. Vnde eleganter dictum eſt à Plutarcho, illis hominibus talium exercitamentorum requiem eſſe bellum. Hæc fuit exiſtimatio Laconum, qui hac ratione ſeſe exercebant ad pugnas, εἰς τὰς μάχας. vel in ipſis ſaltationibus, Si Laconica, inquit Apollonius, eſſet hæc tripudiandi ratio, concederem, atque ipſe ſaltarem. Habet enim illa militare neſcio quid, & corpora ad bellum exercet. E' talibus virtutis exercitamentis Cyro ingentem laudem natam eſſe teſtis eſt Xenophon. Hæc ipſa fuerunt exercitamenta priſcorũ heroum, & bellicoſiſſimi cuiuſque; vt de Achille cecinit Q. Calaber.

Philo de ſacrif. Ab. & Cain. — *Plutarch. Lycu.* — *Philoſtr. in Arrichione.* — *Philoſtr. in vita Apoll. lib. 4.* — *Xenoph. de inſtit. Cyri. lib. 8.*

καὶ ὡς ἐπέπυκτο πλείονας, ὥς ἑ οἱ οὔτις
ἔσσετ' ἀνειδάδοις ἐναντίον, οὔτ' ἐν ἀέθλοις
αἰζηῶν, ὅτε ποσσὶ νέοι περιδηριόωνται,
οὐδὲ μὲν ἱππασίῃ, οὐδὲ σταδίῃ ἐνὶ χάρμῃ. *Q. Calab lib. 4.*

Et quod ingens; vtque cum ipſo nemo cominus contendere valuerit, ſiue in certamine iuuenum, cùm pedibus adoleſcentes curſu certant, ſiue in ludo equeſtri, aut etiam pugna ſtataria. Cæterùm cur talibus exercitamentis dentur præmia, ſapientiæ nullum, diſſerit Ariſtoteles in problematibus. Hoc genus virtutis hodiernum vulgus vocat valorem, id, ſcilicet, ipſum quod hiſtoricis eſt virtus militum. Vt enim dux, ſiue imperator ductu, ſiue ducatu cenſetur, ita militis peculiaris & propria virtus eſt, quam ipſam vocabulo ſtrenuitatis verè demonſtraueris; illam ipſam quæ Græcis eſt ἀνδρεία, ſiue ἀριστεία, & ἀνδραγαθία. Et verò Cynicus apud Lucianum ἰσχὺν vires, vocat ἀρετὴν σώματος, virtutem corporis. Noſtri vnica dictione eam vocant virtutem. Vnius ex innumerabilibus ſum contentus autoritate Cæſaris. *Nec minus*, inquit, *ſe in milite modeſtiam & continẽtiam quàm virtutem, atque animi magnitudinem deſiderare.* Quid, quòd Græci hoc ipſo vocabulo virtutis hoc ipſum ſignant? ἀρετὴ, inquit autor Etymologici, λέγεται ἡ κατὰ πόλεμον

Ariſtot. probl. ſect. 30. — *Plutarch. M. Coriol.* — *Lucian. Cyn.* — *Cæſ. lib. 7. de bello Gall.* — *Etymol. ἀρετὴ.*

δύναμις, παρὰ τὸ ἄρην τὸν πόλεμον, Virtus dicitur illa vis quæ eſt in bello, ab Are, [id eſt] bellum. Hanc ipſam Plato, cui eſt ἀνδρεία, ait quodammodo cadere in belluas, & in ingenia puerilia. Quippe ſine ratione, ſed ſolo naturæ impulſu anima fit fortis. De hac virtute ſic Lactantius loquitur, *Virtutem eſſe dicunt quæ hominem tollat in cælum, non illam de qua philoſophi dixerunt, quæ poſita eſt in bonis animi; ſed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo. Quæ quoniam præcipua in Hercule fuit, immortalitatem meruiſſe creditur.* Hanc ipſam paulò poſt vocat athleticam virtutem. Alibi de hoc virtutis genere loquens ait, *ſicut eſt ipſa virtus, quæ quoties ad corpus refertur, diſcernendi gratia fortitudo nominatur,* ἀθλητικὴ ῥώμη. Cæterùm etſi nuſquam virtus quàm in bello ſpectatior eſt, tamen nihilominus cernitur in ijs certaminibus quæ ſunt effigiata prælia, aut ipſorum ſimulachra, ſiue primitiæ bellorum, vt Pindarus ait, ἀκροθίνια πολέμου. ſiue, vt ait Philo, ὁπλοσκοπίας, armatæ meditationes quas dicit eſſe γυμνάσματα καὶ μελέτας συγκροτουμένων τὰ κατ᾽ ἐχθρῶν ἐν φίλοις, exercitationes & meditationes adornantium inter amicos ea quæ [parantur] in hoſtes. Neque verò admitto dictum Philopœmenis, qui omnem ἄθλησιν eiecit, vt illam quæ vtiliſſima corporum ad certamina neceſſaria conſumendo, ea inutilia reddit. Sed ego ſic cenſeo, Philopœmenem ibi loqui de ea athletica quæ, vt ait Demoſthenes, πρὸς τῷ σώματι καὶ τὴν γνώμην διαφθείρει, prçter corpus etiam ingenium deprauat; quæque degenerauerat ab illa priſca, vt alibi dico. Alioquin ipſemet Philopœmenes ſibi repugnantia loqueretur. Nam alibi Plutarchus tradit quanti magnus hic dux fecerit talia exercitamenta quam dicit eſſe magnam partem virtutis. Xenophon & ſcriptor & dux belli perilluſtris teſtis eſt, non paucos eo confirmatos, quòd Ageſilaum regem, dein milites è gymnaſijs coronatos redire animaduertebant; ipſaſque adeò coronas Dianæ ſuſpẽdere. Certè, inquit Ariſtides, exiſtimo τὰ τῶν στεφανιτῶν, ea quæ pertinent ad coronaria certamina, id eſt, illa tanta maſculæ virtutis exercitamẽta, quàm proximè accedere ad bellum. Quæ fuit ſententia Gaditanorum, qui cùm audirent qualia eſſent certamina Olympica, ſoluti ſunt in riſum πολέμου δίκην ἡγούμενοι ταῦτα, inſtar belli talia exiſtimantes. Denique talium exercitamentorum vtilitates his verbis deſcribit Solon apud Lucianum, *Hunc pugilem eſſe, alium pancratio decertare docemus, vt & labores ſufferre aſſueſcant, & ſimul cedere plagis, ne vulnera auerſentur.* Ergo ex Reſpublicæ in quibus pollebat ſeueritas morum, & militaris diſciplina, vix vnquam ſuam rem militi commiſerunt non talibus exercitijs prætentato. Vnde illi doctores armorum, qui his exercitationibus præerant, *nempe veteranus quiſpiam, cui eſſet decus muralis aut ciuica.*

Plato lib. 12. de leg.
Lactant. de fal. relig. lib. 1.
Lactant. de fal. ſap. cap. 21.
Philo π. εὐχῶν.
Philo π. β. Μωσ.
Plutarch. Philopœm.
Demoſth. orat.
Plutarch. Philopœm.
Xenoph. in laudat. Ages.
Ariſtid. κοινὴ ἀπολογ.
Philoſtr. in vita Apollon. lib. 5.
Lucian. de gymn.
Veget. de re milit. lib. 1. cap 13.
Plin. in Paneg.

Hinc & corpori robur, & animo alacritas, & conſtãtia accedebat. *De exercitio Cn. Pompeij Magni Salluſtius hoc memorat*, inquit Vegetius, *Cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat*. Non ergo mirum, ſi ex coronæ quæ dabantur athletis, eiuſdem ferè dignitatis eſſe cenſebantur qua illæ quę ſunt præmia militaris virtutis & felicitatis. Neq;enim cuiquam ad talia prę mia, niſi per virium, induſtriæ, vſus prærogatiuam parebat aditus. Sollerter Plutarchus adnotauit ſiniſteritatem illorum, qui athletam non lauro, aut oleaſtro coronare ſuſtinerent, ſed lilijs aut roſis, vt ſi nihil ibi fortiter, omnia molliter agantur, & ex voluptate. Etſi apud hunc ipſum Plutarchum Ammonius diſſerens de coronis, meminit quorumdam poëmatum, in quibus Olympici leguntur coronati coronis floreis. Atque adeò tam Olympicis, quàm alijs aliorum certaminum coronamentis conſtat inſertos fuiſſe omnigenos flores, ſcilicet, augendo coronarum decori, illas dico quæ ex olea, oleaſtro, apio, pinu conſtabant. Id colligere licet ex hiſce verſibus Pindari,

Veget de re mil. lib. 1. cap. 9.

Plutarch. πε- τῶ ἀκύ.

Plutarch ſymp. 3.

πύκτας τέ νιν, κ) παγκρατίῳ φθέγξαι ἑ-
λεῖν Ἐπιδαύρῳ διπλόαν
νικῶντ' ἀρεταί. προθύροισι δ' Αἰακοῦ
ἄνθεα ποιάεντα φέρειν στεφανώ-
ματα, σὺν ξανθαῖς χάρισιν.

Pindar. Nem. od. 5.

pugilemque eum & pancratij dicito conſecutum eſſe in Epidauro duplicem virtutem, cùm vinceret; & ad veſtibulum Aeaci flores viridantes ferre coronamenta cum flauis Charitibus. Cæterùm tanta eſt affinitas inter athletam & militem, vt quandoque ipſi milites vocati ſint athletæ, vt in hoc loco Philemonis, ἀθλητὰς δ' εἶναι τοὺς στρατιώτας ὑπολαβόντες, πότερον στεφανώσομεν; τὸν ὀρθὸν, ἢ τὸν κείμενον; τὸν ἑστηκότα, ἢ τὸν ἐρριμμένον; athletas verò eſſe milites cùm exiſtimauerimus, vtrum coronabimus? rectum an iacentem? ſtantem an deiectum? Hinc palam eſt, finem athletæ non eſſe alium, quàm vt coronetur. Percutit quiſpiam eum qui proximus eſt? victor habet coronam, inquit Himerius. Si extra certamen, ſubeſt illi pœna. Porrò eas coronas priùs in apertum proferam, quibus illorum capita redimiebantur, qui curſu, lucta, pugilatu, palæſtra, cæſtu, pancratio, regendis & incitandis quadrigis conſenſu, ſuffragijſque iudicum victores fuiſſent. Hinc, ſcilicet, inſtitutum Pyrrhicæ; hinc mirabilis ac prope incredibilis illa tolerantia æſtus, frigoris, aſperæ viæ, aſcenſus ardui. Hinc cibus agreſtis, & prope ferinus. Hinc illa in gymnaſijs virilis patientia plagarum. Hinc veſtitus & calciatus militaris; hinc indefeſſi curſus; hinc venationes continuæ; hinc illa puerilis ætas virili æmula. Nempe in bene conſti-

Philem. ἐπι- τάφ. λόγ.

Himer. μελ- ἐκλ.

tutis ciuitatibus ne ipſi quidem pueriles luſus bellicarum exercitationum fuerunt expertes. Cuius rei teſtem adduco præclarum locum Demoſthenis, ſi modò amatoria illa oratio eſt Demoſthenis. Loquitur de exercitationibus pulcherrimi cuiuſdam adoleſcentis. Splendidiſſimum, inquit, pulcherrimumque exercitationis genus, tuæque naturæ aptiſſimum elegiſti, quod & armorum conſuetudine, & curſuum tolerantia belli ſimulachrum repræſentet; & magnificentia, & ſpendore apparatus potentiæ Deorum ſimile videatur. Præterea & ſpectatu iucundiſſimum ſit; & è plurimis, varijſque generibus conſtet, & ingentia præmia meritò conſequatur. Præter enim ea quæ tribuuntur, ipſa etiam exercitatio, & tam præclarum ſtudium non paruum præmium homini vel mediocriter virtutis ſtudioſo videatur, *&c.*

Demoſth. orat. amator.

CAPVT II.

Oliympica corona quæ. Victores tantùm coronabantur. ἀγὼν ſumitur pro præmio; & ipſa certamina dicebantur corona. Eos qui victores eſſent Græci vocarunt νίκας, id eſt victorias. Quandoque fortuna veriùs quàm virtus dàt victoriam. Locus M. Tullij emendatus. Spatiari in xyſto & in palæſtra cui licitum fuerit. Coronam petere ab Olympijs apud M. Tullium quid ſit.

VT hoc agam quod inſtitui, harum quas dixi coronarum aliæ fuerunt Olympicæ, aliæ Pythiæ, aliæ Nemeæ, aliæ Iſthmicæ. Olympicæ ita ſunt appellatæ, quòd illos inſignirent qui in ludis Olympicis victores extitiſſent. victores, inquam. Neque enim, inquit Ariſtoteles, pulcherrimi, & fortiſſimi coronantur, ſed decertantes. horum enim quidam vincunt. Ethi, ſcilicet, non alij coronas adipiſcuntur. Figuratè potiùs quàm ex fide Philo ait, quoſdam athletas propter egregiam corporis habitudinem, cedentibus aduerſarijs, coronari ἀμαχεὶ, μηδ' αὐτὸ μόνον κονισαμένους, ἀνεξετάστου ῥώμης ἀναιρουμένους τὰ πρωτεῖα, ſine vlla pugna, ac ne illa quidem tentata iniudicatæ fortitudinis auferentes prima præmia. Nam priſco more is tantùm coronatur qui certando vicerit. Verius eſt, vt ipſe Philo paulò poſt ait, παγκρατιάζοντες οὐ παύονται, πρὶν ἢ ἀπειπεῖν βιάσασθαι τὸν ἀντίπαλον, ἢ παντελῶς διαφθεῖραι, pugnantes, ſiue decertantes haud ceſſare, donec aduerſarium coëgerint renuntiare aut cedere ipſis [victoriam] aut planè proſtrauerint. Denique victoria non erat teſtis imbecillitatis eius qui victus eſſet, ſed fortitudinis illius qui viciſſet. Ergo, τοὺς ἀπολειφθέντας, ſiue, vt ait Plutarchus, τοὺς λειπομένους οὐ στεφανοῖ, relictos pone, hoc eſt, ſuperatos & victos non.

Ariſtot. lib. 1. Ethic. cap. 8.

Philo τὸ χείρ. τῷ κρ. ἐπιτ.

coronant. Verbum, inquit Clemens Alexandrinus, quemadmo- *Clem. Alex.*
dum vox præconis apud Olympiam vocat quidem volentem; co- *ſtrom. lib.* 1.
ronat autem eum qui poteſt, immotum quidem, id eſt qui poteſt
non vinci. Idem Clemens Alexandrinus alibi ait, athletam non *Clem. Alex. lib.*
deſcendere in certamen vt occidat, ſed vt vincat. οὐ γὰρ θανάτου, ἀλ- *2. ſtrom.*
λὰ νίκης χάριν ἠγωνίζετο. Apud Plutarchum hæc ſunt verba Theonis, *Plutarch. ὅτι*
ἀθληταὶ στέφανον οὐκ ἀγωνιζόμενοι λαμβάνουσι, ἀλλὰ ἀγωνισάμενοι καὶ νικήσαντες. *οὐδὲ ζῆν ἔστ.*
non athletæ certantes capiunt coronam, ſed qui decertauerunt & *κατ' Ἐπίκ.*
vicerunt. ὁ κρατήσας (inquit Solon) ἄριστος εἶναι δοκεῖ τῷ καθ' αὐτὸν, καὶ
ἀναιρεῖται τὰ ἆθλα. Qui vicit cẽſetur eſſe optimus, id eſt, validiſſimus, *Lucian. de*
& aufert prǫmia. Ergo & lege & more quiſquis non viciſſet coro- *gym.*
nam ſumere vetabatur. Et hoc, ſcilicet, priſca lege, & in Græcia.
Quippe, ſequutis tẽporibus alicubi hic mos fuit verſus, vt diſcimus
ex hiſce verbis Plinij, *In quibus, hodieq; non victori datur* [corona] *Plin. lib.* 16. *c.* 4.
ſed patriam ab eo coronari pronuntiatur. Redeo ad rem, & aio,
Non omnes palæſtritas conſcendiſſe hunc honoris gradum, vt
corona donarentur, ſed eximios tantùm, eoſdemque victores:
inde eſt quod interdum ἀγὼν certamen ſumitur pro præmio, vt *Plato in Lach.*
in hoc loco Platonis, οὐ γὰρ ἀγῶνος ἀθληταί ἐσμεν, καὶ ἐν οἷς ἡμῖν ὁ ἀγὼν
πρόκειται, μόνοι οὗτοι γυμνάζονται οἱ ἐν τούτοις τοῖς περὶ τὸν πόλεμον ὀργάνοις
γυμναζόμενοι. Nam in his certaminibus quorum apud nos vſus eſt,
quibuſque nobis ἀγὼν præmium proponi ſolet, illi ſoli exercen-
tur qui bellica hæc inſtrumenta norunt exercitatione & vſu tra-
ctare. Enimuero non ſolæ victoriæ, ſed & ipſa certamina dice-
bantur coronæ, quia quiſquis certat hoc vnum agit vt coronetur.
Vſque eò vt qui ſtrenuè pugnat coronari dicatur, etſi non eo *Demoſth. de*
ſolùm quod acriter pugnauit, coronam accipit. Philamnon, *cor.*
inquit Demoſthenes, non quòd Glauco Caryſtio, & quibuſdam
alijs veteribus pugilibus infirmior eſſet, ſine coronis ex Olympia
diſcedebat; ſed quòd omnium qui ſecum congreſſi eſſent, opti-
mè pugnaret, coronabatur, & victor proclamabatur. Atque adeò
Græci eos qui vno die, vna lucta & pancratio coronabantur
more quodam admirabili vocant victorias, inquit Plutarchus.
Quæ etſi vera ſunt, tamen fatendum eſt, interdum tales coronas *Plutarch. in*
fuiſſe munus fortunæ potiùs quàm virtutis. Quippe nemo tan- *comparat. Cim.*
tum vincit quantum cupit. Neque quiſquam ſibi victoriam *& Lucul.*
ſpondere poteſt. Nam & apud ipſam Olympiam multa euenie-
bant præter ſpem, fortaſſe & aliquanto infra meritum. Certè
Polydamas ibi à puſillo quodam victus perhibetur. Sæpe ve-
rum eſt id quod Ariſtides ſubijcit, ἐν ἅρματι νικᾷ τύχη οὐ σθένος, in
curſu, hoc eſt, in Olympicis quadrigis vincit fortuna, non robur. *Ariſtid. κοινὰ ἀπολ.*

Summa hæc eſt, non ſemper eum qui ſit fortiſſimus & præſtantiſſimus, coronati, ſed tantummodo eum quem victoria talem renuntiauerit. *ἐν τοῖς ἀγῶσι οὐδὲν ἧττον τοὺς ἀκονιτὶ ἢ τοὺς διὰ μάχης νικῶντας στεφανοῦσι*, inquit Xenophon, in certaminibus nihilominus ij qui ſine puluere, quàm qui pugnando vincunt, coronantur. Id eſt, id non quæritur quomodo quis vicerit, ſed hoc tantùm an vicerit. Non ideo tamen athletis non magnus habebatur honos, quamuis non eſſent victores. Quippe his vnis in Xyſto ſpatiari licitum fuit. Id quod diſco è M. Tullio, vbi loquitur de mediocri, & eximio oratore. *Hæc*, inquit, *vitauerunt ferè omnes qui aut Attici numerantur, aut dicunt Atticè. Sed quatenus valuerunt, ſani & ſicci duntaxat habeantur. Sed ita vt palæſtricè ſpatiari in Xyſto vt liceat, non ab Olympijs coronam petant.* Quibus in verbis duo ſunt menda Nempe alterum, *vt* ſupereſt; Et vel cæco palam eſt, legẽdum eſſe, ſpatiari in Xyſto liceat. Sed hoc leue præ illo altero, quod latet in dictione, palæſtricè, quod interpretes, ſat ſcio, dicunt eſſe aduerbium *παλαιστρικῶς*. Id quod ego ne pili quidem facio. Quid enim dicas eſſe, palæſtricè ſpatiari? An pompaticè, & more militis glorioſi, ac paratragœdiantis? Nugæ. Equidem audeo reijcere hanc dictionem vt notham, & in eius locum ſubſtituere, palæſtritæ, vt ſi non alijs licitum fuerit ſpatiari in Xyſto ſiue in palæſtra, quàm vnis palæſtritis, id eſt, ijs qui ſeſe his certaminibus offerrent, qui coronam ſperabant, qui ad præmia tam inclyta ibant intrepidi. Nam & ipſi conatus, hoc, inquam, ipſum quod magno animo tentabant, tanti fuit, vt athletis licet non victoribus magnam nihilominus dignitatem conciliaret. Id quod Græci vocabant *φιλοστεφανεῖν*, ſpe coronæ deſcendere in certamen. Et hoc totum Pindarus vocat *ἔργα*, quibus viros tam fortes coronari ait.

τρία μὲ
ἔργα ποδάρκης ἀμέρα
θῆκε κάλλισ' ἀμφὶ κόμαις.

tria opera celeripes dies poſuit pulcherrima circum comas. Quibus in verbis manifeſtum eſt, *ἔργα* ſumi pro certaminibus, hoc eſt, pro ipſis conatibus, è quibus, ſi felices eſſent, ſurgebant illæ inclytæ coronæ. Ergo qui in his operibus occupati eſſent, his tantùm licebat conſpici in loco tam celebri; eâdem prope ratione qua Symmachus credo, alicubi dixit, intrare Senatum Romanum, eſſe præconium. Certè Athenis lege cautum fuit, ne quis qui corpore infamis eſſet intra fori ſepta conſiſteret. Cæterùm quod non alij quàm victores Olympiæ coronarentur, Pindarus eam vocat *ματέρ χρυσοστεφάνων ἀέθλων, δέσποιν' ἀλαθείας*, matrem aurearum coronarum, dominam veritatis, id eſt exploratricem veræ virtutis. Et

Xenoph. in orat. de Ageſil. rege.

Cic. de opt. gen. orat.

Pollux lib. 3. cap. 30.

Pindar. Oly. od. 13.

Æſchil. in Timarch.

Pindar. Oly. od. 8.

hoc illud eſt quod M. Tullius dicit, *coronã petere ab Olympiis*, i. non ſolùm eſſe diſertũ, ſed in ſummo, omniũq; præclariſſimo eloquẽtiæ genere verſari. Vt enim duæ ſunt victoriæ, vna Cadmæa, id eſt, cruenta; Altera Olympiaca, ſine ſanguine parta, ita quoque diſertorum duo ſunt genera, vnum illorum qui ſani quidem ſunt, ſed ſicci & ieiuni; Alterum illorum qui omnes eloquentiæ laudes adepti ſunt. Porrò cùm dico, non alium quàm victorem donari corona, eum quoque dico, qui quicquid in certamine laboris & periculi fuit, eo præclariſſimè defunctus eſt. propriè enim in gymnicis ἆθλοι οἱ πόνοι, καὶ τὸ ἀθλεῖν, κάμνειν, πονεῖν, certamina [ſunt] labores. Et certare, laborare. Qua de re extat locus Demoſthenis, Talem, inquit, coronam adeptus, in qua cùm ipſa victoria præclara ſit, tamen euaſiſſe incolumem, præclarius videbatur & admirabilius. Hoc item illud eſt quod Plutarchus de Alcibiade tradit. Nam etſi verum erat, τὸ ἀριστεῖον ſummum virtutis præmium in pugna fuiſſe Socratis, non Alcibiadis, tamen quia ibi quoque enituerat virtus Alcibiadis, Socrates id agens vt augeret eius ambitionem ad præclariſſima quæque, primus illi teſtimonium reddidit, ſuaſitque vt is & coronaretur, & acciperet πανοπλίαν, integram armaturam, quæ connumerabatur inter magna præmia.

Ariſtid. μαρτυ. ἀθλω.

Pollux lib. 3. cap. 30.

Demoſth. in amat.

Plutarch. Alcib.

CAPVT III.

Hercules autor ludorum Olympicorum. Hercules primus decertauit in his ludis, ſiue certaminibus. De horum certaminum inſtitutione plures aliæ ſententiæ. Vnde his certaminibus nomen Quinquennalia.

Olympicos ſiue ludos, ſiue certamina Hercules, exantlatis illis toties dictis, toties pictis ac decantatis laboribus, Ioui patri Olympiade prima coronatus inſtituit. Quæ eſt communis exiſtimatio, quam ſecutus eſt Plutarchus, vbi ait Theſeum inſtituiſſe Iſthmicum certamen æmulatione Herculis, qui fuit autor Olympici. Inde fluxit apud Græcos omnis ratio temporis enumerandi, ſicuti apud noſtros ab vrbe condita. Id quod verum eſt in vniuerſa Græcia. Nam ſingulæ ciuitates à ſummis magiſtratibus ſumebant numerationem temporum; Vt Athenis ὁ ἄρχων, id eſt τῶν ἐννέα ἀρχόντων ἄριστος precipuus inter nouem ἄρχοντας is erat ἀφ' οὗ οἱ χρόνοι καταριθμοῦνται. à quo tempora denumerantur. Diſertim quoque Pindarus hoc quinquennale feſtum ab Hercule inſtitutum ait,

πενταετηρίδ' ἑορτὰν
Ἡρακλέος τέθμιον.

Plutarch. Theſ.

Philo m. Ἀθη.

Pindar. Nem. od. 11.

κωμάσας, ἀϊδνοσάμβυός τ' κόμαν πορφυρέοις ἔρνεσι.

quinquennale hymno choreali proſequutus feſtum, ritum ab
Hercule inſtitutum, & redimitus comam purpureis ramis. Quibus
in verbis, ſi Phrynico credimus, eſt mēdum. Nam pro *πενταετηρίδα*
Phryn. πεντα- legendum ait *πενταμηρίδα.* Niſi fortè Phrynicus Pindaro æquè eſt
επειχὸς ἀγὼν. infenſus ac Menandro, alijſque, quos tamen ipſe vocat *τὰ ἄκρα τῶ*
ἑλλήνων, ſummos Græcorum, quamlibet *πταίοντα* errantes. Alij
tradunt, quidem Herculem ſtatuiſſe certamen Olympicum. In
qua ſententia eſt Pindari ſcholiaſtes; ſed, videlicet, poſtquam Au-
giæ ſtabulum purgauit. Verùm quòd ea quæ ſibi promiſſa fuerāt,
non eſſet conſecutus, collecto exercitu ipſum Augiam interfeciſ-
ſe, in ditionem coacta Elide. Poſtremò, ſpolijs in vnum locum
Ariſti. ἐλευσιν. congeſtis, inſtituiſſe certamen cōmilitonibus ſuis. Ariſtides tradit,
primos ex peregrinis Herculem & Dioſcuros initiatos fuiſſe ſacris
Cereris, & fuiſſe certamen gymnicum primum apud Eleuſinem
Atticę. Ibique præmium fuiſſe eum fructum qui primus apparuit,
nempe oliuam. Sunt qui ita dicunt, certamen Olympicum ab
Solin. cap. 2. Hercule quidem fuiſſe ſtatutum, ſed non in Iouis, verùm in Pelo-
Clem. Alex. lopis aui materni honorem ab eo editum. Hoc ipſum ita ſenſit
ſtrom. lib. 1. Clemens Alexandrinus, & vnà cum ipſo Statius omnis antiquita-
tis peritiſſimus,

Stat. li 6. Theb. *— primus Piſæa per arua*
Hunc pius Alcides Pelopi certauit honorem;
Puluereumq́; fera crinem detorſit oliua.

Clemen. Alex. Et verò eodem Clemente Alexandrino autore, Olympiæ fuerunt
exhor. ad Græc. inferiæ Pelopis. Ideoque hos ludos vocarunt *ἐπιτυμβίους πανηγύρεις*,
ſepulchrales conuentus, id eſt *ἀγῶνας ἐπὶ νεκροῖς διαθλουμένους*, certami-
na quæ celebrabantur propter mortuos. Aiunt præterea hoc cer-
tamen intermiſſum fuiſſe inſtauratum ab Iphiclo filio Herculis,
anno ab excidio Troiæ quadringenteſimo octauo. Ergo primam
Olympiadem ab Iphiclo numerari. Alij hos ludos ab Iphito &
Eurylocho inſtitutos firmant, poſtquam Cirrhæos prędones Pho-
cidis oram maritimam infeſtantes oppreſſerunt. Et ab Iphito
Etymol. Ἠλις. quidem Olympia, ab Eurylocho Pythia. Alij aiunt, priuſquam
Iupiter poſſideret Olympiam, eam occupaſſe Elium & Cronum,
ſiue Saturnum. Huius occupationis argumentum eſſe aram inibi
ſtatutam vtrique communem; ſuper id, quod inibi quoque eſt tu-
mulus nomine Cronius, ſiue Saturnius. Ab Elio autem dici Elidem
eiuſdem cum Deo nominis. Eapropter Augeam Elij filium reg-
naſſe in parte eius regionis. Et hoc eſſe, videlicet, illud Homeri,

Ἐν Ἤλιδι δὴ τετέσι θαυμαστῆ, ἱερᾷ· ἐν αὐτῇ γὰρ ἐτιμᾶτο ὁ ὀλύμπιος Ζεὺς· ὅ, τε καὶ πανήγυρις περὶ τριετῆ χρόνον ἤγετο τὰ ὀλύμπια. ἔνθα ἠγωνίζοντο οἱ ἀπὸ τῆς ἑλλάδος πάντες.

πίτις. in Elide dia, hoc eſt admirabili, ſacra. in ea enim colebatur Olympius Iupiter, cuius & conuentus circa triennale tempus celebrabantur Olympici ludi. ibi certabant qui ab omni Græcia [conuenerant] omnes. Alij ſcribunt, Iouem loco delectatum, cum ſibi, vt rem hæreditariam ſepoſuiſſe; atque adeò locum cœlo cognominem feciſſe. Ea re & ipſum dici Olympium. Ac proinde non audiendos qui aiunt loco nomen inditum ab Olympia Arcadica, quam Piſæus vxorem duxit. Alij hos ludos ad Herculem quidem autorem referunt, ſed à Phidone inſtauratos. Pauſanias diuerſus ab Diodoro Siculo & Pindaro, de hac ipſa re diſcrepantes ſententias memorat, in quibus eminent hæ; Herculem eſſe autorem horum ludorum, ſed Idæum, *ἕνα τῶν ἰδαίων δακτύλων*, inquit Strabo. Vnde hæc gymnica certamina quidam prudentiùs, inquit Pollux, Herculanea vocauerunt. Ergo Herculem aiunt his ludis indidiſſe nomen Quinquennalibus, à numero, ſcilicet, fratrum; Quibus propoſito certamine curſus, victorem oleaſtri corona donauit, quòd id genus arboris ibi frequenter prouenitet, Alij originem horum ludorum referunt quoque ad Herculem, ſed eum quem Iupiter ex Alcmena ſuſcepit, qui ibi primus certauerit, indeque primus palmam reportauerit. Et hic fortaſſe eſt ille Hercules, cui, cùm hiſce certaminibus præſideret, ſubſtrata ſunt lauri folia. Sic enim videtur accipiendus locus Luciani in Hermotimo, Is locus ſic habet; *τὸ μὲ παλαιὸν, ἐπὶ Ἡρακλέος ἀγωνοθετοῦντος φύλλα δάφνης*, Apud priſcos quidem præſidente in certaminibus Hercule, laurea folia. Qui tamen locus, dempta apoſiopeſi, poteſt videri mutilus. At ſi eſt ibi apoſiopeſis, eſt ſubintelligendum *ὑφηρημένα*, ſubducta aut quidpiam ſimile. Niſi fortè quis dicat, ſortes quæ iaciebantur ſuper eo qui luctaturus eſſet, aut pancratio decertaturus, non fuiſſe coniectas ſine folijs lauri; priſca, videlicet, ſuperſtitione, de qua alibi dico. Alij hanc tantam horum ludorum celebritatem tribuunt Oenomao & Pelopi. Et verò inter primos athletas Oenomaus connumeratur à Luciano. Habet, inquit, plures occaſiones & Elis tripudiare conantibus, Oenomaum, Myrtilum, Saturnum, Iouem primos Olympiorum athletas. Alij eam tribuunt ipſi Ioui ob deuictos ibi Titanas. Sed vt hæc omnia, vt ſunt diſcrepantia, ita quoque commentitia veriùs, quàm ex fide tradita credam, impulit me grauis autor Strabo, qui omne hoc inſtitutum denique refert ad Elæos. Eius de Elide loquentis & Elæis hæc ſunt verba. Et Olympia in illorum ditione fuit, Et agonem ipſum Olympicum ab illis excogitatum, atque inuentum fuiſſe conſtat. Et Olympiadas primas illi celebrarunt. Et paulò poſt, At propius vero eſt, quòd ab Olympiade prima, in

Etymol. ὀλύμπια.

Strabo lib. 8.

Strabo lib. 8.

Pollux lib. 3. cap. 30.

Strabo lib. 8.

Lucian. Hermot. ſiue de ſect.

Lucian. de ſaltat.

Strabo lib. 8.

qua Corebus Elæus ſtadij victor fuit, his ludis ac templo præſederunt Elæi, vſque ad ſextam & viceſimam. Nimirum, ſciens omitto alia quæ de hac ipſa re traduntur. Neque verò, vt eſt in prouerbio, in rebus priſcis veritas ad quadrantem eſt exigenda. Dandum aliquid populorum ſtudijs, vnde tot, tamque diſſidentes fabulæ, ſingulis ſibi tantæ rei laudem vindicantibus. Vt vt eſt, de loco conſtat. De autore inter Iouem & Herculem præcipuè ambigitur.

CAPVT IV.

Olympica certamina inſtituta in honorem Iouis. Locus horum certaminum. De Alpheo flumine. De Piſa. ἀγωνιστήειον. Olympionices, Στεφανίτης. Rami Alphei. Rami id eſt corolla & corona, κότινος.

Steph. ὀλύμπια.

Tertull. lib. de Spectac.

SVMMA hæc eſt, Olympica certamina, à quocunque tandem autore manarint, fuiſſe inſtituta in honorem Iouis, à quo, inquit Stephanus, τὰ ὀλύμπια ὁ ἀγὼν, Pythia in Apollinis, Nemæa & ipſa in Iouis, Iſthmia in Neptuni. Etſi paulò aliter de hac ipſa re Tertullianus, cuius hæc ſunt verba, *Proinde Olympia Ioui, quæ ſunt Romæ Capitolina. Item Herculi Nemea, Neptuno Iſthmia.* Non item eſſe vetus inuentum, neque hos ludos fuiſſe tempore belli Troiani, neque item alios, aut certè non ita celebres, tradit Strabo eo loco quem proximè citaui. Cæterùm his ſiue ludis, ſiue certaminibus, hoc eſt, rei ingenti, & apud omnem poſteritatem celeberrimæ delectus fuit locus percommodus, nẽpe campi circa flumen Alpheum ſiti, hoc eſt, in Olympia, qui locus proximus Elidi. Et verò ipſum Alpheum multa gloria fluere, vel hinc ſciri poteſt, quod is omnes alios excipit, in his Cladaum ob longiſſimum curſum. Quippe incipit ab Aſia vico Arcadico. Ex Alpheo veriſimile eſt deriuatam, ac deductam fuiſſe illam aquam in Olympiam, id eſt illum ipſum locum, vbi ludi edebantur, ad ſpectatores recreandos, qui priùs propè enecabantur ſiti; de qua ſiti etiam aliquid eſt apud Philoſtratum. De hoc flumine extat dialogus Luciani, vbi interloquuntur ipſe Alpheus & Mercurius. Fuitq; apud hunc amnem antiqua vrbs Θρύος, ſiue Θρύον, cuius mentio apud Q. Calabrum,

Xenoph hiſt. Græc. lib. 7.

Tzetz. in Theogon. Heſ.

Lucian de mor. peregr.

Philoſtr. Heroic.

Q. Calab. lib. 2.

Οἳ Θρύον ἀμφενέμοντο παρ' Ἀλφειοῖο ῥεέθροις.

Qui circa Thryum habitabant apud Alphei fluenta. Vniuerſum hunc locum Pindarus deſignat in his verſibus,

Pindar. Oly. od. 7,

—παρ' Ἀλ-

φειῷ στεφανωσάμενον
αἰνέσω.

Apud Alpheum coronatum laudabo. Et Theocritus, *Theocr. eid. 4.*

— Ἄγεν νιν ἐπ' Ἀλφεὸν ᾤχετο Μίλων·
Καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὀπώπει;

Milo ipſum ad Alphæum ſecum abduxit. Et quando ille oleum vnquam oculis ſuis vidit? Nempe omnia ibi præclara, & celeberrimæ famæ.

— Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc *Virgil 3. Æneid.*
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis.

Quos verſus veriſimile eſt Virgilium ſumpſiſſe ex hoc epigrammate Moſchi,

Ἀλφειὸς μετὰ Πῖσαν ἐπὴν κατὰ πόντον ὁδεύῃ
Ἔρχεται εἰς Ἀρέθουσαν ἄγων κοτινηφόρον ὕδωρ, *Stob. ψογ.*
ἕδνα φέρων καλὰ φύλλα καὶ ἄνθεα, καὶ κόνιν ἱεράν· *ἀφροδ. καὶ ἔρωτ.*
καὶ βαθὺς ἐμβαίνει τοῖς κύμασι τὴν δὲ θάλασσαν *ξϛ.*
νέρθεν ὑποτροχάει· κοὐ μίγνυται ὕδασιν ὕδωρ.
ἁ δ' οὐκ οἶδε θάλασσα διερχομένου ποταμοῖο.
κῶρος δεινοθέτας, κακομάχανος αἰνὰ διδάσκων, * φίλτρων
καὶ ποταμὸν διὰ * φίλτρον Ἔρως ἐδίδαξε * κολυμβᾶν. * κολυμβητὴν

Alpheus poſt Piſam vbi pergit ad mare Venit ad Arethuſam ducens oleaſtriferam aquam. Sponſalia munera ferens pulchra folia & flores, & puluerem ſacrum. Et profundus intrat fluctus, Mare autem infra ſubteruoluitur; nec miſcetur aquis aqua. At ipſum mare neſciuit tranſiſſe fluuium. Sed puer ille grauium [rerum] auctor, & mali machinator grauia docet, & fluuium vi amoris Amor docuit vrinatorem [eſſe.] Alibi Virgilius Alpheum dixit, hoc eſt, illa inclyta certamina, quæ erant circa, aut apud Alpheum, ludos Olympicos, ὀλύμπια τὰ μεγάλα, Olympia magna. *Lucian. Her. ſeu Aet.*

Illi [Cæſari] *victor ego, & Tyrio conſpectus in oſtro* *Virgil. lib. 3. Georg.*
Centum quadriiuges agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi Alpheum linquens, lucoſq; Molorchi
Curſibus, & crudo decernet Gracia caſtu.

Porrò hi circa Alpheum campi, omnis, inquam, is locus vna dictione vocabatur Piſa. Id quod diſertim Stephanus tradit, ἔστι καὶ [Πίσα] χωρίον ἐν ᾧ ὁ τοῦ Διὸς ναὸς ἵδρυται, καὶ ὁ ὀλυμπιακὸς ἀγὼν τελεῖται. Piſa eſt locus in quo Iouis templum ædificatum eſt, Et Olympicum certamen peragitur. Plutarchus Iouem Olympicum diſertim dicit eſſe in Piſa. καὶ τὸν ἐν Πίσῃ θεασάμενος Δία, & Iouem, qui Piſæ eſt, contemplatus. Sic dicta Piſa à Piſæo quodam, qui fuit auriga Phryx, cuius ibi fuit ſepulchrum. Virgilio eſt Alphea Piſa, *Steph. Πίσα.* *Plutarch. Pericle.* *Clem. Alex. exhort. ad Græc.*

Virgil. 10. Æne. *Hos parere iubent Alphea ab origine Piſæ.*

Clem. Alex. Stromat. lib. 7. Ipſe adeò Iupiter non tantùm Olympicus, ſed & Piſæus dictus. Itaque in terra Piſæa erat Olympia; & in Olympia hoc tam celebre certamen edebatur. Statius,

Stat. lib. 1. Thebaid.

— Piſæiſq; ſocer metuendus habenis.

Xenoph. lib. 7. hiſtor. Græcar. Aul. Gell. lib 1. cap. 1. Piſis enim conſtat fuiſſe ſtadium, ſiue curriculum ſtadij. Hinc dicta Piſæa præmia apud Actium, referente Priſciano. Ipſi Piſatæ ſe antiquitus his certaminibus præfuiſſe firmabant. Vnde ſuper hac re ipſis acre certamen cum Eleis. Qua de re videndus eſt locus Xenophontis in Græcis hiſtorijs. Et hæc quidem illius vniuerſi circuitus generalis appellatio fuit. Vniuerſus hic locus ſic deſcribitur ab Philoſtrato. Porticus ibi & fontes, & gymnaſia humana arte fabricata ſunt vt mœnia, & naues. Alpheus autem iſte & hippodromus, & ſtadium, & luci certè ante homines fuerunt. Alpheus quidem cùm ſufficeret potui, & lauacro. At latitudo cāpi ad equorum certamina eſt idonea. Et ager puluerulentus curſoribus, & athletis ſpatia ſuppeditat. Ipſi luci præbent vnde victores coronentur. Hæc cogitanti Herculi, eius loci amore capto, locus dignus viſus eſt ludis, qui hodieque inibi celebrantur. At locum peculiarem, illum in quo athletæ certabant, propriè vocarunt ἀγωνιστήριον, quomodo ipſum qui certantibus præmia proponeret, ἀγωνοθέτην, qualis renuntiatus eſt Titus Flaminius apud Argos in celebritate Nemæa. Ipſum certamen, è quo qui victor rediſſet, coronabatur, Athenienſes nominabant στεφανίτην, cumque qui viciſſet, ὀλυμπιονίκην ἀπὸ τῆς νίκης, Ὀλυμπιονίκην, inquam. Nam ἀγὼν qui certabatur in Elide, etſi is locus Olympiæ proximus erat, non fuit στεφανίτης. Ibi curſus, inquit Strabo, ſuper tripodis præmio, non ſuper corona futurus erat. Quanquam & ipſorum Olympicorum certaminum curam Eleis mandatam fuiſſe legimus. Qua de re extat inſignis locus Xenophōtis, qui poſt memoratas Eleis ab Agide demptas vrbes, ait, illis permiſſum fuiſſe vt Iouis Olympij fano præeſſent. Olympicum certamen Philo, ait illos ſpectare qui habitāt in Elide, τοὺς τὴν Ἦλιν οἰκοῦντας. Cęterùm coronam Olympicam Pindarus vocat ramos Alphei,

Strabo lib. 8. Philoſtrat. vita Apoll. lib. 8. Etymol. ἀγωνιστήριον. Plutarch. Tito Flam. Etymol. στεφανίτης. Strabo lib 8. Xenoph. hiſtor. Græc. lib. 3. Philo περὶ πρ.

Pindar. Iſth. od. 1.

ὀλυμπιάδων τ' ἐξαιρέτοις,
Ἀλφεοῦ ἔρνεσι φράξαι
χεῖρα.

Ariſtoph. ὄρνιθ. Olympiadum eximijs Alphei ramis munire manum. Et Ariſtophanes dixit, currentem nuntium ſpirare Alpheum, id eſt, ita currere quomodo currit Olympicus ſtadij curſor, aut præterlabens fluuius Alpheus. Etſi cùm agitur de his certaminibus, rami ſim-

pliciter prolata dictio ſignat corollas, coronas, & ſerta. Vt apud *Stat.li.4.Theb.*
Statium, —*Elimum temeraria Gorge*

Euinctum ramis, &c.

& alibi eodem libro,

Palladios oleæ, Mopſi geſtamina, ramos,
Extulit.

Quandoque dicuntur rami Olympiaci,

—*prior omnibus Idas* *Stat.li 6.Theb.*
Nuper Olympiacis vmbratus tempora ramis
Proſilit.

Porrò hæc Olympica corona vnica dictione frequentiùs dicebatur κότινος, vt infra vberiùs mihi dicendum intelligo. Et his quidem appellationibus olea Olympica, ſiue corona demonſtrata fuit. Nam in alijs certaminibus aliæ coronæ victoribus datæ nunc è lauro, nunc ex apio arido, nunc è viridi. Sed de his omnibus ago ſuis locis.

CAPVT V.

Quatuor Græciæ certaminum celebritas & maieſtas. ἀγῶνες, ἆθλα, ἔπαθλα, ἀθληταὶ. *Gymnica certamina quot & quæ. Scenica vel Muſica quæ. Certamina oratorum. Gymnicorum finis. Athletæ ſimpliciter prolata dictio quid ſignet.* παλαιστὴ. παλαίστρα. *Sacra certamina quæ. Horum certaminum præmia. Serui non admittebantur ad ſacra certamina.*

HARVM coronarum decus & excellentia nullo pacto ſciri poteſt, ſi non horum ludorum celebritas & maieſtas tota, quoad eius fieri poteſt, repræſentatur. Certè, vno excepto Romano triumpho, nihil maius & auguſtius in omni miramur antiquitate. Sed priuſquam hoc ago, moneo me his vocibus ludorum & *Plin.epiſt.lib.4. ep.* & certaminũ vti promiſcuè, imitatione antiquitatis. Nam Græci, & Græcorum exemplo noſtri hoc totum vocabant ἀγῶνας certamina, & ludos, nempe gymnicos, in quibus hæc agebantur quæ Plutarchus memorat his verbis, τὰ πλεῖστα τῶν ἀγωνισμάτων ἐμβολαὶ, παρεμβολαὶ, συστάσεις, παραθέσεις, συνάγειν αὐτοὺς, καὶ ἀναμιγνύουσιν ἀλλήλοις, Plurimùm certamina conſiſtunt in incurſionibus, interiectionibus, congreſſibus, contentionibus, colligunt ſe, & miſcentur alij alijs. Hos quoque ſiue congreſſus, ſiue pugnas vocabant ἆθλα, καὶ ἔπαθλα, deriuato nomine ab Æthio patre Endymionis, qui primus poſt diluuium dicitur ſuſcepiſſe curã inſtituẽdi certaminis Olympici. Hinc ἀθληταὶ, ij qui ludũt hos ludos. Porrò certaminum quæ-

dam fuerunt Gymnica, quædam Scenica, ſiue Muſica. Gymnicorum octo ſpecies memorãtur, στάδιον, δίαυλος, δόλιχος, ὁπλίτης, πυγμὴ, παγκράτιον, πάλη καὶ ἅλμα. Quæ omnia ſatis apparet non potuiſſe prçſtari, niſi ab illo qui & viribus, & pernicitate, & agilitate polleret. Scenica, vel Muſica ſunt illa quæ Attici vocabant non ludos aut agonas, muſicos, ſed τῆς μουσικῆς, nempe Dionyſiaca. Etſi hos quoque Plato vocat χορούς τε καὶ ἀγῶνας μουσικοὺς, & Xenophon ἀγῶνας χορηγικούς. Gymnica certamina peragebantur certando & laboribus. Muſicorum proprium erat ſeruire Deo, id eſt, ſcenicis, ſiue muſicis non alius finis fuit propoſitus quàm cultus Dei. Gymnicorum finis eſt, vt athletæ cõmittantur εἰς ἔριν περὶ ἀρετῆς in æmulationem virtutis. Hac enim itur ad illam ἀνδραγαθίαν ſtrenuitatem, quam ſibi Lycurgus propoſuit è talibus. Et Gymnici, id eſt, qui certabant in ludis gymnicis propriè dicebantur athletæ, nulla re addita. Vnde φιλαθλητὴν περὶ γυμνικῶν ἀγώνων vocabant eum qui hanc fortitudinis & victoriæ laudem affectaret. Dicebantur quoque παλαιστὰς palæſtritæ, διὰ τὸ πλησιάζειν μάλιστα, καὶ γίνεσθαι πέλας, quòd quàm proximè alij ad alios accederent. Locum vbi exercebantur, vocabant παλαίστραν. Qui certabant in ſcenicis vel muſicis dicebantur athletæ muſici, ſiue Dionyſiaci artifices. Vtriuſque generis certamina inſtituebantur in honorem alicuius numinis, aut eorum hominum, qui quòd virtute & fortibus factis numinibus proximi fuerant, ſummis honoribus colebantur. Huiuſmodi fuit Androgeos, cujus in honorem Minos Gymnicum certamen inſtituiſſe dicitur, filioſque præmia dediſſe victoribus. Tales propemodum fuerunt Cenſores illi, & illi ſummi magiſtratus apud Platonem. Hîc prætereo dicere de certaminibus oratorum, qui & ipſi ἀγῶνες dicti, ἐπειδὴ πρὸς ἀλλήλους ἀγωνίζονται περὶ τῆς νίκης ἀμφότεροι. quando inter ſe vtrique de victoria certant. Rurſus è certaminibus quædam dicebantur ſacra, alia minimè. Id quod quàm immeritò fieret, pluribus docet Philo, potiſſimùm in his verbis, ὁ τοίνυν ὀλυμπιακὸς ἀγὼν μόνος ἂν λέγοιτο ἐνδίκως ἱερὸς, οὐχ ὃν τιθέασιν οἱ τὴν Ἦλιν οἰκοῦντες, ἀλλ' ὁ περὶ κτήσεως τῶν θείων καὶ ὀλυμπίων ὡς ἀληθῶς ἀρετῶν, &c. Ergo Olympiacum certamen vnum meritò dicatur ſacrum non quod ponunt Elidem habitantes, ſed is qui [decertat] de poſſeſſione earum virtutum quæ verè diuinæ ſunt & Olympiæ. Vt vt eſt, Sacra vocabant non illa ſolùm quæ in alicuius numinis honorem celebrantur, quæ & ipſa fuiſſe antiquiſſima hinc liquet, quòd Cyrus quoties rem diuinam faciebat, talia certamina inſtituebat, Deorumq́ue præmia proponebat, ſed illa, quod aduertendum, quorum præmia ſunt in corona ſola, autore Polluce, ὧν τὰ ἆθλα ἐν στεφάνῳ μόνῳ. ſacros agonas vocabant στεφανίτας καὶ φυλλίνας, coronarios & foliaceos, At

Scholiaſt. Ariſtoph. ἱππ.
Pollux lib. 3. cap. 30.
Plato lib. 8 de leg.
Xenoph. Hier. ſiue tyr.
Xenoph. Lacedæm. Reſpub.
Plutarch probl. lib. 2.
Plutarch. ibid.
Plutarch probl. lib. 2.
Plutarch. in Theſ.
Plato lib. 12. de leg.
Sopater in prolegom. τῶν περὶ ῥητορ. λόγ.
Philo π. γεωρ.
Xenoph. de inſtit. Cy. lib. 6.
Pollux lib. 3. cap. 30.
Ariſtid. εἰς ῥώμην.

Certamen non ſacrum appellabant ἀργυρίτην ſiue δωρίτην ἀγῶνα. De quo prçclaro diſcrimine extat inſignis locus apud Plutarchum, quo docemur, præmia ſacrorum certaminum præter coronam fuiſſe inſcriptionem, tabulam, decretum, ramum oleæ, hoc eſt, ijs athletis, qui in ſacris certaminibus victores eſſent, proponi præmia honoris, gloriæ, laudis, & famæ perennis. At alijs certaminibus quæ non tanti eſſent, dona ex argento, ære, ebore, talibuſque quę veriùs ſunt compendij quàm illius celebritatis quæ generoſiſſimi cuiuſque pectus acuit, Vt verè Ariſtoteles dixerit, præmium certaminum gymnicorum eſſe optatius & prçſtantius ipſa concertatione. *Ariſtot. probl. ſect. 30.* Non mirum. Cùm enim hæc certamina omnium eſſent operoſiſſima eorũ victorem non obuio quoque, ſed ſummo præmio donari æquum fuit. Neque enim, vt è Sophocle relatũ eſt à Stobæo, è paruo certamine ſurgit magna laus, μικροῦ δ' ἀγῶνος οὐ μέγ' ἔρχεται κλέος. *Stob. π. τῶν ἐν τῇ πόλει δυνατ.* Verba Plutarchi hæc, fere ſunt loquentis de eo quem populus ſpõte cumulat honoribus, Equidem non facile eſt aliquã populi gratiam & beneuolẽtiam aſpernari; ad hoc labentis, quemadmodum neque ijs, qui argyritæ & doritæ certamen reipublicæ, certant, licet illud repudiare; ſed ſacrum vt verè dicam, & coronarium certãtibus inſcriptio aliqua ſatis eſt & tabella, & decretum, & ramus oleę, vt Epimenides accepit, poſtquam vrbẽ arce liberauit. *Plutarch. πολιτ. παραγγ.* Exſtat & locus Ariſtidis quo docemur στεφανίταις ἀγῶσι tantùm fuiſſe propoſita præmia honoris, cuiuſmodi eſt corona, non vllam ex aduerſario vtilitatem, aut eius necem. Aduerſus barbaros, inquit, vſque ad extrema veniendum. Sed Græcorum certamina oportet eſſe ſimilia coronarijs ludis, in quibus viciſſe ſatis eſt; Nempe, ibi omne in victoria decus ac præmium. *Ariſtid. ὑπὲρ τ. τεσσ. λακεδαιμ. εἰρήν.* Idem alibi ait, non laudari eos qui præter patria inſtituta pugnant in coronarijs certaminibus; ac ſi dicat, nullam hinc oportere peti necem aduerſarij, ſed tantùm ex eo victo honorem. *Ariſtid. ὑπὲρ τ. πρὸς Ἀθην. εἰρήν.* Siquidem in Olympicis certaminibus nemo occiditur. Ibidem tamen athletas victores non abſtinuiſſe iniuria, teſtis eſt Philo, qui ait eos auferre τὰ βραβεῖα καὶ στεφάνους τῆς ἀνηλεοῦς ὠμότητος immitis crudelitatis. *Philoſtr. vita Apollon.* *Philo π. γεωργ.* Ergo ἀγῶνες στεφανῖται erant exercitamenta generoſiſſimi & præclariſſimi cuiuſque, cui hoc tantùm eſſet propoſitum, & animum acuere ad maxima, itemque vitia corporis, ſi quibus laboraret, emendare. Quippe ſecunda valetudine eſſe ſolebant athletæ. *Ariſtot. probl. ſect. 1.* Certè aut nullo morbo premebantur, aut preſſi celeriter è vita migrabant. Adnotatum eſt à Plutarcho, Laomedontem Orchomenium vitio ſplenis laborantem, ſeſe medicorum iuſſu longis curſibus ita exercuiſſe, vt denique euaſerit præclariſſimus athleta ſtadij. *Plutarch. Demoſth.* In gymnicis quidem certaminibus pernicitas, hoc eſt, ποδῶν ὠκύτης pedum celeritas erat *Philo π. γεωργ.*

in magna admiratione. Hinc eſt, quòd Agathion alloquens Herodem ſuper gymnicis certaminibus, deridet eos qui ob id coronantur quòd pancratio, pugilatu, curſu & lucta vicerunt. Coronetur, inquit, ille curſor athleta qui ceruum prætergrediatur, aut equum. Qui autem grauioribus deditus eſt, tauro implicetur, aut vrſo. id quòd ego quotidie facio. Certè me fortuna magno præmio priuauit, quòd Acarnania, non ampliùs nutrit leones. Hæc ergo fuit præſtantia eorum ludorum qui στεφανῖται coronarij dicebantur; vt pręmium illis eſſet ſummus honos, ac pręter hunc nihil. Hinc factum, vt στεφανίτης ſimpliciter prolata dictio ſignificarit στεφανίτην ἀγῶνα coronarium certamen, vt in hoc loco Himerij, ἧκεν ἐπὶ τὸν στεφανίτην μόνος, καὶ πρῶτος εἷλε τὸν στέφανον. Alterius generis ſunt illa omnia quæ exercendæ iuuentuti vnaquæque ciuitas inſtituit. In ſacris certaminibus omnes athletæ fuerunt ingenui. Ad alia & ipſi ſerui videntur fuiſſe admiſſi. Hoc diſcrimen innuit Artemidorus, vbi ait, ſeruum, quomodocunque tandem certauerit, & vicerit, & coronam adeptus fuerit, dummodo in ſacro certamine, hinc ei libertatem promitti. Nam in alijs, inquit, non idem eſt. Neque enim mirum eſt, eum viciſſe in ijs, ad quæ admittitur, certaminibus. Idem Artemidorus alibi tradit, ſeruo, ſi per quietem putet ſe currere curſum, nempe Olympicum, libertatem monſtrari. Non de nihilo hoc tradit Artemidorus, nempe, vt extraordinarium, inſigne, & contra legem, δοῦλον, φησὶν ὁ νόμος, μὴ γυμνάζεσθαι, μηδὲ ξηραλοιφεῖν ἐν ταῖς παλαίστραις. ſeruum, inquit lex, non exerceri in ludis gymnicis [oportere] neque vngi in palæſtris.

Philoſtrat. in Herode.

Himer. μελ. ἐκλ.

Artemidor. lib. 1. cap. 64.

Artemidor. lib. 1. cap. 60.

Æſchin. in Timar.

CAP. VI.

CAPVT VI.

Hi ludi ſumptu ingenti peragebantur. Locus Dionis Chryſoſtomi leniter enarratus. Ipſi omnium mortalium ſummi affectarunt laudem talis victoriæ, & coronas ex eis. Cauſa eſt, quòd qui in his ludis viciſſet, ad tale decus nonniſi per magnas virtutes iſſe exiſtimabatur. Vera victoria eſt vincere antagoniſtam ſuum. Ex iniuria in his ludis accepta quandoque ſunt exorta bella. Tunc demum is ſe felicem deputabat, qui eum genuiſſet qui in his ludis victoriam adeptus eſſet. Quidam accepto nuntio talis victoriæ, illico expirarunt. Hæc victoria fuit in ſummis votis.

AD hæc certamina vndique concurrebant athletæ, qui ijs animi, corporiſque dotibus freti eſſent, quæ ducerent ad coronam. Id omne tot, tantiſque ſtudijs & ſumptibus fiebat, vt inde non pauci bonis euerterentur. Hanc tam acrem ambitionem grauiter inſectatur Dion Chryſoſtomus. His, inquit, cùm liceat ſexcentas gratis habere coronas non ex olea tantùm aut quercu, ſed ex hedera & myrto, ſæpiſſime prædijs venditis redigũtur ad mendicitatem. Vbi aduertendum, per nomen oleæ & quercus ſignificari virtutem & fortitudinem. Per hederam & myrtum, vitam lætam, iucundam, Veneream. Hoc ergo dicit, ambitioſum eſſe mentis præpoſteræ atque adeò alienatæ, qui egens eſſe præoptet appetendis certaminum coronis illis ſumptuoſiſſimis, quàm vera exhibere documenta fortitudinis, quorum nunquam cuiquam deeſt occaſio. Aut, ſi non ita fortiter eſt animatus, iucundè, atque adeò, ſi mauult, luxurioſè viuere. Ipſæ ciuitates apud quos hæc certamina edebantur, in ea ſumptus neceſſarios conferebant. In Olympica quidem Elei, in Pythica Delphi, in Nemea Argiui, in Iſthmia Corinthij. Hoc totum negotium ſenſim ad tantam celebritatem peruenit, vt ipſos mortalium ſummos hæc ambitio mirabiliter quateret. Memorat Plutarchus, tres vno die Philippo Macedoni fauſtitates fuiſſe nuntiatas, quarum prima fuit ὅτι τεθρίππῳ νενίκηκεν Ὀλύμπια, quòd quadrigis vicit Olympia, nempe Alexander filius. Quamuis in Alexandro non τεθρίππους nominet, ſed ἵππους κέλητας, equos deſultorios. Certè Alexandro Philippus pater antea ſuadebat vt in Olympij ſtadium curreret. Cui Alexander, Volo, inquit, ſi mecum reges ſunt certaturi. Cuius dicti interpretatio peti poteſt è loco Xenophontis, vbi Hiero diſputat, an conueniat tyranno certare cum priuatis. Porrò quãti hic ipſe Philippus fecerit hanc laudem, ex eo ſcire licet, quòd victorias Olympicas qua-

Dion Chryſoſt. in orat. de gloria. 66.

In epp. Iuliani.

Plutarch. παραμυθ. πρὸς Ἀπολλ.

Plutarch. Alex. Mag.

Plutarch. ἀποφθ. βασιλ. καὶ στρατ. *& in Alex. Mag.*

Xenoph. Hier. ſiue tyr.

Plutarch. Alex. Mag.

drigis partas pecuniæ inſculpebat, népe ſu as. Nam licebat athletæ victori circumferre ſuas coronas, veluti luculentiſſima inſignia

Plato lib. 12. de leg. ſuæ virtutis. poterat etiam ſuum nomen templis inſcribere & inſcriptione tantæ victoriæ inſigniri. qua de re alibi ago. Hinc eſt,

Lucian. in dial. mort. quod Mercurius Damaſiam, qui fuerat præclarus athleta, vetat ingredi ſcapham Charontis cum ſuis coronis. Sed has, inquit, coronas proijce, & præconia quibus renuntiatus es victor. Arche-

Solin. cap. 15. laus quoque Rex Macedoniæ, *Pythias & Olympicas palmas quadrigis adeptus Græco potius animo, quàm regali gloriam illam præ ſe tulit*, inquit Solinus. Cauſa inde eſt, quòd regum intereſt non ſolùm, vt ſint boni, verùm etiam vt pro talibus habiti regnum à virtute potiùs quàm à fortuna accepiſſe videantur. Nempe qui magna Olympia viciſſent (ſic enim loquebâtur) his nullum ſtadium

Lucian Harmon. in fi. fuit formidabile, inquit Lucianus. Ceterùm cùm ſummæ virtutis documenta hæ coronæ ab vniuerſis haberentur, non mirum eſt, ſi ij qui futuri erant athletæ, priùs erant ἀσκηταί. Et verò hi omne ferè vitæ ſpatium ijs addiſcendis & comparandis inſumebant per

Plato lib. 7. de leg. quæ ad tam illuſtre decus iri poterat, Platone teſte, qui ait, ſingula viuendi genera eſſe huiuſmodi, vt hominis animum planè occupent, & ab alijs ſtudijs abſtrahant; vt ſi quis Pythia, vel Olympia

Philo τὸ χεῖρ. τῷ κρ. ἐπιτιθ. vincere inſtituat, is alijs rebus deditus eſſe non queat. Et corpus quidem mira plagarum patientia, & ad omnes præclaros conatus exercebant. Verba ſunt Antiphanis philoſophi, καὶ ὀλυμπιονῖκαι καὶ

Stob. ὅτι καὶ ἀγαθὸν τὸ γαμ. ἔς. πυθιονῖκαι, καὶ οἱ τοιοῦτοι ἀγῶνες, καὶ σοφίαι καὶ πᾶσαι ἡδοναὶ ἐκ μεγάλων λυπημάτων ἐθέλουσι παραγίνεσθαι. Olympionica & Pythica taliaque certamina, & ſapientiæ, & omnes voluptates ex magnis mœſtitijs plerunque accedunt. *Pugiles inexercitati*, inquit Cicero, *etiam ſi pugnos & plagas*

Cic. in Bruto. *Olympiorum cupidi ferre poſſunt, ſolem tamen ſæpe ferre non poſſunt.* Quoſdam noui pancratiaſtas, inquit Philo, ſæpe præ ambitione

Philo ὅτι πᾶς σπουδ. ἐλεύθ. ac ſtudio vincendi, cùm ipſis corpora deficerent, ſolo animo reſpirantes adhuc & certantes, quem aſſuefecerant contemnere metuenda, duraſſe ac perſtitiſſe vſque ad finem vitæ. Addit paulò poſt, In certamine, aiunt ſacro duos athletas æquali vſos robore, æquali ſudore & labore perfunctos, paria paſſos non priùs deſtitiſſe quàm vterque moreretur. Quidam athleta non ignobilis, in-

Clem. Alex. lib. 7. ſtrom. quit Clemens Alexandrinus, qui olim vixit, cùm diu ac præclarè corpuſculum ad ſtrenuitatem exercuiſſet, & ad Olympiam aſcendiſſet, oculis in ſtatuam Iouis Piſæi coniectis, Si omnia, inquit, ô Iupiter, quæ pertinent ad certamen, vt par eſt, paraui, concede mihi pro merito victoriam. Inter ἀσκητικὰ ponebant illud, μὴ κό-

Philo ἀλληγορ. πτειν, ἀλλὰ κατὰ σχολὴν λεαίνειν, non contruncare cibum, ſed ſenſim & otiosè molere, nempe acquirẽdi roboris gratia. Alter quilibet,

aliter athleta alitur. Ille tantùm vt viuat; hic vt compactior ſit ac robuſtior. In primis id cauebant, ne Venere corpus eneruarent. Atque adeò ab omni mulierum congreſſu abſtinebant. Aiunt, inquit Clemens, non paucos athletas abſtinere à Venere δι' ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους propter exercitationem corporis continentes, quemadmodum Crotoniatem Aſcylum, & Criſonem Himeræum. Et hinc ſumenda eſt interpretatio verborum Pauli, πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται, omnis qui in certamine verſatur omnia continens eſt, inquit Apoſtolus. Quibus verbis præcipuè hanc à Venere abſtinentiam ſignat. Itaque Olympicæ coronæ tanti fuerunt, vt non pauci hoc decus ipſi vitę prætulerint, ſicuti terminum omnis humanæ felicitatis. Certè Horatius hanc exiſtimationem ſequutus non ſine aliqua ratione profitetur, homines talibus victorijs euehi ad Deos; id eſt, humanitatem diuinitate propemodum commutari.

Clemen. Alex. ſtrom lib. 3.

Paul ep. priori ad Corinth. c. 9. quem citat. Clem. Alex. lib. 3. ſtrom.

-palmaq; nobilis
Terrarum dominos euehit ad Deos.

Horat. lib. 1. Carm.

Ergo non regna, nec opum magnitudo, ſed tam nobilis victoria reges inſerit Dijs. Et hoc propemodum illud eſt, quod apud Lucianum, imò apud inferos Annibal Alexandro exprobrat. Si, inquit, hic eo præclarior eſt, quòd caput habet diademate euinctum, ſint hæc apud Macedones magna. Ac ſi dicat, Nos quidem non regis diadema, ſed magnitudinem rerum geſtarum admiramur. Non ergo mirum ſi non ſolùm vir Senatorius apud Pauſaniam Olympiæ victoriam adeptus, inibi æneam ſtatuam ſitę victoriæ monumentum poſuit. Si item Periander vouit, ſi Olympia quadriga viciſſet, ſe Deo auream ſtatuam dicaturum. Nam & ipſe Nero *cùm Romam eo curru, quo olim Auguſtus triumphauerat, & in veſte purpurea, & chlamyde diſtincta ſtellis aureis inueheretur, coronam capite geſtauit Olympicam, dextra manu Pythiam.* Etſi neutram meruerat. Certè cùm Olympiæ curru certaret, eo excuſſus, nihilominus coronam adeptus eſt. Propter quem fauorem iudicibus diſtribuit viginti quinque myriadas, quas ab ipſis poſtea Galba repetijt. Cæterùm mos fuit coronam Olympicam capite, aliam ſiue tæniam manu geſtare. Diſertim Pauſanias, nominatis Olimpicis palmis, & equorum quadrigis, tradit Polyclem de quadrigis coronam accepiſſe, cùm tæniam dextra teneret. Cæterùm hæ victoriæ verè tales erant; non ſi quilibet victus eſſet, ſed tunc tantùm cùm athleta vincebat antagoniſtam ſuum. Neque enim eum qui eſt fortis inter timidos, & infirmiſſimum quemque ſuperaret exiſtimabant eſſe idoneum fortiſſimi athletæ antagoniſtam; ſed præſtantiſſimum & exercitatiſſimum cum illo compo-

Lucian. in dial. mort.

Pauſan. in Eliac. lib. 5.

Laert. lib. 1. in Periandro.

Sueton. in Ner. cap. 25.

Xiphil. Ner.

Pauſan. lib. 6.

Tyr. Max. διαλ. κδ.

nebant qui & ipſe eſſet præſtantiſſimus & exercitatiſſimus. Nempe Deus, vt ait Tyrius Maximus, ἐλέγχει τὰς ἀρετὰς ἐν τοῖς ὁμοίοις, *Xenoph. Hier. ſiue tyr.* probat aut explorat virtutes inter pares. Athletæ, inquit Xenophon, non hoc lætantur cum priuatis ſuperiores ſunt, ſed cùm ab ſuis antagoniſtis vincuntur, hoc demum illud eſt quod illos malè habet. Et hic eſt is dolor, de quo Virgilius,

Virgil. lib. 3. Georg.

Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.

id eſt τῶ στερητῶν. Siquidem & illi qui erant ſuperati à primis & præſtantiſſimis nihilominus ſæpe vincebant alios, & qui non acceperant prima donabantur τοῖς δευτερείοις καὶ τρίτοις. Quæ qui accipiunt, inquit Philo, *Philo π. γεωργ.* μὴ κατηφείτωσαν. καὶ γὰρ ταῦτα ἀπ' ἀρετῆς κτήσει προτίθεται, ne contriſtentur. Etenim à virtutis poſſeſſione proponuntur. id eſt virtus non ſolùm eſt autor primi præmij, ſed & *Xenoph. hiſt. Græc. lib. 3. & Thucyd. lib. 5.* aliorum. Enimuero cui non eſt conceſſum vt perueniat ad ſumma, huic vtile eſt adipiſci media. Cæterùm inter grauiſſimas bellorum cauſas quandoque connumeratæ ſunt iniuriæ in tali certaminum celebritate acceptæ. Certè Lacedæmonij Eleis ea quoque re grauiter ſuccenſuerunt, quòd ipſos equeſtri, gymnicoque certamine arcerent. Et quòd Lycham ingreſſum ad coronandum aurigam eiecerant; tum quòd Thebanis, qui victores à præconibus renuntiati fuerant, currum tradidiſſent. Porrò vt in multis præclariſſimis athletis hæc magnæ gloriæ cupiditas non ſolùm ferri, ſed & commendari poſſit, in pleriſque fatendum eſt fuiſſe merum furorem. Certè hæc peſtis lethaliter percuſſit Diagoram illum, cuius non tam memorabilis, quàm miſerabilis exitus memoratur à Gellio; & ab ipſo M. Tullio. Gellij hæc ſunt verba; *Aul. Gell lib. 3. cap. 15.* *Is cùm tres filios omnes vidiſſet vincere, & coronari eodem Olympiæ die; cumq́ tres adoleſcentes amplexi, coronis ſuis in caput patris poſitis, ſuauiarentur, cumq́ populus gratulabundus flores vndique in eum iaceret, ibi in ſtadio, inſpectante populo, in oculis, atque in manibus filiorum animam efflauit.* Hoc ipſum M. Tullius aliter memorat his verbis, *Cùm Rhodius Diagoras Olympionices nobilis vno die* *Cic. lib. 1. quæſt. Tuſcul.* *duos* [hîc emenda Ciceronis, μνημονικὸν aut certè librarij ἁμάρτημα; & lege *tres*, vt in Gellio] *ſuos filios victores Olympiæ vidiſſet, acceſſit ad Senatum*; [hîc aliquid deeſt cuiuſmodi hoc, *& ibi quidem ei grat*] *& gratulatus, Morere Diagora,* inquit. *Non enim in cœlum aſcenſurus es. Magna hæc, & nimium fortaſſe Græci putant, vel tum potius putabant. Iſq́ qui hoc Diagoræ dixit permagnum exiſtimās tres Olympionicas vna ex domo prodire, cunctari illum diutius in vita fortunæ obiectum, inutile putabat ipſi.* Paulò aliter hoc ipſum Plutarchus. Ait enim Diagoram, cùm vidiſſet filios ſuos coronatos Olympiæ, conſpectis nepotibus & neptibus, iiſque ſalutatis, ipſum ſibi

Hoc dixiſſe, Κάτθανε Διαγόρας, ἐκ εἰς τὸ ὄλυμπον ἀναβήσῃ. Morere Diagora, non in cœlũ aſcendes. Idem prope de Chilone Lacedæmonio memorat Plinius, *cuius funus, cùm victore filio Olympiæ expiraſſet, gaudio tota Græcia proſecuta eſt.* Nimirum vt fortunati terras relinquerent coronam Olympiacam aut ipſi, aut per filios adepti, ne, inquam, aliquis caſus tantum decus contaminaret, cupiebant mori, id eſt, expirare in complexu felicitatis. Hoc animo eſt Acetes ille apud Statium, Plutarch. Pelop. Plin. lib. 7 c. 32.

> *- ſpectatur Acetes,*
> *Ille magis crebro dum lumine pulueris hauſtu*
> *Obruit, & prenſa vouet expirare corona.*

Stat. lib. 5 Sylu.

Enimuero inter præcipuas felicitates connumerabatur, eſſe patrem athletæ qui Olympiæ victor fuiſſet. Quin, & inter ea quæ auidiſſimis auribus homines excipiebant, fuit nuntiari illos qui victores fuiſſent. Timolao illi apud Lucianum inter cætera quæ optat, hoc vnum accidit iucundiſſimum, vt vno eodemque die nuntiare potuerit Babylone, quiſnam Olympiæ viciſſet. Memorat quoque Philoſtratus, expeditum curſorem veniſſe Gades, iubentem ſacrificare εὐαγγέλια, id eſt, Dijs ſupplicare fauſti feliciſque nuntij gratia; ac Neronem τετραολυμπιονίκην ter Olympiæ victorem celebrare. Tanti fuit coronari in Olympicis, ſaltem apud animos impotentes. Nam prudentibus, inquit Dion Chryſoſtomus, nequaquam eſt generoſus, temperatus, & caſtigatus is qui diuitias & laudes, coronaſque Olympiacas & Pythicas, & columnarum inſcriptiones, decreta populorum, ac regum teſtimonia cupidè perſequitur, quò ſit clarior apud omnes; ſed vnus is qui veram virtutem intimo pectore excepit. Hanc tam acrem adipiſcendę coronę ambitionem Gratius vocat ſpem ambitioſam primæ coronæ, id eſt primi præmij, τοῦ πρωτείου. Nam erant quoque δευτερεῖα quæ adipiſcebatur is qui vt ait Philo, τῶν πρώτων ἰσφάλη, qui aberrauit à primis. quo loci malo legere τῶν πρωτείων. Itaque ſic Gratius.

Lucian. Char. Lucian. nauig. ſeu vita. Philoſtrat. vita Apoll. lib. 5. Dion Chryſoſt. in altera orat. de inuidia. Philo π. μοναρχ.

> *Atque hic egreſſu iam tum ſine fraude reperto,*
> *Incubuit ſpatijs; qualis permiſſa Lechæis*
> *Theſſalium quadriga decus, quam gloria patrum*
> *Excitat, & primæ ſpes ambitioſa coronæ.*

Grat. in Cyneg.

Nempe, ſic exiſtimabant, & quidem cum Pindaro, cuius hymni hiſce & certaminibus & victorijs celebrandis impenduntur; hæc eſſe τὰ μέγιστα ἄεθλα maxima præmiorum, quæ nemo contingit niſi τόλμα τε καὶ δύνα, audendo & fortiter faciendo. Certè conſultabant oracula, an is aut ille deſcenſurus in Olympicum certamen, victor rediturus eſſet. Alibi Pindarus hoc totum negotium ait eſſe ἰσχύος ἔργον, opus fortitudinis. Alio item loco has coronas vocat

Pindar. Pyth. od. 10. Tyr. Max. διαλ. κς.

Pindar Nem. od. 10. κορυφαὶ ἐσχάτων ἀέθλων ſummitates vltimorum præmiorum. Et
Horat. lib. 1. epiſt. Horatius neminem ait contemnere coronari magna Olympia.
Id quod Plutarchus videtur ex Horatio vertiſſe his verbis, καὶ δεῖ μὴ
Plutarch. εἰ πρεσβ. πολιτευτ. ἀπιορᾶν ὥσπερ ἀθλητικὸν στέφανον. Et talis quidem fuit de his coronis totius Græciæ exiſtimatio. Omnes pariter conſentiebant in hanc laudémne an furorem? Neque verò ſoli athletæ, ſed, vt alibi dico, patriæ potiſſimùm hoc decus parabatur. Hac certè ratione, vt So-
Xenoph. memor. lib. 3. crates apud Xenophontem ait, & ſeſe honoribus cumulare, & patriam illuſtriorem tam fortes, feliceſque athletæ reddere poterāt. Præconium quo Nero renunciatus eſt victor, tale fuit, Nero Cæ-
Xiphil. Ner. ſar certamen vincit, & populum Rom. coronat, & proprium imperiūm, τὴν ἰδίαν οἰκουμένην. Lucianus vbi memorat ea quæ ho-
Lucian. demerce. cond. minum opinionibus maxima ſunt & ampliſſima, primam collocat victoriam, & coronam Olympiacam. Inter cætera vota quæ ab Ioue exaudiri Menippus ait, & hoc eſt, γένοιτό μοι στεφθῆναι τὰ ὀλύμπια. Vtinam coroner Olympiæ.

CAPVT VII.

Athletis Olympiæ coronatis licuit ſignare monetam. In ſacris certaminibus coronati Lacedæmone pugnabant circa regem. Athletis coronatis ius aſyli fuit conceſſum. Olympionici veſte diſtinguebantur ab alijs. Olympionicus & viuus conſecratus. Statua Olympionici admirabilis. Sumptus Olympionicis è publico præbitus. Alia Olympicorum priuilegia memorata è Platone. Vltimus Crotoniatarum. Solo nomine Olympionici ſumma laus continetur. Quas ob cauſas Olympionicis tot priuilegia conceſſa.

ENIMVERO Olympica corona hoc modo parta tantum claritudinis athletæ addebat, vt omnia quæcunque expeti poſſunt vnà cum corona illi conceſſa viderentur. Quibuſdam (quod hodie eſt inter documenta faſtigij principalis) licuit ſignare monetam, & monetæ ſculpere inſignia victoriæ. Id quod de
Pollux li. 5 c. 12. Anaxila Rhegino tradit Pollux. Hic enim curru, id eſt quadrigis victoriam adeptus, pecuniæ inſculpſit ex vna parte currum, ex altera leporem. Quippe hoc ad eius gloriam acceſſit, quòd leporem
Plutarch. ſymp. 2. probl. 5. & in Lycur. primus in Siciliam induxit. Lacedæmone ijs qui viciſſent ſacra certamina ſepoſitus fuit locus in ordinibus; & ordine diſpoſiti circa ipſum regem pugnabāt. Id quod duobus in locis Plutarchus tradit. Certè cùm cuidam Laconi quidam veluti ſubſannans dixiſſet, ô Lacon quid tibi acceſſit è victoria? quòd cum hoſtibus, inquit ille, pugno in conſpectu regis. Nec Olympionicis tantùm,

ſed & alijs qui in certaminibus στεφανῖται fuiſſent coronati, cōceſſa fuit ἀσυλία ius aſyli, & ἀσφάλεια ſecuritas, vt de Nemeis tradit Plutarchus. Ideoque quamuis corona Olympica omnium eſſet excellentiſſima, tamen fortiſſimi athletæ alias quoque concupiſcebant. *Plutarch Arat.* Athletæ quidem qui Olympiæ certauit, inquit Tyrius Maximus, licet negligere Iſthmicum certamen. Atqui & hîc quoque vituperabilis eſt negligentia. *Tyr. Max. διαλ. λζ.* O tij deſiderium non tantum poteſt apud animam ambitioſam, vt nolit per omnia ire, & cum Olympiæ oleaſtrum obtinuerit, obtinere quoque Iſthmicam pinum, & apium Argolicum, & mala Pythica. Olympionici quoque veſte ἀνθινῇ florida, ſiue palmata diſtinguebantur à cæteris. *Lucian. Demõ.* Plinio autore *Euthymius pycta ſemper Olympiæ victor, & ſemel victus ſicuti mortale faſtigium egreſſus, conſecratus eſt viuus, ſentienſq́.* *Plin. lib. 7 c. 47.* Nempe huic pyctæ multò plus tributum quàm vnquam ab quæſita adulatione ipſis principibus Romanis, quibus *honor Deûm non ante habebatur, quam agere inter homines deſiſſent.* *Tacit. in ſi. lib. 15. Ann.* Quid, quod Polydamantis athletæ ſtatua dicebatur in Olympia ijs opem ferre qui febre vexarentur? *Lucian. Deor. conu.* Haſce tot tantaſque Olympicorum prærogatiuas adumbrauit Socrates apud Platonem, vbi componit felicitatem illorum qui incolunt ciuitatem ſuam cum felicitate Olympicorum. Verba Socratis Latinè hoc ſonant, Omnibus igitur his difficultatibus liberati vitam agēt felici illa Olympionicorum vita planè beatiorem. *Plato lib. 5. de rep.* Quomodo? Propter exiguam omnino partem hi beati cenſentur, quibus harum rerum facultas adeſt. Nam & horum victoria præclarior, & cumulatior perfectiorque denique [eſt] ex publica alimonia. Et in hac victoria vniuerſæ ciuitatis eſt ſalus. Alimentis præterea & cæteris rebus ad vitam neceſſarijs & ipſi & ipſorum poſteri veluti corona quadam honeſtantur. Ipſi quidem ſuperſtites à ſua ciuitate præmia accipiunt; & vita functi digna meritis ſuis exequiarum, ſepulchriq́ue monumenta. Itaque Olympionicis ſuper cætera præmia, præbebantur è publico alimenta, ad exemplum illorum qui alebantur ἐν τῷ μουσείῳ, quæ fuit menſa Ægyptia, ad quam è toto orbe terrarum præclariſſimus quiſque vocabatur. *Philoſtr. Soph.* Hoc eſt illud σίτησις de quo alibi aliquid dico. quod, ad exemplum illorum qui Olympiæ victores fuiſſent, in vrbe Alexandria dabatur ijs philoſophis qui Ariſtotelici vocabantur. *Dio. in Ant. Carac.* Hinc eſt, quòd apud Platonem anima Atalantes, cùm vidiſſet quot commodis, quantis item honoribus athletæ ſoleant extolli, hanc ſortem elegit. *Plato lib. 10. de Repub.* Hoc etiam fuit votum Neronis vt eſſet ὀλυμπιονίκης, πυθιονίκης, περιοδονίκης, παντονίκης, quib. epithetis ab adulatione militari donatus eſt. *Xiphil. Ner.* Alio item loco Plato affirmat, illud obſequiū quo patria colitur, præſtare Olympicis, alijſque ludis; id eſt, ludos *Plato lib. 5. de leg.*

Olympicos, etſi hominum exiſtimatione eſt res inter omnes maxima, non tamen poſſe conferri cum excellentia illius qui ſibi imperauit legibus patrijs obtemperare. De his ſumptibus qui Olympionicis è publico præbebantur, περὶ τῆς ἐκ δημοσίου τροφῆς alibi agit Plato, vbi ait, hominem pauperem, & erga ciues ſuos beneficum æquum eſſe ali in Prytanæo, multò quidem æquiore ratione quàm ſiquis aut equo, aut bigis, aut quadrigis victoriam in ludis Olympicis reportarit. Ille enim, inquit Socrates, efficit tantùm vt felices appareatis, ego autem vt ſitis. Narrat Plutarchus, Polycritæ Lyſimachi filiæ fuiſſe decretam σίτησιν ὅσην καὶ τοῖς ὀλυμπιονίκαις ὁ δῆμος ἐψηφίσατο, annonam quanta plebiſcito Olympionicis datur. Quid multa? Quoties fiebat mentio viri alicuius viribus & factis præſtantiſſimi primus hic illi titulus adſcribebatur, fuiſſe athletam, nempe Olympionicum. Hinc Plutarchus ait, Alexandrum honoraſſe Fauli athletę animi alacritatem & virtutem. Cęterùm Olympici certaminis victorem propemodum ἰσόθεον Dijs æqualem exiſtimabant. Cuius rei Solon apud Lucianum rationem reddit his verbis; Nemo ſimpliciter memorando ea quæ ibi aguntur, tibi indat eam voluptatem quæ inde percipitur, ac ſi tu ipſe in media re verſeris. Ibi enim ſpectare licet vim virorum, & corporum pulchritudines, & vigorem membrorum, multaque præclara experimenta, & vim inexpugnabilem, & audacem, ambitioſamque contentionem. Hæc ſi videres, nullum tu quidem finem laudandi faceres, nullum plaudendi. Ergo nulla ibi adumbrata virtus, ſed maximè ſpectata tot laudibus efferebatur, totque pręmijs donabatur. Plutarchus eos qui admouecantur publicis negotijs hinc potiſſimũ commendat, quod non in palæſtris & ceromatis cum ſophiſtis, ſine vllo periculo congrediantur, ſed veram virtutem exhibeant vt in Olympicis & Pythicis certaminibus. Ergo qui tot dotibus cæteris antiſtaret, hic in oculis, hic erat in ore hominum. Clemens Alexandrinus vbi docet quales oporteat eſſe eos qui multa cura, multaque conſtãtia reſiſtant voluptatibus, vtitur his vocibus, ἀνταγωνιστὰς παχεῖς καὶ ὀλυμπικοὺς, oportere eos eſſe antagoniſtas robore, & firmitudine membrorum pollentes, deniquè Olympicos, σφηκῶν δριμυτέρους, ipſis veſpis acriores & vehementiores, ac ſi dicat, nullam neque vim neque virtutem cum Olympionica poſſe conferri. Ergo non mirum eſt, ſi apud Græcos ſolo nomine athletæ Olympionici ſumma laus continetur. *Quid hos*, inquit Cicero, *quibus Olympiorum victoria conſulatus ille antiquus videtur?* Et alibi, *Acinas pugil Olympionices, hoc eſt apud Græcos, propè maius & glorioſius quàm Romæ triumphaſſe.* Hinc manauit prouerbium, Crotoniatarum poſtremus. Quippe in vno Olympico certamine ſeptem

Plato in apol. Socr.
Plutarch. Alcib.
Plutarch. Alex. Mag.
Lucian. de gymn.
Plutarch. ei πρεσβ. πολιτευτ.
Clem. Alex. lib.
Cic. li. 2. Quæſt. Tuſcul.
Cic in orat. pro L. Flacc.
Strabo lib 6.

tem Crotoniatæ dicuntur fuiſſe victores. Quam ob cauſam vltimus Crotoniatarum dicebatur eſſe Græcorum primus. Cæterùm huius tantæ prærogatiuæ quæ illorum propria fuit, qui in his ludis victores citabantur, equidem tres crediderim fuiſſe cauſas; Quòd *Æmyl.Prob.in præf.* hæc certamina erant ſacra; Quòd coronæ partę in his ludis propriè victrices dicebantur; Quòd nulla celebritas cum Olympica conferri poterat.

CAPVT VIII.

ἱερονῖκαι, Olympij. Ex his duces exercituum lecti. Muneribus coronarum, alijſq; rebus culti. Horum ſtatuæ dicabantur. Hæ Iconicæ vocatæ. Quid præcipuè in hiſce ſtatuis obſeruatum. Honor huic Olympicæ celebritati habitus. Templum Iouis Olympici. De ipſo Ioue Olympio.

Athletæ Olympionici, quò maior ipſis accederet veneratio, vocati quoque ſunt *ἱερονῖκαι*, ſacrorum certaminum vi- *Artemidor. lib.* ctores. Atque adeò coronæ quibus hi redimiebantur, dictæ ſunt *5. & lib.1.c.58.* ſacræ. Silius Italicus,

Hîc Arethuſa ſuum piſcoſo fonte receptat, *Sil. Ital. lib.14.*
Alpheon ſacræ portantem ſigna coronæ,

& fœderis teſtes adhibentur, autore Germanico; tum Plutarcho, *German. in* vbi loquitur de tibia, quæ & ipſa fœderibus adhibita, *αἱ δὲ σπονδαὶ* *Comm. Ar.* *προσδέονται αὐτὸν*, [*αὐλὸν*] *ἅμα τῷ στεφάνῳ*. Fœdera autem deſiderant eam *Plutarch.ſymp.* [tibiam] vnà cum corona. Dicebantur quoque Olympij, vt *7.* in loco M. Tullij ſupra citato. Ex albo talium victorum interdum duces exercituum edecumati, reique gerendæ præfecti. Quo *Strabo lib.13.* exemplo Athenienſes Phrynonem Olympionicen præfectum *Ariſtid. in Panath.* claſſi miſerunt ad occupandum Sigæum. Ex ijs copijs quas hi ipſi Athenienſes miſerunt contra Darij aduentantem exercitum, primo loco memorantur *στεφανῖται*, vt quo præclariora certamina decertauerant, hoc admirabiliorem animi alacritatem promerent. Diodorus Siculus memorat, Milonem illum multæ celebritatis *Diodor. Sic.lib.* gladiatorem à Crotoniatibus cōtra Sybaritas exeuntibus electum *12. biblioth.* fuiſſe ducem, quòd ſex Olympicis coronis donatus fuerat. Adde *Lucian.Char.* quod is taurum per medium ſtadium ſublatum tulit. Is ergo & claua, & ſpolio leonis inſignis, atque adeò ſenis coronis conſpicuus, cùm in æquum deſcendiſſet, perduelles fudit, fugauitque. Nō omitto id quod ex Æmylio Probo obſeruaui, ijs qui in Olym- *Æmyl.Prob.* picis ludis victores fuiſſent, domum reuerſis aureas & æneas coro- *Alcib.*

nas ab amicis mitti ſolitas. *Hic*, inquit, *vt naui egreſſus eſt, quanquam Theramenes & Thraſybulus eiſdem rebus præfuerant, ſimulq́; venerant in Piræum, tamen illum vnum omnes proſequebantur. Et (id quod nunquam antea vſu uenerat niſi Olympiæ victoribus) coronis aureis, æneiſq́; vulgo donabatur.* Malis item & granatis, & odoratiſſimis floribus colebantur, vt alibi dico. Tanta fuit rei præclariſſimæ celebritas, tantum decus τοῦ στεφανίτου athletæ coronati; tanta fuit veneratio loci in quo id peragebatur, vbi, ſcilicet, eorum qui viciſſent, ſtatuas dicari mos fuit. Certè qui ibi ter victoriam adeptus eſſet, qui eſſet τριολυμπιονίκης, ex huius membris ſimilitudo exprimebatur. Et has quidem vocabant iconicas. Et plerunque erant

Ariſtid. κατὰ τῶν ἐξορχουμένων.

æneæ, vt palam eſt ex hiſce verſibus Ariſtidis, οἷον τὸν Δωριέα τὸν Ῥόδιον, καὶ Γλαῦκον τὸν Καρύστιον, καὶ Μίλωνα δή, καὶ Πολυδάμαντα, καὶ πάντας ὧν εἰκόνες χαλκαῖ, ac ſi dicat, Et quotquot inter athletas celeberrimi fuerunt. Et in his quidem ſtatuis efficiendis plerunque occupati erant ſtatuarij. Socrates ingreſſus domum Clitonis ſtatuarij ait, ἀλλ' οἵους ποιεῖς

Xenoph. memo. lib. 3.

δρομεῖς τε καὶ παλαιστὰς καὶ πύκτας, καὶ παγκρατιαστάς. diuerſos facis, curſores, luctatores, pugiles & pancratiaſtas. Hîc aduertendum, nequa-

Lucian. de imag.

quam licitum fuiſſe haſce Olympionicorum ſtatuas corpore eius qui victor fuiſſet, maiores erigi. Eaque cura incumbebat Hellanodicis, vt ſtatua exactiſſimè fieret, nempe ad magnitudinem corporis. Neque verò illud omiſerim, tantam fuiſſe celebritatem horum ludorum, tantamque totius rei auctoritatem, vt ſi quid vſpiam in alicuius honorem magnificum & inluſtre fieret, ei negotio magna hinc ſpecies accederet, quod celebraretur ad exemplum ludorum Olympicorum; veluti ſi curanda eſſent funera eorum qui pro Repub. præclaram mortem obijſſent. Id quod vt è pluri-

Demoſth. orat. funeb.

bus, tum maximè ex hoc Demoſthenis loco cognoſci poteſt. Nam ſi mihi, inquit, id muneris datum eſſet, vt ſepulturam vel magnificentia ſumptuum, vel aliquo ſpectaculo equeſtrium, gymnicorumue certaminum adornarem, quò ſtudioſius & liberaliùs ea inſtruxiſſem, eo magis functus eſſe viderer officio. Magna præterea fuit veneratio loci in quo id omne peragebatur. Nempe vbi ha-

Lucian. de mor. Peregr.

bebantur ludi Olympici neminem licebat ſepelire. Magnus quoque honor templi, quod omnium exiſtimatum eſt maximum. Nihil quicquam ibi aſpiciebatur ſine admiratione. Cuiuſmodi eſt

Plutarch. Lycu.

ille diſcus in quo nomen Lycurgi ſcriptum ſeruatur, teſte Ariſtotele, quem citat Plutarchus. Hanc ipſam huius templi admiratio-

Lucian. Quomadm. hiſt. ſcrib. ſit.

nem colligimus ex eo quod Lucianus ait, Quis, inquit, qui modò omnem Olympici Iouis, cuius ædes eſt apud Olympiam, pulchritudinem, qualis, quantaque eſt, conſpicatus fuerit, non laudet, non item ijs qui neſciunt, memoret? Ipſe Iupiter Olympius,

ingens ſtatua, fuit ἐλεφάντινος, eburneus. Hunc L. Æmylius Paulus vt conſpexit, admiratus eſt; dixitque vnum Phidiam videri ſibi Homericum illum imitatum eſſe Iouem, omni ſanè expectatione maiorem. ſed & Caligula ob tanti operis admirationem eò veſaniæ progreſſus eſt, vt cupiuerit hunc Olympicum Iouem formari ſua ſpecie. *Iouis Olympici ſimulachrum*, inquit Caſſiodorus, *quod Phidias primus artificum ſumma elegantia ebore auroq́; formauit, inter ſeptem terris attributa miracula connumeratur.* Cæterùm propter huius templi, vt veriſimile eſt, ſanctitatem, quibus diebus illa tanta celebritas peragebatur, nihil cuiquam quod non dictu honeſtum eſſet, affari licuit, vt cautum fuit lege Solonis, non ſolùm in hoc, ſed & in omnibus locis, rebuſque ſacris.

Philoſtrat. vita Apoll. lib. 4.
Polyb. fragm.
Xiphil. Calig.
Caſſiodor. Var. 7. ep. 15.
Plutarch. Sol.

CAPVT IX.

Celebritas ludorum Olympicorum. Philoſophi & oratores, & ſummi artifices ad hanc celebritatem concurrebant. Ibidem præclariſſima ſcripta & lucubrationes recitabantur. Quicquid vſpiam diceretur ac fieret, ibidem noteſcebat. Legati ciuitatum, & præclariſſimus quiſque vir eò conueniebat. De corona parta è victorijs ingenij. De corona honoris. Dona à ciuitatibus eò miſſa.

REPRÆSENTATA inſtitutione, antiquitate, dignitate certaminum, victorum, coronarum, venio ad rem ipſam, hoc eſt, ad formam ex cuius præſcripto coronæ petebantur, concedebantur, auferebantur. Aioque omnis rei tantam fuiſſe ſpeciem, vt geſta ſit ſub oculis & aſpectu vniuerſæ Græciæ, & exterorum, quos rei magnitudo, præclara virtutis ſpecimina quæ ibi edebantur, & præmiorum dignitas eò eliciebat. Illò conueniebant omnium ſapientiſſimi ſpectatores, hoc eſt, celeberrimus quiſque philoſophus. Et verò Dion Chryſoſtomus Diogenem ludis Iſthmicis interfuiſſe ſcribit. Quin & ipſum Pythagoram Olympicis ludis victorem celebrant, ibique aureum crus oſtentaſſe. Etſi enim hoc genus hominum non ſemper brachijs pugnat, ſed ingenio, tamē rectiſſimè iudicat de viribus, de pernicitate, de dexteritate de robore animi. Ergo doctrina & præclaris artibus illuſtres homines in tāta celebritate conſpici, ſicuti arbitros eorum omnium quę ibi dicerētur aut fierent, ad publicos mores maximè pertinere exiſtimarunt. Ibi in conſpectu vniuerſæ prope Græciæ inclareſcebant, vt de Herodoto memorat Lucianus. Eleum Hippiam M. Tullius ait *veniſſe ad maximam illam quinquennalem ludorum celebritatem, vbi gloriatus eſt, cuncta pene audiente Græcia, nihil eſſe vlla in arte*

Plutarch. Numa.
Lucian. Herod. ſiue Ætio.
Cic. lib. 3. de orat.

rerum omnium quod ipſe neſciret. Id quod M. Tullius è Platone ſumpſit, vbi Socrates quamlibet ironicè hunc Hippiam in os laudat; aitque omnes Græcos eſſe teſtes ſapientiæ clariſſimorum hominum, qualis ipſe eſt. Ibi Hippias celeberrimus, vt ſibi quidem videbatur, ſophiſta de ſe hæc profiteur, Peſſimè mecum ageretur, ſi ego qui ex Elide patria in Olympicam illam feſtiuitatem, celebremque Græcorum cœtum, ad quem vniuerſa Græcia ad ludorum ſpectaculum confluit, cùm Olympia aguntur, domo proficiſcar, meque in templo ſiſtam, & cuilibet exhibebo, vt quicquid voluerit, dicam de eo quidem argumento, quod ad publici illius cœtus oſtentationem paratum à me eſt; & cuilibet quicquid rogauerit, reſpondeam, nunc Socratis interrogationem ſubterfugiam. Paulò poſt, hic ipſe Hippias, glorioſus homo addit, ſe, ex quo in Olympicis ludis decertare cœpit, in neminem incidiſſe cui vlla re cederet. Cùm apud hunc ipſum Platonem Socrates laudat Agathonem ob eius illuſtrem ſapientiam, eam dicit eluxiſſe in conuentu, & in præſentia teſtium plus triginta millium Græcorum. Quibus verbis hanc Olympicam panegyrim demonſtrauit. Nempe, in magna hominum frequentia exiſtimarunt locum eſſe ſapientiæ, & celeberrimæ omnis doctrinæ profeſſioni; Et vbi de viribus certamen eſſet, ibi potiſſimùm contendi poſſe dotibus ingenij. Memorat Plutarchus, Ariſtippum Olympiæ cum Iſchomacho conueniſſe; cumque ſciſcitatum eſſe ſuper ſententia Socratis; Quæ eò pertinebat, vt conſtaret, philoſophiæ finem eſſe, vt quiſque ſua mala noſcat, rationemque exquirat qua ijs exſolui queat. Itaque ibi exoriebantur certamina de ijs quæ humano generi ſcitu maximè ſunt neceſſaria. Huius generis apud Olympiam fuerunt diſſertationes Apollonij, περὶ τῶν χρησιμωτάτων, de ijs quæ maximè ſunt vtilia, veluti de ſapientia, de fortitudine, de temperantia, de omni virtutum genere. Ariſtidem ludis Olympicis interfuiſſe docet principium orationis Iſthmicæ. Demoſthenem quoque Plutarchus ad hanc celebritatem veniſſe memorat. Ibi cum vidiſſe Lamachum Terinæum recitantem laudes Philippi & Alexandri, at Thebanorum & Olynthiorum ſilentio tranſmittentem. Tunc verò ſurrexiſſe, & veterum poëtarum teſtimonia protuliſſe ſuper ijs quæ ab vtraque gente præclarè geſta eſſent; Adeò vt Lamachus deſierit, & aufugerit è conuentu. Cæterùm ibi tunc Demoſthenem interfuiſſe per occaſionem legationis & fugæ, Dinarchus ei exprobrat. Nec mirum ſummos oratores huic tantæ celebritati cupidè interfuiſſe: Nam ibi quoque recitabantur præclariſſima ſcripta, cuiuſmodi fuerunt encomia Alexandri & Philippi edita à Lama-

Plato in Hipp.

Plato in ſymp.

Plutarch. περὶ πολυπραγμ.

Philoſtr in vita Apollon. lib. 4.

Ariſt. ἰσθμ. εἰς Ποσειδ.

Plutarch. Demoſth.

Dinarch. in Demoſth.

Plutarch. Demoſth.

cho Myrrhinæo. Cui Demoſthenes eleganter, & ex tempore reſpondiſſe dicitur. Quiſque illò, ſi modò viribus ingenij niteretur, ſecum ſuas lucubrationes ferebat; eaſque ibi recitabat. Exemplo philoſophorum & oratorum ſummi artifices, ſiquid ſtudioſiùs elaboraſſent, ibi oſtentabant. Certè Lucianus autor eſt, Ætionem pictorem veniſſe ad hanc Olympicam celebritatem, ibique exhibuiſſe depictas nuptias Alexandri & Roxanes. Denique quiſquis memoriam apud poſteros adipiſci cuperet aut inſigni aliquo opere famam quæreret, ſiue præclaro, ſiue inuſitato aliquo facinore, commendatus, illud edebat in illo celeberrimo conuentu. Hinc eſt, quod ille ſiue Peregrinus, ſiue Proteus, conſtructa ibi ingenti pyra, ſeu rogo, tot teſtium millibus præſentibus in eam ſe coniecit. Tāta fuit in eo gloriæ cupiditas mera væcordia. Pythagoræ dictum eſt, *ſimilem ſibi videri vitam hominum & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam vt illic alij corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alij emendi, aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur, eſſet autem quoddam genus eorum, idq; vel maximè ingenuum qui nec plauſum nec lucrum quærerent, ſed viſendi cauſa venirent, ſtudioſeq; perſpicerent quid ageretur & quomodo, item nos, &c.* Itaque quicquid in tanto, tamque celebri conuentu diceretur aut fieret, hinc inde relatum noteſcebat. Certè Plato ſcribens Dionyſio, Cratiſtolum & Polyxenum ipſi Dionyſio dixiſſe refert id quod apud Olympiam audiuerant, eos, ſcilicet, qui cum Platone eſſent, de tyranno ſiniſtrè loquutos eſſe. Cæterum tanta fuit illius celebritatis autoritas, vt ipſæ Græciæ ciuitates ibi quoque per ſuos legatos intereſſent. Hos Plato dicit mitti oportere εἰς δύναμιν πλείστους ἅμα, καὶ καλλίστους τε καὶ ἀρίστους, ad potentiam [oſtentandam] plures ſimul, & præclariſſimos & optimos. Vt inde ciuitatis opes ac dignitas cognoſci poſſit. Nec legati tantùm, ſed clariſſimus quiſque vir ibi cōſpici cupiebat. Hinc illud quod de Cimone & Themiſtocle memoratur. Cùm enim Themiſtocles id ageret, vt cultus, & apparatus magnitudine ipſe adhuc adoleſcens & obſcurus Cimoni viro nobili, magnæque celebritatis æquaretur, id Græcia ægrè tulit. Narrat quoque Plutarchus, in hac ipſa Olympica celebritate, omnibus athletis poſthabitis, toto die omnium oculos in vnum Themiſtoclem fuiſſe verſos; atque adeò eum peregrinis oſtentatum cum multa vniuerſorum admiratione & plauſu. Eodem Plutarcho autore, cùm Hiero Siciliæ tyrannus tabernaculum pretioſum, & equos ἀγωνιστὰς Olympiam miſiſſet, Themiſtoclis iuſſu illud tabernaculum direptum; & id actum, ne equi certarent. Quærat quiſpiam, quid ex illa celebritate homines

Lucian. Pſeud.

Lucian. Herod. ſiue Aet.

Lucian. de mor. Peregr.

Cic. Tuſcul. quæſt. lib. 5.

Plato epiſt. 2.

Plato lib. 12. de leg.

Plutarch. Themiſt.

Plutarch. Themiſtoc.

Plutarch. Themiſt.

celeberrimi, & ſapientia inclyti compendij domum referrent. Reſpondeo, nihil, niſi laudem & ſummum decus.

Calphur. ecl. 2. *-ſatis hoc mercedis habetur*
Si laudem victor, ſi fert opprobria victus.

Et hæc, nimirum, eſt illa corona honoris quam optimus quiſque quamlibet inuiſibilem, expetit. Et verò corona & laus indiuiduo nexu ſunt conſtrictę. Ideo quoties cuipiam corona decernebatur, huic ipſi laudes decretas fuiſſe conſtat. Simili ratione, cùm quiſpiam corona arcebatur, eâdem & laudibus carebat. Demoſthenes vtramque actionem coniungit coronæ & laudis, *στεφάνου καὶ ἐπαίνου*, inquit, *κατηγορίαν, νῦν ἥκειν συνεσκευασμένην*, coronæ & laudationis accuſationem nunc eſſe conſarcinatam. Porrò vt nulla corona non dici poſſit corona honoris, tamen illa potiſſimùm quæ eſt parta victorijs ingenij, quæque nullis eſt ſubiecta oculis, ſed tantùm nectitur in hominum iudicijs, hoc nomen meretur. Hanc ſibi eripi doctiſſimus ac pręſtātiſſimus quiſque meritò indignatur. Vt honoris contributione generoſus animus erigitur, ita nulla re æquè percellitur *ἢ τοῦ στεφάνου, ἢ προεδρείας ἀφαιρέσει* ac coronæ, aut primi loci ademptione. Etſi legimus, coronam honoris interdum è ramulis, vt cæteras, fuiſſe compactam. Æmylius Probus autor eſt, Thraſybulo pro maximis meritis coronam honoris à populo datam fuiſſe, factam duabus virgulis oleaginis. *Qua*, inquit, *is contentus neque amplius requiſiuit, neque quemquam honore ſe anteceſſiſſe exiſtimauit.* Atque hæc quidem omnia quæ retuli, pertinent ad repræſentandam celebritatem horum ludorum. Quibus addo id quod legitur in decreto Byzantiorum facto in honorem populi Athenienſis, in publicis gratulationibus dona ad haſce harum ſollennitatum celebritates fuiſſe miſſa, non ad Olympicam ſolùm, ſed & ad alias tres. Sequuntur verba decreti, *καὶ ἀνακηρύξαι τὸν στέφανον ᾧ συνεστεφάνωται ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων ὑφ' ἡμῶν.* & renuntiari coronam, qua concoronatur populus Athenienſium à nobis. Nempe ibi proclamabatur corona, qua hæc aut illa ciuitas ab alia donata fuiſſet, vt in verbis decreti, illa qua Byzantij ac Perinthij Athenienſes donarant. Et hæc quidem habeo quæ dicam de illa Olympica celebritate, quæ his verbis & quidem elegantiſſimis, à Philoſtrato repræſentatur. Nam cùm Iſagoras quæreret ex Apollonio, an aliquid ſit Olympica illa panegyris, is reſpondet eſſe, *ἥδιστον καὶ θεοφιλέστατον τῶν κατ' ἀνθρώπους*, rem iucundiſſimam, & ex omnibus rebus mortalibus Deo acceptiſſimam. Ibi Iſagoras, Quæ huius celebritatis vt rei incorporeæ eſt materia? Maxima, inquit Apollonius, atque admodum varia. Nam templa ſunt & ſacraria, & curſus, & ſcena, & gentes plurimæ, partim vicinis & finitimis, partim ex

Demoſt. de cor. — *Plutarch. περὶ εὐθυμ.* — *Æmyl. Prob. Thraſ.* — *Demoſth. de cor.* — *Philoſtrat. vita Apoll. lib. 8.*

tranſmarinis regionibus. Quin ea quoque conſtat è plurimis artibus, & ſophiſmatibus. Tum ex vera ſapientia, & poëtis, & conſultationibus, ac diſceptationibus. Denique è nudo certamine & muſico, vt eſt Pythiæ conſuetum. Tum Iſagoras, Apparet hanc panegyrim non ſolùm eſſe ſpecie corporea, ſed admirabilioris cuiuſdam materiæ quàm ſint vrbes. Nam ea quæ ſunt accuratorum accuratiſſima, & præſtantium præſtantiſſima conuocat, ac veluti ſub ijſdem ædibus contrahit.

CAPVT X.

Stadium Theatrum. Athletis neceſſe fuit profiteri nomen ſuum. Profeſſis non licitum fuit recedere. Nec pueris, nec ſceleſtis hominibus licuit profiteri nomen. Athletæ priuſquam deſcenderent ad hæc certamina diu exercebantur. Et ſacrificabant. Palæſtra. Iudices his ludis præfecti. De loco vbi ſedebant hi indices. Quales eligerentur. Videntur fuiſſe coronati. Prærogatiua præſidendi his ludis.

DE ludorum loco etſi ſupra in genere dixi, tamen hîc ſpeciatim moneo, circuitum, ſiue ſpatium, ſiue curriculum in quo edebātur ludi gymnici dictū fuiſſe ſtadium; locum in quo ſcenici aut muſici, theatrum. Cęterùm quod de ludis Pythicis Plutarchus dicit, id credibile eſt in omnibus agonibus obſeruatū fuiſſe, nempe, vt ad hæc certamina admitteretur nemo qui non priùs apud ludis præfectos profeſſus eſſet nomen ſuum. Itaque Calliſtratus Amphictyonibus impoſitus aulœdum quēdam ciuem & amicum, *Plutarch. ſymp.* qui detrectauerat hanc profeſſionem, ex præſcripto legis certamine prohibuit. *7. probl 5.* Sed & Olympię hunc morem viguiſſe docet Æſchines his verbis, *Æſchin. ep. 11.* Quemadmodum ſiquis cùm ſæpe Olympiæ victor fuerit, poſtremò ſenex factus profiteatur adhuc nomen ſuum, & eos qui contra profeſſi ſint [ſic enim interpretor *ἀντιχάρους*, id eſt qui futuri fuerant antagoniſtæ ſui, non ſcribas, vt vertit interpres] prouocet, in mentem reuocans robur; non quod iam habet; ſed quod olim habuit. Hîc aduertendum, ijs, qui inter athletas pro- *Ariſtid. εἰς Δία* feſſi eſſent nomen, non licitum fuiſſe recedere, ac certamen detrectare, ſed coactos fortiter & animoſè rem peragere. Neque ta- *Ariſtid. de rhet.* men qui primus nomen dediſſet primus renuntiabatur victor; ſed *orat. 1.* is tantùm qui hanc profeſſionem fortibus factis aſſeruerat, etſi vltimus erat, *κἂν ὕστατος εἰσελθὼν τύχῃ*, inquit Ariſtides. Cæterùm, non omnibus licuit deſcendere ad ſacra certamina Olympica. *Artemidor. lib.* Quidam enim, vt ex Artemidoro colligimus, reprobabantur. At- *1. cap. 61.* que, vt ſupra monui ab Olympionicis athletis exigi omnia virtutū

genera, ita veriſimile eſt eos tantùm reprobari ſolitos qui ea ſpe, eoque honore non ſatis digni viderentur. Primùm aio, ius eò veniendi interpretandum fuiſſe. At cùm non æqua ſit puerorum cum viris concertatio, pueris id iuris denegatum. Et hæc fuit illa ἔλεγχοις ἡλικίας, probatio, ſiue admiſſio ætatis, vt eodem Artemidoro autore firmare poſſumus. Si reprobatio propter ætatem inibi locum habuit, multo magis illa, cui cauſam dederant ſcelera, flagitia, impietas. *Xenoph. in Repub. Lacedam.* Et quidem Lacedæmone cuilibet pudendum fuit, hominem malum admittere in contubernium, eundemve habere ἐν παλαίσμασι συγγυμναστήν. Et ſupra iam dixi de temperãtia illorum qui ad hos ludos deſcenſuri erant, qui mulierum congreſſu omnique alio amore abſtinerent; cuiuſmodi Plato nominat Tarentinum *Plato lib. 8. de leg.* Iccum, & Criſſum, & Aſtyllum, & Diopompum, præter alios permultos. In hanc ſententiam extant hæc verba Demoſthenis, *Demoſth. orat. amat.* Exiſtimo, inquit, nihil prodeſſe rerum pulcherrimarum deſiderium, aut corporis ad omnia habilitatem, μὴ τῆς ψυχῆς φιλοτίμως παρεσκευασμένης, niſi & animus probè ſit paratus & exornatus. *Demoſth. de cor.* Neque etiam ad hanc profeſſionem admittebatur is qui nondum rationes tetuliſſet, cùm lex eum coronari vetaret. Supra quoque monui tales athletas, priuſquam ſeſe hiſce certaminibus offerrent, diu corpus exercuiſſe. Et hæc quidem exercitatio fiebat apud illos *Ariſtid. Miltiade.* quibus nomen γυμνασταί, qui diu exercitatum athletam poſtremò victorem educunt, inquit Ariſtides. Sed de hoc exercitationis genere diſertim hæc Apollonius apud Philoſtratum; Elei athletas, cùm inſtant Olympia, dies triginta in ipſa Elide iubebant *Philoſtr. de vita Apoll. lib. 5.* exerceri. Deinde in vnum congregatos ſic alloquebantur; Delphicus quidem cùm Pythia, Corinthius verò cum Iſthmia, Ite, aiebant, in ſtadium, & præbete vos viros victoria dignos. Elei verò cùm eunt in Olympiam, hoc modo diſſerunt cum athletis, Si iam quod ſatis eſt, operam dediſtis vt in Olympijs certare poſſitis, neque ignauè quidquam atque vt degeneres feciſtis, ingredimini audacter. Qui verò non ita paratus eſt, abeat quò libet. *Tyr. Max. διαλ. λθ'.* Tyrius Maximus vbi ait philoſophiam non poſſe ferre infrequentem ſui cultorem, non magis, inquit, quàm pædotriba ex ſtadio athletam vnguentatum, ſine ſudore, ſine puluere coronatum, ſine *Pauſan. lib. 7.* plaga, ſine vulnere, nullum retinentem veſtigium virtutis. Cæterùm tradit Pauſanias, ſua ætate Achæis athletis, priuſquam in Olympicum certamen deſcenderent, ſolenne fuiſſe vt Oibotæ parentarent, eiuſque ſtatuæ victores coronam imponerent. Non *Plutarch. ſymp. lib. 2.* omiſerim, locum in quo exercebantur athletę, generali appellatione dici palæſtram, non ſolùm ἀπὸ τῆς πάλης, à lucta, quod hæc omnium certaminum ſit antiquiſſimum; ſed quòd ex omnibus

vnum

vnum opus habebat cœno, ſiue luto, puluere ſiue arena, poſtremò & cera. Porrò vt res tanti momenti ſumma æquitate tranſigeretur, iudices & ſpectatores aderant. Hi intra quoddam ſepimētum ſecluſi iureiurando adigebantur ad iudicandum religioſè, autore Platone in legibus, Pauſania in Eliacis, Pindaro pluribus locis, alijſque vt infra dico. Et locus quidem in quo ſedebāt hi iudices vocabatur τὸ πλέθρον. Eratque locus tutus, ſicuti aſylum. Vnde elegāter Plutarchus ait, Vitellianos milites, cùm Othonianos irriderent, vocaſſe eos σκηνικὺς, καὶ πυῤῥιχιςὰς, καὶ πυθίων καὶ ὀλυμπίων θεωρὺς, ac ſi dicat, ignauos & imbelles, & è loco tuto, tanquā ex abdito ſpectātes eos qui ſeſe certaminibus & periculis offerunt. Cæterùm hi iudices, vt veriſimile eſt, eligebantur è proceribus omnium Græciæ ciuitatium, ſaltem donec Græcia fuit libera. Id quod vſque eò verum eſt, vt hæc ipſa prærogatiua præſidendi his ludis numerata ſit inter præcipua libertatis argumenta. Ea re non mirum eſt, ſi, cùm Demoſthenes indignatur, Philippum hominem Macedonem impune occupaſſe multas, eaſque præclaras Grçciæ ciuitates, denique ibi rem eſſe, vt illi Græcia ſeruitutem ſeruiat, ait eum iam prçſidere Pythijs communibus Græciæ ludis; & ſi ipſe non adſit, ei negotio imponere ſeruos ſuos. Veriſimile quoque eſt, iudices electos fuiſſe illos, qui è talibus certaminibus victores redijſſent. Id coniectari licet è loco Plutarchi, vbi agit de certamine ſaltationis, eiuſque præmijs. Nam vbi dixit, eius rei iudicem renuntiatum fuiſſe Lampriam fratrem Meniſci, illius qui præerat exercitationibus puerorum, addit illum eleganter ſaltaſſe pyrrichiam, & in palæſtris hiſtrionali geſticulatione præcelluiſſe. Et hi quidem iudices videntur fuiſſe purpurati; ſaltem coronati, & virgam manu tenuiſſe, vt colligo è loco Plutarchi in Pompeio, itemque ex alio in Catone Iuniore. Cùm enim Cato veniſſet Antiochiam non equo vectus, ſed pedes, vbi ante portam vrbis vidit turbam hominum in albis veſtimentis, extraque viam hinc adoleſcentes, hinc pueros diſcretos, eam rem ægrè tulit, exiſtimans hæc honoris ſui gratia fieri. Cùm verò iuſſiſſet comites deſcendere ex equis, & cum ipſo progredi; iamque vrbi appropinquarent, ait illum qui omni illi apparatui præpoſitus fuit, occurriſſe ei, ἔχοντα σέφανον καὶ ῥάβδον, habentem coronam & virgam, nempe recepto more. Et hæc quidem ludorum ſiue cura, ſiue præfectura fluxit à priſco more. Nam cùm in funere Patrocli equites decurrerent, Achilles voluit Phœnicem ſectatorem patris ſui iuxta ſedere.

Lucian. de mor. peregr.

Plutarch. in Oth.

Demoſth. Phili. 3.

Plutarch ſymp. 9. probl. 11.

Plutarch Pōp. & Cat. Iun.

——παρὰ δὲ σκοπὸν εἷσεν
ἀντίθεον φοίνικα ὀπάονα πατρὸς ἑοῖο,
ὡς μεμνέῳτο δρόμου, καὶ ἀληθείην ἀποείποι.

Homer. Iliad. ψ.

Iuxtaque ſpeculatorem ſedere fecit, Diuum Phœnicem ſectatorem patris ſui, vt conſideraret curſum, & veritatem referret. Et verò hi iudices quam quiſque coronam meruiſſet, decernebant. Quæ ſanè prærogatiua numerata eſt inter regia munera, vt de qui- *Strabo lib. 14.* buſdam regibus memorat Strabo. Apud Perſas ipſi reges proponebant præmia curſus, & eorum omnium, quorum in quinquen- *Strabo lib. 15.* nalibus certaminibus exercitamenta exhibentur, eodem Strabone autore. Ipſorumque adeò regum interdum propria videtur fuiſſe *Plutarch. Ageſi.* cura diſponẽdi hos ludos. Certè Corinthij rogauerũt Ageſilaum, vt ordinaret certamẽ Iſthmicum. Id quod ipſe quidem non fecit. Sed cùm illud ipſi ordinaſſent, ipſe inibi manſit, & athletis ſecuritatem præbuit. Apud Q. Calabrum Agamemnon ſignum dat ijs qui in funere Achillis curſu decertarunt.

Q. Calab. lib. 4.

> Τοῖσι δ' ἐσημαίνεσκε δρόμου τέλος ὠκυπέτου
> Ἀτρείδης, ὃς πᾶσι μετ' Ἀργείοισιν ἄνασσε.

His igitur curſus velociſſimi metam ſtatuit Atrides, qui in omnes Grecos imperium tenebat. Herculem quoque his certaminibus *Lucian. Hermo. ſtius de ſect.* præſediſſe diſertim tradit Lucianus.

CAPVT XI.

Quibus nominibus hi iudices cenſerentur. Eorum munus & poteſtas, & in athletas animaduerſio. Horum iudicum numerus. Athenis quot fuerint. Hi iudices in muſicis certaminibus ſedebant, in gymnicis ſtabant. βραβεῖς, βραβευταὶ, παραβραβεύειν. Quomodo hi iudices cognoſcerent. Iuſtè iudicabant. corona θημάλεκτοι. Εἰσαγωγοὶ qui. Ἀλυτάρχης qui. Aliptes.

PORRÒ hi iudices, ſiue præfecti plutibus nominibus cenſebantur. Nam dicti ſunt ἀγωνοθέται, ἀθλοθέται, ἀγώνων διαθέται, *Pollux lib. 3. c. 30. & lib. 8.* ἄθλων ἐπιμεληταὶ, ἔφοροι, ἐπόπται, πρυτάνεις, ἐπίσκοποι. Vocati ſunt & *Etymol. αἰσυμνῆται.* αἰσυμνῆται, οἱ τὸ αἴσιον ἀπονέμοντες τοῖς ἀγωνιζομένοις, qui certantibus ea diſtribuebant quæ iuris eſſent, ſicuti κριταὶ ἄρχοντες τῶν ἀγώνων. Dicti ſunt & ἐναγώνιοι, quod epithetum, etſi dicitur eſſe Mercurij, Ho- *Ariſtid. παντου. Ἀθην.* merus Palladi tribuit, teſte Ariſtide, τὰ γὰρ ἆθλα κρίνει δι' αὐτῆς. nam certamina iudicat per ipſam. Dicti quoque ἑλλανοδίκαι, nempe ma- *Etymol. ἑλλανοδίκαι, & Pauſan. lib. 5.* giſtratus Elæi, διέποντες κατὰ τὸν ἀγῶνα τὸν ὀλυμπιακὸν, diſpenſatores, ſiue adminiſtratores certaminis Olympici. Sic, inquam, nominati à Græcis quòd iudicabant de athletis, alijſque certatoribus, ſiue pugilibus. Cuius iuriſdictionis exemplum eſt in legibus Platonis, *Plato lib. 11. de leg.* vbi vult poëtam ſcriptorem comœdiæ, ſi ſit conuitiator, ab athlotheta eo ipſo die eijci è theatro, aut multari tribus minis ei Deo

ſacris, cuius eſt certamen. Enimuero in legibus Lycurgi hæc fuit, vt iſti gymnicis certaminibus præfecti, ſiquid quempiam contra leges feciſſe ſentiant, continuò eum puniant, quaſi tyranni, hoc eſt, omnimoda & ſumma poteſtate prӕditi. Quo exemplo cùm Euangelus ille Tarentinus, quamuis totus aureus & gemmeus, cithara & cantu ineptè vteretur, atque ideo omnibus deridiculo eſſet, ab athlothetis indignantibus lotis cæſus eſt, atque è theatro proiectus. Ergo flagris cædebant ineptos, & ridiculos athletas, ſiquis magna illa numina non ex dignitate imitatus eſſet. Horum numerus variauit. Et quidem Pauſanias tradit. Iphitum ſolum ludis ab ſe editis præfuiſſe. Id quod ab Oxyli poſteris eſt obſeruatum. Poſtea traduntur fuiſſe nouem. Iarchas Indus tradit fuiſſe decem. Aliquando fuerunt ſeptem; aliquando duodecim. Denique Athenis per ſingulas tribus electi ſunt decem, qui hoc munere fungerentur per quadriennium. Nimirum, hi illi erant ad quos pertinebat cura diſponendi *τὰ παναθήναια, τόν τε μουσικὸν καὶ τ' γυμνικὸν, καὶ τὴν ἱπποδρομίαν*. Panathenaicos ludos, & gymnicum, & equorum curſum. Quod autem eos ſupra ſediſſe dixi, verum eſt in muſicis certaminibus, hoc eſt, in theatro. Nam in gymnicis, credo, quò longiùs proſpicerent, ſtabant. Quanquam & hos quoque quandoque ſediſſe, diſcimus è Luciano. Cæterùm hos Pollux ait vocari *βραβέας*, ſeu *βραβεῖς*, & *βραβευτάς*. Dicebanturque *βραβεύειν ἀγῶνα*. Hinc *παραβραβεύειν*, & *παραβραβεύοντες* dicebantur qui præmia illis qui præmia meriti eſſent, ſuis ſuffragijs dempta in immeritos conferebant. Id quod diſertim Plutarchus enunciat his verbis, loquens de his iudicibus, *χαριζόμενοι περὶ τὰς χειροτονίας, ἐξ ὧν προσηκόντων ἀρχὰς καὶ στεφάνους ἄλλοις, καὶ δόξας, ἀφαιροῦνται τὸ ἔνδοξον αὐτῶν καὶ τὸ καλόν*. qui, cùm ventum eſt ad ſuffragia, & alijs magiſtratus largiuntur & coronas & gloriam è non conuenientibus, [id eſt ex ijs in quibus nullum eſt meritum] ipſi ſibi auferunt nobilitatem, & [ſiquid in ipſis eſt] præclarum. Neque verò omnes iudices ſimul & promiſcuè de omnibus certaminibus iudicabant. Certè ex his tres de equorum curſu, totidem de quinquertio; de cæteris certaminibus reliqui cognoſcebant. Hi iudices iuſtiſſimè iudicare credebantur. Vnde locus apophthegmati cuidam Laconico, cui autor Agis. Nam quibuſdam laudãtibus hos iudices quòd in Olympico certamine iuſtiſſimi eſſent. Et quid magnum, inquit Agis, aut admirabile, ſi toto quinquennio ſemel tantùm iuſtè iudicant? Nam alioquin *οἱ μετὰ φθόνου κρίνοντες τὰ πρωτεῖα ἀπονέμουσι τοῖς χείροσι*, qui iudicant cum inuidia primum præmium diſtribuunt peſſimis. Hinc eſt quod verè & eleganter Pindarus coronas Olympicas vocauit *θεμιπλέκτους*, ac ſi dicat, ab ipſa Themide plexas & contextas; ac

Xenoph. in Reſp. Lacedam.
Lucian. adu. indoct.
Lucian. piſcat. ſeu reuiuiſc.
Pauſan. lib. 5.
Philoſtrat. vita Apoll. lib. 3.
Pollux lib. 8.
Lucian. in Hermo. ſiue de ſect.
Etymol. βραβευτά. & βραβεύει.
Plutarch. ſymp. 7.
Plutarch. π. τῶν δ[illegible].
Pauſan. lib. 5.
Plutarch apophth. Lacon. 381. & in Lycur.
Stob. ex Anax. π. φθόνου.

proinde nullo gratiæ aut fauoris intuitu datas. Nam cui datę ſunt, hic eſt, vt Plato ait, *νικηφόρος ἀρετῇ*, virtute victor. Pindarus de his coronis,

Plato lib. 5. de Rep.

πέμψαν θεμιτπλέκτοις ἀμφὶ
Λατοΐδα στεφάνοις
Ἐκ τᾶς ἱερᾶς Σικυῶνος.

Pindar. Nem. od. 6.

miſerunt ex ſacra Sicyone cum Latoidę coronis à Themide textis. Præter iudices erãt illi qui dicti ſunt *εἰσαγωγοὶ* introductores, quòd per eos athletæ in ſtadium inducerentur. Et verò Plato agens de certamine monodiæ, hoc nomine cenſet eum qui athletas in theatrum inducit, *ἱκανὸς δ' εἰς ἄρχων αὐτοῖς μὴ ἔλαττον πετταράκοντα γεγονὼς ἐτῶν, ἱκανὸς δ' καὶ περὶ μονῳδίαν εἷς μὴ ἔλαττον ἢ τριάκοντα γεγονὼς ἐτῶν, εἰσαγωγεύς τ' εἶναι, καὶ τοῖς ἁμιλλωμένοις ἱκανῶς ἀποδιδούς*. Vnus autem ille princeps ſatis eſt qui non minùs quàm quadraginta annos ſit natus. Vnum quoque in monodia ſufficere arbitramur, qui eâdem illa ſit ætate; qui & perſonas in theatrum opportunè inducat, & de certantium virtutibus certa idoneaque ſententia conſtituat. Itaque iſti *εἰσαγωγεῖς* eos in certamina inducebant, quorum iam inter athletas recepta nomina, id eſt, ſuper quorum meritis multa cognitio fuerat. Ad quem morem Demoſthenes alludens, ait, diligenter inquiri in ſe, vt inde ſciri poſſit, an corona dignus ſit. *ἐγὼ μὲν ὑπὲρ τῷ στεφανωθῆναι δοκιμάζομαι*. Aderat & is, cui nomen *ἀλυτάρχης, ὁ τῆς ἐν τῷ ὀλυμπιακῷ ἀγῶνι εὐκοσμίας ἄρχων*, qui in Olympico certamine decentiæ exactor erat; nempe præfectus ijs quos vocabant, *ἀλύτας*, & *ῥαβδοφόρους*, moribus ac decori præpoſitos. Pueris & pædagogis, inquit Plato, frequentique populo virga magiſterij illius inſigni, actionem illam ornante, admonitio fiebat. Poſtremò, in his ludis clareſcebat is cui nomen Aleiptes, vnctor, *παγκρατιάζουσι δ' εἰς τὸ στάδιον οἱ ἀθληταί. καὶ δὴ ἐκ τούτων περιγίγνεται ὁ πειθήνιος τῷ ἀλείπτῃ γενόμενος*. In ſtadio autem decertant athletæ. Et ex his vtique ſuperat is qui aliptæ paruerit. Nam aliptes dicebatur is, qui athletarum exercitationibus præerat. *τοῖς ἀθληταῖς οἱ ἀλεῖπται παραγγέλλουσι μὴ κόπτειν*, &c. inquit Philo, quem locum ſupra ſum interpretatus. & alibi loquens de virtutibus, quarum, inquit, athleta eſt Iacob exercitatus in lucta aduerſus affectus, *ἀγγέλοις ἀλείπταις λόγοις χρώμενος* vſus nuntijs ſermonibus [vt] aleiptis, i. doctoribus, ſuæque exercitationi præfectis. Alio item loco, *τούτοις ἀλείπταις χρώμενος ὁ νοῦς μηδὲν ἐλλείπῃ τῶν πρὸς ἄσκησιν*, &c. his aliptis vſa mens nihil eorum prætermittat quæ pertinent ad exercitationem. Alibi in Moſe, *τοὺς ἀρετῆς ἄθλοις Μωσῆς διῆθλει, τὸν ἀλείπτην ἔχων ἐν ἑαυτῷ λογισμὸν ἀστεῖον, ὑφ' οὗ γυμναζόμενος*, &c. Virtutis certamina Moſes decertauit, aleipten habens in ſe ipſo ratiocinationem probam, ſub

Plato lib. 6. de leg.

Demoſth. de cor.

Etymol. ἀλυτάρχης.

Plato lib. 3. de leg.

Clem. Alex. ſtrom. lib. 7.

Philo ἀλληγ. 1.

Philo π. τοῦ ἐξ. Νωέ.

Philo π. ἀποικ.

Philo π. βίο. Μωσ.

qua exercitus, &c. Hoc genus prefecturæ ἐπιστατικὸν vocat Callicratides ſimile illi quod habet medicus in ægrotos, ac magiſter in diſcipulos.

Stob. οἰκονομ... τῷ

CAPVT XII.

Athletæ in gymnicis nudi deſcendebant in arenam. Prout cuique pari ſors obtigiſſet, eo ordine pugnabant. Id ferè ipſum ſeruabatur in muſicis certaminibus: In muſicis athletæ prodibant coronati. Locus in quo ponebantur coronæ. Præcones ibi cur inſtituti. Singulorum victoriæ referebantur in commentarium. Cuinam liceat ſe renuntiare victorem. Quales præcones fuerint coronati. A quo victores educerentur.

AD gymnica certamina conſtat athletas deſcendiſſe nudos, id ipſum ferè monſtrante nomine certaminum. Memorat Lucianus, Euangelum illum Tarentinum cupidum vincendi Pythia vidiſſe, non poſſe fieri vt ſuperior euaderet in certaminibus ijs vbi nudi certant; quippe qui neque viribus, neque pernicitate præditus eſſet. Diſertim Apollonius diſputans cum gymnoſophiſtis Ægyptijs, ait, eos deſcendere nudos in Olympiam ex inſtituto Herculis. Porrò prodibāt ad certamen ea ratione quæ deſcribitur à Luciano his verbis, vrna argentea Deo [cuius, ſcilicet, erat certamen] in medio proponitur. In hanc paruæ quædam ſortes conijciuntur, propemodum fabæ magnitudine literis inſcriptæ, ſiue literatæ. Inſcribuntur autem duę, vtraque litera α. In duobus verò β, & in alijs duabus γ, ac deinceps eadem ratione inſcribuntur alię, ſi athletæ fuerint plures, ita vt ſemper binæ ſortes ijſdem ſint inſcriptæ literis. Accedunt deinde ſinguli athletæ, & ſuſceptis Ioui votis ſupplicāt. Quiſque immiſſa in vrnam manu, vnam è ſortibus extrahit, & poſt illum alius. Et adſtans flagellifer ſingulis, protenſa manu obſtat ne legantur literæ quæ à ſingulis extractæ ſunt. Cùm ſinguli ſingulas ſortes habent, tum demum Alytarches, opinor, aut vnus è iudicibus (neque enim ampliùs memoria teneo) circumeundo contemplatur & explorat ſortes in orbem conſiſtentium. Et ſic eum qui habet α cum altero α quoque inſcriptum habente aut lucta, aut pancratio decertaturum committit. Deinde ſimili ratione qui β habet extractū cum altero eiuſdem literæ. Qui tenor componendi [athletas] ſeruatur etiam in alijs conſimilium literarum ſortes habentibus. Sic quidem ſi par athletarum numerus ſit, veluti octo, aut quatuor, aut duodecim. Si verò diſpares, veluti quinque, ſeptem, nouem, litera quædam ſuperuacua ſorti-

Lucian. de gymn.

Lucian. adu. ind.

Philoſtrat. vita Apoll. lib. 6.

Lucian: Herm ſine deſect.

inſcripta vnà cum alijs in vrnam mittitur, non habens literam ſibi reſpondentem. Qui verò hanc traxerit, præſidet expectans donec alij finitis certaminibus, decertauerint. Neque enim habet literam ſuæ oppoſitam. Eſtque illa non mediocris athletæ felicitas. Quippe qui adhuc viribus integer cum defeſſis congreſſurus ſit. Et hac quidem ratione in gymnicis athletæ committebantur. In Muſicis quoque ſortiebantur quo quiſque ordine cantaret. Et ad certamen cantus, hoc eſt in theatrum non nudi prodibant, vt illi, ſed coronati qua quiſque corona poterat, diuites laurea, nempe aurea, tenuiores Delphica lauru. Cui rei exemplo ſunt Euangelus ille Tarentinus, & Eumelus Eleus apud Lucianum. Cæterùm, coram iudicibus coronæ, præmia Olympicorum, ponebantur ſuper tripode æneo. Et hoc quidem priſco more. Nam poſtea ſtatutæ ſunt ſuper menſa, teſte Pauſania. Athenæus meminit priſci moris, vbi ait, coronas aureas vitigineas poſitas fuiſſe ſuper Delphicis tripodibus. Quem morem expreſſit Virgilius,

Lucian. adu. indoct.

Lucian. adu. indoct.

Pauſan. lib 5.

Athen. lib. 5.

Virgil. lib 5. Æneid.

Munera principio ante oculos, circoq́ue locantur
In medio, ſacri tripodes, virideſq́ue coronæ.

hoc eſt, ſuper tripodibus coronæ. Præſtò aderant præcones, & ipſi primæ & optimæ notę homines. Nam qui flagitioſus eſſet, ab hoc munere arceri hunc, priſci moris fuit. κἂν τις ἐλέγχηται προδότης, inquit Ariſtides, τοῦτον οὐ στεφανοῦν κελεύεις, οὐδὲ κηρύττειν. Siquis factus ſit proditor, hunc neque coronari iubes, neque renuntiari. Iſti præcones propriè vocabãtur δημοκήρυκες & κήρυκες. Horum munus fuit, quam quiſque victoriam retuliſſet, alta voce, eiuſque rei congruẽtia ſigna publicarę, ἓν καὶ ταυτὸν συνδεῖται γνώρισμα, conuenire in vnum idemque ſignum cognitionis. inquit Himerius. Ideoque tales eligebantur qui nihil ἐπίτροχον volubile, nihil ἀσαφὲς durum pronuntiarent. Itaque horum primæ voces erant κελευόντων εὐφημεῖν τῇ πανηγύρει, fauſta omnia generalibus conuentibus precantium. Deinde eos qui victores fuiſſent, renuntiabant. Id quod meridiano tempore fieri ſolitum conijci poteſt ex hoc loco Philoſtrati, vbi ait, athletas in porticu expectare μεσημβρινὸν κήρυγμα, meridianum præconium. nempe cùm omne matutinum tempus vſque ad meridiem certaminibus conſumptum fuiſſet. Nempe finito certamine, cuius athletarum quiſque callidus, & in eo exercitatus. Tantùm hoc dico, in grauioribus certaminibus non continenter & vno ſpiritu rem actam fuiſſe, ſed reſpiraſſe athletas & ſpiritus collegiſſe. ἀθλητὴς διαπνεῖ, καὶ συλλέγει τὸ πνεῦμα deinde vterque ibat in aduerſarium. Hac pugna pugnata, is qui victor fuiſſet dicebatur tradere præconi quod clamaret, vt de Alcibiade Euripides cecinit, referente Plutarcho. Dicit autem Euripides,

Ariſtid. de rhet. orat. 2.

Pollux lib. 3. cap. 30.

Himer. μελ.

Ariſtid. συμβουλ.

Philoſtrat. vita Apoll. lib. 6.

Philo ἀλλη. 3.

Plutarch. Alcib.

inquit, in cantu hæc, Te verò canam ô Climæ fili. Pulchrum victoria. Pulcherrimum (quod nullus alius Græcorum [fecit]) curru primùm currere, & ſecundò ac tertiò; ingredi verò ſine labore bis coronatum olea, præconi tradere quod clamet. Et quomodo ſupra dixi eum qui nullam è certamine coronam referret, Græcis fuiſſe *ἀστεφάνωτον*, incoronatum, id eſt, inglorium, ita quoque eumdem qui à præcone non eſſet renuntiatus victor, vocabant *ἀκήρυκτον*, vt in hoc loco Tyrij Maximi, *ἐγὼ τότε εὐδοκίμως στεφανοῦμαι, τότε κηρύττομαι ἐν τοῖς πανηγύρεσιν. ἕως δὲ νῦν ἀστεφάνωτος εἶναι ὁμολογῶ καὶ ἀκήρυκτος, κἂν ὑμεῖς βοᾶτε.* Ego tunc glorioſè coronor, tunc renuntior in generalibus conuentibus. At vſque nunc incoronatum [me] eſſe fateor, & non renuntiatum, etſi vos clamatis. Ergo quibus publico decreto dabantur coronæ, non priùs eas accipiebant, quàm ea res præconis ore proclamata eſſet. Cuius moris meminit Demoſthenes his verbis, etſi ibi loquitur de coronis quæ dabantur in theatris; Iam quòd ad præconium in theatro attinet, decies millies decem mille proclamatos eſſe prætereo; tum me ipſum priùs eſſe corona donatũ. Sed, Deum immortalem, itane væcors es & ſtupidus, Æſchines, vt intelligere nequeas, ei qui coronatur, eandem contingere felicitatem, vbicunque corona proclametur; ſed propter coronas donãtium vtilitatem in theatro fieri præconium? Nam quotquot audiuerunt, hi ad bene de Rep. merendum excitantur, & eos qui gratiam referunt, magis laudant, quàm eum qui coronatur. Poſt hæc verba recitat legem qua cautum eſt, vt quos municipia coronant, earum coronarum præconia fiant in ipſis municipijs. At quos populus Athenienſis coronari iuſſerit, hi in theatro Bacchanalibus proclamentur. Hic verò obſeruo id quod alibi ab ipſo Demoſthene traditur, Si ſenatus coronet, in curia proclamationem fieri oportere, Sin ciuitas, in Pnyce pro concione. Huc accedit, quod inibi quotidie fuerunt inſtituti præcones, ne quis ſe ipſe in certaminibus victorem renuntiaret, *τοὺς στεφανουμένους ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἑτέρους νικῶντας ἀναγορεύειν, τὴν ἀηδίαν τῆς περὶ αὐτολογίας ἀφαιροῦντας.* Coronatos in certaminibus alij, nempe præcones, victores renuntiant, faſtidium de ſe loquẽdi adimentes. Nam & ipſi quoque præcones quandoque è certaminibus victores redibant, accenſa inter externos & indigenas æmulatione. Archias Hyblæus, inquit Pollux, primus è peregrinis decertauit Olympia, & tres Olympiadas ordine vicit, aut victorijs iugiter continuauit. Quæ erat ſumma omnium laudum. Nempe ibi tam ſollicitè, ac tam ſcrupuloſè omnia peragebantur, vt eorum qui hoc victoriæ genus adepti eſſent, nomina in commentarium referrentur. Quem morem demonſtrauit Philo in his verbis, quæ

Tyr. Max. διαλ. λζ.

Demoſth. orat. de cor.

Demoſth. de cor.

Plutarch. περὶ τοῦ ἑαυτ. ἐπαιν. ἀνεπιφθ.

Pollux lib. 4. cap. 12.

Philo περὶ ζῳ.

alibi refero, οἱ τῶ γένος ἀφηγῆται δι' ἀθλητικὴν ῥώμην ἐν ὀλυμπιονίκαις ἢ ἱπποδρομίκαις χάριν), qui generis autores propter athleticam fortitudinem ſcribuntur inter Olympionicos, aut illos qui peritia fle-

Philo ἐν ἀτς. τὸ θεῖον. & π. Αβρ.

ctendi equos circa metam victores renuntiantur. Certè athleta victor inſcribebatur νικηφόρος. Erat etiam moris eius nomen publicis στηλιτεῦσθαι γραφαῖς, incidi ſicuti in columna publicis monumentis. Nec horum tantùm, ſed & illorum qui primò quidem vi-

Plutarch. Ageſ.

ciſſent, ſed poſtea victi eſſent. Id quod palam fit ex hiſce Plutarchi verbis, Poſtremò cùm ille abijſſet, rurſus ab Argiuis decertata ſunt Iſthmia. Et verò quidam iterum vicerunt, id eſt geminata victoria conſpicui fuerunt. Sunt verò qui cùm priùs viciſſent, poſtea victi ſcripti ſunt. Redeo ad rem; & repeto, horum præconum voce victores ideo proclamatos, ne quis ſe ipſe victorem proclamaret. Nam reperti interdum qui hoc ἀμούσως, καὶ παρανόμως, inquit Plutarchus, inciuiliter, & contra legem auſi ſunt. Cuius

Plutarch. π. τῶ ἑαυ. ἐπαιν. ἀνεπιφθ.

notæ fuit Timotheus quidam, qui ſe ipſe victorem impudenter renuntiauit his verbis, Beatus fuiſti Timothee, quòd præco dixit, Vincit Timotheus Mileſius Carbonis ἰωνοκάμπταν. Iſti quoque præcones coronabantur, ſed adhibito aliorum præconum miniſterio.

Cic. lib 5. ep. fam. ad Lucc.ũ.

De qua re hæc Cicero, *Verecundiores eſſe pracones ludorum gymnicorum, qui cùm cateris coronas impoſuerunt victoribus, eorumq́; nomina magna voce pronuntiarunt, cùm ipſi ante ludorum miſſionem corona donentur, alium praconem adhibeant, ne ſua voce ipſi ſe victores pradicent.*

Plato lib. 12. de leg.

Ad hoc exemplum Plato, vbi agit de ſumptuoſa illa electione Cenſorum, diſertim cauet ne quis ſemet eligat; ſed tres eligant, prout quiſque eos præſtantiſſimos dixerit, πλὴν αὑτῶ, ſe excepto. Quamuis hoc aliquando licuerit illis, qui in comparatione virtutum verè ſe huius aut illius victores affirmare poſſunt.

Lucian. Toxari.

Vt Mneſippo dicit Toxaris apud Lucianum. Poëtis quoque ijs qui in muſicis certaminibus victores fuiſſent, ſe ipſos laudare licuit. Et hoc, ſcilicet, non malo more fieri, pluribus docet Ariſti-

Ariſtid. π. τῶ παραφθέγ.

des in ſua illa apologia; potiſſimùm cùm agit de poëtis, qui ſe ipſi canunt ὑπ' αὐλῷ καὶ χορῷ ſub tibia & choro. Hinc manauit hæc locutio apud Græcos, ἀνακηρύττειν ἑαυτὸν, renuntiare ſe ipſum, nempe victorem, hoc eſt, dicere de ſe, & ſuas laudes prædicare. Hîc non prætereundum, quoſdam præcones non fuiſſe coronatos, nempe

Etymol. ἀστυβοῶντας.

illos quos vocabant ἀστυβοῶντας, qui clamabant in vrbe. At illud præconum genus, qui gymnicorum certaminum victores renuntiabant, tum ij quos iura legationis complectebantur, quòd legato comites, & legationi miniſtri aderant, ac proinde ſacri erant & inuiolabiles, aurea corona redimiebantur; quomodo & illi per

Xenoph. hiſt. Græc. lib. 4.

quos hoſtibus induciæ mittebantur. Argiui, inquit Xenophon, miſerunt,

miſerunt, vt ſoliti erant, duos præcones ferentes fœdera. Erat ergo munus magnæ Hercules dignitatis. Certè Nero cum talia certamina decertaret, præconem adhibuit Claudium Rufum virum conſularem. Eius fuit tale præconium, quod ſuprà memoraui. Nero Cæſar vincit certamen, & coronat Romanum populum, & propriam terram. Ab his ludis ducta ſimilitudine Philo eius præconium qui non vnam, ſed omnes habeat virtutes ita recitat ὅτι τῷ θεῷ εὐηρέστησεν, quod Deo placuit. Poſtremò victores à præconibus renunciati, quomodo ad certamen inducti fuerãt ea ratione quam ſupra dixi, ita ab illo educebantur, cui nomen γυμναστής. Cæterùm hæc omnia quæ proximè dicebam, quibus continetur omnis ferè horum ludorum paratus, elegantiſſimè deſcribit Tyrius Maximus in cõparatione viri boni & improbi. Cùm verò bonus vir, inquit, in improbum inciderit, non ex eadem palæſtra egreſſus vterque, neque ſub eodem pædotriba exercitus, neque eandem artem edoctus, neque iiſdem exercitamentis innutritus, neque eiuſdem coronæ cupitor, neque eiuſdem præconij, miſeret me talis pugnæ; inæquale eſt certamen. Neceſſe eſt improbum vincere decertantem in eo ſtadio, vbi improbi ſunt ſpectatores, & certaminum præfecti iniuſti. Nunc cętera perſequar.

Dio. Ner.

Philo πτ. Ἀβρ.

Ariſtid. Milit.

Maxim. Tyr. διαλ. β.

CAP. XIII.

Athletis certaturis tuba ſignum dabatur. Βαλβίς. ὕσπληγξ. ἀφετηρία. νύσσα. *Attingere primam metam quid. Stadium. Curſus* τεχνικός. σταδιοδρόμος, σταδιοδρόμος, δίαυλος. διαυλωνίζειν. δόλιχος. δολιχοδρόμοι. *Curſus* εὐκαμπής.

HIs omnibus peractis, athletæ eum locum inibant, vnde erupturi erant, ſi curſu certaretur. Et in ludis quidem Olympicis quia potiſſimum erat certamen curſus, nullus ipſorum curſui ſe permittebat niſi audito ſigno tubæ. Eam tubam his verbis deſcribit Philoſtratus, ἡ δὲ ἰδέα τῶν Πολέμωνος λόγων θερμὴ καὶ ἐναγώνιος, καὶ τορὸν ἠχοῦσα, ὥσπερ ἡ ὀλυμπικὴ σάλπιγξ. At ſpecies Polemonis orationum feruens erat & pugnax, & vehementer ſonans, quemadmodum Olympica tuba. Tuba quoque in Virgilianis certaminibus audita,

Philoſtrat. in Polem.

Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos. *Virgil. lib. 5. Æneid.*

Ergo hi athletæ, vt ait Sophocles, ſtabant in curribus vbi ſorte eis erant aſſignata loca à ludorum præfectis, poſtea inde proſiliebant ad cantum tubæ.

Sophocl. Elect.

χαλκῆς ὑπαὶ σάλπιγγος ἦξαν.

æręa ſub tuba, id eſt, audito ſono tubæ exilierunt. Tunc tantùm curſores dimittebantur. *Etymol. βαλβίς.* Et vnde veniebant, is locus dicebatur βαλβὶς, & ἀφετηρία. Porrò βαλβὶς conficiebatur è duobus lignis, è quibus duo funiculi tenſi hinc inde. Hinc factum, vt βαλβῖδας vſurpent pro principijs. *Suid. βαλβίς.* Quæ ſingula vt diſtinctiùs, & liquidiùs tradantur, ſciendum eſt, locum vbi erat βαλβὶς, id eſt vnde curſores procurrebant, τόπον τῆς ἀφετηρίας dictum fuiſſe ἄφεσιν τῶν δρομέων. miſſionem curſorum. Et hîc emendandum etymologicon ex autoritate Pollucis, cuius hæc ſunt verba, καὶ ὅθεν μὲν ἀφίενται [οἱ σταδιοδρόμοι] ἄφεσις, καὶ ὕσπληγξ [καλεῖται.] καὶ γραμμὴ, καὶ βαλβίς. ἐφ' ὃ δὲ ὁ κάμπτουσι, νύσσα καὶ καμπτήρ. Quibus è verbis manifeſtò deprehenditur duplex erratum Etymologici. Ibi enim βαλβῖδα, & ἀφετηρίαν confundit cum eo qui eſt καμπτὴρ, & νύσσα, his verbis, βαλβὶς καὶ ἀφετηρία, καὶ ὁ καμπτὸς, [vbi etiam legendum καμπτὴρ, vt apud Suidam, Quod tamen apud vtrumque falſum eſt.] ἤγουν ἡ ἄφεσις τῶν δρομέων. Nam βαλβὶς καὶ ἀφετηρία erant ipſa principia, καμπτὴρ & νύσσα finis curriculi, τέρμα, vt infra dico. Cæterùm βαλβὶς erat locus, ſiue interuallum, quod fuit poſt duo ligna, quorum vtrumque pertingebat eum quę dicebatur ὕσπληγξ, ſic appellatam διὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς βεβηκέναι τοὺς δρομέας, quòd ſuper eam curſores aſcendebant. Qua de re videndus ſcholiaſtes Ariſtophanis *Philo περὶ βί. Μωσ.* in equitibus ad hæc verba, ἄφες ἀπὸ βαλβίδων, & Apollonij Rhodij in dictione ἐκ βαλβίδος. Ergo in balbide omnes attentiſſimè expectabant ſignum curſus, id eſt, quoad caderet ὕσπληγξ. *Lucian Demoſth. encom.* Ac tunc ἀπὸ βαλβίδος ἁμιλλώμενοι ſeſe certatim permittebant curſui. Ergo ſcitè Lucianus, ἀλλ' ἐπὶ τῆς βαλβίδος οὐκ ἀνεμυθολόγεις, ſed ſuper balbide non narrabas fabulas. ac ſi dicat, cùm expectares ſignum curſus, tibi verò tunc non licebat fabulis tempus terere. Eleganter quoque *Philo. εἰς φλακ.* Philo in queſtu Flacci, Harum, inquit, atrocitatum me pœnæ manent, & vltor dæmon. Hæc iam veluti in balbide ſtant, iam iam, ſcilicet, eruptura in me. Omnes in id conueniunt, toti huic loco nomen fuiſſe ἀφετηρίαν, quam interpretantur τὴν θύραν τοῦ ἱπποδρόμου. *Suid. ἀφετηρία.* ianuam curſus equorum. Gloſſarium vertit carceres, & rectè autoritate horum verſuum, Ennij,

Cic. lib. 1. de diuinat.

Expectant, veluti conſul cùm mittere ſignum
Vult, omnes auidi ſpectant ad carceris oras,
Quàm mox emittat pictis ex faucibus currus.

Et hoc quoque loco oras carceris Ennius demonſtrat hyſplengen, de qua hoc dicimus, ea ſicuti quodam repagulo contentos fuiſſe *Plutarch. πολιτ. παραγγ.* curſores ne excurrerēt; ſed ſimul ac ea cecidiſſet, tunc verò omnes certatim & effuſè curſui ſe permiſiſſe. Cadebat autem non ſine rumore, vt ex hoc loco Plutarchi diſcimus, ἐπὶ τῷ λάθρα διήρμῃ, ὀψόφος

τὴν ὕσπληγγος ἐν ὤασιν, ἔνθα καὶ ἐστεφανοῦτο πρεσβεύων ἢ θριαμβεύων, ἢ στρατηγῶν ἐπιφανῶς. vbi autem, quemadmodum de Lada dicunt, rumor erat hyſplengis in auribus [i. in ipſis rerum principijs] ibi & coronabatur legationes obiens, aut triumphans, aut ducis officio præclarè fungens. Quod caderet, & cùm cecidiſſet, è balbide ſtatim excurreretur, diſertim exprimitur in alio Plutarchi loco, *τοῦ μὲν δρόμου, καθάπερ ὕσπληγγος μιᾶς πεσούσης, ἐκδραμεῖν τὰ πάθη πρὸς τὴν φύσιν.* Curſus quidem vt vna hyſplenx cùm ceciderit, excurrere affectus ad generationem. Sed adſunt loca Luciani, quæ hoc vtrumque, & quid ſit *ὕσπληξ* apertè docent, *ἅμα γοῦν ἔπεσεν ἡ ὕσπληξ,* ſimulatque cecidit repagulum, id eſt ſtatim vt ſignum curſus datum eſt, *κἀγὼ ἤδη ἀνακηρύττομαι νενικηκώς, ὑπερπηδήσας τὸ στάδιον, οὐδὲ ἰδόντων ἐνίοτε τῶν θεατῶν,* tunc verò & ipſe jam renuntior viciſſe, ſaltu [non curſu] ſtadium emenſus, ne aduertentibus quidem quandoque ſpectatoribus; id eſt, tanta celeritate curro, vt priùs vicerim quàm quiſquam me victorem eſſe animaduertat. Extat & alius Luciani locus quod hoc ipſum oſtendit, vbi loquitur de ingenuo curſore. *κ' φησὶ γὰρ ὁ μὲν ἀγαθὸς δρομεὺς, τῆς ὕσπληγγος εὐθὺς καταπεσούσης, μόνον τοῦ πρόσω ἐφιέμενος, καὶ τὴν διάνοιαν ἀποτείνας πρὸς τὸ τέρμα, κἀν τοῖς ποσὶ τὴν ἐλπίδα τῆς νίκης ἔχων, τῷ πλησίῳ οὐδὲν κακουργεῖ, οὐδέ τι τῶν κατὰ τοὺς ἀγωνιστὰς πολυπραγμονεῖ.* Ibi ſiquis eſt curſor ingenuus, ſtatim ruptis carceribus primas affectans, & animum ad ſtadij metas adijciens, ſpe victoriæ è pedibus ſuis concepta, neque in proximum quicquam malitioſè machinatur, neque contra antagoniſtas ſuos quicquam [fraudulenter] tentat. Porrò vt *ἀφετηρία* dictus eſt locus vnde certaturi procurrebant, ita *τέρμα* & *νύσσα* fuit is ad quem contendebant, illa ipſa quæ noſtris meta. Propertius,

Has meus ad metas ſudet oportet equus.

Et quidem *νύσσαν* apud Lycophronem interpretor metam,

ἐγὼ δ' ἄκραν βαλβῖδα μηρίνθου χαλῶν
ἄνειμι λοξῶν ἐς διεξόδους ἐπῶν
πρώτην ἀράξας νύσσαν ὡς πτηνὸς δρομεύς.

Ego verò valuam extremam ſoluens à fune Soluor obliquorum in egreſſus verborum, Primam pulſans táquam curſor velox metam. Vbi alij repagula, alij oppidum vertunt. vtrumque non intellecto Lycophrone. Quo loco & *βαλβῖδα* deſcribit, cùm eius funem ſe ſoluere ait, tum ipſam metam ad quam curſor tendit, id eſt, finem quem ſibi ipſe propoſuit. Vtrumque nobis ob oculos ponit Philo cùm ait, non abs re quoſdam monadem aſſimilaſſe *βαλβῖδι, καμπτῆρι δὲ μυριάδα,* & campteri myriadem, *τὸν δὲ μεταξὺ ἀριθμὸν τοῖς δρόμον ἀγωνιζομένοις,* at conterminos numeros illis qui certamen certant. *ἀρχόμενοι γὰρ ἅπαντες ἀπὸ βαλβῖδος φέρονται μονάδος, περὶ μυριάδος τὸ τέλος ἵστανται.*

Plutarch. ſymp. 8.

Lucian. Tim.

Lucian. cal. non tem. cred.

Propert. lib 4.

Lycophr p. princ.

Philo m. ϛιϛ.

nam veluti incipientes à balbide efferri, ſiſtunt finem apud myriadem. Porrò dixit πρώτην νύσσαν ſimilitudine ſtadij Olympici, vbi erant plures νύσσαι, quarum primam Philo vocat πρῶτον καμπτῆρα, ſicut alibi ipſe numero multitudinis memorat καμπτῆρας. Vltima νύσσα Sophocli eſt ἐσχάτη στήλη vltima columna, hoc eſt ὁ καμπτὴρ, vbi erat flexus equorum. Oppianus,

Philo π. φυτ.
Philo π. φυγά.

Ὁπποῖος περὶ νύσσαν ἀεθλοφόρος θοὸς ἵππος,

Oppian. κυνηγ. lib. 4.

qualis circa metam victor celer equus. Hac dictione vſus eſt Philo cùm eleganter dixit omnes numeros circumuolui & circumflecti circa denarium, ſicuti circùm καμπτῆρα. Alibi ait eos qui non feſtinant ire ad terminos à Deo præſcriptos inuenire alios καμπτῆρας interiùs fixos neceſſariarũ poteſtatum. Metaphoricè quoque dictus eſt τοῦ βίου καμπτὴρ vitæ meta, ſeu finis & mors. Quomodo σταδιεῦσαι τὸν βίον, curſum vitæ perficere. Neque verò ad victoriam ſatis fuit attingere primam metam, ac ne alias quidem, niſi peruentum eſſet ad vltimam. Ad hoc exemplum Oenomaus pater Hippodamiæ inſtituerat equeſtre certamen curſus cum procis filiæ ſuæ. Cui curſui ἀφετηρίαν conſtituerat Cladin fluuium, at Iſthmum τέρμα, ſiue νύσσαν. Itaque curſu vincere eſt, πρὸς τὸ τέλος ἥκειν venire ad finem, ſiue μὴ ἀποτυχεῖν τοῦ τέλους τῶν σπευσθέντων, ἀλλ᾽ ἐφικέσθαι τῶν δυσεφίκτων περάτων, non aberrare à fine, ſed peruenire ad difficiles ſuperatu fines. Porrò id omne ſpatium curſus, nempe à carceribus ad metam vocabãt ſtadium; quod dici volunt ἀπὸ τοῦ σπᾶσαι à vellendo, ſcilicet, apio; quaſi ſpadium. Propriè verò ſtadium fuit Olympiæ. Plutarchus, Ποῖον οὖν φαίη τις ἂν τῶν ἀγωνισμάτων γεγονέναι πρῶτον, ἢ τὸ στάδιον, ὥσπερ ὀλυμπιάσιν. Quale igitur dixerit quiſpiam certaminum fuiſſe primum, an ſtadium ſicuti Olympiæ. Stadium Gellius conſtituit Piſis apud Iouem Olympium, quod Hercules ſuis pedibus metatus eſt. Alibi quoque ſimilis locus celebrabatur, hoc eſt, vbicunque exercebantur certamina curſus; vſque eò vt hinc quoque ſurgat laus vrbium celeberrimarum. Ariſtides vbi deſcribit Smyrnam, non omiſit δρόμους ἁπάσης ἰδέας, locum curſus omnis ſpeciei. Certè ad huius Olympici ſtadij ſimilitudinem alia vbique conſpiciebantur, omniaque loca in quibus equi exercebantur ad curſum, hoc nomine cenſentur. Plutarchus, τὰ δὲ στάδια ἦν ἰδεῖν μεστὰ πώλων δαμαζομένων, καὶ νεανίσκων ὁπλομαχούντων. Stadia verò aſpiciebantur plena equinis pullis domitis, & adoleſcentibus qui armati pugnabant. Et Olympiæ quidem athletę dicebantur νικᾶν στάδιον, καὶ τρέχειν δρόμον, currere curſum illum τεχνικὸν artificem, qualem non currit equus ἀχάλινος, ἀδέσποτος, ἀδηφάγος, effrenis, ſine domino ſine ſeſſore, inſatiabilis. Fuit ergo ſtadium τόπος τοῦ ἀγῶνος, totum illud curriculum, ſiue ſpatium quod athletę decurrebant. Dictus quoque eſt δρόμος,

Philo π. κόσμοπ. & π. φυτ.
Philo π. φυγ.
Stob. λόγ. γῆρ. εἰγ.
Philo π. γεωρ.
Philo π. φυτ.
Philo π. φυγάδ.
Oppian. κυνηγ. lib. 4.
Scholiaſt Apoll. Rhod. in lib. 1.
Philo π. ἀποικ.
Etymo. στάδιον.
Plutarch Symp. 3.
Gell. lib. 1. c. 1.
Ariſtid. σμυρ.
Xenoph. hiſt. Græc. lib. 2
Plutarch. Philopœm.
Maxim. Tyr. διαλ. 1.

vt in loco Ariſtidis quem proximè citaui, & alicubi apud Xenophontem; etſi δρόμος propriè fuit curſus peditum, vt apud Platonem διὸ δὴ καὶ τοῖς μὲν ἵπποις ἐκεῖνοι χρῶνται μᾶλλον, δρόμοισι δὲ ἡμεῖς. Quapropter & equis quidem illi vtuntur magis, curſibus autem nos. Fuit ſtadium locus tantæ celebritatis, vt ibi non ſolùm de victoria curſus præconia fierent, verùm & de alia qualibet magna re. Enimuero in ſtadio Iſthmico præco publicauit decretum Senatus quo vniuerſa Græcia renunciata eſt libera. Fuit πιττάχειον, longitudinis pedum ſexcentorum viginti quinque, ſcilicet pars quædam τοῦ λεγομένου μιλίου. ἑπτὰ γὰρ ἥμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον. eius quod dicitur miliare. Nam ſeptem cum dimidio ſtadia faciunt miliare. Stadium item dicitur non ſolùm is locus in quo athletæ decurrebant, verùm etiam ὀρθὸς δρόμος, rectus curſus, nempe à carceribus vſque ad καμπτῆρα, locum vbi flectendum erat. Et is qui currebat hoc ſtadium dicebatur σταδιοδρόμος, vel σταδιοδρόμος vt loquitur Plato, vel σταδιεὺς & σταδιάρχης. At ſtadium duplex, ſiue ſtadij curſum duplicatum vocabant δίαυλον, hoc eſt στάδιον. Nam δίαυλος δύο ἔχει σταδίους. Diaulos duo habet ſtadia. Δίαυλος, inquit Scholiaſtes Ariſtophanis, ὁ διπλοῦν ἔχων τὸν δρόμον ἐν τῇ πορείᾳ, τὸ πληρῶσαι τὸ στάδιον καὶ ὑποστρέψαι. Diaulos [eſt] qui duplicem habet curſum in profectione ad implendum ſtadium, & ad reuertendum. Et tales curſores vocabantur διαυλοδρομοῦντες. Pereleganter Philo facit lunam, poſtquam fuit plena, διαυλοδρομοῦσαν τὴν αὐτὴν ὁδὸν, recurrentẽ eadem via, ſed hoc totum quid ſit hic ipſe ſcriptor enodatiùs tradit, cuius locũ hîc adſcribere mihi viſũ eſt operę pretiũ. loquitur de habitu animę quã dicit eſſe πνεῦμα ἀναστρέφον ἐφ' ἑαυτὸ, ſpiritũ reuertentẽ in ſe. Incipit enim, inquit, à medijs tendere ad vltima. At tacta ſumma ſiue vltima ſuperficie, reflectit rurſus donec in ipſũ perueniat locũ à quo primũ diſceſſit. Hic habitus [eſt] δίαυλος ἄφθαρτος diaulos incorruptibilis quem curſores imitati vt in quadriennalibus omnium hominum publicis theatris ſicuti opus magnum, præclarum, & pro quo meritò ſit decertandũ, oſtendant. Itaque ij qui δίαυλον currebant poſt tactam metam redibant ad ἀφετηρίαν. Alibi Philo hoc ipſum diſertis verbis tradit, οἱ διαυλοδρομοῦντες ἀνακάμπτουσι τὴν αὐτὴν ὁδὸν, qui currunt δίαυλον reflectunt eandem viam. Eleganter Anaxandridas de muliere loquens quæ à viro redit ad domum patris, vtitur hoc verbo, ὁ γὰρ δίαυλος ἐστὶν, inquit, αἰσχύνην ἔχων, ille reditus eſt infamis. Cæterùm priſcis ſtadium erat αὐλός. ἔστι δίαυλος τὰ δύο στάδια, ἀπὸ τοῦ δύο αὐλῶνας ἔχειν. Inde δίαυλος ab eo quod habet duos tractus. In hippodromo quod Romæ ædificauit Agrippa, propter numerum τῶν διαύλων cùm frequenter erraretur, ibi ipſe delphinas & ouata quædam opera, quæ indicarent circumflexus hippodromi, conſtituit.

Plato lib. 1. de leg.
Xenoph. hiſt. Græc. lib. 7.
Gell li. 1. cap. 1.
Polyb. ecl. de legat.
Appian Alex. περὶ ἑλλ. de legat.
Suid. στάδιον.
Suid. διπλ.
Plato lib. 8. de leg.
Pollux lib. 3.
Scholiaſt. Æſchy. in Agam.
Schol Ariſtoph. ὄρνιθ.
Philo π. κόσ.
Philo π. ἀφθ. κόσ.
Stob. γαμικὰ παραγγ. ὁ.
Philo ὅτι ἄτρ. τὸ θεῖον.
Etymo. στάδιον
Xiphil. Aug.

Ipſi adeò venti dicuntur διαυλονίζειν duplex ſtadium currere, id eſt ſua velocitate omnia præuertere. Indeque dicti ἀελλοδρόμοι, & curſum eorum vocabant ἀελλοδρόμον, & νικᾶν ἀελλοδρόμον vincere celerrimum curſum. Vbi aduertendum, eos qui decurrebant δίαυλον fuiſſe armatos. Vnde hic curſus vocatus eſt δρόμος ὁπλίτης militaris. Cæterùm athleta huius duplicati curſus dicebatur ὁ τοῦ διαύλου ἀγωνιστής, καὶ ἀγωνιζόμενος τὸ διπλοῦν στάδιον. Et hæc quidem de ſtadio, & de diaulo. At δόλιχον vocabant τὸν ἱππόδρομον, de quo infra ſeorſim ago. Eſt autem δόλιχος δ' στάδια, quatuor. Et ſic dicitur à longitudine. Nam δολιχὰ ſunt μακρὰ, πολλὰ, longa, multa. Vnde facetum illud Phocionis dictum ſuper victoria Leoſthenis, καλὸν τὸ στάδιον εἶναι δεδιέναι δὲ τοῦ πολέμου τὸν δόλιχον. Pulchrum ſtadium eſſe. Vereri autem [ſe] belli δόλιχον. Item illud, Scio quidem Græcos ſcire & poſſe bellum gerere in ſtadio, at in dolicho minimè. & Philo elegantiſſimè dixit, voluiſſe Deum δολιχεύειν τὴν φύσιν diuturnitatem dare naturæ. Ergo qui currebant ſtadium, medium dolichum currebant, ſed, quod aduertendum, armati. Qui currebant dolichũ, ij equeſtrem curſum currere dicebantur. Et νικᾶν δόλιχον vincere dolichum, erat vincere curſu longiſſimo & perfecto. Et hi curſores dicebantur δολιχοδρόμοι. Et quidem de δολιχοδρόμοις exſtat dictum Socratis, quibus, inquit, crura, παχύνονται craſſeſcunt, at humeri tenuantur. Contra pugiles, quibus humeri craſſeſcunt, crura tenuantur. Illud in primis aduertendum, in dolicho athletam ſepties cucurriſſe, δολιχοδρόμοι δὲ οἱ ἑπτὰ [στάδια] τρέχοντες. Ideoque dicebantur κάμπτειν, ſiue ὑποστρέψαι, flectere ſiue reflectere nempe circa νύσσαν, metam. Et hos equidem puto fuiſſe illos ipſos qui vocabantur περιοδονῖκαι qui cenſebantur vnà cum Olympionicis, vt in hoc loco, οἱ τοῦ γένους ἀρχηγέται δι' ἀθλητικὴν ῥώμην ἐν ὀλυμπιονίκαις ἢ περιοδονίκαις γράφονται, qui generis autores ob athleticum robur ſcribuntur inter Olympionicos, aut eos qui peritia circumflectendi equos victoriam adipiſcuntur. Inuenio apud Pindarum hunc curſum duodecies fuiſſe iteratum.

In proleg. in Pind.
Ariſtoph. ſcholiaſt. ὀρνιθ. & Plato lib. 8. de leg.
Pollux lib. 3. cap. 30.
Plutarch. πολιτ. παραγγ. & in Phoc.
Plutarch. Demoſth.
Philo Iud. περὶ κοσμοπ.
Lucian. Demoſth.
Xenoph. in cõu.
Scholiaſt. Ariſtoph. ὀρνιθ.

Pindar. Pyth. od. 5.

ἀκηράτοις ἀνίαις
ποδαρκέων δυωδεκα-
δρόμων τέμενος.

incorruptis habenis delubrum [curruum] duodecies curſum iterantium velocibus pedibus percurrens. Itaque currebant, & recurrebant, id eſt, contrario curſu redibant ad carceres. Id quod leuiter colligitur è deprauato, aut certè mutilo loco Suidæ, qui ſic legitur, δόλιχος τὸ ἱπποδρόμιον ἀπὸ τοῦ κάμπτειν. Nam illud κάμπτειν indicat quidem flexum qui in dolicho erat neceſſarius, ſed verbis inutilis. Liquidiùs id totum perſpicitur è loco Ariſtidis, vbi con-

Philo περὶ εὐχῶ.
Suid. δολιχὰ.

ſert recurſus Nili à mari vſque ad cataractas, & Meroen. Καὶ τρέχων μὲν, inquit, ἐκ θαλάττης ὁ ποταμὸς ἄχρις ὑποστρέψας ἐπὶ καταρράκτας καὶ μεγάλην, ἄνω φέρεται, ὥσπερ τις ἐν ἀναστρέψαντι δόλιχον τρέχων. Et incipiens à mari fluuius rurſus reflexu ad cataractas & Meroën ſurſum fertur quemadmodum is qui dolichum currit rediens contrario curſu. Ergo hunc curſum vocabant δρόμον τὸν εὐκαμπῆ, flexibilem, id eſt, eum qui, dum ſæpiùs conficitur, ſcienter vitatur meta. Cuius ſenſus optimus interpres eſt Socrates, apud Platonem, vbi ſibi ab Ione iubet recitari verſus Homeri de arte aurigandi, quibus Neſtor Antilochum filium monet εὐλαβηθῆναι τὴν καμπὴν ἐν τῇ ἱπποδρομίᾳ τῇ ἐπὶ Πατρόκλῳ. vti metam opportuno flexu vitet, in equeſtri illo certamine in Patrocli gratiam inſtituto. nam impingere in metam, ſtolidi, aut certè non ſatis exerciti curſoris argumentum fuit. Verſus Homeri hi ſunt, *Ariſtid. Ægypt.* *Plato Ione.*

αὐτὸς δὲ κλινθῆναι * ἐϋπλέκτῳ ἐνὶ δίφρῳ, *ἐϋξέστῳ *Homer. Iliad. ψ.*
Ἦκ' ἐπ' ἀριστερὰ τοῖιν· ἀτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον
Κένσαι ὁμοκλήσας, εἶξαί τέ οἱ ἡνία χερσίν,
Ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω,
Ὡς μέν τοι πλήμνη γε δοάσσεται ἄκρον ἱκέσθαι
Κύκλου ποιητοῖο· λίθου δ' ἀλέασθαι ἐπαυρεῖν.

Ipſe quoque incumbe benefacto in curru Paululum in ſiniſtram horum. At dextrum equum Punge vociferans, daque eis habenas manibus. In ipſo flexu tibi equus ſiniſter appropinquet, vt tibi modiolus videatur ſummum attigiſſe Rotæ benefactæ. In lapidem verò vites impingere. Lapidis autem mẽtionem facit, quia metam duo lapides conſtituebant, qualis deſcribitur ab hoc ipſo poëta, in ijs verſibus, qui hos, quos retuli, nullo interuallo præcedunt. Monetur ergo Archilocus vt diligenter vitet metam. Id quod multæ artis, pariſque exercitationis opus fuit. Horatius,

- metaq́ue feruidis *Horat. lib. 1. od. 1.*
Euitata rotis.

Plato in ſuis legibus hoc totum negotium ſic ordinat; Primùm ſtadij curſorem præco vocet, quemadmodum nunc fieri ſolet. Ille verò cum armis ſtadium ingrediatur. Nam inermi athletæ præmia non ponimus. Primus itaque armatus curſor ingrediatur. Deinde is qui ſtadium curſu iterat, quem διαυλοδρόμον vocant. Tertius qui equeſtrem curſum conficit. Quartus longius curriculum decurrit, cui δολιχοδρόμος nomen. Et quintus quem primò quidem armatum dimittemus, in ſexaginta ſtadiorum longitudinem, ad aliquod Martis Fanum; & tertius militem grauioris armaturæ, id eſt, ὁπλίτην cognominantes qui planiore via decertet. Alium verò ſagittarium, omni ſagittarum, arcuumque ornatu ha-

bituque munitum, qui centum ſtadia ad Apollinis & Dianæ ædem per montoſam regionem decertans contendat; & conſtituto certamine, eos expectabimus donec venerint, & victori præmia tribuemus.

CAPVT XIV.

Quo genere curſus in ludis Olympicis certaretur. Ordo certaminum antiquitus qualis fuerit. Quis primus inſtituerit curſum Olympicum. Pernicitas. Munus curſorii. Subligaculum: Curſus peditum grauioris armaturæ.

Plutarch. ſymp. 2. probl. 5. CÆTERVM in Olympicis ludis fuit curſus pedum, equorum, quadrigatum, mulorum & mularum. De quibus ſingulis neceſſaria prodam. Et primùm aio hoc certamen curſus priſcos tertium ordine poſuiſſe, aut etiam quartum. Nam pugilarum primo, luctam ſecundo, iaculum tertio; pedibus, hoc eſt, curſu certare vt vltimo loco, ita in maxima laude ponebant. Id quod demonſtratur in his verſibus Homeri, vbi agitur de funere Patrocli, & Achilles Neſtorem alloquitur.

Homer. Iliad. ψ.

—— δίδωμι δέ τοι τόδ' ἄεθλον
Αὔτως. οὐ γὰρ πύξ γε μαχήσεαι, οὐδὲ παλαίσεις,
Οὐδ' ἔτ' ἀκοντισὺν ἐνδύσεαι, οὐδὲ πόδεσσι
Θεύσεαι.

Do autem hoc tibi præmium Gratis: non enim cæſtibus pugnabis, neque luctaberis, Neque iaculorum certamen inibis, neque pedibus curres. Cui Neſtor ſimiliter reſpondet,

Πὺξ μὲν ἐνίκησα Κλυτομήδεα Ἤνοπος υἱόν.
Ἀγκαῖον δὲ πάλῃ Πλευρώνιον, ὅς μοι ἀνέστη·
Ἴφικλον δὲ πόδεσσι παρέδραμον ἐσθλὸν ἐόντα.

Pugnis quidem vici Clytomedea Enopis filium: Ancæum verò lucta Pleuronium, Qui in me ſurrexit. Iphiclum autem pedibus præcurri fortem exiſtentem. Quem Homeri locum citat Ariſtides. Et cùm Vlyſſes prouocaret Phæacas aut pugnis, aut lucta, aut pedibus, ibi Alcinous reſpondit, Neque ſumus pugiles, neque luctatores, Sed pedibus celeriter currimus. Et hic quidem antiquitus fuit ordo certaminum. Hoc autem inſtitutum curſus fluxit à primis ludis Olympicis, in quibus Apollo Mercuriũ de curſu ſecum certantem præuertiſſe, & Martem pugilatu ſuperaſſe dicitur. Reperio tamen Orſippum quendam Lacedæmonium circa triceſimam ſecundam Olympiadem primum inſtituiſſe curſum Olympicum, & quidem nudum. Vnde & locus & ipſum certamen dicta ſunt

Ariſtid. π. τοῦ παραφθέγματος. *Pauſan. lib 5.* *Etymol. γυμνάσια.*

ſunt γυμνάσια, quaſi nudalia. Inuenio quoque Herculem primum dediſſe ſpecimen huius certaminis, cùm Amazonem Ællam, quæ à pernicitate ſic dicta eſt, curſu vicit. Huius quoque certaminis præclarum exemplum eſt in Homero, vbi deſcribitur Antilochus admirabili pernicitate pollens, *Diodor. Sic. lib. 5. antiq.*

— ὁ γὰρ αὖτε νέους ποσὶ πάντας ἐνίκα·
στὰν δὲ μεταστοιχεὶ, σήμηνε δὲ τέρματ' Ἀχιλλεύς. *Iliad. ψ.*

Hic enim iuuenes pedibus omnes vincebat. Steterunt autem ordine, oſtenditque metam Achilles. Hac ipſa curſus victoria alibi donat Orſilochum,

Ὀρσίλοχον πόδας ὠκὺν, ὃς ἐν Κρήτῃ εὐρείῃ
Ἀνέρας ἀλφηστὰς νίκα ταχέεσσι πόδεσσιν. *Odyſſ. ν.*

Orſilochum pedes celerem qui in Creta lata viros artifices vincebat citis pedibus. Hoc vetuſtiſſimo exemplo Ouidius Atalantæ victrici coronam dat.

- decurſa nouiſſima meta eſt,
Et tegitur feſta victrix Atalanta corona. *Ouid. lib. 10. Metam.*

De hac pernicitate eleganter Artemidorus, θᾶττον γὰρ, inquit, καὶ ὡς εἰπεῖν, ἐκ πυρὸς ἁρπάζουσι τὰ σκέλη. citius enim, &, vt ſic dicam, ex igne rapiunt crura. Memoratur quoque Polymneſtoris Mileſij pueri athletæ pernicitas vt inſignis. *Is enim cùm à matre*, inquit Solinus, *locatus eſſet ad caprarios paſtus, ludicro leporem conſecutus eſt. Et ob id ſtatim productus à gregis domino Olympiade ſexta & quadrageſima victor in ſtadio meruit coronam.* Talium curſorum apud priſcos nunquam non præcipua fit mentio, vt Criſonis illius cuius meminit Socrates apud Platonem. Silius Italicus hoc genus victoriæ expreſſit his verbis, vincere planta, vbi deſcribit hæc certamina. *Artemid. lib. 1. cap. 50.* *Solin. lib. c. 6.* *Plato in Protag.*

Quique armis ferroq; valent, quiq; arte regendi
Quadriiugos pollent currus; queis vincere planta
Spes eſt, & ſtudium iaculis impellere ventos,
Adſint, & pulchræ certent de laude coronæ. *Sil. Ital. lib. 16.*

Alibi eodem libro,

His actis, ductor læta ad certamina plantæ
Inuitat, poſitiſq; accendit pectora donis.

Virgilius vocat pedum curſum. Cæterùm curſoribus, τοῖς δρομικοῖς, inquam, γυμναζομένοις præcipuum munus, ſiue ſummum opus eſt, πλεῖστον ἀπολιπεῖν, καὶ πορρωτάτω διαστῆναι, plurimum relinquere [poſt ſe antagoniſtam ſuum] & longiſſimè [ab eo] diſtare. Porrò hi curſores, quòd nudi prodibant ad certamen, vtebantur ſubligaculo, ſiue Zona. Qui mos lege firmatus manauit ab Orſippo illo Lacedæmonio, cuius ſupra memini. Is enim, ſoluto ſuo ſubliga- *Virgil. lib. 5.* *Plutarch. ſymp. 2. probl. 4.* *Etymol. γυμνάζω.*

culo, ſiue zona in mœrorem prolapſus eſt. Inde & mos, & lex apud priſcos, qua cautum, vt περιζώματα ferantur velandis pudendis, quæ Clementi Alexandrino ſunt διαζώσματα. Quo de more extant hi verſus apud Q. Calabrum,

Clem. Alex. pædag. lib. 2. c. 5.
Q. Calab. lib. 4.

ἀμφὶ δ' ἄρα ζώσαντο θοῶς περὶ μήδεα χερσὶν
φάρεα. πάντα δ' ἔνερθεν, ἄτερ θέμις, ἐκρύψαντο,
αἰδόμεναι Πηλῆος ἐυσθενέος παράκοιτιν,
ἄλλας τ' εἰναλίας Νηρηΐδας ὅσσαι ἅμ' αὐτῇ
ἤλυθον Ἀργείων κρατεροὺς ἐσιδέσθαι ἀέθλους.

Mox igitur religant manibus circùm inguina feminalia, & ſubter ventrem partes, quas tegi decet, velant. Verecundia dignantes potentis Pelei vxorem, Et cæteras maris incolas Nereides, quæ cum ipſa venerant fortia Argiuûm certamina ſpectatum. Lacedæmonij adoleſcentes venationes, tum curſus & recurſus conficiunt ἀνυπόδετοι excalceati, ſiue nudis pedibus. Et hic quidem fuit curſus peditum. Cui addendus eſt curſus peditum grauioris armaturæ, bellicis excurſionibus ſimillima exercitatio. Nam ſcuto protecti decurrebant. Hæc mihi omnia, inquit Plutarchus, loquens de ludis gymnicis, videntur eſſe imitamenta & exercitamenta rei bellicæ. Certè talis exercitationis vtilitas potiſſimùm perſpicitur in curſibus, & excurſibus, in aggrediendo, in vitando, in oppugnatione & propugnatione, talibuſque.

Stob. πε. νόμ. κ ἐθ.
Plutarch. ſymp.

CAP. XV.

ἱπποδρομία curſus equorum. Ludicrum Circenſium. Circenſes equi. κέλητες. Certamina quadrigarum. Currus quadriiuges, & quadriiugi, & quadrigarij. Olympia propriè fuit certamen curſus & quadrigarum. Equi ἀγωνισταί, & ἀθλοφόροι. Hi equi ſine dominis victoriam adepti, & ideo palma donati. Quadrigæ è mulis & mulabus. κάλπη. ἀπήνητες. Currus agonum.

SEQVITVR curſus equorum, cuius coronam primus Iolaus, equas ab Hercule mutuatus, accepit. Hoc certamen vocabant ἱπποδρομίαν, ἀγῶνα ἱπποδρομίας. eiuſque ſpatium ἱππικὸν διάστημα, quod erat quatuor ſtadiorum. Talis curſus apud Homerum eſt exẽplum luculentiſſimum, quod ita Plutarchus interpretatur. Cùm Achilles videret Menelaum & Antilochum altercãtes de ſecundis præmijs τῆς ἱπποδρομίας, ac veritus ne ira & contentione vlteriùs progrederentur, alij vult præmium reddere; verbis quidem Eumeli miſertus, eumque honorans. At re ipſa auferens cauſam eius conten-

Pauſan. lib 5.
Plutarch. Sol.
Philo τὸ χεῖρ. τῷ κρειττ. ἐπιτιθ.
Plutarch. probl. lib. 2.

tionis quę erat inter ipſos. Hęc ἱπποδρομία fuit genus antiquiſſimę & nobiliſſimæ exercitationis, de qua aliquid ſupra dixi in dolicho. Hanc apud Veios viguiſſe Plutarchus memorat, cui ſenſim acceſſerunt quadrigæ, quæ priſcis heroibus fermè fuerunt ignotæ. *Romæ quoque propter felicem Sabinarum raptum*, inquit Hieronymus, *Conſo quaſi conſiliorum Deo quadrigæ ſepteno currebant circumitu, & equos partis aduerſæ fregiſſe, victoria erat.* Hæc certamina Romæ dicebantur Ludi Circenſes, ſiue Ludicrum Circenſium, quod, vt Tacitus ait, *pluribus equorum curſibus, tum quadrigis, & deſultore miſſo celebrabatur.* Ibi velocitas equorum, & ars hominum curribus inſiſtentium cernebatur. Certè talium certaminum indictio dici potuit ſimulachrum decurrentis exercitus, in quibus qui dexteritate, & fortitudine cæteris præſtitiſſet, coronabatur. Qua de re hæc Tertullianus, licet parum ſyncera atque adeò mutila. *Circenſium paulo pompatior ſuggeſtus, Quibus propriè hęc nomen pompa præcedit, quorum ſit in ſemet ipſa probans, de ſimulachrorum ſerie, de imaginum agmine, de curribus, de thenſis, de armamaxis, de ſedibus, de coronis, de exuuijs.* Cæterùm curſus equorum fuit ſine quadrigis. Hi equi Græcis erant κέλητες qui ab vno ſeſſore agitabantur & regebantur. Plutarchus inter illa tria quæ vno eodemque tempore Philippo patri Alexandri Magni nuntiata ſunt, altero loco ponit eum Ὀλυμπιάσιν ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι, Olympijs equo celete viciſſe. Noſtris is qui talem curſum currebat, dicebatur eques deſultor, & deſultorius, vt apud M. Tullium, *Reſpondebo igitur Poſthumio primùm, qui neſcio quo pacto mihi videtur Prætorius candidatus in Conſularem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum incurrere.* Id quod fuit argumentum dementiæ, nempe celetem audere ſe obijcere currenti quadrigario, à quo haud dubiè futurum eſt vt proſternatur. Omnia hęc certamina ſiue pedum velocitate fierēt, ſiue equo deſultorio, ſiue quadrigis, vnica dictione curſus exprimebantur. Et ſic plerunque loquebantur. Autor ad Herennium, *Quaſi ſi quis ad Olympiacum venerit curſum, & ſteterit, impudenteſq; illos dicat eſſe qui currere cœperint; ipſe intra carcerem ſtet; & narret alijs quomodo Ladas, aut Boius cum Sicyonijs curſitarit.* Porrò etſi in omnibus ludis omnis generis ſpectácula edebantur, tamen ludorum Olympicorum quadrigę propriæ fuerūt. Olympiæ, inquam, quòd ibi tantùm ludos actos eſſe non Elide firmat Strabo, contra id quod diſertim ab Hygino traditum eſt, Elide, quæ vrbs eſt in Peloponneſo, certamina quadrigarum primò fuiſſe inſtituta. Itaq; Olympica certamina quadrigarum à quatuor equis iunctis ſic dicta, qui trahebant currus quadriiuges ſiue quadriiugos, vt apud Virgilium effuſum in laudes Cæſaris, & loquentem de hiſce

Plutarch. Public.
Philoſtr. in Amphiarao.
Hieron. in vita D. Hilarion.
Tacit. lib. 15. Annal.
Tertull lib. de ſpectacul.
Plutarch. Alex. Mag.
Cic. in orat. pro Mur.
Autor rhet. ad Herenn. lib. 4.
Strabo lib 8.
Hygin. fab.

Olympicis curribus, aut ijs qui ſimiles eſſent Olympicis, in ijs verſibus quos ſupra citaui.

Virgil. lib. 3. Georg.

> *Illi victor ego, & Tyrio conſpectus in oſtro*
> *Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.*

Et hunc, ſcilicet, Tertullianus vocat quadrigarium furorem; & Statius certamen quadriiugum.

Stat. li. 6. Theb.

> *Haud procul Herculeam Nemeen clamore reductus*
> *Aſpicit, atque illic ingens certaminis inſtar*
> *Quadriiugi.*

Sueton. Ner. cap. 25.

Quid, quod Neronem, ne parum inſaniret, Suetonius memorat *Olympijs aurigaſſe curru decemiugi? Quamuis id ipſum in rege Tiridate certamine quodam ſuo reprehendiſſet.* Sed excuſſus curru, ac rurſus repoſitus, cùm perdurare non poſſet, deſtitit ante decurſum. Nec eò ſecius coronatus eſt. Cùm ergo equos legimus victores, quadrigarios accipimus, ἀγωνιςὰς ἵππους, quos poëtæ vocant ἀεθλοφόρους. certamini deſtinatos, ac tandem præmijs donatos.

Citat. Strabo lib. 8.

> Τῷ γὰρ χρεῖος μέγ᾽ ὀφείλετ᾽ ἐν Ἤλιδι δίῃ.
> Τέσσαρες ἀεθλοφόροι ἵπποι.

Grande Neleo debitum in Elide clara debebatur, quatuor victores equi palmam referre ſoliti. Iſti, videlicet, equi in hoc mittebantur ad Olympicam celebritatem, vt curſu cum alijs decertarent. Verba ſunt Hieronis, Ipſe plurimum è Græcis currus alis, & mittis ad conuentus generales. Erant ergo ἀγωνισαὶ καὶ ἀθληταὶ, priuſquam eſſent ἀθλοφόροι, id eſt, priùs erant pernicitate explorati, & ἀξιονικώτατοι victorijs inſignes quàm hoc epithero donarentur. Philoctetę Agamemnon præter cætera munera dedit tales equos,

Xenoph. in Hier. ſiue tyr.
Plutarch. Pompeio.
Xiphil. Calig.
Q. Calab. lib. 9.

> τῷ δ᾽ ἑπτὰ γυναῖκας, εἴκοσι δ᾽ ὠκέας
> ἵππους ἀθλοφόρους.

Nunc verò [accipe] ſeptem puellas, & viginti celeres equos, certaminum palmis nobiles. Erāt ergo tales equi ἄριστοι, καὶ θαυμασιώτατοι καὶ μάλιστα καθ᾽ ἡδονὴν τοῖς θεωροῦσιν, optimi & potiſſimùm admirabiles, quique maximè ſpectātibus voluptatem præberent. Talium equorum iam παρηβηκότων ſeneſcentium tantam Nero rationem habebat, vt eos humanis honoribus coli vellet. Interdum hi equi quoties viciſſent, nominatim demonſtrati ſunt. cuiuſmodi illi Ξανθόπεξ, Φορίνικος, Ἀλφειὸς. Quid, quod & ipſi equi nonnunquam abſque dominis victoriam adepti ſunt? Certè Pindarus ait, equas Chromio acquiſiſſe phialas argenteas,

Ariſtid. κτ̃ τῶν ἐξορχμ.
Xiphil. Ner.
Proleg. in Pind.
Pindar. Nem. od. 9.

> ἀργυρέαισι δὲ νωμά-
> σαι φιάλαισι βιατὰν
> ἀμπέλου παῖδ᾽ ἅς ποθ᾽ ἵπποι
> κτησάμεναι Χρομίῳ.

argenteiſque phialis circumagat violentum filium vitis, quas equę acquiſierunt Chromio. Nam curſus quandoque, præmia præter coronas fuerunt, iuuencæ, & vitulæ, vt apud Q. Calabrum; & phialæ, vt hoc loco apud Pindarum; vbi manifeſtum eſt, Chromium dominum equarum non interfuiſſe curſui; nec ipſum dici victorem, ſed miſiſſe quadrigas & currum, cuius auriga rem peregit. Meritò ergo tales equi ἀθλοφόροι dicti. Sed hoc quidem perſpicuum fit è verbis Plinij qui victoriæ laudem aurigæ ademptam equis tribuit. *Claudij Cæſaris*, inquit, *Secularium ludorum Circenſibus excuſſo in carceribus auriga, albati equi palmam occupauêre, primatumq́; obtinuêre, appoſita effundentes omnia quæ contra æmulos debuiſſent, peritiſſimo auriga inſiſtente.* Is equus cui nomen fuit Pertinax, qui à Commodo adamatus erat, Romæ certamen viciſſe dicitur, ἐνίκησεν ἐν τῇ Ῥώμῃ. Certè cùm ſenuiſſet, nihilominus tamen eum Commodus introduxit in hippodromum, eique vngulas deaurari, eiusque ſuperiora pelle aurea ornari iuſſit. Ergo non mirum eſt, equos quoque palma donari, id eſt, coronæ participes fieri. Animalium ſoli, inquit Plutarchus, conſortium coronæ & certaminis eſt, quia ſolus natura ita conſtitutus, & ita exercitus eſt, vt pugnantibus adſit, & vnà pugnet. Quod autem Plutarchus ait, equum ita exercitum eſſe vt pugnantibus adſit, probat verum eſſe, id quod Philo tradit, illos qui ad ſacra certamina equos alunt, non ſolùm conſulere voluptati, eique oblectationi quæ capitur è ſpectaculis: ſed & equos conſuefacere meditari, & pati labores, atque adeò ſuis hortatibus amorem & æmulationem virtutis & alacritatem eis indere. Non ergo mirum ſi ipſi equi vt exerciti dicuntur vincere. Virgilius equabus tribuit palmas.

—— Eliadum palmas Epeirus equarum.

Cùm equi pugnam commiſerunt, inquit Strabo, is qui victor iudicatur præmium habet. Id ipſum quod de equorum victorijs iſti tradunt firmat Solinus, his verbis, *Ingenia equorum & Claudij Cæſaris Circenſes probarunt, cùm effuſo rectore quadrigæ, curſu æmulos non minus aſtu, quàm velocitate præuerterent; Et poſt decurſa legitima ſpatia ad locum palmæ ſponte conſiſterent, velut victoriæ præmium poſtularent.* Et hac quidem ingenij ſcintilla equus videtur eſſe homini ſimilis. Neque aliter ei præmium dari æquum eſſet. Nempe verum eſt, præmia non dari niſi virtuti. At virtus nuſquam eſt niſi in animo hominis. Etſi quam equus præſtat, veriùs eſt ſimulachrũ virtutis quàm virtus. Ergo hæc propriè non præmia dicuntur, ſed ſimulachra præmiorum, quibus quàm proximè accedit cultus, is quo ornatus fuit equus ille Durateus, proditionis, euerſioniſq́; Troianæ vrbis miniſter. Hunc enim aureo crine ab artifice ſuo dona-

Q. Calab. lib. 4. — *Plin lib 8. c. 42.* — *Xiphil. in Perti.* — *Plutarch ſymp. 2 probl.* — *Philo* [illegible] — *Virgil. lib. 1. Georg.* — *Strabo lib. 17.* — *Solin cap. 47.*

Triphiodor. tum legimus; quam interpres Tryphiodori vertit coronam.

Ξανθῷ πορφυρέησαν ἐπιῤῥαίνας τείχα χρυσῷ.
Ἡ δ' ἐπικυμαίνουσα μετήορος αὐχένι κυρτῷ.
Ἐκ κορυφῆς λοφόεντι κατεσφηκώσατο δεσμῷ.

Flauo purpuream aſpergens coronam auro, Quæ inundans è ſublimi curuæ ceruici. A' vertice colligebatur, criſtata vinculo. τείχα coronam vertit, credo motus loco Q. Calabri, vbi agit de hoc ipſo equo Durateo, quem ait, cùm traheretur in vrbem, fuiſſe ornatum floridis corollis; eoſque à quibus trahebatur, etiam fuiſſe

Q. Calab. li. 12. coronatos. —ἀμφὶ δ' ἄρ αὐτῷ.

πολλὸν ἄδην στεφέων ἐκρέμασαν κόσμον ἔθεντο·
αὐτοὶ δ' ἐστέψαντο κάρη.

circaque ipſum prolixum floridis è corollis ornatum appendunt; ipſi etiam ſertis capita redimiti. Neque verò quadrigæ ex equis tantùm conſtiterunt, ſed & è mulis & mulabus. Et circa mulos quidem hoc fuit obſeruatum, Certamen eorum qui eſſent clitellarij, Olympijs vocatum fuiſſe κάλπην. At bigarum, ἀπήνην. In his ludis mulas quoque fuiſſe iunctas diſcimus è Pindaro.

Pollux lib. 7. cap. 30.

Pindar Olymp. od. 6.

Ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤ-
δη μοι σθένος ἡμιόνων
ᾇ τάχος, ὄφρα κελεύθῳ τ' ἐν καθαρᾷ
βάσομεν ὄκχον, ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν
καὶ γένος, κεῖναι γὰρ ἐξ
ἀλλᾶν, ὁδὸν ἁγεμονεῦσαι
ταύταν ἐπίστανται, στεφάνους ἐν Ὀλυμπίᾳ ἐπεὶ δέξαντο.

Sed ô Phinti iunge iam mihi robur mularum quàm celerrimè, vt via pura ducamus currum, veniamque & ad virorum genus: Illæ enim, præ alijs, viæ duces eſſe huius norunt, coronas apud Olympiam quoniam acceperunt. Cæterùm currus agonum proprio vocabulo dicebantur ἁμιλλητήρια, cùm bellici dicerentur τὰ πολεμιστήρια. Vnde ναυτικὰ naues, aut ædificia nautica quorum Pallas inuentrix eſſe dicitur, ſunt aut εἰρηνικά, pacifica, aut paci accommodata, cuiuſmodi ſunt ὁλκάδες, aut πολεμιστήρια, bellico vſui apta vt triremes. Talium quoque curruum ingens fuit celebritas. Huiuſmodi fuit is quem Argis emit Alcibiades, qua de re, inquit Plutarchus, extat oratio Iſocratis. E' quorum etiam alij erant ἁμιλλητήρια, alij πολεμικοί. Cæterùm, vt ſunt hominum ingenia, in his ſpectaculis curſus, huic ille, alteri alter fautor, & hortator aderat, οἱ τοῖς θεατοῖς διακεχυμένοι, inquit Plato. Quæ ſtudia in hũc aut in illum prona non ſolùm eminebant in loco certaminis, ſed antequam illò peruentum eſſet. Quem ſanè morem elegantiſſimis verbis deſcribit Apollonius apud Philoſtratum, quorum ſenſus hic eſt,

Scholiaſt. Ariſtoph. νεφ. & Xenoph. de inſtit. Cyr. lib. 6. Ariſtid. Παναθ. Plutarch. Alcib. Xenoph. de inſtit. Cy. lib. 6. Plato in Phæd. Philoſtrat. vita Apoll. lib. 5.

Si quis athletam conſpicatus animoſum, ingentem, membrorum proportione compactum ad Olympiam per Arcadiam vadentem propiùs ad illum accedat, eique animos addat, horteturque vt fortiter rem gerat; cùm is è certamine victor redierit, tum demum vetet eum præconis voce victorem proclamari, nec redimire caput oleaſtro, delirare, hercule, videatur, & alienis laboribus illudere, ita &c. Hoc addo, in hiſce certaminibus, in quibus de pernicitate, de dexteritate, de viribus agebatur, non admiſſa fuiſſe ſpectacula muſica. Ideoque certamen Olympicum vocabatur *Lucian. Ner. ſeu in fo. Iſthm.* γυμνικώτατον τῶν ἀγώνων. Et eſt adnotata ſiniſteritas Neronis qui id agebat vt Olympijs coronaretur ob cantum, quo ne ipſis quidem Muſis cedebat.

CAPVT XVI.

Corona Olympica dignitas. Corona Olympica ex oleaſtro. Nuntij victoriæ coronati olea, & cur. Cur olea cum mortuis elata. Oleæ dignitas. Olea eſt Minerua. Iouis quoque eſt olea. μορία. *Oleæ viror.* θαλλὸς. θαλλοφόροι. θαλλοὶ *ſuperſtitionibus adhibiti. Caduceus circumuolutus* θαλλοῖς. θαλλὸς *corona ſapientiæ.*

VT hæc Olympicorum ludorum fuit ingens celebritas, ita corona parta in his ludis honoratiſſimo inter coronas loco fuit. Nam maximis meritis, etiam extra hos ludos Olympicos, dabatur pro maximo præmio. M. Tullius, *Qui tyrannum occiderit,* *Cic. lib. 2. de* *Olympicarum præmium capito; & quam volet ſibi rem à magiſtratu* *inuent.* *depoſcito; & magiſtratus ei concedito.* Cum Iarchas Indicus rex cum Apollonio diſſerens ſatis ſuperque illuſiſſet philoſophis, denique *Philoſtr. vita* dixit, Apud ſe quidem Græcos eſſe nullo pretio. Tunc Apollo- *Apoll. lib. 3.* nius ei reſpondit, nempe ironicè, Renuntiabo hæc, & coronabūt te apud Olympiam, id eſt, quod maximum præmium habent, hoc te donabunt. Hæc corona, vt ſupra dixi, plectebatur ex ea olea, cui nomen κότινος, oleaſter. Oleam quidem in genere victoriæ ſymbolum fuiſſe, hinc liquet, quòd nuntij victoriæ ſæpiſſimè viſi ſunt operti ramis oleæ. Hoc cultu eſt is qui apud Æſchylum Troiam eſſe captam Clytemneſtræ nuntiat. *Æſchyl. Agam.*

κήρυκ᾽ ἀπ᾽ ἀκτῆς τὸν δ᾽ ὁρῶ κατάσκιον
κλάδοις ἐλαίας.

Præconem à littore hunc video vmbratum ramis oleæ. Et hac potiſſimùm de cauſa puto priſci moris fuiſſe, vt olea cùm mortuis efferretur, id eſt, vt ea mortui coronarentur ſicuti victores huma- *Artemid. lib. 4.* norum agonum. Ex Æmylio Probo ſupra dixi, hanc ſolam olea- *cap. 59.*

gineam coronam dictam fuiſſe coronam honoris. Et Plinius ait, *Olea honorem Romanam maieſtatem magnum præbuiſſe, turmas equitum Idibus Iulijs ex ea coronando.* Sed ſi altiùs libet rem de olea, vt ſe habet, inſpicere, vel ex eo huic frondi maximam dignitatem conciliatam inueniemus, quod illi numini dilecta eſt, cuius potiſſimùm in manu eſt nobilis è certamine victoria, & è victoria pax. Nimirum ſub duplici nomine duplicata huius numinis potentia oſtenditur. Et verò quia ſapientes in bello pacem inueniũt, Pallas cùm dicitur, belli, cùm Minerua, pacis præſidem intelligimus. Et verò etſi quandoque vtrumque nomen, & quicquid his nominibus ſignificatur, confunditur, tamen ita miſcentur, vt nihilominus diſtincta cognoſcantur, vt in his verbis Tertulliani, *Quin & olea militiam Minerua coronat, non ſolùm artium, ſed armorum quoque Dea.* Itaque in quolibet negotio ſiue belli, ſiue pacis Minerua ſciri vult, ſe ſibi oleam, vt dilectiſſimam ſepoſuiſſe. Et quidem Homerus oleam facit cuſtodem rerum Vlyſſis, qui ipſus eſſet in tutela Mineruæ. Apud eundem poëtam Pallas & Vlyſſes ſedent ac deliberant apud oliuam. Idem poëta deſcribens antrum Naiadibus ſacrum, ait, in vertice portus eſſe oliuam paſſis ramis. τῷ θαλλῷ, inquit Himerius, ὅταν εἴπω, τὴν θεὸν λέγω, Ἀθηνᾶς, οἶμαι, γνώρισμα, cùm dico, Deam dico, indicium opinor Mineruæ. Etſi Iupiter vnà cum Pallade ſit conſors eius tutelæ ſub qua eſt hæc frons, vt apud Sophoclem,

Plin. li. 15. ca. 4.

Tertull. de cor. mil.

Homer. Oyſſ. γ.

Himer. μιλ.

Sophocl. Oed.

τὴν μὲν [γλαυκᾶν ἐλαίαν] τις οὔτε νέος, οὔτε γήρᾳ
σημαίνων ἁλιώσει χειρὶ πέρσας.
ὁ γὰρ εἰσαιὲν ὁρῶν κύκλος
λεύσσει νιν μορίου Διὸς
χ᾽ ἁ γλαυκῶπις Ἀθάνα.

Hoc quidem [glaucæ folium oleæ] neque iuuenum, nec ſenum quiſquam imperans manibus exſcindere audet. Nam vt hoc cuſtodiant intenti ſunt Iouis Morij oculi, & cæſia Minerua. Sed hoc pertarum, vt Iupiter oleæ præſit vnà cum Pallade. Quin frequentiſſimè hic eſt proprius & peculiaris honos huius Deæ. Certè apud Euripidem chorus alloquẽs Telamonem regem Salaminæ inſulæ, ãit, hanc inſulam primum virentis oliuę ramum Palladi oſtendiſſe, cœleſtem coronam.

Euripid. troad. Actu 3.

ἢ ταῖς ἐπικεκλιμένας
ὄχθοις ἱεροῖσιν ἐλαίας
πρῶτον ἔδειξε κλάδον γλαυκᾶς, Ἀθάνα
οὐράνιον στέφανον
λιπαραῖσι κόσμον Ἀθήναις.

Quæ

Quæ inuocatæ ſacris littoribus oliuæ primum oſtendit ramum flauæ, Palladi ſactam coronam, ſplendidis ornatum Athenis. Quorum verſuum interpretatio ſumi debet è priſca fabula, quam non facile alibi reperias integram, quàm apud Conſtantinum Cæſarem. *Conſtātin. Cæſ. lib. 9 cap. 1.* Ea ſic habet, Cùm terra eſſet diluuiata, ac ſenſim quædam eius pars cœpiſſet apparere, ibi continuò Athena, id eſt, Minerua adſtitit. Certè & ipſa & Neptunus loci amœnitate capti cœperūt contendere, vter ipſorum ibi vrbem conderet. Iupiter hanc inter vtrumque numen ortam controuerſiam cupiens dirimere, palam fecit, eius fore vrbem à quo ipſi re optima donatus eſſet. Ibi Neptunus eam portu & naualibus inſtruere cœpit. At Pallas è rupe florentem oleam eduxit vnà cum fructu. Hac fronde Dea coronata, & ab vniuerſis hoc cultu inſignis conſpecta, victrix fuit. Hinc factum, vt ex ipſius nomine vrbi ſit inditum nomē Athenæ, Quo nomine apud Græcos Minerua cenſetur. Victus Neptunus ad ſua redijt. Hinc mos coronandi victores in certaminibus. Ex hac quoque fabula petendus eſt ſenſus loci Pliniani his verbis, *Athenis quoque olea durare traditur in certamine edito à Minerua.* *Plin. lib. 16. cap. 44.* Et hanc quidem Mineruæ dicatam oleam propria dictione vocabant *μορίαν*. Et ramum eius θαλλὸν quaſi floridum, ac vireſcentem. *Etymol. μορίαν.* Et verò oleagineæ coronæ viror potiſſimùm commendatur in loco Euripidis, vbi fabulæ à me narratæ mentio fit. *Euripid. Io. actu 5.*

> στέφανον ἐλαίας ἀμφέθηκά σοι τότε,
> ἣν πρῶτ' Ἀθάνας σκόπελος εἰσηνέγκατο,
> ὅς εἴπερ ἔστιν, οὔπερ ἐκλείπει χλόην.
> θάλλει δ' ἐλαίας ἐξ ἀκηράτου γεγώς.

Sertum ex oliua tum impoſui tibi, quam primùm produxit rupes Palladis. Id ſi adeſt, nondum ſui honoris florem perdidit, Sed viret vſque ex immortali factum olea. Cæteri poëtæ commendant virorem huius arboris. Virgilius, *Virgil. Æneid. lib. 5.*

> *Conſequitur viridi Mneſtheus euinctus oliua.*

Oliuam Martianus Capella, Palladem alloquens, vocat vermicomam, rationem reddens cur Palladi ſit ſacra.

> *Hinc iam vermicoma frondent tibi munera oliua,* *Martian. Cap. lib. 6.*
> *Artes cura vigil per te quòd diſcat oliua.*

Cæterùm etſi hic viror θαλλοῦ nomine expreſſus ſit proprius oleæ, tamen communicatur cum alijs plantis, veluti cum myrto, vt in his verbis Archilochi, ἔχουσα θαλλὸν μυρσίνης ἐτέρπετο. *Etymo. θαλλὸς & θαλλοφόρος.* Id quoque manaſſe à Minerua tradit Ariſtides, νικᾷ μὲν Ἀθηνᾶ, καὶ δείκνυσι τὸν θαλλὸν νίκης εἶναι σύμβολον. Hinc θαλλοφόρος dicebatur ὁ πομπεύων Ἀθήνησι τοῖς Παναθηναίοις, καὶ ἐλαίας κλάδον φέρων, is qui Athenis in Panathenaicis feſtis publicè incedebat geſtans ramum oleæ. Et quod ad hos ra- *Ariſtid. in Panath.*

mos attinet, quibuſdā quoque ſuperſtitionibus adhibitos conſtat. Certè Oedipus apud Sophoclem iubetur ter nouem ramos oleæ ambabus manibus offerre,

Sophoc. in Oed.

Τρὶς ἐννέ' αὐτῇ κλῶνας ἐξ ἀμφοῖν χεροῖν ἐλαίας.

Dinarch in Demoſth.

Inuenio quoque κηρύκεια συμπεπλεγμένα ἐκ τῶν θαλλῶν caducea circumuoluta θαλλοῖς ramis oleaginis. Porrò, quia θαλλὸς, vt dixi, eſt ramus Palladis, ex eo quoque conſtabat corona ſapientiæ. Certè deuicto Xerxe, Lacedæmonij dederunt Euribadi coronam fortitudinis; at Themiſtocli σοφίας ἀριστεῖον θαλλοῦ στέφανον, ſapientiæ præmium oleæ coronam. Quæ corona denegata fuit Miltiadi, autore Sachare Docelco. Itaque veritas apud Lucianum ait, eum qui inuentus fuerit legitimus alumnus philoſophiæ, id eſt, ſapiens, coronatum iri corona oleaginea. ὃν μὲν ἂν εὕρῃ γνήσιον ὡς ἀληθῶς φιλοσοφίας, στεφανωσάτω θαλλοῦ στεφάνῳ. Et paulò infrà, Quem, inquit, videris aurū, gloriam, voluptatem ſpernere, οὗτος ἔστω ὁ τῷ θαλλῷ στεφόμενος, is ſit qui olea coronetur,

Plutarch. Themiſt.

Lucian. piſcat. ſeu reuiuiſc.

CAPVT XVII.

Olea eſt Palladis, quia eſt germana & pura. Palladi ſacrificantes coronantur olea. Olea eſt quoque Apollinis. Olea eſt ſymbolum pacis. Oliuæ ramum cur ſupplices protenderent. Aſylum in coronis. Olea etſi eſt pacifera, non tamen eſt imbellis. Olea eſt Herculis. Oliuo vnguntur fortes athletæ. Olea eſt ſymbolum fortitudinis. Olea glauca.

OLEA quoque eſt Palladis ea re, quòd ſicuti hæc frons ſemper viret, ita oleum quod inde exprimitur, præter cæteros liquores ὡς ἀδιάφθορον ὂν δι' ἄλλου χυμοῦ, ἀλλὰ καθαρὸν ἀεὶ μένει, præditum eſt germana quadam vi, tempeſtiuumque manet ac ſyncerum. Hancque ob cauſam virgini eam maximè conuenire aiunt, vt eam quæ caſtitati adhæret. Valerius Flaccus,

Phornut. in Miner.

Valer Flacc. lib. 3.

Tempora tum vittis, & ſupplice caſtus oliua
Implicat.

Conſtātin Caſ. lib. 9. cap. 2.

Id quod vſque eò verum eſt, vt, qui colunt oleam puram, hos quoque puros, hoc eſt, caſtos eſſe oporteat, atque adeò iureiurando firmare ſe ortos è legitimo coitu. Hinc anno ſequenti oleam feraciſſimam fieri aiunt. Enimuerò apud Anazarbum Ciliciæ vrbem iuuenes caſti dediti ſunt cultui huius arboris. Hinc mira oliuarum copia. Et has quidem ob cauſas cùm olea ſit Palladis, non mirum eſt, ſi Palladi ſacrificantes ea coronantur. Cùm Apollonius intromiſſus eſt ad Domitianum, Imperator habuit στέφανον θαλλοῦ quòd

Philoſtr. in vita Apoll. lib. 7.

non ita dudum rem diuinam Palladi fecerat in Aula Adonidis. Cæterùm etſi olea eſt Palladis, tamen quòd Apollinis, vt infra dico, victoria propria eſt, hæc quoque frons huic numini grata eſt. Argonautæ cùm Apollini littorali aram erexiſſent, eam teneræ oliuæ ramis cooperuerunt, vt videre eſt in his verſibus,

Ἔνθεν δ' αὖ λάϊγγας ἁλὸς σχεδὸν ὀχλίζοντες
Νήεον αὐτόθι βωμὸν ἐπακτίου Ἀπόλλωνος·
Ἀκτίου ἐμβασίοιό τ' ἐπώνυμον. ὦκα δὲ τοίγε
Φιτροὺς ἀζαλέης στόρεσαν καθύπερθεν ἐλαίης. Apollon. Rhod. lib. 1.

Inde verò rurſus lapillos maris mouentes Erigebant ibidem aram ad littoralis Apollinis littoralis embaſij cognomento. Statim verò hi ramos teneræ ſtrauerunt deſuper oliuæ. Tot dotibus cùm emineat olea, ijs, inquam, quæ propriæ ſunt pacis, non mirum eſt, factam eſſe ſymbolum tanti boni. Virgilius ait, ſe ad ædem Cæſaſaris laturum dona, & quidem redimitum oliua, quò bona pacis altius efferat.

Ipſe caput tonſæ folijs ornatus oliuæ
Dona feram. Virgil. lib. 3. Georg.

Idem alibi facit Æneam prætendentem ramum oliuæ, ficuti ferentem pacem.

Paciferaq́ manu ramum prætendit oliuæ. Virgil. 8 Æneid.

Et paulò infra vbi facit Æneam alloquentem Euandrum, ait,

Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Vitta, id eſt lana, vt alibi dico. ſiquidem lanam quoque antiquitas voluit eſſe argumentum pacis. Prudentius oleam reuincit honore pacis,

Tu decem ſanctos reuehes, & octo Prudent. periſteph.
Cæſar Auguſta ſtudioſa Chriſti,
Verticem flauis oleis reuincta
Pacis honore.

Hinc eſt quod idem Prudentius, diſcordiam, quæ id agit vt concordiam fraude euertat, facit redimitam olea, ſicuti paciferam.

Ipſa redimitos olea frondente capillos
Oſtentans, feſtis reſpondit læta choreis. Prudent. pſychomach.
Sed ſicam ſub veſte tegit. Te maxima virtus,
Te ſolam tanto è numero concordia triſti
Fraude petens.

Vult, inquit, videri pacifica, cùm tamen reuera ſit

Vipereum crinem vittis innexa cruentis. Virgil. 6. Æneid.

Porrò olea dicitur quoque eſſe ſymbolum pacis, quòd Minerua cum Neptuno pacem fecit ramis oleæ coronata, vt ſupra dixi in fabula. Et ideo hęc frõs dicitur pacalis, vt apud Ouidiũ de Cynara, Tertul. de cor. mil.

Ouid. lib. 6. Metam. *Circuit extremas oleis pacalibus oras.*

Virgilius facit ſacerdotem olea redimitum.

Virgil. Cir. *Necdum ſolenni lympha perfuſa ſacerdos*
Pallentis folijs caput exornarat oliuæ.

Virgilius hanc ob cauſam Numæ regi Romano autori artium pacis eam tribuit,

Virgil. 6. Ænei. *Quis procul ille autem ramis inſignis oliuæ*
Sacra ferens? noſco crineis, incanaq; menta
Regis Romani, primus qui legibus vrbem
Fundabit, Curibus paruis, & paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

Idem de legatis Latinis occiſos petentibus ad ſepulturam,

Virgil. 11. Ænei. *Iamq; oratores aderant ex vrbe Latina*
Velati ramis oleæ, veniamq; rogantes
Corpora per campos, ferro quæ fuſa iacebant
Redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ.

Hîc notandum, præter cætera oleam eſſe ſymbolum illius qui petit veniam. Cuius rei eſt luculentum exemplum apud Lucianum, (Lucian. Toxari.) vbi Zenothemis filium, quem ex vxore filia Menecratis ſuſceperat, in curiam induxit coronatum frondibus oleagineis, & pulla veſte amictum, quò eſſet miſerabilior. Nempe, oleaginea corona, quam puer geſtabat, veniam quam is pro auo ab Senatu petebat, impetrauit. Oliuam Tertullianus vocat mitem, opimam, neceſſariam. (Tertul. de cor. mil.) Et quidem has omnes ob cauſas huius arboris ramum ſupplices protendebant, ſicuti petentes pacem. Euripides,

Euripid. ſuppl. ἱκτῆρι θαλλῷ προσπιτνοῦσ' ἐμὸν γόνυ.

ſupplici ramo aduoluuntur genubus meis. Et alibi,

Euripid. Heraclid. actu 1. ἱκέται δ' ὄντες ἀγοραίου Διὸς
Βιαζόμεσθα, καὶ στέφη μιαίνεται.

ſupplices enim forenſis Iouis vim patimur, ſertaque profanantur. Vbi adnotandum, aſylum quoddam fuiſſe in coronis; eoſque qui eſſent coronati, eoſdem fuiſſe inuiolabiles. Infra apud eundem Euripidem Macaria loquitur, aitque,

Euripid. Heracl. actu 2. κοὐκ αἰσχυνοῦμαι δῆτ', ἐὰν δή τις λέγῃ,
τί δεῦρ' ἀφίκεσθ' ἱκεσίοισι σὺν κλάδοις;

Non me pudebit, ſi quis dixerit, Quid huc aduenistis ramis cum ſupplicibus? Superiorem ob cauſam noſtris olea quandoque dicta eſt precans. Statius, *-ramumq; precantis oliuæ*
Stat. li. 2. Theb. *Abijcit.*

Ergo legati pacem petentes hunc ramum geſtant, Statius,

Stat. li. 2. Theb. *-ramus manifeſtat oliuæ*
Legatum, cauſasq; viæ,

id eſt, è ramo quem is geſtat, manifeſtum eſt, ab eo peti pacem.

Nec tamen olea quòd eſt pacifera, ideo eſt imbellis. Nec ſatis mirari poſſum quî venerit in mentem Valerio Flacco tam nobilem ramum donare epitheto tam inconueniente. Quippe aliud eſt eſſe amantem ac ſtudioſum pacis, & aliud imbellem. Pacis amans is eſt, cui cùm ſit in manu bellum gerere, bello pacem præfert. Eius tamen hi ſunt verſus. *- externo iam flammea murice cerno* *Valer. Flacc. lib. 5. Argon.*

Tegmina, iam vittas, frondemq́ imbellis oliuæ.

Enimuero hi oleæ rami ferebantur πρὸς ὑπόμνησιν τοῦ γεωργεῖν δεῖν θέλειν καὶ χάριν, καὶ φειδώ τινα εἶναι τῶν ἡμέρων καὶ καρποφόρων φυτῶν, vt admoneantur *Phornut. in Mercur.* homines agricolationis, eiuſque parſimoniæ quæ eſt circa arbores mites & frugiferas. id eſt, ne temerè felices arbores violentur. Vſque eò olea fuit ſymbolũ pacis, vt Artemidorus memoret, quemdam, qui στρατείαν militare munus, à Cęſare petierat, volucri gaudio *Artemid. lib. 4. cap. 30.* perfuſum, quòd coronam viderat oleagineam, nempe per quietẽ. Erat enim, inquit, corona oleaginea huiuſmodi, qualem in pompis ferunt equites Romani. Et hoc, ſcilicet, illud eſt quod memorant Dionyſius Halicarnaſſæus, & Plinius, Idibus Quintilibus, qui dies fuit feſtus Caſtori & Polluci, equites Romanos, peracto ſacrificio, ſuis diſtinctos ordinibus ac turmis, inſidentes equis vehi per vrbẽ, quaſi è pugna redeuntes, coronatos frondibus oleæ, & palmatis è purpura togis amictos, id eſt, victores, & pace parta. Nam victoriam pax è veſtigio ſequitur. Certè ille habitus vtrumque ſignificauit & pugnam ex qua victoria, & victoriam è qua alma & optatiſſima pax. Ipſa Roma apud Prudentium ait ſe geſtare galeam ſub fronde oleæ, id eſt, vtroque cenſeri & bello & pace. Roma loquitur, ſeque hoc cultu venerabilem firmat.

Nunc meritò dicor venerabilis, & caput orbis, *Prudent lib. 2. contra Symma.*
Cum galeam ſub fronde oleæ, criſtaſq́ rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula ſerto;
Atque armata Deum ſine crimine cædis adoro.

Itaque ſi vniuerſus belli paratus non aliud ſpectat quàm pacem, quid olea magis fauſtum dici poteſt, quæ, vbicunque tandem conſpicitur, eſt certiſſimum pignus eius fortitudinis quæ pacem parit, ipſiuſque adeò quam fortitudo edit, pacis? Silius Italicus,

—— tunc pignora pacis *Sil. Ital. lib. 13.*
Prætendens dextra ramum canentis oliuæ.

Nec tamen ſum neſcius, oleam quoque quà fortitudinem, hoc eſt, robur corporis & animi ſignat, referri ad Herculem autorem. Quippe hanc frondem Hercules, vt ludorum Olympicorũ autor, è fluentis Iſtri in Græciam attuliſſe perhibetur, autore Pindaro,

[illegible] *Pindar. Olymp. ode 3.*
κόσμον ... [illegible]

Ἴςρυ ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν
Ἀμφιτρυωνιάδας.
Μνᾶμα τῶν ὀλυμπίᾳ κάλλιστον ἄθλων.

Cic li 3. de nat. Deor. quam aliquando Iſtri ab opacis fontibus attulit Amphitryoniades; monumentum pulcherrimum Olympicorum certaminum. *Strabo lib. 14.* Etſi alij non Herculem oleæ inuentorem faciunt, ſed ſanè Ariſtæum, qui fuit filius Apollinis. Alij oleam faciunt multò vetuſtiorem, quæ fuit proxima ei loco in quo Latona peperit. *Etymol. Δῆλος.* Hæc enim apud hanc arborem primùm quieuiſſe dicitur. Poſtea, cùm appuliſſet ad Aſterion inſulam, tactis duabus plantis, olea & palma, Ioui gemellos enixa eſt, Dianam & Apollinem. Hinc oleum, ſiue olea, & oliua Olympica illa fortis, quæque robuſtis etiam robur addit. De hac Theocritus,

Theocr. edy. δ.

Οὐκ ἄκουσας; ἄγεν νιν ἐπ' Ἀλφεὸν ᾤχετο Μίλων
Βάττος. Καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὄπωπεν;
Κορύδων. φαντί νιν Ἡρακλῆι βίην καὶ κάρτος ἐρίσδεν.

Annon audiſti? Milon ipſum ad Alpheum ſecum abduxit Battus. Et quando ille vnquam oleum oculis vidit ſuis? Corydon, Aiunt eum vel cum Hercule viribus & robore certare poſſe. Hoc ergo oliuo vnguntur fortes athletæ, Horatius.

Horat. li. 1. car.

- cur oliuum
Sanguine viperino
Cautius vitat?

Philo π. ἀφθ. κόσ. Certè fructus oleæ κάματον σώματος ἰᾶται laborem corporis ſanat. Itaque ſiue Herculis, ſiue Palladis olea eſt, ſeu potiùs vtriuſque, certè & ipſa, & vnguentum ex ipſa factum eſt non paruum viribus additamentum, & ſignificantiſſimum ſymbolum fortitudinis. Et verò apud Callimachum ipſa Pallas perfricat ſe vnguentis ex olea enatis propria ſtirpe,

Callimach. εἰς λουτ. τῆς Παλλαδ.

- ἐμπεράμως ἐτρίψατο λιτὰ λαβοῖσα
χείματα, τᾶς ἰδίας ἔκγονα φυταλιᾶς.
Ὦ κόραι, τὸ δ' ἔρευθος ἀνέδραμε πρώϊον, οἵαν
Ἢ ῥόδον, ἢ σίβδας κόκκος ἔχει χροΐαν.
Τῷ καὶ νῦν ἄρσεν τι κομίσσατε μοῦνον ἔλαιον,
Ὦ Κάςωρ, ᾧ καὶ χρίεται Ἡρακλέης.

ſcitè ſe perfricuit vilibus acceptis vnguentis, è propria ſtirpe enatis. ô puellæ rubor [ei] recurrit, matutina cuiuſmodi aut roſa aut mali Punici granum habet colorem. Ideoque nunc & maſculum afferte tantùm oleum Quo Caſtor, & quo vngitur Hercules. *Soph. ad Valer. Flacc. Argon. lib. 3.* Cæterùm ne quid huic tam inſigni frondi deſit, ad cæteras dotes accedit coloris gratia, & minimè vulgaris pulchritudo. Glaucam enim vbique poëtæ vocant, ſiue luteam, γλαυκὴν ἐλαίαν.

CAP. XVIII.

Non olea, ſed τῷ κοτίνῳ oleaſtro Olympionici coronabantur. Sententia eius ſcholiaſtis qui Ariſtophanem interpretatus eſt, ſuper corona Olympionica. Hanc ego ſententiam confutandam ſuſcipio. Κότινος *hoc eſt,* ἀγριέλαιος. Κότινος *arbor illa unde coronabantur Olympionici, eſt* καλλιστέφανος. *eademq́ dicta* ἐλαία καλλιστέφανος. *Hæc eſt coronamentum Olympicorum, nec alÿ* κότινοι. *Huius arboris origo & dignitas. Locus in quo fuit hæc arbor. Folia eius. Corona Olympica conſtabat ex vnico ramulo.*

ATQVE hæc quidem omnia, aliaque quæ huc congeri poſſent, etſi oleam ſublimant in eam celſitudinem & claritatem, qua nulla vlli arbori maior, mirum tamen eſt, non ipſam fuiſſe delectam coronandis Olympionicis, ſed eum, quem ſupra dixi κότινον, τοῦτ᾽ ἔστιν ἀγριέλαιον, oleaſtrum, hoc eſt, agreſtem oliuam. Id quod, etſi meridiana luce clarius eſt, tamen ſcholiaſtes Ariſtophanis auſus eſt huic luci tenebras offundere, & verba huius Comici perperam interpretari. Apud hunc lepidiſſimum poëtam paupertas & Chremilus acriter iurgantur. Et hic quidem dum Plutum præfert Peniæ, ait eum ab Ioue poſſideri. At ipſum Iouem Peniam miſiſſe mortalibus. Huic paupertas reſpondet, Iouem eſſe pauperem. Id quod probat his verbis, *Ariſtoph. Plut.*

> Ὁ Ζεὺς δήπου πένεται· καὶ τοῦτ᾽ ἤδη φανερῶς σε διδάξω.
> Εἰ γὰρ ἐπλούτει, πῶς ποιῶν αὐτὸς τὸν ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα,
> Ἵνα τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἀεὶ δι᾽ ἔτους πέμπτου ξυναγείρει,
> Ἀνεκήρυττεν τῶν ἀθλητῶν τοὺς νικῶντας, στεφανώσας κοτίνῳ στεφάνῳ;

Certè Iupiter pauper eſt. Et hoc iam manifeſtò te docebo, Nam ſi diues eſſet, quomodo celebrans ipſe Olympiacum certamen, Vbi Græcos omnes ſemper quinto quoque anno congregat, renuntiauit athletarũ victores coronatos oleaſtri corona? Ibi Scholiaſtes ſatis audacter, & cõtra verba Ariſtophanis negat Olympionicos coronari oleaſtro, οὐ κοτίνῳ γὰρ ἐστέφοντο, inquit. Et vt hoc ipſum validiùs firmet, ait, apud imperitiores inualuiſſe vt κότινος ſit corona, cùm κότινος ſit appellatio ipſius arboris. Verùm ex ipſo Poëta planũ fieri non κότινον dici talem coronam, ſed è cotino coronam. Sic tænia, inquit, non ſic ſimpliciter corona, ſed è tænia circuitus, & circumuolutio in capite. Enimuero non debuit ſcholiaſtes perplexè, ſed planè & perſpicuè loqui, & hoc ſic dicere, Corona Olympionica non plectitur ex obuio quouis oleaſtro, ſed tantùm ex illa ſingulari arbore, quæ ſumma cura in hoc aſſeruabatur, vt

materiam præberet texendis his coronis; cui arbori nomen κότινος oleaſter. Et reuera fuit oleaſter. Si, inquam, hoc dixiſſet, id quod res eſt, dixiſſet. ſed dum pernegat illam arborem re fuiſſe oleaſtrū, dumque rem perſpicuam demittit ad neſcio quos ſenſiculos minutos ac deprauatos, ita ſe implicat, vt extricare nequeat ipſe quidem cum omni antiquitate malo bene, quàm cum ipſo ſeorſim ab alijs, & prauè ſentire. Itaque nunc mihi cum ſcholiaſte res eſt, quem video diſertim fateri κότινον eſſe ἀγριέλαιον, agreſtem oliuam, oleaſtrum. Quidni fateatur? Κότινος, inquit Heſychius, ἀγριελαιος. Id ipſum Theophraſtus, Plinius, Pauſanias, omnes fatentur. Atq; adeò hæc ſunt verba Theophraſti, οὐχ οἷον τὸν κότινον ποιεῖν ἐλαίαν, fieri non poſſe vt ex oleaſtro fiat olea. Id quod pro dicto prouerbiali ſumi poteſt; ſicuti eſt illud peruulgatum, mali corui malum ouum. Item illud, praua initia non terminari proſpero fine. Hoc poſito, dandum & illud eſt, hanc agreſtem oleam, ſiue oleaſtrum deſtinatum coronandis Olympionicis cenſeri proprio hoc epitheto καλλιστέφανος, ſimul & hoc, hanc καλλιστέφανον arborem, nec alium eſſe coronamentum Olympiacum. Hæc vbi oſtendero, nempe rem confecero. Pauſanias diſertim tradit, hunc oleaſtrum eſſe καλλιστέφανον. κατὰ δὲ, inquit, τὸ ὀπισθόδομον μάλιστα ἐστὶν ἐν δεξιᾷ πεφυκὼς κότινος. καλεῖται δὲ ἐλαία καλλιστέφανος. καὶ τοῖς νικῶσι τὰ ὀλύμπια καθέστηκεν ἀπ᾽ αὐτῆς δίδοσθαι τοὺς στεφάνους. poſt poſticum maximè eſt in dextera natus oleaſter. Vocatur autem olea καλλιστέφανος, Et victoribus Olympiorum conſtitutum eſt ab ipſa dari coronas. Et quò magis probet hunc oleaſtrum eſſe illam ipſam, quam vocant καλλιστέφανον, addit, τούτου πλησίον τοῦ κοτίνου πεποίηται Νύμφαις βωμός· καλλιστεφάνους ὀνομάζουσι καὶ ταύτας. Prope hunc oleaſtrum facta eſt nymphis ara. Calliſtephanas nominant & has. At ſcholiaſtes hoc oſtentat quod Ariſtoteles hanc arborem καλλιστέφανον non vocat oleaſtrum ſed oleam. Ἐν τῷ πανθείῳ, inquit Ariſtoteles, ἐστὶν ἐλαία. καλεῖται δὲ καλλιστέφανος. Quid? An tu vnum Ariſtotelem putas huic oleaſtro indere nomen oleæ, non etiam alios? Hoc Pauſanias in loco proximè citato, Hoc Pindarus facit in his verſibus, —γλαυ-

Heſych. κότινος. *Theophraſt. lib. 2. de plant.* *Pauſan. lib. 5.* *Ariſtot. de admir. audit. 49.*

> κόχροα κόσμον ἐλαίας, τάν ποτε
> Ἴστρου ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν
> Ἀμφιτρυωνιάδας,
> Μνᾶμα τῶν οὐλυμπίᾳ κάλλιστον ἄθλων.

Pindar. Ol. od. 3.

decus oliuæ glauci coloris: quam aliquando Iſtri ab opacis fontibus attulit Amphitryonides, munimentum pulcherrimum Olympicorum certaminum. Hoc Apollonius Rhodius, per hæc verba ὄζον ἐλαίης, ramum oleæ, vt infra dicam vberiùs & ſuo loco. vbi interpres ῥάβδον ἐκ κοτίνου οὖσαν, ita enarrat, τοῦτ᾽ ἔστιν ἀγριελαίου. Quidni

quod

quod epithetum proprium eſt generis non conueniat ſpeciei? Ergo omnis hallucinatio ſcholiaſtis hinc eſt, quod Ariſtoteles epitherum & appellationem generis tribuit ſpeciei, dum qui in ſpecie oleaſter eſt, hanc vocauit oleam. Et verò oleaſter nihilominus eſt olea, etſi ἄγρια φέρει ὥσπερ ἀχράς, agreſtia fert, vt gallas; non ſmaragdum lapidem, vt illa Pygmalionis aurea olea. Nunc reſtat vt hunc oleaſtrum καλλιστέφανον palam faciamus eſſe illam ipſam arborem vnde Olympicis coronæ texebantur. Id quod primùm liquet è verbis poëtæ, qui ait, illos qui in Olympicis agonibus victores renuntiantur, ab Ioue coronari κοτίνῳ στεφάνῳ. Quibus verbis nihil eſt lucidius. Alphæus apud Philoſtratum oleaſtri coronam dat Pelopi, ſicut Olympicam, & omnium excellentiſſimam. Sed & Solon apud Lucianum agens de pręmijs athletarum cum Anacharſi, huic interroganti, præmia verò quænam vobis ſunt? Reſpondet Solon, Olympijs quidem corona è cotino. Et infra Anacharſis ait, ô admirande Solon, Talia tantaque habes præmia quę memores, mala, & apia, & ramum agreſtis oliuæ, & pinum? Tyrius Maximus vbi quærit, quis philoſophię ſit finis, Crotoniates, inquit, cupidus eſt oleaſtri Olympici. Athenienſis autem victoriæ naualis. Nero è Græcia rediens, Romam eſt ingreſſus κότινον ἐστεφανωμένος, cotino coronatus, & laurum manu tenens. Adeſt & Plinius qui κότινον vertit oleaſtrum, quo Olympionici coronantur. *Athenæ quoque*, inquit, *victores olea coronant. Græci verò oleaſtro Olympiæ*. Clemens Alexandrinus vbi è Paulo ait oleaſtrum inſertum eſſe pinguedini oliuæ, addit, propterea etſi oleaſter eſt oliua agreſtis, tamen Olympionicos coronat. Ergo non è quolibet oleaſtro nectebantur coronæ Olympicæ; ac ne ex ijs quidem κοτίνοις qui proueniebant circa ripas Alphei, quamuis eſſent pulchri, vt qui quàm proximè accederent ad criſpitudinem apij; ſed ex illa tantùm ſingulari arbore quæ ſupra ex Ariſtotele, Pauſania, Plinio demonſtrata eſt. Cæterùm ſuper huius arboris origine aliquantùm diſcrepant Ariſtoteles, Pindarus, Pauſanias. Et Ariſtoteles quidem ſimpliciter eam ab Hercule Olympijs plantatam ait. Pindarus in his verſibus quos proximè citaui, ait eam ab Hercule allatam à fonte Iſtri. Pauſanias eam quoque ab Hercule allatam dicit ex Hyperboreis in Græciam. Certè tantæ dignitatis fuit, vt vocata ſit ſacra olea. Et verò ſapiens ille Epimenides, dona quibus colebatur ab Athenienſibus repudiauit, & nihil quicquam petijt, niſi ramum ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας, ab ſacra olea. Ex hac quoque Antonius exiturus in Parthos coronari voluit: vtroque loco Plutarchus eam quoque vocat ſacram. Et verò ſicuti ſacra religioſè ſeruabatur. *Olympiæ oleaſter*, inquit Plinius, *ex quo primus Hercules*

Theophraſt. lib. 1 π. φυ.

Philoſtr. in vita Apoll. lib. 5.

Philoſtrat. in imag.

Lucian. de gymn.

Tyr Max. orat. quis fin. philoſ.

Dio Ner.

Plin. li. 15. ca. 4

Clem. Alex. lib. 6. Strom.

Philoſtrat. in Ima

Plutarch. Sol.

Plutarch. Anton.

Plin. lib. 16. cap 44.

Strabo lib. 9.

Plin. lib. 17. cap. vlt. circa fin.

Notit. Imp. reg. 2.

coronatus eſt, & nunc cuſtoditur religiosè. Ariſtoteles etiam locum nominat vbi cuſtoditur, nempe circa Iliſſum fluuium Atticæ, à quo diſtat ſexaginta ſtadia. Additque eam muro circumdatam eſſe, magnamque multam tangenti dictam. Quo exemplo Romæ in ſecunda vrbis regione tradunt fuiſſe arborem ſacram. aliæque ſimiles antiquitatem peragranti quandoque ſunt obuiæ. *Idem arbores religioſas, lucoſq; ſuccidi permiſit, ſacrificio prius facto*, inquit Plinius. Non his contentus Ariſtoteles, deſcribit folia & ramos eius. Et folia quidem huius arboris dicit eſſe diuerſa ab cæteris oleæ generibus. Intus enim, nec foris virent, ac nec aliter quàm myrtus. Quæ quoque verba Scholiaſtes interuertit, dum ait, hæc folia interiùs eſſe alba, non exteriùs. Scholiaſtes Nicādri aliter loquitur de folijs non quidem oleaſtri, ſed oleæ in genere. Ipſa olea, inquit, flaua folia ſupra, id eſt, in ſuperiori parte habet tempore æſtatis; nigra verò hyeme. Pauſanias huius arboris folia vocat viridia, cùm tamen olea propriè ſit glauca, pallens, lutea, flaua. Virgilius,

Schol. in ther. Nic.

Virgil. 5. Ænei.

— tres præmia primi
Accipient, flauaq; caput nectentur oliua.

At ramos huic arbori Ariſtoteles ſicuti folia, ſingulares facit. Ait enim eos eſſe ſimiles myrtis, & εἰς τοὺς στεφάνους συμμέτρους, coronis congruentes, ſiue nectendis coronis aptos, hoc eſt, ea longitudine quæ capiti euinciendo ſatis eſt. Vnde licet conijcere, coronam Olympicam non fuiſſe contextam è duobus ramulis, vt alias de quibus alibi dico, ſed ex vno continuo ramo, quo caput euinciebatur. Et verò infra viſuri ſumus, Herculem fratres ſuos κλάδῳ στεφανῶσαι κοτίνου coronaſſe ramo [non ramis] oleaſtri. ad quod exemplum laurea triumphantium videtur fuiſſe cōtexta ex vnò ramulo. Nempe ideo dicebatur laureola. *Tantum modò vt haberem negotij quod eſſet ad laureolam ſatis.* Vſque adhuc equidem non video quid hinc ſcholiaſtes excerpere poſſit, quo id quod intendit, ac nouè ac mendaciter aſſerit, ſtruat. Quinimo ex ipſis verbis Ariſtotelis quæ ipſe citat, non aliud colligimus, niſi illud ipſum quod alij tradunt, Eſſe arborem Olympiæ, cui non ſolùm eſt nomen κότινος, ſed reuera κότινος eſt, ad quam nulli aditus, quia religioſè ſeruatur veres ſacra. Abundè quoque palam factum eſt, hanc agreſtem, ſiue feram oleam eſſe illam ipſam quæ honeſtata eſt epitheto καλλιστέφανος. Denique ex hac ipſa, neque ex vlla alia textas fuiſſe coronas Olympicas. Nempe & hic oleaſter & hæc corona quæ ex eo plectebatur, ita aduertebantur quaſi ille eſſet inſignis & vnicus, hæc autem prima, ſiue excellentiſſima omnium coronarum. Id quod vel ex his Theophraſti verbis perſpicuè palam eſt, [illegible]

Cic. ep. fam. lib. 2.

Theophraſt. lib. 2. de plant.

μὲ γὰρ λέγουσι τὴν Ἀθήνησι, φοίνικα δὲ τὸν ἐν Δήλῳ, κότινον δὲ τὸν ἐν Ὀλυμπίᾳ, ἀφ' οὗ ὁ στέφανος. Oleam dicunt illam quæ eſt Athenis, palmam illam quæ eſt in Delo. At oleaſtrum, illum qui eſt Olympiæ, è quo corona illa, ſcilicet, Olympionica perccelebris ac perilluſtris. *Theophraſt. lib. 4. de plant.*

CAPVT XIX.

Dignitas τοῦ κοτίνου. Antiquitus non ex hac vna arbore, ſed è quolibet oleaſtro coronæ athletis plexæ. Κότινος τοῦτ' ἐστι στέφανος ἐκ κοτίνου. *Oleaſter; id eſt, corona ex oleaſtro.* Κότινος *coronamentum Herculis. Locus Sophoclis explicatus contra interpretem ipſius.* Κότινος *olea maſcula. Ridicula interpretatio loci Ariſtophanei; in cuius locum vera ſubſtituitur. Ex oleaſtro conficiebantur ſceptra regum, heroum clauæ, baculi paſtoritij. Oleaſtri durities, eiuſq; ingenium.*

ETSI hæc ſcholiaſtes inficiari non poteſt, tamen ei lubet obſtinatè pernegare, ἐκ κοτίνου necti coronas Olympicas; & à veritate transfugit ad ineptias & argutiolas docto Grammatico indignas; quas confodere nullum eſſet operęprętium, ſi non id agerem vt veritati conſulam. Non, inquit, coronabant κοτίνῳ, ſed coronabantur [olympici] ramo eius oleæ quæ dicebatur καλλιστέφανος. καλλιστέφανος γὰρ οὕτως λέγεται. Quibus in verbis ſciens vitat nomen, quæ eſt propria appellatio huius arboris, loco nominis adſumit epithetum eius. Atque eâdem κότινον non ſatis dignum iudicat qui donetur hoc epitheto tam elegante, ſed illo oleam tantùm ornat in genere. Id quod audet contra autoritatem Pauſaniæ, Heſychij, omnium aliorum, in primis Plinij, qui hanc Olympicam arborem diſertim vertit oleaſtrum. Vſque eò lubet ei contemptim habere oleaſtrum. Quid diceret ſi auderem firmare, certè poſſem ex autoritate Etymologici, folia cotini antiquitùs conjecta fuiſſe in victores ex illis capta quæ ſpectatoribus ſubſtrata erant vice lecti, *Etymol. κότινος.* Vnde aiunt coronam Olympicam exordium ſumpſiſſe? Qui mos planum facit, non ſolum ex hac arbore, ſed & ex quolibet oleaſtro antiquitùs nexas fuiſſe coronas eas, quibus athletæ Olympici donabantur. Et verò κότινος arbor dicta quoque eſt καλλίστεφανος, & fuit numerata inter ſpectatiſſimas arbores; cuiuſmodi fuit illa in foro Megaræ; qua exciſa, fatale fuit vt ea vrbs caperetur ac diriperetur, aliæque quæ à Theophraſto enumerantur in loco mutilo. Videtur *Theophraſt. lib. 5. de plant. c. 3.* etiam colligi poſſe è verbis Apollonij, eos cotinos qui erant frequentes circa Alphæum, ſubminiſtraſſe materiam coronis Olympicis. Nam vbi memorauit gymnaſia, porticus, fontes, ædificia, muros, naues, ipſum Alphæum, hippodromum, ſtadium, lucos,

Philoſtr. vita Apoll. lib. 8.

addit, τὰ δὲ ἄλση στεφανοῦσι τοὺς νικῶντας, καὶ τοὺς δρόμους τῶν ἀθλητῶν γυμνάσια. ταῦτα γάρ που καὶ Ἡρακλεῖ ἐνθυμηθέντι, καὶ τὸ αὐτοφυὲς τῆς Ὀλυμπίας ἀγασθέντι, ἐπάξιος ἐφάνη ὁ χῶρος τῶν ἐπὶ νῦν σπουδαζομένων ἐνταῦθα, luci autem exhibeant vnde victores coronentur; Sitque locus commodus in quo athletæ exerceantur. Quæ cùm Hercules conſideraret, & naturali Olympiæ pulchritudine captus, dignum locum eſſe iudicauit ijs quæ ibi tanto ſtudio aguntur. Etſi moneo lectorem in hoc loco τὸ στεφανοῦσι ita poſſe accipi, vt non ſignet coronaſſe, id eſt, coronam capiti impoſuiſſe, ſed coniectu foliorum honoraſſe victores. De quo more infra dicam. Redeo ad Scholiaſtem qui ait, obtinuiſſe apud imperitiores vt oleaſter ſit corona. Ergo & Plinius & Pauſanias, & Heſychius, alijque huic ſunt imperiti. Sed cotinus, inquit, eſt ipſius appellatio arboris. Quis hoc neſcit? Quis item vſque eò blennus eſt, vt κότινον, quæ dictio ſignat oleaſtrum, ſimpliciter prolatum ſignificare coronam putet? An tu credis, στεφανοῦν, ſiue ἀνίσχειν κεφαλὴν τῷ κοτίνῳ, eſſe, redimire caput tota arbore, ac non ramo, qui plexus in orbem fiat corona cuiuſmodi eſt illud, *Et cingite tempora ramis?* Sequitur ſcholiaſtes, & ait, ſatis liquere poëtam non ita nominare κότινον vt ſit corona, ſed ex cotino corona. Quis negat? Nempe, aut duo ramuli inuicem nectuntur, qua ratione plectitur corona lauri, aut è fronde frondi ſuperinducta & conſuta corona texitur, vt in alijs coronis; aut vnico ramo cõfit omnis ille coronæ circuitus; cuius generis eſt hæc noſtra ex oleaſtro. Certè præter hoc vnum diſcrimen, quod eſt partis cum toto, in coronamentis non video quid differat κότινος ab ea corona quæ eſt ἐκ κοτίνου. Quin frequentiſſimè video τὸν κότινον ſumi pro eo quod eſt ἐκ κοτίνου στέφανον, vt in exemplis ſupra citatis, & in hoc loco Pauſaniæ, Ὕπηνος δὲ ἀνὴρ Πισαῖος ἀνείλετο ἐπὶ τῷ διαύλῳ τὸν κότινον. Ypenus verò vir Piſęus retulit ſuper diaulo [i. curſu diauli] cotinum. Quid hîc dicamus eſſe τὸν κότινον, niſi τὸν ἐκ κοτίνου στέφανον; è cotino coronam? Quid item hîc? τοσοῦτοι δὲ ἄλλοι μετ' αὐτὸν εἰσὶ δῆλοι τὸν κότινον, παγκρατίου τὰ ἆθλα εἰληφότες καὶ πάλης. Tam multos verò alios poſt ipſum pancratij præmia cœpiſſe & luctæ cotinum, manifeſtum eſt. Superioribus alium addo Pauſaniæ locũ, Ἐν δὲ τῷ ἐν Ὀλυμπίᾳ ναῷ Νέρωνος ἀναθήματα, τρεῖς μὲν ἐς κοτίνου φύλλα στέφανοι, τέταρτος δὲ ἐκ δρυὸς ἐπὶ μεμιμημένος. In templo quod eſt in Olympia, Neronis donaria, tertium quidem [eſt] in cotini folia corona. Quartum eſt [corona] imitamentum quercus. Hîc certè non ſolùm ex oleaſtro tęnia fit, hoc eſt aliquod tenue capitis vinculum, vt obſtinatè interpres contendit; ſed hercule tota corona plexa eſt è folijs τοῦ κοτίνου. His omnibus accedit communis illorum temporum exiſtimatio. Cùm enim Hercules horum ludorum autor crederetur, illud quoque homines pro

Virgil. lib. 5.

comperto habebant, non oleam, ſed *κότινον* oleæ ſpeciem fuiſſe *Tertull. de cor. mil.* geſtamen & coronamentum huius heröis. Et quidem apud Sophoclem Hercules ex hac agreſte oliua rogum ſibi ſtrui vult, ab Hyllo filio ſuo, nempe è fronde ſibi admodum dilecta & propria.

Sophoc. Trachi.

> – πολλὸν δ' ἄρσεν' ἐκτεμόνθ' ὁμοῦ
> ἄγριον ἔλαιον, σῶμα τοὐμὸν ἐμβαλεῖν.

Et agreſti olea maſcula multa ſimul cæſa, oportet te corpus meum ſuperimponere. Quem locum interpres non intellexit, cùm *ἄρσενα* vertit virili animo; cùm iungi debeat illis verbis *ἄγριον ἔλαιον*. Atque adeò Lucianus deridens eos qui admirabantur finem Protei, præter cætera mendacia, narrat ipſis vt is, qui, ſcilicet, in morte fuiſſet imitator Herculis, poſt mortem ſuam viſus eſſet in veſte candida *κοτίνῳ ἐστεμμένος*. vbi *τῷ κοτίνῳ* eſt, *ἐκ κοτίνου στεφάνῳ*, vt in hoc loco Tyrij Maximi, *ἢ ὀλυμπίασι μὲν καὶ πυθοῖ ἐξεῖναι κότινον λαβεῖν, οὐδὲ μᾶλον τυχεῖν αὐτὸν ἐφ' ἑαυτοῦ κονισάμενον, ἀλλὰ ἀνταγωνιστῶν δεῖ ἐν τῷ κηρύγματι.*

Lucian. de mor. Peregr.

Tyr. Maxim. diſſert. λε.

Aut Olympiæ quidem & Pythiæ non licet cotinum accipere, neque conſequi poma ipſum ab ſe puluerulentum, ſed opus eſt aduerſarijs in renuntiatione. Cæterùm vt oliuam è Tertulliano adnotaui dici mitem, ita è Callimacho mentionem feci oleì illius maſculi quo ſe Caſtor & Hercules vngunt. At etiam hoc loco Hercules vult reliquias ſuas circumuolui oleaſtro, quam vocat oleam maſculam; atque, vt credibile eſt, ob hoc vnum ab ipſo electam vt eſſet coronamentum illi maſculæ virtuti, quam ipſe profeſſus erat, quamque Olympionici ipſius imitatione edituri erant. Porrò maſculam dici apparet, quòd nullum fructum edit. Nam reliqua oliua eſt felix, hoc eſt fertilis, quomodo eam Virgilius nominat in funere Miſeni,

Virgil. lib. 6. Æneid.

> *Idem ter ſocios pura circumtulit vnda,*
> *Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.*

Fortaſſe etiam dicitur maſcula, quòd omnis olea eſt *ἄθραυστος*, impenetrabilis *διὰ τὸ σκολιὸν καὶ σκληρὸν*, ob tortuoſitatem & duritiem. Et *Theophraſt. lib. 1. de plant.* hoc eſt in illa arbore mirabile, quod ab tanto Heroë cæteris arboribus eſt prælata. Certè Pauſanias eſt autor, Herculem ex Ida Cre- *Pauſan. Eliac. lib. 1.* tica vnà cum quinque fratribus profectum commiſiſſe fratres in certamen curſus, & victorem *κλάδῳ στεφανῶσαι κοτίνου*, oleæ ramo coronaſſe. Eodem Pauſania autore, dixi oleaſtrum ex Hyperboreorum terra ab Hercule ad Græcos allatum. Quin, hoc ipſo oleaſtro Herculem Olympiæ coronatum faciunt. Statius in loco ſupra citato,

—primus Piſæa per arua
Hunc pius Alcides Pelopi certauit honorem,
Pulnereumq́, fera crinem deterſit oliua.

fera oliua, id eſt τῷ κοτίνῳ. Sed ne nihil omittat interpres quo rem abſurdæ nouitatis confirmet, addit, vtilem Comico hanc dictionem futuram fuiſſe in ijs quæ ſequuntur. Nam Chremylus, inquit, eloquentia circumuentus ac victus dicet, At te Iupiter perdat coronatam corona oleaſtri, hoc eſt κότον σοι θήσουσι περὶ τὴν κεφαλὴν, ira tibi ſiue dolore circùm caput poſito. παρήχηται γὰρ ὁ κότινος τῷ κότῳ, δι' οὗ δηλοῦται μεγάλη ὀργὴ, Eſt enim adnominatio à cotino ad κότον laborem, qua ratione magna ira oſtenditur. Scio eſſe extenuantis eligere dictiones quibus rem deprimat. Id quod ſemper ingenioſè fit cùm defectu veri itur ad veriſimile; & vbicunque apparet, id quod eſt veriſimile non pugnare cum vero. Sed vbi Ariſtophanes diſertim tradit Olympionicos coronari ἐκ τῆ κοτίνου, ſcholiaſtes negat, veriùs eſt potior ſententia? Nam quod extenuandi gratia ita Ariſtophanem locutum eſſe ſcholiaſtes ait, vt κότινον dixerit pro eo quod eſt ἐλαίαν, merum eſt ſomnium, meræ nugæ. ſiquidem è ſupradictis perſpicuè palam eſt, coronam Olympicam ex oleaſtro fuiſſe nexam. Itaque non ἐκφαυλίζων poëta ſub perſona paupertatis, ſed certè ἀληθίζων dixit, victores coronari κοτίνῳ στεφάνῳ. Porrò quod hæc dictio κότινος conueniat illi imprecationi quam addit infra Chremylus,

Ἀλλά σε ὁ Ζεὺς ἐξολέσειε κοτίνῳ στεφάνῳ στεφανώσας,

verum dicit, ſed non eo ſenſu quo ſcholiaſtes putat. Ait enim, τοῦτ' ἔστι κότον σοι θήσουσι περὶ τὴν κεφαλὴν. παρήχηται γὰρ ὁ κότινος τῷ κότῳ, δι' οὗ δηλοῦται μεγάλη ὀργή. Pace tua, ſcholiaſtes dixerim, tum bona legentium venia, Dum multo conatu magnas nugas agis, à te parum intellectus eſt Ariſtophanæus hic lepor. Quippe idem propemodum eſt, ac ſi Chremylus dicat, κότινόν σοι οἱ θεοὶ τρίψειαν εἰς κεφαλὴν, At tibi peſſima Dij caput diminuant claua. Hæc eſt illi corona, qua is paupertati caput redimiri vult. Et verò ex hac arbore conficiebantur regum ſceptra, heroüm clauæ, baculi paſtoritij, eaque arma quibus nomen κορυνήτης. Et de his quidem extat locus Syneſij,

Syneſ. ep. 107. vbi loquitur de armis, Si, inquit, vtendum eſt armis, habebimus corynnas. Boni enim cotini apud nos. Vnde conſtat, ἐκ τῶν κοτίνων arma fieri ſolita. Quod attinet ad ſceptra regum & clauas heroüm, inuenio Amycum regem Bebrycum, hominem ferum, quique hoſpites nonniſi ſingulari certamine apud ſe excipiebat, ſolitum geſtare καλαύροπα baculum. Id quod cùm Argonautæ, qui eò appulerant, cognouiſſent, Tyndarides obtulit ſe huic pugnæ. Cùm ad manus vtrinque ventum eſſet, vtrinque impedimenta poſita,

quò vterque eſſet expeditior. Et rex quidem

- χαλαύροπά τ᾽ τρηχεῖαν

Κάββαλε, τὴν φορέεσκεν ὀριτρεφέος κοτίνοιο. *Apollon. Rhod. li. 2. & ibi ſchol.*

baculum durum proiecit quem ferebat è cotino qui altus eſſet in monte. Vbi ſcholiaſtes Apollonij ille omnium ſcholiaſtum habitus doctiſſimus χαλαύροπα interpretatur ποιμενικὴν ῥάβδον paſtoritium baculum, quem ferebat è cotino, hoc eſt, agreſti olea. At quæ eſt paſtori χαλαύροψ, hoc ipſum in manu regis eſt ſceptrum; Quomodo quod gregi paſtor eſt, id ipſum hominibus rex eſt. Feſtiuiſſimus etiam Lucianus Antiſthenem philoſophum donat baculo robuſtiſſimo, nempe qui eſſet è cotino, πάνυ καρτερὰν [βακτηρίαν] ἐκ κοτίνου ποιησάμενος. Valde robuſtum [baculum] è cotino cùm feciſſet. Vnde etiam datur intelligi quanta iam inde à priſco æuo fuerit oleaſtri dignitas, ex quo fierent regum ſceptra, atque adeò ῥόπαλον, claua geſtamen herois; cuiuſmodi fuit nodoſa & ponderoſa illa, qua hic ipſe poëta alibi Herculem donat. Nam Herculem eſſe, etſi non diſertim nominatur, ſatis conſtat è fabula præcedente, quæ eſt de aureis Heſperidum malis. *Lucian. in dial. mort.*

στιβαρὸν δ᾽ ἔχεν ὄζον ἐλαίης,

Τόξά τε, τοῖσι πέλωρ τόδ᾽ ἀπέφθισεν ἰοβολήσας. *Apollon. Rhod. lib. 4.*

Robuſtum autem habere ramum oleæ, ſagittaſque, quibus emiſſis interemit hoc ingens monſtrum. Vbi ἐλαίαν dici eum qui ſit κότινος, è ſuperioribus liquet. Enimuero duritie vix vlla arbor ad κότινον comparari poteſt. Nam præter arma, ſceptra, clauas, baculos paſtoritios, κότινος, donarijs in templis Deorum affigendis adhibitus eſt, ἐπὶ τῶν κοτίνων καὶ ἄλλων δένδρων πανταχοῦ ἐν τοῖς ἱεροῖς προσπατταλεύουσι τὰ ἀναθήματα. ad cotinos & alias arbores vbique in templis affigunt donaria. Quæ ſunt verba ſcholiaſtis ſuper hoc verſu Ariſtophanis,

Ὥσπερ κοτίνῳ προσπατταλεύσω τουτονί. *Ariſtoph Plu.*

Virgilius quoque facit oleaſtrum,

- nautis venerabile ſignum,

Seruati ex vndis vbi figere dona ſolebant *Virgil. 12. Æne.*

Laurenti, diuo, & votas ſuſpendere veſtes.

Fortaſſe quoque κότινος fuit in ſummo honore propter vim & facultatem ei congenitam. Nam ramo πολυστεφέος κοτίνοιο lignator amphiſbenæ ſerpenti detrahit ſpolium, quod multis aduerſus rigorem frigoris vſui eſt. quibus in verbis adnotandum, κότινον dici πολυστεφέα, præclaram & ramoſam arborem. *Nicand. ther.*

CAP. XX.

Corona Olympica aurea. Dicebantur fulgere. Ros marinus. Corona è pinnis. Palma commune coronamentum omnium certaminum. Quibus dotibus palma cenſeatur. Virtus inſidet palmæ. Palma eſt ſymbolum victoriæ. Palma non capite tantùm, ſed & manu geſtata.

VT primò coronæ Olympicæ plexæ ſunt ex oleaſtro, ita poſtea factæ ſunt aureæ. Pindarus,

Pindar Olymp. od. 11.

κόσμον ἐπὶ στεφάνῳ χρυσέας ἐλαίας
ἁδυμελῆ κελαδήσω, τῶν Ἐπι-
ζεφυρίων Λοκρῶν γενεὰν ἀλέγων.

ornamentum ob coronam aureæ oliuæ blandiloquum cantabo, Epizephyriorum Locrorum gentem curæ habens. Nec eſt quod quiſquam auream interpretetur flauam, luteam, glaucam; quia reuera coronæ ex oleagineis & laureis factæ ſunt aureę. Et de oleaſtrinis quidem extat hic locus Pindari vbi diſertè has coronas nominat aureas. Quòd laureæ quoque factæ fuerint aureæ, tradit idem Pindarus in hoc loco,

Pindar. Pyth. od. 10.

δάφνᾳ τε χρυσέᾳ κό-
μας ἀναδήσαντες εἰλα-
πινάζοισιν εὐφρόνως.

lauroque aurea comas redimientes epulantur hilariter. Itaque cùm tales coronæ dici poſſent ipſo χρυσῷ χρυσώτεραι, auro aurationes meritò dicebantur fulgere. Pindarus,

Pindar. Pyth. od. 11.

τὰ μὲν ἅρμασι καλλίνικοι πάλαι
Ὀλυμπίᾳ τ' ἀγώνων πολυφάτων ἔσχον
θοὰν ἀκτῖνα σὺν ἵπποις.

Curribus etiam pulchræ victoriæ compotes quondam, & apud Olympiam certaminum multum decantatorum adepti ſunt fulgorem cum equis. Alibi hic idem Pindarus Olympica folia vocat aurea.

Pindar. Nem. od. 1.

-θαμὰ δὴ καὶ Ὀλυμ-
πιάδων φύλλοις ἐλαιᾶν
χρυσέοις μιχθέντα.

Qui ſæpe etiam folijs aureis Olympiacarum oliuarum ſe immiſcuit. Alibi ait, hiſce coronis Muſam addere aurum, æs, ebur, & lilium,

Pindar. Nem. od. 7.

εἴρειν στεφάνους ἐλα-
φρὸν ἀναβάλλεο. Μοῖσά τοι

κολλᾷ

πολλᾷ χρυσὸν, ἐν τ' χαλκὸν, ἐλέφανθ' ἁμᾶ.
καὶ λείριον ἄνθεμον ποντίας ὑφελοῖσ' ἐέρσας.

Plectere coronas leuiter omitte Muſa glutinat aurum, æs, ebur, ſimul, & lilium floridum à rore marino auulſum. Ac ſi dicat, Nimis leui tu quidem munere defungeris texendi coronas tam leues, nempe floreas. Quippe floribus Muſa agglutinat aurum, æs, ebur, auulſo lilio florente è rore marino, id eſt auferens pulcherrimam partem roris marini; ſiue deflorans rorem marinum, vt auro, æri, ebori adglutinetur. Vbi aduertendum, rorem marinum hîc interpretes nequaquam accipere pro illo flore coronario de quo ſupra dixi, ſed pro corallio quod naſcitur in imo maris, quod Græcis eſt *κοράλλιον*. Inuenio quoque coronam curſus & ſtadij, hoc eſt Olympicam cõſtitiſſe è pinnis, quæ verè ſunt inſignia pernicitatis. Hoc diſco è Pindaro, qui in eo hymno, quem dicauit Aſopico Orchomenio filio Cleodami ſtadij curſori & victori dat coronam è pinnis, alloquens Echo his verbis,

- μελαντειχέα δόμον
φερσεφόνας ἴθι Ἀχοῖ,
πατρὶ κλυτὰν φέροισ' ἀγγελίαν, Κλεόδαμον ὄφρ' ἰδοῖσ' υἱὸν, εἴπῃς ὅτι οἱ νέαν
κόλποισι παρ' εὐδόξοιο Πίσας,
ἐστεφάνωσε κυδίμων ἀέθλων
πτεροῖσι χαίταν.

Pindar. Olym. od. 14.

Nigros muros habentem domum Pherſephonæ vade Echo, patri nobile ferens nuntium, Cleodamum vt intuita filium, dicas quod ei iuuenilem in ſinubus illuſtris Piſæ coronauit inclytorum certaminum pennis cæſariem. Non nouum certè & inauditum coronamentum. Nam & Muſis coronam tribuunt è pinnis, de qua ſupra me dicere memini. Cæterùm etſi nullum fuit certamen ſacrum, cui propria corona non ſit attributa, tamen apud priſcos hunc morem inualuiſſe conſtat, vt palma ſit commune coronamentum omnium. Qui abſolutæ virtutis præmijs ornantur, inquit Philo, donantur palma cum tænijs. Et verò in Pythicis ludis eam dari infra dicam. Pugilem quoque victorem ea donari, Tertullianus autor eſt. *Pyctes ipſe non queritur*, inquit, *dolere ſe non* [fortaſſe ſæpe] *vult; corona premit vulnera; palma ſanguinem obſcurat; plus victoriarum eſt quam iniuriarum*. Plutarchus memorat Theſeum propoſuiſſe certamen in Delo; ac tunc primùm victoribus datam eſſe palmam. Hoc illud eſt quod Herodes rhetor quærit apud

Philo π. φυγάδ.

Tertull. aduerſ. Gnoſt.

Plutarch. Theſ.

Plutarch. ſymp. Plutarchum, id quid ita fiat. Neque enim, inquit, ijs aſſentior qui aiunt foliorum palmæ æqualitatem ſimilem eſſe certamini & pugnæ eorum qui viribus & curſu certant; quique adeò ipſam victoriam, quæ Græcis eſt νίκη, dictam volunt παρὰ τὸ μὴ εἴκειν, à non cedendo. Nec verò ſola palma, ſed & alia permulta certis modulis, ponderibuſque alimentum aduerſis folijs diſtribuentia æqualitatem admirabilem, & ordinem repræſentant. Ergo veriſimiliùs, inquit, loquuntur illi qui ita putant, priſcos in palma amaſſe pulchritudinem, tum indolem. Ijdemque ſuſpicantur Homerum aſſimilaſſe venuſtatem Phæaciæ inſulæ folio palmæ. Quidam, videlicet, coniectu roſarum, eiuſque floris, cui nomen lychnis, & granatis ſemper remunerabant eos qui è certaminibus victores redijſſent. Sed ne ſic quidem palma aliquid habet illuſtre, quo cæteras arbores antecellat, cùm nec in Græcia fructum ferat eſculentum, ſed imperfectum & immaturum. Quod ſi non fructu cenſetur, certè pulchritudine. Ideo hic ipſe Herodes inibi memorat, regem inſigniter amaſſe Nicolaum philoſophum Peripateticum propter ſuauitatem morum eius. Huic Nicolao erat corporis procera gracilitas, & vultus rubore ſuffuſus. Propterea Rex maximum quemque palmæ fructum vocabat Nicolaum. Sed & Vlyſſes apud Homerum aſſimilat pulchritudinem Nauſicaæ recenti germini palmæ,

Odyſſ. ζ.

Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.

Nuper in Delo tale Apollinis iuxta aram Palmæ recens germen ſuccreſcens vidi. Et hęc quidem inter palmæ dotes prima cenſetur. Sed, quod admirabilius eſt, decus & pulchritudo eius cæteris laudibus nihil quicquam demit, quas Babylonij trecentas & ſexaginta ſuis hymnis, cantibuſque celebrant. In his luculentiſſima eſt illa quam reperio apud Ariſtidem. Nam palma cùm ſit longiſſimæ vitæ, non aliunde quàm ex ipſa ſe renaſcitur. Et hanc fortaſſis ob cauſam antiquitas, autore Quinto, effinxit virtutem ſuper aſpero & alto colle inſidentem palmæ. His accedit longæuitas. Id quod probat verſus quidam in Orphei carminibus,

Ariſtot. de long. & breui vi c. 3.
Ariſtid. παλιν. ἐπὶ σφαγ.
Tzetz. in 1. lib. Heſ.

Ζῶοι δ' ἶσοι ἀκροκόμοισι φοινίκων ἔρνεσι.

Animal verò æquale ſummas habentibus comas palmarum ramis. Commendatur quoque perpetuo virore quo ſuperat laurum, oleam, myrtum, quarum arborum folijs cadentibus alia ſuccedunt, cùm ipſa nihil amittat ſui. Ergo robur eius & fortitudo victoriæ eodem vtuntur contubernio. (Hæc ferè paucis exceptis,

ſumpſi è Plutarcho ſi non verbum verbo reddens, at à ſenſu non diſcedens. Et ex iſtis quidem diſcimus, palmam cenſeri pulchritudine, perpetuo virore, inuicto robore. Quod vltimum antiquitas tanti fecit, vt iam inde à priſcis ſæculis placuerit, palmam eſſe ſymbolum victoriæ; Parta Pharſalica victoria, ramulus è palma in ipſo victoriæ loco enatus, demonſtrauit futuram victoriam è qua magnitudo & felicitas Auguſti. Quoniam ingenium huius ligni eſt, vt vrgentibus, opprimentibuſque non cedat. Ergo poëtæ palmas vocant & pretia & præmia victoriæ. *& lenta victricis premia palmæ.* Et arduas, id eſt, ad quas itur nonniſi per ardua.

Plutarch. ſymp. 8. Gell lib. 3. c. 6. Xiphil. Iul. Philo ἀγώ[?]*. 3.*

- etiam ardua palma
Naſcitur.

Virgil. Æneid. lib 5.

Tertulliano ſunt palmæ victoriæ. *Nam & rurſus*, inquit, *innumera multitudo albati, & palmis victoriæ inſignes reuelantur ſcilicet de Antichriſto triumphales.* Ipſa adeò palma ſimpliciter prolata dictio ſignat victoriam. Certè Alexander tot gentium ſe victorem ferens hortatur milites, ne ſibi victoriam prope partam eripiant, his verbis, *Ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem, Liberumq́, patrem, ſi inuidia abſuerit, æquabo.* Ex quo loco, vt ex alijs ſexcentis, colligimus id ipſum quod diſertis verbis Pauſanias tradit, non tantùm capite palmam, ſed & manu à victoribus geſtari ſolitam. Apud Apuleium Mercurius dextra palmam virentem quatit. Eo certe habitu victores decurrebant, aut, ſicuti Suetonius de Caligula ait, diſcurrebant. *Mirmilonum*, inquit, *è ludo rudibus ſecum batuentem, & ſponte proſtratum confodit ferrea ſica; ac more victorum cum palma diſcucurrit.* Et quidem Pauſanias memorans plerisque ludis coronam decerni, diſertim ait, omnes victores vbique locorum palmam dextra præferre. Et Zonaras refert, ramum palmę, quem propriè vocabant βαΐον, & ἀειφαρῖδας, aut cedri, manibus à populo geſtari die feſto tabernaculorum. Quem morem è Græcia Romam tranſlatum teſtatur Liuius, *Eodem*, inquit, *anno coronati primum ob res bello bene geſtas, ludos Romanos ſpectauerunt; palmaq́, tum primum, tranſlato è Græcia more, victoribus datæ.* Et ij, quibus datæ fuerant, eas, videlicet, ſtatuebant ante fores. Martialis,

Ouid lib. 10. Metam. Virgil. 2. Georg. Tertull. aduerſ. Gnoſt. Q. Curt. lib. 9. Pauſan. lib. 8. Apul. Meta. 11. Sueton. Calig. Pauſan. lib. 8. Zonar. in Iſeanea cognom. Alexand. Etymo. βαΐον*. Schol. Nicand. ther. in* [?]*. Liu. lib. 10. Martial. lib. 7.*

Excolat & geminas plurima palma fores.

Apuleius ſuæ Deæ palmam quidem tribuit, ſed non eam collocat in capite, ac ne in manibus quidem, verùm in pedibus. *Pedes*, inquit, *ambroſios tegebant ſoleæ palmæ victricis folijs intextæ.* Plutarchus & Plinius memorant, cùm Pharſalica acie decertatum eſt,

Apul. lib. 11. Metam. Plutarch. Iul. Caſ. Plin. lib. 17. cap. 25.

Plin.li.17.c.25. *Trallibus in æde victoriæ ſtatuam fuiſſe, Cæſaris in loco duriſſimis ilicibus ſtrato. Inde ſurrexit palma iuxta baſim ſtatuæ.* Quod fuit euidentiſſimum ſignum victoriæ à Cæſare partæ. In quacunque parte corporis palma ſpectata ſit, certè fuit in præcipuo cultu huius Deæ. Atque adeò vbicunque palma enaſcatur, ibidem eſt pro omine victoriæ. *Romæ in Capitolio*, inquit Plinius, *in capite bis bello Perſei, enata palma victoriam, triumphoſq́, portendit.* Quibus in verbis poſt illud, *capite* deeſt aliquid, cuiuſmodi, Iouis, aut quidpiam tale.

CAPVT XXI.

Athletæ palmam ſibi vindicant, potiſſimum Olympionici. Palmatæ veſtes. Locus Tertulliani enarratus è Q. Calabro. Statua palmaris. Palma pietatis & doctrinæ. Deliaca palma. Pſiline, & Thyreatica coronæ. Coronæ è palma. Palma vterque ſexus. Corona palmata ſimilis radiatæ.

ETSI palma eſt omnium victorum, tamen eam ſibi peculiari quodam iure athletæ vindicant, non Olympici tantùm, ſed & aliorum agonum victores. Caſſiodor. Var. lib.2. *Athletam*, inquit, *Caſſiodorus, populis palma deſignat eſſe victorem.* Et vt omnibus, vt dixi, victoribus de more dentur, tamen præcipuè demonſtrat Olympiodicos. Hinc eſt quod Virgilius palmam vocat Olympiacam,

Virgil. lib.3. Georg.
Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Paſcit equos.

Caſſiodor. Var. lib 8 ep 22. *Certantes in ſtadio* [verba ſunt Caſſiodori] *numeroſior corona glorificat. Olympicos currus frequens palma nobilitat.* Hinc palmatæ veſtes, quæ erant propria inſignia Conſulum Romanorum. Caſſiodor. Var. lib.6. ep.1. Caſſiodorus, *Priſcorum iudicio qualis ſit Conſulatus, hinc omnino datur intelligi, quando inter mundi dignitates eximias ſolus meruit habere palmatas veſtes, quas felicitas dabat, præmia vincentium.* Palmatam quoque vocabant, non addito veſtem. Symmach lib. 6 ep. 41. Symmachus, *Itaque palmata amictus, & Conſularibus inſignis ornatus, fracto crure ſublatus eſt.* Semper verò palmata veſtis fuit inſigne magiſtratus triumphalis. Tertull. in Apolog. Tertullianus, *licet nunc ſarmenticios, & ſemiſſarios appellatis, quia ad ſtipitem dimidij aſſis reuincti ſarmentorũ habitu exurimur, hic eſt ambitus victoriæ noſtræ; hæc palmata veſtis; tali curru triũphamus.* Credo Tertullianum, qui fuit inſigniter doctus, his verbis ſignaſſe illas admirabiles palmas quæ naſcebantur in rupe Vulcani, illa quæ ardet perpetuò. Etſi enim ibi radices palmæ ignitis ſaxis anguſtantur, tamen & florent, & vberes fructus edunt. Locus

eſt apud Q. Calabrum his verbis, Q. Calab. li. 12.

——— ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ αὐτῷ
φοίνικες θηλέθουσι, φέρουσι δ᾽ ἀπείρεσια καρπὸν
ῥίζης καιομένης ἅμα λάεσιν; ἀλλὰ τὸ μέν που
ἀθάνατοι τεύξαντο ϗ ἐσσομένοισιν ἰδέσθαι.

& circa ipſam palmæ florent, vberemque fructum ferunt, Radice licet ardente cum ſaxis. Sed hoc ita Dij fecerunt, etiam poſteris ſpectandum. Dicebantur & ſtatuæ palmares, id eſt, manu palmam tenentes. M. Tullius, *Sed illa ſtatua palmaris; de qua ſi meliora tempora eſſent, non poſſem ſine riſu dicere, L. Antonio Iani medij patrono.* Cic. Philipp. 7. orat. Cæterùm hæ togæ palmatæ è purpura fiebant. Tertullianus, *Igitur purpura illa, & aurum ceruicis ornamentum*, id eſt aurea corona, *eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignis erant dignitatis, quo more nunc prætexta vel trabea, vel palmata, & corona aurea ſacerdotum prouincialium.* Tertull. lib. de idololatr. Neque verò in ijs tantùm certaminibus quæ peraguntur robore membrorum, palma eſt victoribus propoſitum præmium, ſed in ea victoria quam pietas inſignis refert ex ijs omnibus quæ ipſi aduerſantur. Hæc eſt illa palma de qua loquitur Saluianus commendans pietatem Gothorum, *Illis data eſt in ſummo timore palma; nobis in ſumma elatione confuſio.* Saluian. lib. 7. Et hæc quidem dici poteſt palma pietatis; cui proxima eſt palma doctrinæ, qua, ſcilicet, is donari meretur qui doctrinæ dotibus cæteris antiſtat. Hac ſe corona Propertius dignum deputat.

Iunonis votum facite impetrabile, dixi, Propert. lib. 4.
Illa parit. libris eſt data palma meis.

Sed & Virgilius gloriatur ſe primùm laturum Mantuam patriam ſuam palmas Idumæas, hoc eſt, ſe eam noua laude poëtices coronaturum,

Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas. Virgil. lib. 3. Georg.

Quippe amabant poëtæ iactanter enunciare eam laudem quam ſuis meritis patriæ ſuæ addidiſſent. Tale eſt illud Propertij,

Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi. Propert. lib. 4.

Sed de doctrinæ palmis victricibus hic ipſe loquitur Propertius in his verſibus,

Nam tibi victrices quaſcunque labore paraſti, Propert. lib. 4.
Eludet palmas vna puella tuas.

Deliacam palmam Callimachus ait annuere neſcio quid ſuaue,

- ὑπένευσε ὁ Δήλιος ἡδύ τι. φοῖνιξ
Ἐξαπίνης. Callimach. hym. in Apoll.

Annuit Deliaca ſuaue quid palma, De repente. Certè palma propria fuit eius numinis quod Delphis colebatur. [*Plutarch. Nicia.*] Ea re Nicias Apollini Delphico poſt ſacrificium, & certamen, & epulas, ſtatuit æneam palmam donarium Deo. E ſupradictis perſpicuum eſt, palma ſignari victoriam, eamque quæ victoriæ index eſt, coronam. Ideoque vt ſupra quaſdam infamiæ coronas eſſe dixi, ita infames palmas legimus apud M. Tullium, hoc eſt, coronas. [*Cic. pro Sex. Roſc. Amer.*] *Multas eſſe infames palmas. Hanc primam eſſe tamen lemniſcatam.* Nam palma non ſolùm manu ferebatur, ſed & ex ea nectebant coronas. Huius generis ſunt illæ coronæ quas Athenæus ait appellari Psilinas, [*Athen. lib. 15.*] quæ Lacedæmonijs ſunt Thyreaticæ, illius, videlicet, victoriæ monumentum, quam apud Thyream obtinuerunt. Coronarum è palmis mentionem facit Artemidorus. [*Artemidor. lib. 1. cap 79.*] Ait item coronas è palma & olea plexas in ſomnis viſas conciliare nuptias διὰ τὴν πλοκὴν, propter implicationem. & præſagire liberos διὰ τὸ ἀειθαλὲς quòd ſemper floret. Quibus è verbis illud quoque colligimus, palmæ folij proprium eſſe necti & plicari. Id quod aſſeuerantiùs dico, quòd in palma dicitur eſſe vterque ſexus. Enimuero dicuntur palmarum cultores [*Conſtãtin. Cæſ. lib. 10. cap. 4.*] agnoſcere maſculam palmam, eamque dignoſcere à femina. Et è ſummitate maſculæ detractis floribus, eos imponere capiti feminæ; quæ vſque eò dicitur accenſa amore maſculæ, vt talibus floribus capite receptis, eius ardor ſenſim miteſcat; ipſaque lætior euadat, [*Philoſtr. in Imag. 16.*] & optimo ac pulchertimo fructu cenſeatur. Ergo & inter marem ac feminam contrahuntur nuptię. Et mas ſuis ramis veluti brachijs feminam circumplectitur. Et hęc eſt illa πλοκὴ implicatio, & præſagium liberorum apud Artemidorum. Cæterùm corona palmata imitabatur auream radiatam, de qua infra dico. [*Apul. lib. 11. Metam.*] Id quod ex Apuleio diſcimus. *Ad manum dextram*, inquit, *gerebam flammis adultam facem. Et caput decorè corona cinxerat, palma candida folijs in modum radiorum proſiſtentibus.* Et hæc de materia & forma Olympicæ coronæ.

CAPVT XXII.

Athletis priùs donabatur virga è palma, quàm corona. Et hæc dicebatur δόσις. Plauſus. Coniectus foliorum. βραβεῖον. Corona cuius manibus imponeretur capiti athletæ.

ANTEQVAM alias certaminum coronas perſequor, priùs dicendum qua ratione coronæ tum in Olympicis, tum in alijs gymnicis agonibus darentur. Itaque ſciendum, poſteaquam præco athletam victorem renuntiauerat, non illico eum donatum fuiſſe corona, ſed arrha quadam coronæ. Ea fuit virga, ſeu ramus è palma, non præmium victoriæ, ſed ſignum. Ariſtidi eſt ſymbolum nempe victoriæ. Et verò iudices horum certaminum quandoque vocabant ῥαβδευτάς. ῥάβδον γὰρ σύμβολον τῆς νίκης ἐδίδουν τοῖς νικῶσι. virgam enim ſymbolum victoriæ dabant ijs qui viciſſent. Et hæc eſt illa δόσις quam Clemens Alexandrinus primò athletis datam memorat, ſcilicet, ſicuti renuntiationem aut deſignationem illius athletæ, qui, quòd victor fuerat, corona donandus erat. Hoc ferè exemplo clariſſima illa poëtarum columina Homerus & Heſiodus profitentur ſe à Muſis accepiſſe σκῆπτρον, vt ſi ea virga ſit ſymbolum diuinarum dotium quibus vterque præditus fuit. Porrò hanc virgam diſertiſſimus Ariſtides non qualemcunque fuiſſe dicit, ſed cùm multæ ſint, maximè ſpectabilem eſſe virgam Heſiodi. Hanc virgæ dationem ſequebatur ἐπιγεγμὸς, incitamentum ſiue adhortatio. Deinde κρότος plauſus. Et hoc dicebatur νικητήρια κροτεῖν. Aliquando & ſibila. Poſtea, coniectus foliorum, quam vocabant φυλλοβολίαν, & φυλλοβολεῖν, καὶ ἀνθοβολεῖν. τοὺς νικῶντας ἀπὸ παρακειμένων φύλλων, ἢ ἀνθέων ἐπιρρίπτοντες. conijcere folia, ſiue flores in victores è parata materia. Nempe, vt alibi dixi, tales foliorum & florum coniectus accipiebãtur pro inſigni argumento gratulationis. Et hoc eſt illud apud Ariſtidem στεφανῶσαι coronatum eſſe, de quo ſupra dixi. Et ita interpretor locum Plutarchi vbi ait, Alcibiadem exeuntem è naui concurſu hominum coronatum fuiſſe. Neque enim ſoli Olympici, ſed & Olympicorum more maximus quiſque vir in publicis gratulationibus hoc foliorum & florum congeſtu experiebatur fauorem multitudinis erga ſe. Id quod accidiſſe Pompeio Plutarchus memorat. Multi, inquit, & coronati ſub lampadibus exceperunt & comitati ſunt ἀνθοβολούμενον florum coniectu honeſtatum. Ita cùm Calliſthenes iuſſu Alexandri Macedonas ſuper calice luculenter laudaſſet, omnes conſurrexerunt;

Ariſtid. de rhet. orat. 1.

Etymol. βραβεῖον, & βραβευταὶ, & βραβεῖς.

Clem. Alex. lib. 2 pædag. cap. 8.

Ariſtid. περὶ τοῦ παραφθέγματος.

Lucian. char.

Lucian. Harmon.

Xiphil. Ner.

Etymol. κότινος.

Plutarch. Alcib.

Plutarch. Pomp.

Plutarch. Alex. Mag.

tum plauſibus & iactu coronarum hominem exceperũt, eodem Plutarcho autore. Agrippa rex Iudæorum in ea epiſtola qua periculum Iudæorum deprecatur apud Caligulam, ait M. Agrippam auum eius, deductum fuiſſe ad portum ingenti hominum comitatu, atque φυλλοβολούμενον τε καὶ θαυμαζόμενον ἐπ' εὐσεβείᾳ, coniectu foliorum i. florum & corollarum, & admiratione cultum propter pietatem. Ergo coniectum florum & foliorum, ſequebantur plauſus. Id quod de Curione memorat idem Plutarchus. Nam conditiones, quas ore Curionis Cæſar populo obtulit tanto fauore multitudinis exceptæ ſunt, vt vniuerſorum plauſus ſequutus ſit. Quidam verò, inquit Plutarchus, & coronas in ipſum, ſicuti athletam, & flores coniecerunt. Hoc exemplo milites Teleutiam ducem Lacedæmonium redeuntem Spartam ingentibus ſtudijs proſequuti ſunt. Horum alius eum coronauit, hoc eſt, flores & folia in eum coniecit; alius tænijs eum donauit. Qui autem intempeſtiui fuerant, coronas in mare proiecerunt, illicque omnia bona precati ſunt. Qui ſanè coniectus non tantùm fiebat humana manu, ſed ſæpe diuina, quæ eos demonſtrabat qui aut iam viciſſent, aut inibi erant vt vincerent. Id quod accidit M. Lucullo, eiuſque militibus, Plutarcho autore, quos aura ſuauis è proximo prato ſpõte conſperſit tanta multitudine florum, vt ſcuta & galeę ijs coopertę eam ſpeciem hoſtibus præbuerint, quæ Luculli exercitum coronatum demonſtraret. Itaque is athletarum qui iam donatus eſſet virga, quiquevniuerſorũ plauſibus exciperetur, inſuper feſtis hiſce floribus, frondibus, folijs, quæ erant ex oleaſtro, totus conſpergebatur. Quarto demum loco corona donabatur, nempe athleta παρὰ τοῦ βραβευτοῦ ab ipſo iudice. Porrò hæc corona continebatur generali vocabulo τοῦ βραβείου. quod erat, ὁ παρὰ τῶν βραβευτῶν διδόμενος στέφανος τῷ νικῶντι. corona quæ à iudicibus dabatur victori. Plutarchus, ἔπειτα ὁ Ζεὺς τῷ Μενελάῳ τῆς μάχης τὸ βραβεῖον ἀπέδωκεν, deinde Iupiter Menelao pugnæ coronam retribuit. Quandoque hæc vox ſignat alia præmia quæ dantur victori præter coronam, vt in hoc loco, τὰ βραβεῖα καὶ τὸν στέφανον παρεχωρῆσαι, &c. vbi diſertim corona diſtinguitur ἀπὸ τοῦ βραβείου. Alioqui βραβεῖον in proprio ſignificatu dicebatur ſceptrum regium. Poſtremò hæc corona ipſis iudicum manibus capiti illius ponebatur, quem præco victorem renuntiaſſet. Id quod diſcimus è Pindaro,

> ᾧ τινι κραίνων ἐφετμὰς
> Ἡρακλέος προτέρας
> ἀτρεκὴς Ἑλλανοδίκας βλεφάρων
> Αἰτωλὸς ἀνὴρ ὑψόθεν
> ἀμφὶ κόμαισι βάλοι, γλαυ-

Philo περὶ πρεσβ. πρ. Γάι.

Plutarch. Iul. Cæſ.

Xenoph. hiſtor. Græcar. lib. 5.

Plutarch. Sylla.

Philo π. γεωργ.

Plutarch. ſymp. 9.

Philo π. ὧν Αβ. καὶ Κα. ἱερ.

Pindar. Oly. od. 3.

κόχροα

νόχροα κόσμον ἐλαίας, τάν ποτε
Ἴστρου ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν
Ἀμφιτρυωνιάδας,
Μνᾶμα τῶν ὀλυμπίᾳ κάλλιστον ἄθλων.

quibuſcunque exequens iuſſa Herculis antiqua verus iudex certaminis Ætolus vir ſuper palpebras circumpoſuerit comis decus oliuæ glauci coloris quam aliquando Iſtri ab opacis fontibus attulit Amphitryoniades, monumentum pulcherrimum Olympicorum certaminum. Alibi idem Pindarus hoc præmium ſimpliciter vocat γέρας.

ἀεισθὰ ἅρματον Pinda. Pyth. od. 5.
ὕδατι Κασταλίας
ξεινωθεὶς, γέρας ἀμφέβαλε
τεαῖσι κόμαις.

apud aquam Caſtaliæ hoſpitio exceptus præmio euinxit tuas comas. Et hæc quidem fuit priſca illa & prima corona curſus, quæ Olympiæ dabatur athletis victoribus.

CAP. XXIII.

Vnicuique certamini corona fuit attributa. Additamenta prima inſtitutionis ludorum Olympicorum. Quinquertium quid. Tibicines in pentathlis adhibiti. Quinquertionis partes quæ. Lucta & luctari. Lucta cuius inuentum. Vtilitates quæ ex ea. Pugilatus. Saltus. Diſcus. Iaculum. De ſingulari athleta, & de quinquertione. Quinquertio quinquertionis antagoniſta. πένταθλος *metaphoricè qui. Tria quinquertioni ad victoriam neceſſaria.* πιακτής.

PRæter hanc coronam curſus aliæ ſingulis certaminum generibus attributæ fuerunt, iis quæ in vnaquaque harum celebritatum peragebantur, vt pote quinquertio, luctæ, pancratio, pugilatui. Id quod Pindarus exprimit in his verſibus.

οὐ γὰρ ἦν πένταθλον ἔτ', ἀλλ' ἐφ' ἑκάστῳ Pindar. Iſth. od. 1.
ἔργματι κεῖτο τέλος, τῶν ἀθρόοις
αἰδησάμενοι θαμάκις
ἔρνεσιν χαίτας, ῥεέθροισί τε Δίρκας ἔφανεν
καὶ παρ' Εὐρώτᾳ πέλας.

neque enim erat quinquertium, ſed vnicuique facto propoſitum erat præmium. quorum [factorum] frondibus confertis redimiti ſæpe comas conſpicui fuerunt & apud fluenta Dirces, & iuxta Eurotam. Id quoque diſcimus è Plutarcho, vbi ait, curſoribus non Plutarch. ægrè eſſe ſi non auferunt coronas luctatorum. Quippe ſuaquiſque πένταθλος

contentus eſt, eaque lætatur & exultat. Cæterùm non denihilo à *Plutarch. ſympoſ. 5.* Plutarcho eſt obſeruatum, Quicquid in Olympicis ludis fieret extra curſum, id omne eſſe additamentum, ſiue acceſſionem primæ inſtitutionis, & inuentum ſequentium ætatum. Cùm ergo præter curſum de quinquertio, pancratio, lucta, pugilatu, diſco, iaculo ceſtu, & ſimilibus ago, de priſcorum quatuor ludorum additamentis ago. *Pauſan. lib. 5.* Quinquertij certamen apud veteres curſui proximum fuit. Vnde datur intelligi quàm priſcum inſtitutum ſit, quamuis, vt lucta quandoque fuerit intermiſſum, ſed poſtea reuocatum. Ordo quidem horum certaminum ſæpe fuit inuerſus; neque ferè, quicquam certi de eo traditur. Ergo hìc quidem non tam ordini, quàm fidei rerum mihi inſiſtendum intelligo. Vt hoc agam, πένταθλον quinquertium eſt certamen gymnicum, quod conſtat è quinque certaminibus, curſu, lucta, pugilatu, ſaltu, iaculo & diſco. *Ariſtot. lib. 1. Rhet.* Qui his omnibus vicit vocatur πένταθλος, noſtris quinquertio, hinc *Pollux lib. 3. cap. 30.* dictus quòd quinquies, hoc eſt, quinque hæc certamina decertauit & vicit. Pentathlum videtur Simonides demonſtraſſe his verbis.

Ἀνθολ. lib. 1.

Ἴσθμια ϗ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα
ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Iſthmia & Pythia Diophon Philonis filius vicit Saltu, curſu, diſco, iaculo, lucta. Vnde omnium victores per metaphoram eleganter dicuntur pentathli, quo epitheto Ariſtides donat priſcos *Ariſtid. panath.* Athenienſes, qui virtutibus cæteras omnes Græciæ ciuitates ſuperarunt. Idem alibi aſſimilat reges Perſicos, qui cædibus regnum *Ariſt. εἰς ῥώμην.* adipiſcebantur, iis qui pentathlo vincunt. Xenophon Ageſipolin, qui rebus omnibus Ageſilaum vincere nitebatur, vocat *Xenoph. hiſtor. Græc. lib. 4.* πένταθλον. Cæterùm hæ quinque victoriæ tribus potiſſimùm factis continentur, quæ à Plutarcho memorantur his verbis: Pu*Plutarch. ſympoſ. 2.*gnantium, inquit, primum opus eſt percutere, & cauere. Alterum aduerſus eos qui vnà ceciderunt, & qui ſunt in manibus vti impulſionibus, & circumagere ſe inuicem. Tertium, vt victi fugiant, aut victores perſequantur. Quæ quia de omni genere pugnæ à Plutarcho dicuntur, ea quæ propriè pertinent ad quinquertium ſingillatim perſequar; eumque demonſtrabo qui dignus hac appellatione cùm ſit, hac quoque corona donatur. Id quod priuſquam aggredior, non omitto id quod à Plutarcho eſt obſerua*Plutarch. π. μουσ.*tum, ſua ætate in pentathlis tibicines adhibitos. Porrò quinquertionis partes erant, τρέχειν, ſiue δρομεῖν στάδιον ϗ δόλιχον, hoc eſt, vt Ariſtoteles ait, τὰ σκέλη ϗ ῥίπτειν πως, ϗ κινεῖν ταχὺ ϗ πόῤῥω, vt Plutarchus, μελετᾶν τρέχειν ϗ διώκειν, currere ſtadium & dolichum,

crura quodammodo iacere & mouere celeriter & longè; curæ habere fugere & perſequi. Et hæc dicebantur τὰ δρομικὰ τοῦ πεντάθλου. ea quæ in pentathlo pertinebant ad curſum. Qui hoc præſtabat, dicebatur δρομικὸς, δολιχοδρόμος, ſiue δολιχοδρομοῦντας στάδιον, καὶ σταδιοδρόμος, & vt ſupra dixi, σταδιεὺς & σταδιάρχης. Hîc verò non prætereundum priſcum & vulgatum de his curſoribus dictum, nemo anteuertit nouiſſimis ipſorum, neque eos qui omnino deficiunt, ſed quos victoriæ proximos videt. Hoc eſt nullum decus eſt anteuertere ignauo curſori. Sed illa demum vera laus eſt, & indiſputabilis victoria, quæ prope partam victoriam eripit antagoniſtæ ſuo. Ergo is renuntiatur victor qui eſt ἐν ἀγαθοῖς ἄριστος οὐκ ἐν δειλοῖς ἀριστεύς, ἐν ἀσθενεστάτοις ἰσχυρός. inter bonos optimus, non inter meticuloſos præſtans, inter infirmiſſimos fortis. Neque etiam, vt ſupra ex eodem Ariſtide dixi, datur ſymbolum victoriæ illi qui paulùm euectus eſt in ſtadio, ſed qui prætergreſſus eſt antagoniſtam. Et hæc quidem fuit prima victoria quinquertionis. Secundo loco eius erat διαπαλαίειν, καταπαλαίειν, προσπαλαίειν, luctari, eluctari, hoc eſt, non deiici aut proſterni, ſed luctando aduerſarium proſternere. Certè luctam, Platone autore, veriùs dixeris μαχητικὴν καὶ βιαστικὴν, ἢ ἁμιλλητικὴν τέχνην, pugnatricem, violentam, ſiue vi prementē, quàm contētioſa martem, vbi ſcilicet, corpora corporibus cōmittuntur, ideóq; dicebatur certamen viri fortis. Enimuero de hac, vt de aliis artibus, extiterunt ſcripta Protagorea. Lucta fit in cœno & puluere, quia ibi eſt συμπλοκὴ & ὠθισμός. implicatio & impulſio, nempe cum athleta antagoniſta. Neque enim hîc loquor de priſca illa heröum lucta quam audebant committere cum feris; vbi ſubibant reboantes ferociſſimos tauros, eorumque ſummis cornubus audaces manus admouebant, vbi eos frænabant, aut etiam decollabant, ac ne vulnerati quidem cedebant. Vſque eo talibus eos exerceri iuuabat quæ ſunt ſupra meditationes militares. Neq; item hîc memoro luctas Cupidinum vbi ludibundi alius aliū proſternit, & manus mollicellas illi admouet ſicuti eum ſuffocaturus, & ſi in hoc conatu, crura illi deficiunt. Alter autem quamuis delicatulus non detrectat certamē, ſed erigit ſeſe in pedes, & aperit alteri manū qua propè ſuffocatur, id quod dū agit, torquet ſibi digitum. Quo digiti dolore percitus mordicus arripit aurem alterius palæſtritæ. Id quod alij cupidines ſpectatores huius agonis ægrè ferentes, eum qui luctæ leges prætergreſſus morſu iniurio antagoniſtam petierat, pomis lapidant. Valeant iſta & his ſimilia. Nos hîc de virili lucta agimus. Quæ, ſcilicet, eſſet imitatio pancratij in quo, vt infra dicam, laudabatur

Xenoph. hiſt. Græc. lib. 7.

Pollux lib 3. cap. 30.

Ariſt. παναγ. ἐν Κυζ. π. τ ναῦ.

Tyr. Max. διαλ. κδ.

Plato in Soph.

Philoſtrat in Heroic.

Philoſtrat. Her.

Philoſtrat. in Cupidinibus.

ſtrangulatio.id eſt manus ceruici aut gulæ illius admouebatur, qui deiectus eſſet, vſque eò vt is videretur ſuffocari. Certè huius luctæ præcipui geſtus & conatus erant, vtramque manum acriter ac fortiter intendere in caput & in faciem aduerſarij, & ſicuti ferro hæc & alia ſuffodere ac refringere. Huius item certaminis vtilitates apud Lucianum deſcribit Solon his verbis; Quotquot illorum, deiecto in terram vultu luctantur, & ſecurè procidere, & promptè exſurgere eâdem diſcunt opera, vt & tenaciter amplecti, & loco mouere, & præfocare, & in altum ſuſtollere poſſint aduerſarium. Quiſquis hæc omnia feliciter præſtaret, ὅταν μὴ ἐν λαβαῖς, quando aduerſario implicitus erat, dicebatur, παλαιστὴς, καὶ ἀγωνιστὴς, καὶ ὁ παλαιστικός. Cæterùm Palæſtram Mercurij filiam aiunt inueniſſe hoc genus exercitationis, cui ab ipſa nomen πάλη lucta. Tertio loco quinquertio debuit πὺξ παίειν, pugnis cædere, καὶ ὦσαι τῇ πληγῇ, & impellere plaga, id eſt, feriendo; καὶ προβάλλεσθαι, καὶ βλέπειν ἐναντίον, depellere & contra aſpicere. Vnde ſcitè admodum Demoſthenes exprobrans Athenienſibus ipſos eſſe imitarores barbarorum luctatorum, ait: Vt barbari pugiles dimicare ſolent, ita vos bellum geritis cum Philippo. Etenim ex illis is qui ictus eſt, ictui ſemper inhæret. Quòd ſi eum alibi ferias, ibi ſunt manus: at ictum euitare, neque ſcit neq; vult. Pugilatus exemplum eſt apud Q. Calabrum lib.4. Pugilis ergo opus eſt, inferre ictus & cauere. εὐζώνῳ τῇ κεφαλῇ πυκτεύειν expedito, id eſt, leuiter armato, aut etiam nudo capite certare. Tunc dicitur πύκτης, καὶ πυκτικὸς, καὶ πληκτικός. Quarto loco quinquertio debuit πηδᾶν ſalire, & tunc eſt πηδητικὸς aſſultim ingrediens, ſiue ἅλλεσθαι ſaltando euadere, ſiue μήκιστα ἅλλεσθαι quàm longiſſimè ſalire, dicebaturque ἀλτικὸς ſaltui aptus, agilis. Et in hoc certamine is vincebat qui ſigna prætergrediebatur. Quinto & vltimo loco, quinquertionis partes fuerunt δίσκον ſiue σόλον ἆραι, ἐκπέμψαι, ἐκρῖψαι, δισκεύειν, δίσκῳ ἀποφέρεσθαι, diſcum mittere, emittere, proijcere, diſco exerceri, diſco euehi, cuius exercitationis exemplum eſt apud Q. Calabrũ, vbi diſcus is qui fuerat Antæi, dein Herculis, poſtea Telamonis, tandem in funere Achillis, fuit præmium Aiacis. Hoc certamen Philo videtur ob oculos ponere iis verbis quæ hoc ſignant; Hoc accidit athletæ pugilatum aut pancratium pro victoria & coronis certanti. Hic enim inlatos ictus altera manu repellit, ac ceruicem huc illuc circumagens cauet ne ici poſſit: Sæpe verò & erigit ſeſe in ſummos pedes; ſéque rurſus ita comparat & contrahit, vt per inane irriti ſint ictus aduerſarij, eúmque eò redigat, vt ſit aſſinis illi qui pugnat contra laruas. Huic exercitationi videtur adnexum fuiſſe ἀκόντιον iaculum. Certè Horatius de his ita iunctim loquitur, vt diſci & iaculi non duo certamina, ſed

Phil. π. γυμ. — *Lucian. de gymn.* — *Philoſtrat. in imag.* — *Plutarch. M. Cat.* — *Demoſth. Philipp. 1.* — *Q. Calab. lib. 4.* — *Philoſtrat.* — *Philo. π. γεωρ.* — *Plutarch. εἰ πρεσβ. πολιτευτ.* — *Q. Calab. lib. 4.* — *Philo. π. τῶ Καιν.*

vnum faciat. *--- ſæpe diſco*
Sæpe transfinem iaculo nobilis expedito. *Horat. lib. 1. Carm od. 8.*

Qui ex his omnibus certaminibus victor rediiſſet, hunc, inquam, vocabant quinquertionem. Hic aduertendum, etſi laus quinquertionis maxima fuit, tamen ſingulas eius victorias ſi penſiculatè æſtimentur, minimè adæquaſſe eas quæ ſingulorum athletarum propriæ erant. Nam ſingularis athleta, idemque victor ſummum laudis adipiſcebatur, veluti is qui eſſet ὕπατος, in ſummo, & callentiſſimus eorum omniũ quæ ad ſuum certamen pertinerent, ſiue ea eſſet lucta, ſiue pugilatus, ſiue aliud. Quinquertio quidem omniũ victor erat. Sed minùs videbatur. εἰς τὸ ἑκάστου ἀκρίβειαν διαπεπονηκέναι, ἀλλὰ πάντων μετρίως ἐφῆφθαι. in eo elaboraſſe vt ſingula [exercitij genera] ſciret, ſed omnia mediocriter attigiſſe. Hoc quoque notandum, Quinquertioni antagoniſtam fuiſſe non ſingularẽ athletam, ſed vtique alium quinquertionem. Et hic eſt ſenſus Platonici loci, vbi confertur is qui verè ſit philoſophus, cum illo qui hanc aut illam artẽ profitetur. ἆρα ἐννοῶ οἷον λέγεις τὸν φιλόσοφον ἄνδρα. δοκεῖς γάρ μοι λέγειν οἷον ἐν τῇ ἀγωνίᾳ εἰσὶν οἱ πένταθλοι πρὸς τοὺς δρομέας, ἢ τοὺς παλαιστάς. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τούτων μὲν λείπονται κατὰ τὰ τούτων ἆθλα, καὶ δεύτεροί εἰσι πρὸς τούτους. τῶν δὲ ἄλλων ἀθλητῶν πρῶτοι καὶ νικῶσιν αὐτούς. Intelligo, videlicet, qualem philoſophum dicas. Videris enim dicere eiuſmodi, quales in certamine ſunt quinquertiones reſpectu curſorum vel certatorum. Etenim illi his cedunt in illorum certaminibus. Aliorum autem athletarum ratione primi ſunt, & vincunt eos. Ac ſi dicat, illi in ſingulis accipiũt τὰ πρωτεῖα, prima præmia: iſti in ſingulis τὰ δευτερεῖα ſecunda. Cæterũ qui cæteris aliqua re præſtabant, illi metaphoricè dicebantur πένταθλοι. Huius generis fuit Democritus Abderites, qui, autore Suida, quòd omni artium & doctrinæ genere eſſet excultus, hoc nomine fuit honeſtatus. Nec tamen quinquertio functus his omnibus, quæ dixi, omnia quæ ad victoriæ decus pertinent, peregerat. Nam quò virtus eius eſſet exploratior, ei neceſſe fuit infligere tres ictus antagoniſtæ ſuo, nempe in pugilatu. Et hoc illud eſt quod vocabant ἀποτριάξαι, ſiue ἀποτριάσαι, τουτέστι τρεῖς πληγὰς δοῦναι, vt ait Heſychius. Vt Pollux, ἐπὶ πεντάθλου νικῆσαι. in pentathlo vincere. Et hoc quoque fuit proprium Olympicorum ludorum, vt diſcimus è Platone, vbi agit de tertia victoria eius qui ſit philoſophus. Hæc igitur duo, inquit, ſibi inuicem ita ſuccedunt. Et iuſtus bis iniuſtum vicit. Hoc verò etiam perſpice, tertium locum, Olympicorum ritu, Ioui ſeruatori & Olympio tribui. Ariſtides, vbi acerbè inuehitur in Platonem, ei exprobrat quod tertiò nauigauerit in Siciliam, ac per deridiculum eum aſſimilat iis qui generali appellatione vocantur παλαισταί.

Plato. in ερα.

Suid. πένταθλος.

Heſych. ἀποτριάξαι.

Pollux lib. 3. cap. 30.

Plato lib 9. de Rep.

Ariſtid. κοινὴ ὑπὲρ λογ.

Nam bis errore ductus ad Dionyſium profectus fuerat. At tertio planè ad tyrannum, & tyrannicam domum. Quaſi dicat eum functum eſſe munere quinquertionis. Porrò qui hos tres ictus inflixerit, Æſchylo eſt τριακτής.

Æſchyl. Agam.

ὃς δ' ἔπιτ' ἔφυ, τρια-
κτῆρος οἴχεται τυχών.

qui vbi natus eſt, abit victoriam trium ictuum inflictu adeptus. Ibi enim interpres τὸ τριακτῆρος exponit νικητοῦ victoris, ex metaphora τῶν ἐν τοῖς πεντάθλοις ἀποτριαδιζόντων [lego ἀποτριαζόντων] ἐπὶ ἐλπίδι νίκης, eorum qui in pentathlis tres ictus inferunt ſpe victoriæ. Hinc τριαχθῆναι, inquit Suidas, λέγουσιν οἱ παλαιστρικοὶ ἀντὶ τοῦ τρὶς πεσεῖν, ἢ τὸ τρὶς προχάσαντα νικηθῆναι στάδιον, δίαυλον, δόλιχον. E quo loco diſcimus, in curſu quoque neceſſe fuiſſe ter vincere, quomodo in pugilatu tres ictus inferre. Et hoc quoque illud eſt quod Plutarchus ait, vbi agit de principatu literæ α, quòd tribus, nempe ictibus, quemadmodum pentathli ſupereſt & vincit. Ac ſi dicat, α, qualibet ratione eſſe vocalem victricem aliarum, quibus omnibus ipſa tres ictus infligit, vt victores quinquertij aduerſariis ſuis, & omni genere certaminum. Milonem fuiſſe quinquertionem veriſimile eſt. Nempe ſunt qui tradãt, eum obiiſſe victorem omnium certaminum.

Suid. τριαχθῆναι.

Solin. cap. 4.

CAP. XXIIII.

De corona quinquertionis. Degener athletica. Corona luctæ. Plura de lucta. Pugilatus. De diſco & iaculo. Pancratium.

QVinquertij præmium fuit corona, hoc eſt ſummum omnium præmiorum. Accipiebat, inquit Pollux, virgam palmæ, aut ipſam palmam, nempe vt ſupra dixi, ſymbolum victoriæ. Præconis voce renuntiabatur, & celebrabatur. Dein corona redimiebatur. Et hoc totum vocabant στεφανοφορίαν. Cæterùm quanti fuerit corona è quinquertio parta, hinc licet æſtimare, quòd Athenienſis Callippus ab aduerſariis quinquertij coronam pretio auertiſſe conuictus, ingenti pecunia multatus eſt, ex qua, videlicet Ioui erecta fuerunt ſex ſigna. Enimuero Pindarus docet, nihil tam arduum, neque tam rarum fuiſſe quàm obtinere victoriam quinquertij, quæ coniuncta cum victoria ſtadij ante Xenophontem data ſit mortalium nemini.

Pauſanias lib. 5.

Pindar. Ol. od. 13.

πεντάθλῳ ἅμα
ςαδίου νικῶν δρόμον. ὧν
ἀντεβόλησεν τῶν ἀνὴρ
θνατὸς οὔπω τις πρότερον.

vnà cum quinquertio ſtadij vincens curſum. Quæ non conſequutus eſt vir mortalis vnquam prius. Itaque vt quinquertionis victoria ſi non cæteris victoriis præſtitit, at certè paucis inferior fuit, ita veriſimile eſt hanc coronam in ſummo pretio fuiſſe, certè nulli dignitate ceſſiſſe, veluti illam, quæ vt omnes victorias, ita omnes coronas vna repræſentabat. Niſi fortè exiſtimare libeat, quinquertionē omnibus coronis donatū fuiſſe. Id quod & genus victoriæ videtur poſtulare, idémque licet ſuſpicari è verbis Plutarchi de Arato loquentis qui quoq; fuit, quinquertio, ὥστε, inquit, καὶ πένταθλον ἀγωνίσασθαι, καὶ στεφάνων τυχεῖν, adeò vt & quinquertiū decertauerit, & coronas adeptus ſit, nempe vnicuique victoriæ debitas. Sed, vt dixi; mihi quidem vſque adhuc res non ſatis eſt liquida. Et verò ſæpe aduerti, res celeberrimas à ſcriptoribus omitti. Nempe, quarum rerum cognitio eſt peruulgata, harum ſcriptio videtur eſſe ſuperuacua. Ita fit, vt dum ſcriptores operæ ſuæ parcunt, poſteritati parum conſulant. Illorū temporum ſcriptores, vt video, ſatis habuerunt ſi quatuor certaminum coronas deſcriberent, omiſſis cæteris, ea potiſſimùm ætate, qua athletica & gymnica cœperunt degenerare, & abire in κακοτεχνίας, vt eas Galenus nominat. Huius degeneris athleticæ exemplum peti poteſt è Plutarcho, vbi memorat Theagenem quendam mille ac ducentas coronas collegiſſe ὧν συρφετὸν αὖ τις ἡγήσαιτο τοὺς πλείστους, quarum plurimas quis exiſtimare poſſit farraginem, ac ſicuti coaceruationem futilium, nulliuſque pretij coronarum. Huiuſmodi exercitationes, quales introduxerant Antæus & Cercyo tum Epeus aut Amycus in pugilatu, Plato improbat vt inutiles. Nec ſolùm fuerunt inutiles, ſed interdum & turpes, cuiuſmodi illa eſt quam Æſchines Timarcho exprobrat his verbis; Iſte autem non olim, ſed nuper aliquando abiecta veſte nudus toto corpore pugilem agebat in concione & quidem corpore ob ebrietatem & petulantiam ita malè, turpitérque affecto, vt homines cordati oculos velarent, verecundantes Reipub. vicem quæ talibus conſultoribus vteretur. Sequitur lucta multum diſſimilis priſcæ illi, quam Plato facit partem τῆς γυμναστικῆς, cuius altera pars eſt ὄρχησις ſaltatio. Vtrique pueros aſſueſcere vult. Sed πάλην luctam vult eſſe eam quam ipſe vocat ὀρθὴν rectam, quamque adeò his verbis deſcribit; Quæ verò ex recta lucta à ceruicum, & manuum, & laterū motu, cum contentione, & decora membrorū conſtitutione adhibentur, ad conſentaneū robur, & ſanitatē com-

Plutarch. Arato.

Galen ad Thraſ.

Plutarch. πολιτ. παραγγ.

Plato lib. 7. de leg.

Æſchin in Timarch.

Plato lib. 7. de leg.

parandam,ea profectò,vt ad omnes vitæ partes vtilia,nequaquam ſunt prætermittenda. Sed & magiſtris & diſcipulis præcipiendum eſt,vt illi quidem hoc amicè & liberaliter largiantur,hi verò gratis animis amplectantur. Infra quoque hanc luctam bellicæ pugnæ cognatam firmat. Eamque pugnæ cauſa diſcendam ait, non pugnam luctæ gratia ſuſcipiendam. Nempe luctator exercebat ſe ad omnes motus corporis eos, qui in bello ſunt neceſſarij. Minimeque mirum eſt ſi hac de cauſa lucta exiſtimata eſt non ſolùm ἀρχαιότατον antiquiſſimum, verùm etiam πανουργότατον τῶν ἀθλημάτων vaferrimum è certaminibus. Neque enim luctator ſeſe incautè præbebat collustatori ſuo, ſed cautè & ſcienter declinabat declinanda, donec victoriæ locum reperiret. Idq; in hoc certamine præcipuè fuit aduertendũ,quod priuſquam athletę implicarẽtur, de loco & ſtatione contendebant. Mox ita pugnabant, vt aliquantum reſpirarent. Quo facto, πάλιν ἐπαποδύονται τοῖς αὐτοῖς ἀγωνίσμασι, rurſus ineunt eadem certamina. Alibi Philo Ægyptios comparans athletis ait, διαπνεύσαντες δὲ τιμωρίας ἐπ' ὀλίγον, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἀθληταί, &c. Cùm verò paulùm reſpiraſſent ab vltione, quemadmodum in certaminibus athletæ, collectis viribus, &c. Idem alibi, ἀθλητοῦ τρόπον οὐκ ἐῶντος διαπνεῖν καὶ συλλέξασθαι δύναμιν εἰς ἑτέρας ἀγωνίας ἀρχήν. in modum athletæ cui non permittitur reſpirare & colligere vires ad inſtaurandam pugnam. Cæterum de antiquitate certant curſus & lucta, quia vtrumque homini connaſcitur. καὶ γὰρ ὁ ταχὺς, inquit Ariſtoteles, ἰσχυρός ἐστιν, Celeritas & robur cognatæ dotes ſunt bona naturæ. At etiam luctæ natales inde ſunt, quod, vt Donatus ait, Veteres ante vſum ferri & armorum, pugnis & calcibus, & morſibus, corporumque luctatione certabant.

Ariſt. ὑπὲρ τῶν τεσσάρ. *Æſchin. in Cteſiph. & Ariſtid. in Panathen.* *Philo* περὶ μέθ. *Philo* περὶ βί. Μωσ. *Philo* περὶ καταράς. ἀρχ.

Lucret. lib 5.

Arma antiqua manus, vngues, denteſque fuerunt.

Hinc quoque videmus quàm ſint affines pugilatus & lucta, quorum vtrumque brachiorum vi, manibuſque peragitur. Certè Phœnix cùm iuuenes hortatur ad pugilatum, diſertim monet vt manus conſerant.

Q. Calab. lib. 4.

ἀλλ' ἄλλοι νέοι ἄνδρες ἐπιθυμεῖτε ἄεθλον
χεῖρας ὑπ' ἀλλήλοισι δαήμονας ἰθύνοντες,
πυγμαχίης, καὶ θυμὸν ἰλάσατε Πηλείωνος.

Verùm alij iuuenes accingite vos ad certamina, Manus vobis directè intentantes gnaras pugilatus, & manes Pelidæ exhilarate. Sed quòd pugilatus certatur contractis manibus, hoc eſt pugnis, eſtque lucta periculoſior, pugiles etſi maximè cupiunt, non ſinunt iudices implicari. Certè Græci eum qui manu promptus eſſet, vocarunt τῇ χειρὶ πλήκτην, manu pugilem, vt loquitur Plutarchus in laudatione Marcelli. ἦν γὰρ τῇ μὲν ἐμπειρίᾳ πολεμικός, τῷ δὲ σώματι ῥωμαλέος,

Plutarch. Marcello.

ῥωμαλέος, τῇ δὲ χειρὶ πλήκτης, τῇ δὲ φύσει φιλοπόλεμος. Erat enim experientia bellicoſus, corpore robuſtus, manu pugil, at natura cupitor belli. Eadem ferè tribuit M. Catoni, παρεῖχε δ' αὑτὸν ἐν ταῖς μάχαις τῇ μὲν χειρὶ πλήκτην, τῷ δὲ ποδὶ μόνιμον καὶ βέβαιον, γαῦρον δὲ τῷ προσώπῳ. *Plutarch. M. Cat.* Præbuit autem ſe in pugnis manu quidem pugilem, at pede ſtabilem & firmum, vultu verò hilarem. Alibi ab eodem manu prompti & pedibus celeres vocantur πλῆκται καὶ ποδώκεις. *Plutarch. M. Craſſo.* Pugilis quidem motus talis erat, vt aliud athleta peteret & monſtraret, aliud minitaretur. Has ob cauſas Hercules apud Euripidem pugilatum & luctam maioribus præmijs donari ait,

Euripid. Alceſt. actu 5.

τὰ μὲν γὰρ κοῦφα τοῖς νικῶσιν ἦν
ἵππους ἄγεσθαι, τοῖσι δ' αὖ τὰ μείζονα
νικῶσι πυγμὴν καὶ πάλην βουφόρβια.
γυνὴ δ' ἐπ' αὐτοῖς εἵπετ'· ἐντυχόντι δὲ
αἰσχρὸν παρεῖναι κέρδος ἦν τόδ' εὐκλεές.

Et enim qui in leuioribus vincebant, Ijs equos abducere licebat. Rurſus qui grauiorum certaminum victores erât, nempe pugilatu aut lucta, boues accipiebant. Vnà autem ſequebatur mulier. Quod egregium præmium cùm ſors mihi obijceret, turpe erat negligere. Ipſe Hercules ob victoriam in lucta partam contra Antæum, à Mercurio coronatus eſt in hoc à Dijs miſſo. Sed, quod omnibus *Philoſtrat. in Imag.* alijs antiſtabat præmijs, pugiles, ſicuti alios victores ſcriptis encomijs celebrari mos fuit. *Simonides*, inquit Quintilianus, *cum pugili coronato carmen quale componi victoribus ſolet, mercede pacta ſcripſiſſet, abnegata ei pecuniæ pars eſt.* *Quintil. inſtit. orat. lib. 10. cap. 11.* Diſci & iaculi certamina ſunt rudimenta & exercitamenta duritiæ, & laborum militarium, quæ autore Apolline ſuperbiunt. His certaminibus non tam coronæ propoſitæ fuerunt, quàm alia quædam præmia quibus nomen νικητήρια, ἐπιχείρια, γέρα, ἀθλήματα, ἆθλα καὶ ἔπαθλα. Pancratium fuit certamen quod conſtabat è duobus, lucta & pugilatu. ὁ δὲ, [verba ſunt Ariſtotelis] θλίβειν καὶ κατέχειν [τὰ σκέλη] παλαιστικός, ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ πυκτικός, ὁ δὲ ἀμφοτέροις τούτοις παγκρατιαστικός. qui comprimere & continere [ſcit] crura, palæſtrita. Qui autem ictu impellere, pugil: qui hiſce vtriſque, pancratiaſtes [dicitur.] Diſertim Plutarchus ait, ὅτι μέμικται τὸ παγκράτιον ἐκ τῆς πυγμῆς καὶ πάλης δῆλον. *Plutarch. ſympoſ. probl. 2.* Manifeſtum eſt pancratium miſceri è pugilatu & lucta. Videtur tamen lucta & pancratium ſeparatim fuiſſe certata; *Xenoph. in conu.* vt in illo loco vbi Xiphilinus tradit Aurelium Elicem inſignem athletam, qui omnes antagoniſtas *Xiphil. Abb.* ſuperaret, voluiſſe ſimul certare lucta & pancratio; & vtroque in ludis Capitolinis viciſſe. Cui virtuti & felicitati cùm Elæi inuiderent, ne is quod aiunt, ab Hercule octauus eſſet; in ſtadium nullum vocarunt palæſtritam, quamuis id genus certaminis eſſet in

albo cæterorum. Cæterùm pancratij victor dicebatur παγκρατιαστὴς, ſiue νικηφόρος τοῦ παγκρατίου. Opus ipſum παγκρατιάζειν. & καταπαγκρατιάζειν, *Philo m. dx.* cuiuſmodi eſt illud Philonis, καταπαγκρατιάζειν τοὺς ἥττους τῇ δυνάμει, proſternere inferiores viribus. Porrò vt ſupra dixi, ſimilitudine quinquertij eum qui omni doctrinæ genere excultus cæteris antiſtaret, vocatum fuiſſe quinquertionem, ita hîc quoque moneo, eos qui diſputando plurimùm poſſent, dictos fuiſſe pancratiaſtas. Qua de re extat inſignis apud Platonem locus, vbi Socrates loquitur de duobus adoleſcentibus pugnacibus, id eſt, acribus & acutis *Plato in Euthy.* diſputatoribus. Omnigena, inquit, illi ſapientia præditi ſunt. Et hactenus quidem ignorabam illos eſſe pancratiaſtas. hi enim profectò ad omne pugnandi genus inſtructi ſunt; & in omni ratione valde permixti; non quemadmodum Acarnanes illi fratres pancratiaſtæ. Illi enim corpore tantùm pugnare poſſunt. Hi verò primùm & corpore maximè valent, & eo genere pugnæ quo cuilibet licet euadere ſuperiori. & paulò poſt, Priori quidem tempore iſtarum tantùm rerum facultate valebant. Nunc verò ad ſummum cumulum pancratiaſtæ arti finem impoſuerunt, id eſt, eximiæ illi decertandi facultati. Cæterùm huic quoque victoriæ fuit propo- *Solin. cap. 4.* ſita corona, quam Syracuſanus Lygdamus tertia & triceſima Olympiade primus ex Olympico certamine reportauit. In Iſthmicis quidem hæc corona fuit myrtea, vt infra dico. Hîc, monitore *Pollux lib. 2.* Polluce, aduertendum, in pancratio fuiſſe genus quoddam meditationis, cui nomen ἀκροχειρισμός. Id cuiuſmodi fuerit, vberiùs exponit Suidas, vbi dicit, ἀκροχειρίζεσθαι εἶναι πυκτεύειν ἢ παγκρατιάζειν *Suid. ἀκροχειρίζεσθαι.* πρὸς ἕτερον ἄνευ συμπλοκῆς, ἢ ὅλως ἄκραις ταῖς χερσὶ μετ᾽ ἄλλου γυμνάζεσθαι, καὶ ἀκροχειρίτης οὗτος καλούμενος. eſſe luctari aut pancratio certare aduerſus alterum ſine implicatione, aut omnino ſummis manibus cum alio exerceri. Hic vocatus eſt ἀκροχειρίτης. Fuit ergo ἀκροχειρισμὸς genus luctæ, quæ non totorũ corporũ cõplexu peragebatur, ſed tantùm manibus collatis & cõfertis. Huius luctæ meritò eſt apud Platonẽ, *Plato Alcib.* atque adeò apud Platonizantem Philonem: Iam aliquãdo, inquit, *Philo ὅτι πᾶς σπουδ.* vidi in certamine pancratiaſtarum illum qui infert plagas manibus pedibuſque, omnes ictus dirigendo, nihilque omittendo eorum quæ pertinent ad victoriam, eatandem deſperata denique ſtadio exceſſiſſe incoronatum. At illum qui fuit verberatus ab firmitate carnis denſatum, rigidum, ſolidum, verè plenum ſpiritus athletici, per omnia neruoſum, ſicuti lapideum & ferreum, nihil propter plagas remittentem, conſtantia & firmitate patientiæ deſtruxiſſe aduerſarij vim vſque ad victoriam conſummatã. Cęterùm certare manibus collatis in hoc genere rarum fuit & aduertendum. Nam alioqui in pancratio totis corporibus, totiſque viribus certabant.

τὸ παίειν ἀλλήλους ὀρθοστάδην, παγκρατιάζειν λέγομεν, eos qui erecto ſtant corpore, ac ſemet verberibus mutuis onerant pancratio decertare dicimus, inquit Lucianus. Ideo Pindarus fortitudinem pancratij vocat laborioſam, —σοὶ δ᾽ ἐκ…

Lucian. de gymnaſ.

Παγκρατίου τλάθυμος ἀέξει.

Pindar. Nem. od. 5.

Te autem fortitudo pancratij laborioſa promouet. In pancratio vt fuit ἀκροχειρισμὸς, ita quoque laudatus fuit τραχηλισμὸς, ſtrangulatio. Id quod quid eſſet, ſupra interpretatus ſum. Porrò vt vocabulo Olympionici demõſtrabatur ille inſignis athleta qui Olympiæ viciſſet, ita quoque multùm dignitatis continebatur hac voce ὁ παγκρατιαστὴς, eaque ſignabatur illuſtris ille & aduertendus athleta pancratij victor, vt apud Xenophontem Arcas Antiochus ὁ παγκρατιαστὴς. Pancratiaſtes elegantiſſimè deſcribitur apud Philoſtratum in Arrichione.

Lucian. Lexiphane.

Xenoph. hiſt. Græc. lib. 7.

Philoſtr. in Imag.

CAP. XXV.

De autore ludorum Pythicorum. Ludi Pythici inſtituti ad exemplum Olympicorum. Acceſſiones ludorum Pythicorum. νόμος πυθικὸς, *& de eius partibus. Hymni & peaniſmus. Apollo* φίλαθλος. *Certamina poëtarum. Athletæ in Pythicis nudi, muſicis exceptis. Materia coronæ Pythicæ primùm fuit eſculus. Poſtea laurus. De ſingulari lauro è qua nectebantur hæ coronæ. Fortè & hæc corona fuit è palma. Palma & corona iunctim datæ. Poma palmæ. Hæc quoque corona facta eſt aurea. Quanti fuerit Pythica corona.*

OLYMPICAM celebritatem proximè ſequitur Pythica. Hos ludos Diomedes rediens è Troia in honorem Apollinis inſtituiſſe dicitur, quòd ſæuitiam eius tempeſtatis effugiſſet qua cæteri Græci conflictati fuerant. Hæc Pauſanias. Alij eos ad Agamemnonem referunt. Alij ab ipſo Apolline hos ludos inſtitutos firmãt propter occiſum ſiue enormis nequitiæ hominem, ſiue enormis magnitudinis ſerpentem. In his eſt Ouidius,

Pauſan. in Corinth. lib. 2.

Etymol. πύθια.

Hunc [Pythonem] *Deus arcitenens, & nunquam talibus armis*
Ante niſi in damis, capreiſq; fugacibus vſus
Mille grauem telis exhauſta pene pharetra,
Perdidit, effuſo per vulnera nigra veneno.
Neue operis famam poſſet delere vetuſtas,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

Ouid. lib. 1. Metam.

Clemens Alexandrinus ſerpentem tantùm agnoſcit. Pythiæ quidem draco Pythius, inquit, colitur, & ſerpentis panegyris celebrãtur Pythia. Alij rem omnem ad Amphyctiones autores referũt,

Clem. Alex. exhort. ad Græc.

Strabo lib. 9.

nempe, equeſtre certamen & gymnicum, in quibus corona eſſet præmium. Ipſum quidem certamen, vt & Ouidius ait, vocarunt

Plutarch. π. φυγ. Pythia; & Delphis celebrabarur, quomodo Eleuſinæ ea quæ dicebantur *μυστεια*, Argis *τὰ Διονύσια*, Corinthi Iſthmia. Hi ludi inſtituti ſunt anno tertio Olympiadis XLVIII. ad exemplum Olympi-

Pauſan in Phoc. lib. 10. corum, quadrigis exceptis. Etſi ibi quoque, inſequenti ætate quadrigis eſt certatum. Pindarus,

Pindar. Pyth. od 2.

ὔμμιν τόδε τᾶν λιπαρᾶν ἀπὸ Θηβᾶν
φέρων μέλος ἔρχομαι,
ἀγγελίαν τετραορίας ἐλελίχθονος.
εὐάρματος Ἱέρων ἐν ᾇ κρατέων,
τηλαυγέσιν ἀνέδησεν Ὀρ-
τυγίαν στεφάνοις.

vobis hoc fertilibus à Thebis afferens carmen venio, nuntium quadrigarum quatientium tellurem. In quibus Hiero curru felix, victoria potitus latè ſplendentibus redimiuit Ortygiam coronis.

Strabo lib. 9. Hiſce ludis, hoc eſt, certamini equeſtri gymnico acceſſerunt illa quæ proponebantur ijs qui hymnum; hoc eſt pæana in Apollinis honorem cecinissent quos citharœdos, citharistas, tibicines, fidicines nominant. Hæc Strabo; ſed quæ diſtinctiùs traduntur à Plu-

Plutarch. ſymp. probl. lib. 5. tarcho. Quippe is ſermones hac de re in his ipſis ludis habitos referens, ait, quædam ibi addita aut adſcita poſt primam institutionem, ex cuius præſcripto tantùm admittebatur *αὐλητὴς Πυθικὸς, καὶ κιθαριστὴς, καὶ κιθαρῳδὸς*. Tragœdus quidem excludi non potuit, pluribus agminatim ingredientibus. Ergo ipſe Plutarchus Terpādrum

Plutarch. π. μουσ. in *κιθαρῳδικῇ* excelluiſſe ait, qui Pythia ordine quater vicerit. De hoc ipſo Terpandro paulò ante dicit, eum, cùm ſit citharœdarum cantionum poëta, ex præſcripto legis, ſuis & Homericis verſibus cantilenas circumponentem, canere in certaminibus. Itaque in Pythicam celebritatem irrepſerunt illa omnis generis *ἀρεσκόμενα*, non inſuaui quidem varietate, & illo loco indigna. Quæ tamen ſenſim excluſerunt priſcam illam, frugalem, & planè muſicam, quæ iudicibus non parum negotij præbebat; ex qua deniq; multa odia illorum qui ſuperati eſſent, exoriebantur. Et hoc quidem genus muſicorum primùm ſine vllo carmine ſuaues ſonos reddebat. Et hic erat is qui dicebatur *νόμος πυθικὸς*, cuius nominātur quinque partes, anacruſis, ampeïra, catacelcuſinus, iambi & dactyli, ſyringes. Hæc Strabo paulò diuerſus à Polluce, qui aliter nominat has

Pollux. lib 4. cap 10. quinque partes *τοῦ πυθικοῦ νόμου αὐλητικοῦ*. Sunt enim *πεῖρα, κατακελευσμὸς, ἰαμβικὸν, σπονδεῖον, καταχόρευσις*. Has quoq; ſingulas partes idē Pollux, cuiuſmodi fuerint, interpretatur. Siquidem hoc totum negotium nihil aliud fuit, niſi interpretamentum eius pugnæ, quam Apollo

inſtituit aduerſus draconem. Et quidem in πείρᾳ, tentamine, inquit, diſpicit locum, ſi eſt dignus certamine. At in catacelcuſino prouocat draconem. In Iambico verò pugnat. Poſtea introducti ſunt hymni in honorem Apollinis, & conſuetus ille παιανισμὸς, ἰὴ παιὰν, vt Homerus loquitur, ἰὴ παιῶν. Nempe ibi cantu certabant ad citharam, cantu ad tibiam, & ipſis per ſe tibijs. donec, tetentis alijs certaminibus, aulœdorum ars reiecta; quòd ſic animum inducerent, ab illis neſcio quid cani triſtius & infauſti. Ipſe Apollo perhibetur εὐάεθλος καὶ φιλόνεικος, cupiens certaminis & victoriæ in cithara, in cantu, in iactu diſci, in pugilatu. Ipſe, quamlibet Deus, diducitur in ſtudia; adeſtque certantibus fautor, ac τὰ πρωτεῖα dat ijs à quibus colitur; quomodo ſuperborum, nec ipſum precibus adeuntium ictus auertit à ſcopo. Meritò ergo Athenienſes huic numini gymnaſium ſponte conſecrarunt. Delphi quoque Apollini pugili, Cretenſes & Lacedæmonij curſori rem diuinam faciũt. Cui numini æmulus Nero ea quę in Pythijs agebantur ad ſe magis quàm ad Deum pertinere putabat. Nempe, eò vecordiæ proceſſerat, vt exiſtimaret, Apollinem non audere ſecum neque cithara, neque carmine certare. Certè Philoſtratus memorat eum, relicta Roma, in Græciam profectum ſeſe ſubiecisſe præconijs Olympicis & Pythicis; atque adeò viciſſe Iſthmica certamina. Porrò eius & victoriæ, & præconia erant citharœdica. Olympiæ quoque vicit tragœdos. taleſque coronas, vt alibi dico, cupidiſſimè ambiuit. Cæterùm hi ſunt illi ludi, in quibus inclyta illa poëtarum certamina peragebantur. Poëticam, inquit Plutarchus, non dicimus feram illam, neque item hanc nouitiam quæ nuper acceſſit ad ſacra certamina, ſed illam, quæ olim adipiſcebatur coronas victrices. Alibi quoque memorat, Soſiclem Coronæum Pythijs ludis victorem fuiſſe poëtarum. Alibi ait, Philemonem Comicum & Alexin in ſcena qui certaſſent, coronatos animam exhalaſſe. Idem quoque paulò poſt tradit, autoribus Eratoſthene & Philocoro, Polum tragœdum, qui eſſet natus annos ſeptuaginta, paulò ante finem vitæ, intra quatuor dies decertaſſe octo tragœdias. Agatho ille apud Platonem prima tragœdia, id eſt primo tragœdiæ certamine vicit, & ſequenti die ſacrificauit ἐπινίκια, id eſt victoria vota reddidit. Id quod priſco more factitatum fuiſſe, hinc fides, quòd & Homeri & Heſiodi talia certamina celebrantur. Aiunt ipſos, inquit Tzetzes, certaſſe, & Heſiodum victorem fuiſſe; certamen proponente, verſuſque ipſorum iudicante Panide rege. ex his, inquam, certaminibus Heſiodum victorem rediſſe, coronatum; atque alio præmio donatum eſſe, nempe tripode. Etſi hanc exiſtimationem acriter confutat Tzetzes, qui Home-

Homer. hymn. in Apoll.

Plutarch ſymp. 8.

Lucian. Ner. ſeu de foſſa Iſthm.

Philoſtrat. vita Apoll. lib. 4.

Plutarch. ſymp. probl. lib. 5.

Plutarch. ſymp. probl lib. 2.

Plutarch. ſi ſen. Reſp. admin.

Plato in ſymp.

Tzetz. in Heſ. lib. 1.

Tyr. Maxim. διαλ. β. rum Heſiodo multò antiquiorem facit, & præſtantiorem, Et hæc dicebantur ἐπινίκια ἄσματα; quæ omnibus admirationem aut excitarent, aut adimerent. Nec verò ſua tantùm ſcripta poëtæ deferebant ad certamen, verùm etiam aliena, dummodo acritatem ingenij, & doctrinę opes in illis emendandis prompſiſſent. Certè *Quintil. Inſtit. orator. lib. 10.* Quintilianus eſt autor, *Athenienſes permiſiſſe poſterioribus poëtis vt Æſchyli fabulas emendatas in certamen deferrent.* Eaque ratione non paucos ait fuiſſe coronatos. Hîc adnotandum, cæteros athletas, ſcilicet, pręter poëtas, ad Pythica certamina deſcendiſſe nudos. Ibi enim & pugilatu, & curſu, & quadrigis certatum fuiſſe, prætet alia teſtimonia, docent verſus Ouidij quos paulò poſt cito. *Pindar. Pyth. od. 1.* Nec mirum, ſi tanta fuit horum ludorum celebritas, vt Pythiam Pindarus vocauerit στεφάνοισιν ἵπποισί τε κλυτάν, coronis equiſque inclytam. Coronam Pythicam credibile eſt primò nexam fuiſſe ex æſculo. Cauſa eſt apud Ouidium loquentem de Pythijs. *Ouid. lib. 1. Metam.*

Hic iuuenum quicunque manu, pedibuſue, rotaue
Vicerat; eſculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat, longoq; decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

Etſi eſculus propriè eſt arbor Ioui dilecta, vt diſertim Virgilius *Virgil. lib. 2. Georg.* tradit loquens de arboribus.

Pars autem poſito ſurgunt de ſemine, vt altæ
Caſtaneæ, nemorumq; Ioui quæ maxima frondet
Eſculus.

Certè hic ipſe poëta huius arboris proceritatem, firmitatem, diu- *Virgil. lib. 2. Georg.* turnitatem alibi laudat.

Eſculus in primis, quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantùm radice in Tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neque imbres
Conuellunt, immota manet, multoſq; per annos
Multa virûm voluens durando ſæcula vincit.

Ælian. Var. hiſt. lib. 3. Inuenta demum lauru, coronas Pythicas conſtat fuiſſe laureas, Aelianus cauſam tradit propter quam victori in Pythicis ludis corona datur è lauro Tempica. Theſſali aiunt, Apollinem ex mandato Iouis purgatum, cùm Pythonem ſerpentem iaculis interemit, qui etiam cùm ibi eſſet oraculum, Delphos habebat. Ergo coronatum ex hac lauro Tempica, & ramo in dextram ſumpto ex hac ipſa lauro veniſſe Delphos Iouis & Latonæ filium, & oraculum occupaſſe. Eſt etiam ara in eo ipſo loco in quo coronatus eſt, & ramum abſtulit. Proinde etiamnum nono quoque anno Delphi nobiles pueros mittunt, & vnum ex ipſis architheoron. Hi adue-

nientes & magnificè ſacrificantes apud Tempe, & nexis ſibi ex ea lauro coronis, qua tunc Deus etiam amans coronatus eſt. & paulò poſt; Atque hinc eſt, quod etiam in Pythijs ex hac lauro coronæ victoribus dantur. Illud notandum, non artifici manu has coronas à Delphicis adoleſcentibus fuiſſe nexas, ſed ſibi quemque ſuâ propria manu nexuiſſe ex illa arbore quæ inibi eſſet, quemadmodum illi quoque apud Philoſtratum adoleſcentuli, quorum quiſque *ςέφανον αὐτῷ πλέκει παρὰ τοῦ λειμῶνος τοῦ ἐν τῷ ἕλει*, coronam ſibi plectit apud pratum quod eſt in palude. Scio dubitatum, an hæ coronæ eſſent è palma. Id quod Soſis apud Plutarchum ſuſpicatur, dum ait, primum Theſeum in Delo inſula abſcidiſſe ramum ſacræ palmę, quæ & ſpadix dicta. Et hoc quidem ait Praxitelem dicere. Sed & illud quæri, qua de cauſa Theſeus abſciderit ramum huius palmæ, non lauri, non oleæ: Vide, inquit, ne palma ſit, *Πυθικὸν νικητήριον*, Pythicum victorię præmium. Siquidem & inibi Amphictyones primùm in honorem Dei lauro & palma victores condecorarunt; ſiue etiam Deo non lauros, neque oleas, ſed palmas ſuſpenderunt. Priuatis quidem iudicijs palmâ alicui tradita vnà cum corona, erat luculentum teſtimonium eximiæ illius & ſingularis doctrinæ qua cenſebantur illi qui ad hæc certamina accedere audebant. Ea re Herodes rhetor palmam & coronam ſibi à quodam, qui in certamine victor fuerat, allatam, modeſtia, ſcilicet, prępeditus non accepit, ſed vtramque ei remiſit. Solon apud Lucianum, ait, ijs qui in hiſce ludis victores fuerint proponi mala ſeu poma, nempe ex ijs quæ Deo [Apollini] ſunt ſacra, qui haud dubiè eſt fructus palmæ. Ergo non quidem ipſa palma propriè eſt *Πυθικὸν νικητήριον*, ſed ipſa poma enata è palma. Quem Luciani locum interpres parum intellexit. Hanc quoque coronam, vt alias, veriſimile eſt, è frondea factam fuiſſe auream: Id vt ita credam, adducor his verbis Pindari, vbi coronas Pythicas vocat fulgidas.

εὐάρματος Ἱέρων ἐν ᾇ κρατέων
τηλαυγέσιν ἀνέδησεν Ὀρ-
τυγίαν ςεφάνοις.

In qua curru felix Hiero victoria potitus latè ſplendentibus redimiuit Ortygiam coronis. Et alibi,

τῷ μὲν διδύμας χάριτας
εἰ κατέβαν, ὑγίει-
αν ἄγων χρυσέαν
κῶμόν τ' ἀέθλων Πυθίων
αἴγλαν ςεφάνοις,
τοὺς ἀριστεύων Φερένι-
κος ἕλε Κίῤῥᾳ ποτὲ...

Philoſtra. συο-ϑήρας. *Plutarch ſymp. probl. lib. 8.* *Plutarch. ſymp. probl. lib 8.* *Plutarch. ſymp. probl. lib. 8.* *Lucian. de gymn.* *Pindar. Pyth. od. 2.* *Pindar Pyth. od. 3.*

Ad quem ſi deſcendiſſem geminas gratias afferens, ſanitatem aureum, & hymnum certaminum Pythicorum, qui eſſet ſplendor coronis quas fortiſſimè omniũ ſe gerens Pherenicus [equus eius] conſequutus eſt apud Cirrham aliquando. Tanti fuit præeſſe his ludis, vt adnotatum fuerit, Hippodromum ſicuti rem ingentis prærogatiuæ obtinuiſſe, vt bis inibi præſideret. Tanti quoque fuit hæc corona, vt Sicyonijs numen prędixerit, ciuitatem opus habere flagellatoribus, quòd Teletian puerum, qui Pythicam coronam metuiſſet, eo honore fraudaſſent. Hanc quoque coronam Nero vrbem ingrediens dextra manu tenuit, cùm capite, vt ſupra dixi, Olympicam gereret.

Philoſtr. Hippo.

Plutarch. περ. τῶν ὑπὸ τοῦ θεοῦ βραδ. τιμως.

CAPVT XXVI.

Nemea. Leo Nemeus. De autore Nemeæ celebritatis. Nemea vnde dicta. Iupiter Nemeus. Alia exiſtimatio circa originem Nemei conuentus. Lucus Nemeus. Stadium, quadriga, pancratium in Nemea. Apium coronamentum Nemeum. De apio & pinu. ἀσίους ἢ ἀπίνας.

PYTHICAM celebritatem & coronam ſequitur Nemea. Hoc nomine fuit vicus Achaiæ haud longè ab Argis, ſic dictus à leone Nemeo, quem ibi Hercules interemit. Cuius rei monumentum, ſpolium feræ, corpori tutamen geſtauit, quomodo Iupiter pellem capre acceptam pro ſcuto habuiſſe dicitur. In proximo fuit ſpecus, nempe receptaculum leonis;

Etymo. Νεμέα & German. in Comm. Araphan.

Germã. in comment. ad Araphan.

Stat. lib. 3. Sylu.

-ex quo
Formidatus Nemees ager.

Hanc Virgilius vocat rupem,

Virgil. 8. Ænei.

-tu Creſſia mactas
Prodigia, & vaſtum Nemea ſub rupe leonem.

Totus locus dictus eſt χλεωναὶ. Hac de cauſa hanc Nemeorum panegyrin non minùs quàm Olympicam referunt ad Herculem autorem. In his eſt Tertullianus, qui irridens mollitiem Herculis in feminam mutati, ait, *Nemea certè, ſiquis loci genius, ingemebat. Tunc enim ſe circumſpexit leonem perdidiſſe*, hoc eſt, & ſpolium leonis, & ipſum tanti ſpolij geſtorem. Huius item alio loco hæc ſunt verba, *Proinde Olympia Ioui, quæ ſunt Romæ Capitolina. Item Herculi Nemea; Neptuno Iſthmia.* Ipſe Hercules apud Statium Nemeam agnoſcit vt ſuam,

Etymol. χλεωναι.

Tertull. lib. de pall.

Tertull. lib. de ſpect.

Stat. lib. 3. Sylu.

Nec mihi plus Nemee, priſcumq; habitabitur Argos.

Cæterùm

Cæterùm hæc eſt illa ipſa Nemea, in quam iuſſu Iouis Mercurius euolauit, & Argum interfecit. Nemeam dici volunt ἀπὸ τῶν νεμομένων ἐκεῖσε βοῶν, à bobus ibi paſtis, qui erant Iunonis. Aut à filijs Danai, qui eum locum ſorte inter ſe partiti ſunt. Certè locus vocabatur τὰ Νέμεα apud Plutarchum, αὐτοὶ δὲ τὰ Νέμεα καταβάντες εἰς Ἄργος ἦγον. ipſi verò deſcendentes Nemean, Argos ducebant. Cæterùm ne quis huc ſe nominis error inſinuet, monent ſcriptores aliam in Theſſalia vrbem fuiſſe cui nomen Νέμεα. At in Peloponneſo fuit leo Nemeus, è quo proſtrato, vt cœpi dicere, fluxit inſignis hæc Nemea celebritas. Inibi fuit inſigne templum Iouis, cui Nemeo nomen. Huic Argiui ſacrificabant, & in eius honorem athletis certamina proponebant. Is dicebatur Nemeorum conuentus, qui ad exemplum Olympici quinto quoque anno celebrabatur. Et hæc quidem eſt receptiſſima exiſtimatio huius inſtituti. Aliud quoque reperio. Quippe memorant Adraſtum, vnà cum ijs qui Thebas oppugnatum iuerant, veniſſe ad Nemeam, vbi Hypſiphile Ophiten Lyci regis filium in ſeruitute alebat. Hæc rogata ab his ducibus vt aquam monſtraret, ne puerum humi deponeret, in apio altiſſimo quod ad fontem erat, eum occuluit. Ibi draco puerum, dum ipſa ducibus aquam præbet, exedit. Draconem Adraſtus & cęteri interfecerunt, ludoſque funebres, eoſdemque quinquennales puero inſtituerunt. Hunc puerum Clemens Alexandrinus vocat Archemorum, cui iuſta facta ſunt; eiuſque funebrem orationem ait appellari Nemeam. Hinc eſt, quod Artemidorus dixit, coronam Nemeam eſſe dicatam certamini ſepulchrali, quod in illorum numero eſſet quos vocabant ἀγῶνας ἐπιταφίους, vbi decurrebant in honorem illorum qui bello perijſſent. Hoc cenſet Statius, vt apparet ex his verſibus qui ſunt in epicedio in patrem.

Lucia. in Dial. Deor.
Etymo. Νεμέα *&* Νεμεαῖον.
Plutarch. Ag. & Cleom.
Etymol. ἀπίσας.
Hygin. fab. 74.
Clemen. Alex. exhor. ad Græc.
Artemid. lib. 1. cap. 79.
Pollux. lib. 8.

Illic & Siculi ſuperaſſem dona ſepulchri,
Et Nemees lucum, & Pelopis ſolennia trunci.

Stat. in epic. in patr.

Huius generis fuit illud quod decurſum fuit trecentis Lacedæmonijs, quem decurſum interfectorum parentes ſpectarunt. Porrò hunc locum, ſiue eſt ager, ſiue vicus, Nemeus, Pauſanias, & Pindarus, & Statius nominant lucum; credo, quo ei maior accedat veneratio.

Plutarch. π. τ̃ Ἡρ.-ναρονθ.

ὁ δ᾽ ἀνὴρ
καταβολὰν ἱερῶν ἀγώνων
νικαφορίας δέδεκται
πρῶτον Νεμεαίου
ἐν πολυυμνήτῳ Διὸς ἄλσει.

Pindar. Nem. od. 2.

hic quoque vir fundamentum ſacrorum certaminum victoriæ

Pindar. Nem. od. 3 ſumpſit primùm in Nemeæo múltùm decantato Iouis luco. Nemeam quoque Pindarus vocat βαθυπέδων profundos campos habentem. Alia multa inuenta ſunt in honorem huius loci. Video *Plin. lib. 35. cap. 4.* apud Plinium Nemeam in tabula pictam, & *ſedentem ſuper leonem, palmigeram ipſam, adſtante cum baculo ſene, cuius ſupra caput tabula biga dependet.* Quia omnia certaminum genera in illis quatuor celeberrimis Græciæ conuentibus peracta conſtat, certè Nemeæ quoque bigis & quadrigis eſt decertatum. Pindarus nominat ſtadium Pythicum, quò athletæ nudi veniebant; in his verſibus,

Pindar. Pyth. od. 11. *Plato in Theag.*

> Πυθοῖ δὲ γυμνοὶ ἐπὶ
> στάδιον καταβάντες ἤλεγξαν Ἑλ-
> λανίδα στρατιὰν ὠκύτατι.

Pythiæ nudi in ſtadium cùm deſcendiſſent, dedecorarunt Græcanicam turbam [ſua] velocitate. Ita quoque Plato nominat ſtadium Nemeæ. Hic aliquando, inquit, inſtitutum ſuum de adeundo ſtadio illo Nemeó mihi communicauit. Pindarus quoque nominat coronam pancratij in Nemea, qua donatus fuit Pythias Lamponis filius.

Pindar. Nem. od. 5.

> - - διαγγέλ-
> λοισ᾽ ὅτι Λάμπωνος υἱὸς
> Πυθέας εὐρυσθενὴς
> νικῇ Νεμέοις παγκρατίου στέφανον.

Stat lib 3. Sylu. *Plutarch. Philopœm.* nuntians quod Lamponis filius Pytheas prævalidus emeruit in Nemeis pancratij coronam. Denique omnia certamina, quamlibet ardua, ibi habebantur. Hinc eſt, quod Statius vocat Nemeam atrocem,

> *Cedat atrox Nemee.*

Enimuero Plutarchus eſt autor, in hac Nemea celebritate à Philopœmene editos fuiſſe ludos planè militares, hoc eſt, qui referrent ſpeciem ordinatæ, ac incedentis phalangis, ſeruatis numeris, additaque celeritate & robore. Ipſum quidem Philopœmenem, citharœdis certantibus, ſpectandum ſe in ſpectaculo præbuiſſe ſecum habentem adoleſcentes in veſtibus militaribus cum anteriori veſte purpurea, florentes vi corporum ac ætate. Illam omnem ſpeciem omnium oculos conuertiſſe in Philopœmenem; eumque & plauſu & ingenti lætitia exceptum. Cæterùm Pindarus meminit *Pindar. Iſthm. od. 6.* floris coronarum Nemearum.

> - ἐν Νεμέᾳ
> μὲν πρῶτον ὦ Ζεῦ τὶν ἄωτον
> δεξάμενοι στεφάνων.

apud Nemeam enim primùm ô Iupiter tuarum florem adepti coronarum. Idem alibi dicit Nemeam habere pulchra folia,

πράξαντο γὰρ νίκας ἀπὸ παγκρατίου,
τρεῖς ἀπ' Ἰσθμοῦ, τὰς δ' ἀπ' εὐφύλλου Νεμέας
ἀγλαοὶ παῖδές τε καὶ μά-
τρως. *Pindar. Iſthm. od.6.*

Reportarunt igitur victorias è pácratio, tres ab Iſthmo; illas autem à Nemea folia pulchra habente illuſtres filij & auunculi. Nec mirum, ſi ludos Nemeos idem Pindarus vocat amabiles,

ἦλθε τοι Νεμέας
ἐξ ἐρατῶν ἀέθλων
παῖς ἐναγώνιος. *Pindar Nem. od.6.*

venit Nemeæ ex amabilibus ludis adoleſcens certaminum ſtudioſus. Cæterùm qui in his ludis victor fuiſſet, is apio, vt Lucianus & Pauſanias aiunt, coronabatur. Hoc ipſum alij tradunt. Atque adeò hæc ſunt verba Plinij, *Honos ipſi in Achaia coronare victores ſacri certaminis Nemea.* & Artemidorus diſertim tradit, σελίνῳ ἐν Νεμέᾳ τοὺς νικῶντας στεφανοῦσθαι. apio in Nemea victores coronari. Tertullianus quoque autor eſt, *Herculem nunc populum capite præferre, nunc oleaſtrum, nunc apium.* Quorum verborum hic eſt ſenſus, Quandoque Herculem coronari populo vt propria arbore; oleaſtro, vt autorem & victorem ludorum Olympicorum; apio, vt inſtitutorem, & editorem Nemeorum. Id quod etſi verum eſt, tamen apium eſt quoque coronamentum Iſtmicum, vt infra dicam. Et verò Plutarchus, vbi agit de apio, & pinu, tradit pinum fuiſſe patrium coronamentum certaminum; ſed apium è Nemea ſumptum, quò propter Herculem inductum fuerat. Quod autem præualeret, pinum obſcuraſſe. Sed proceſſu temporis, ait, hanc ipſam pinum, patrium & familiare præmium, rurſus reuocatam maiori gloria refloreſcere. Hæc Plutarchus; de quibus infra fuſiùs dico, vbi ago de corona Iſthmica. Poſtremò obſeruandum, locum, ſiue carcerem vnde equi in curſum Nemei certaminis emittebantur, peculiari dictione vocatum fuiſſe ἀφέσας καὶ ἀπίσας, ſi credimus Etymologico.

Lucian. de gymnaſ.
Pauſan. in Arcad. lib. 8
Plin li. 19. c. 18.
Artemid lib. 5. cap 7.
Tertull. de cor. mil.
Plutarch. ſymp. probl. lib. 5.
Etymo. ἀπίσας.

CAPVT XXVI.

Cur apium ſit coronamentum Nemeum. Apio equi & paſcuntur & ſanantur. Apium ſymbolum victoriæ. Apium ἑλεόθρεπτον, *paluſtre, vdum. Coronæ conuiniales ex apio. Apium pratenſe & hortenſe. Apium proculcatum reuireſcit. Apium viuax, pulchrum, virens, flexibile. Apium vnde prognatum.*

CAVSA quæri poteſt ob quam apium eſt coronamentum Nemeum. Ego ſi non poſſum veras, veriſimiles dicam. Inuenio,

Nemeas equas Iunonis, à quibus ibi paſcentibus loco nomen inditum, apio, cuius ibi copia erat, fuiſſe paſtas. Inuenio quoque Danaum qui Nemeam poſſedit, cùm filias elocaret, certamen decurrentem oſtendiſſe procis metas, in quibus prouenerat apium, quod excerpſit is qui curſu cęteris anteuerterat. Ergo apium, quod quidem fuit ſymbolum illius victoriæ, manaſſe ad poſteros. Neque verò apium tantùm fuit pabulum equarum Iunonis, ſed & illarum omnium quæ in Nemeis ludis decurrebant. Neque mirum, ſi pabulum velociſſimi animalis qui ſua celeritate victoriæ cauſa eſſet, vſurpari cœpit pro ſymbolo, atque adeò pro ipſo præmio victoriæ. Et quidem equi bellatores apud Homerum apio paſcuntur.

Etymo. στάδιον.

Homer. Iliad. β.

–ἵπποι δὲ παρ' ἅρμασιν οἷσιν ἕκαστος
λωτὸν ἐρεπτόμενοι, ἐλεόθρεπτόν τε σέλινον.
ἕστασαν.

equi verò apud currus proprios vnuſquiſque lotum comedentes, in paludeque nutritum apium, ſteterunt. Nec apio tantùm paſcũtur equi, ſed & ſanantur. Certè Achilles ille Homericus diſcipulus Chironis, idemque medicinæ ſcientiſſimus non viris tantùm, ſed & ipſis iumentis conſultum cupiens poſt alias herbas inijcit illis apium. nec ſine ratione, ſed quia otioſi equi plerunque laborant pedibus. cui morbo apium eſt remedium aptiſſimum. Et vero Nemeum apium à Nicandro connumeratur inter theriaca medicamenta. Diciturque Nemeum, quia id genus herbæ in Nemea inuentum. Vocaturque à Nicandro ἀείφυλλον ſemper habens folia, quòd illa nunquam amittit, οὐ γὰρ φυλλοῤῥοεῖ. Quid, quod non ſolùm iumenta, ſed & ipſi homines apio curantur? Periculosè ægrotantes, inquit Plutarchus, dicimus opus habere apio. Ideoque volebãt σέλινον εἶναι σύμβολον ἀνεπιτήδειον, apium eſſe ſymbolum incõmodum. Quia verò Homerus, & Homeri imitatione Nicander vocat apiũ ἐλεόθρεπτον altum apud paludes, Horatius imitatione Homeri illud quoque vocat vdum.

Plutarch. ſymp. lib. 5.

Nicand. ther. 47. & ibi ſchol.

Nicand. ther.

quis vdo

Horat. lib 1. carm. od. 36.

Deproperare apio coronas,
Curatue myrto?

Ex quo Horatij loco diſcimus, & ipſas coronas conuiuiales plexas fuiſſe ex apio. Cui accedit alter eiuſdem Horatij locus, vbi inuitat Phyllidem ad lætitiam,

Horat. lib. 4. Carm. od 10.

Eſt mihi nonum ſuperantis annum
Plenus Albani cadus; eſt in horto
Phylli nectendis apium coronis.

Quibus in verſibus apium eſt hortenſe, cùm apud Homerum ſit paluſtre. Id quod minimè mirabitur is qui cogitabit in Aſia, &

in regionibus Orientalibus eſſe pratenſia, paluſtria & promiſcua illa ipſa quæ in Occidente ſæpe ſunt hortenſia & rara, nec niſi curatè culta in hortis feliciter proueniunt. Ergo alibi apud Homerũ hoc ipſum apium eſt pratenſe,

Hømer. Odyſſ. ε.

> Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ ἴου ἠδὲ σελίνε
> Θήλεον.

Circũ verò prata mollia violæ & apij florebãt. At in Græcia apium fuit hortenſe. Certè Moſchus enumerans aliquot herbas hortenſes, in his cenſet τὰ χλωρὰ σέλινα viride apium. Lucianus quoque apium facit hortenſe, vbi ait, capillos muliebres, eos qui offunduntur circa aures & tempora, eſſe multò criſpiores quàm apium in pratis. οἱ δὲ παρ᾽ ὦτα καὶ κροτάφους πολὺ τῶν ἐν λειμῶνι οὐλότεροι σελίνων. Hinc natum prouerbium, οὐδ᾽ ἐν σελίνοις, non in apio. Nempe in ſummitatibus, ſiue ora compitorum, ἐν τοῖς λεγομένοις τριπόδοις apium & rutam plantabant. Accedunt aliæ, & quidem minimè vulgares dotes quibus apium commendatur. Namcùm floret, tunc verò proculcatum & protritum maiori auctu reuireſcit, τὸ σέλινον, inquit Theophraſtus, ἐὰν σπαρὲν καταπατηθῇ, καὶ κυλινδρωθῇ, ἀναφύεσθαι φασὶν οὖλον. Apium ſi ſeminatum proculcatum & cylindro contuſum fuerit, renaſci aiunt criſpum. Hinc aliud eius epithetum. Nam Horatio eſt viuax.

Moſch. in epitaph. Bion. eidyll. 3.

Lucian. Amor. ἐν παροιμ.

Plutarch. ſymp. probl lib. 7.

Theophraſt. lib. 2. de plant.

> *Neu deſint epulis roſæ,*
> *Neu viuax apium, neu breue lilium.*

Horat. lib. 1. carm. od 36.

Dicitur & pulchrum. Certè paſtor ille apud Theocritum de ſua pulchritudine nihil humile ſentiens, ait ſibi circùm tempora capillos, ſicut apium, fuiſſe fuſos.

> Καὶ γὰρ ἐμὰ τὸ πάροιθεν ἐπαίσθευ ἁδύ τι κάλλος
> Ὡς κισσὸς ποτὶ πρέμνον, ἐμὰν δ᾽ ἐπύκαζεν ὑπήναν·
> Χαῖται δ᾽ οἷα σέλινα περὶ κροτάφοισι κέχυντο.

Theocr. βουκολ. eid. 11.

Etenim mihi priùs emicabat grata quædam forma ſicut hedera circa arboris ſtirpem, meamque ornabat barbam. Capilli autem velut apium circum tempora fuſi erant. Quibus ex verſibus Lucianus mutuatus eſt locum quem paulò ante citaui. Vocatur quoque virens, vt apud eundem Theocritum,

Lucian. Amor.

> Καὶ θάλλοντα σέλινα, καὶ εἰλιτενὴς ἄγρωστις.

Theocr. ὑλάς. eidyl. 13.

Et apium virens, & criſpa agroſtis. Dicitur & flexibile, ac proinde aptum vinciendo, ſeu redimiendo capiti. Theocritus,

> Χ᾽ ἁ στιβὰς ἐσσεῖται πεπυκασμένα ἔς τ᾽ ἐπὶ πᾶχυν
> Κνύζᾳ τ᾽ ἀσφοδέλῳ τε πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ.

Theocr. θαλυσία. eidyll. ζ.

Et thorus denſatus erit ad cubitum vſque Cnyza, aſphodelo, & flexibili apio. Et quòd apium eſt flexibile, ex eo corona fundit ſe circa caput, vt in illo verſu quem paulò ante citaui,

Χαῖται δ' οἷα σέλινα περὶ κροτάφοισι κέχυνται.

Virgilius tribuit ei gracileis comas, nempe, quæ facilè plectuntur in ambitum, vnde coronamenta.

Virg. in Mor.

Inde comas apij gracileis, rutamq́ virentem
Vellit, & exiguo coriandra trementia filo.

Apud eundem Virgilium Linus ille,

Virgil. eccl. 6.

—diuino carmine paſtor
Floribus, atque apio crines ornatus amaro.

E quo verſu, tum ex illis quæ ſupra dixi, colligimus, apiaceæ coronæ aliquando inſertos fuiſſe flores. Non omiſerim priſcam de apio exiſtimationem. Quippe volunt eſſe natum è Corybantico ſanguine. Ea re ſacerdotes Corybantum vetant in menſa apponi apium cum tota radice, *ὁλόῤῥιζον ἀπαγορεύουσι σέλινον ἐπὶ τραπέζης τιθέναι*, inquit Clemens Alexandrinus.

Clem. Alexād. exhortat. ad Græc.

CAPVT XXVII.

Iſthmici ludi vnde dicti. Et quando celebrati. De origine horum ludorum. Cur à poëtis Iſthmos dicatur lachrymabilis. Iſthmici ludi inſtituti in honorem Neptuni. Corona Iſthmica è pinu. Diogenes in ludis Iſthmicis pinu coronatus. Cur pinus ſit coronamentum in his ludis. Pinus coronamentum Neptuni & Liberi. Apium quoque probo fuiſſe coronamentum Iſthmicum.

QVARTO loco numerantur Iſthmici ludi, & corona Iſthmica. Hi ludi ita vocati ſunt ab loco vbi celebrabantur, hoc eſt, Iſthmo Corinthiorum. Singulis annis celebrari ſolitos conſtat ex eo loco Xenophontis vbi is memorat, Ageſilaum & exſules Corinthios Neptuno ſacrificaſſe, & certamen celebraſſe. Celebrarunt, inquit Argiui, digreſſo Ageſilao, de integro Iſthmia. Itaq; hoc anno fuerunt qui bis in certaminibus victi ſunt, & alij qui bis victores ſunt pronuntiati. Cæterùm vtraque exiſtimatio viguit, nempe hos ludos Neptuno ſacros fuiſſe, & Melicertæ. Et hunc quidem Melicerten puerum, aiunt fuiſſe filium Inûs; illum ipſum cui poſtea Palæmoni nomen qui his ludis cauſam dediſſe dicitur. Id quod qua ratione acciderit, non omnes omnino ſcriptores conſentiunt, nempe Pauſanias, Strabo, autor Etymologici, Plutarchus, Lucianus, Lactantius, qui hoc factum narrant, paulùm ſunt alij ab alijs diuerſi. tamen in hoc videntur conſentire, hunc puerum Melicerten, vnà cum matre de ſaxo Moluride in mare præcipitem datum, ab Delphine exceptum, & in Iſthmum Corinthiorum fuiſſe delatum. Id quod Clemens Alexandrinus vocat

Xenoph. hiſt. Græc lib. 4.

Scholiaſt. in alexiph. Nicād. Pauſan. li. 1. & lib. 2. Strabo lib. 8. Etymol. ἀθαμάντιον. Plutarch ſymp. lib. 5 probl. 3. Lactant li. 1 de fal. relig ca. 21. Lucian. in Dial. Deor.

σκύβαλον ἐκριπτὸν τῆς θαλάσσης, miſerabile excrementum maris. Ibi cùm puerum Siſyphus expoſitum inueniſſet, eum contumulaſſe, & hoſce ludos in eius honorem inſtituiſſe. Hinc fortaſſe manauit epithetum, quo Statius Iſthmum donat. Eum enim vocat Lachrymabilem, quòd propriè hi Iſthmici ludi eſſent ἐπιτάφιοι, funebres,

Clem. Alex. exhort. ad Græc.

Lucian. Ner. ſeu de foſ. Iſthm.

— cedat lachrymabilis Iſthmos,

Stat. li. 3. Sylu.

Sed hîc quidem minimè prætereundum id quod à Plutarcho omnis antiquitatis ſcientiſſimo obſeruatum eſt. Et verò is diſtinguit ludos in honorem Melicertæ inſtitutos ab Iſthmicis ſpectaculis. Nam Melicertæ fiebat, inquit, inibi ſacrum noctu, potiùs quàm certamen aut ſpectaculum, aut conuentus generalis. ergo hoc illud eſt quod apud Corinthios Iſthmici ludi ſicut apud Argiuos Nemei, dicuntur fuiſſe duplices. Cæterùm ipſe Plutarchus his ludis Iſthmicis autorem facit Theſeum, qui eos inſtituit in honorem Scironis, dum eius cædem expiat. Idque eum ait feciſſe æmulatione Herculis, à quo Olympica certamina inſtituta fuiſſe diximus. Hic aduertendum, in Iſthmicis fuiſſe legem vt neque comœdia quiſquam certaret, neque tragœdia. Cui tamen legi Nero vim fecit. Horum ludorum tanta fuit celebritas, vt, ne Corintho quidem exciſa, fuerint intermiſſi. Atque adeò vel in ipſo vrbis excidio, Sicyonijs, vt eos faciendos curarent mandatum. atque adeò in publicis actis nominabantur, ſicuti celebres quidam rerum agendarum termini, veluti in pactis & conditionibus pacis quæ cum Philippo facta eſt, Senatus decreuit vt rex præſidia deduceret ex vrbibus ante Iſthmicam Panegyrim. Enimuero in frequentia illa Iſthmica Titus eiuſdem Senatus decreto voluit liberare Græciam. Inibi dicitur fuiſſe templum Neptuni circumdatum luco ex arbore pinu, nempe vbi hæc certamina peragebantur. Certè eo menſe quo hi ludi edebantur, Argiui ibidem Neptuno ſacrificabant. Ipſa corona Iſthmica dicitur fuiſſe è pinu, autoribus Luciano, Pauſania, Plinio, cuius hæc ſunt verba, *Pinea corona victores apud Iſthmum coronantur.* Apud Plutarchum quidam diſſerit, pinum non eſſe peregrinum neque nouum, ſed patrium, & priſcum coronamentum Iſthmiorum. Alibi quoque apud Plutarchum mētio fit pinus Iſthmicæ, & cupreſſus Creticæ. Huc accedit, quod pueri Melicertis, ad quem autorem horum ludorum originem, vt dixi, quidam referunt, corpus fuit inuentum πίτυι περισεσκεπασμένον pinu ſcatens, ſiue coopertum. Diogenem Cynicum Dion Chryſoſtomus memorat in Iſthmicis ludis pinu fuiſſe coronatum. Et verò ad eum miſſu illorum qui ludis præfecti eſſent, venit quidam qui ipſum hanc coronam ponere iuſſit. Cui

Plutarch. Theſ.

In epp Iuliani.

Plutarch. Theſ.

Lucian. Ner. ſiue de foſſa Iſthm.

Polyb eccl de legat.

Strabo lib. 8.

Xenoph. hiſt. Græc. lib. 4.

Lucian. de gymnaſ.

Plin. lib. 15. cap. 10.

Plutarch. ſymp. lib. 5. probl 3.

Plutarch. ſymp. lib 1. probl. 2.

Clem. Alex. Strom lib. 1.

Dion de Iſthm. orat. 9.

Diogenes, Ego verò multos vici præclaros antagoniſtas, non cuiuſmodi ſunt iſta mancipia, quæ hîc quidem lucta, diſco, curſu vincunt; ſed longè acriores, paupertatem, exilium, contemptum, iram, animi ægritudinem, cupiditatem, timorem, omniumque pernicioſiſſimam voluptatem, cui vix quiſquam in vniuerſa Græcia non eſt obnoxius. Hanc enim è tot millibus Perſarum, Medorum, Syrorum, Macedonum, Athenienſium, Laconum extra vnum me vicit nemo. Num etiam vobis videor indignus qui geſtem hanc pineam coronam? Hæc ijs, quorum iuſſu huc veniſtis, renuntiate. Atque adeò quòd Iſthmica corona euinctus incedo, hinc quoque ſcitote Iſthmicos ludos dein fore illuſtriores. Addit

Lucian. vitar. auct. Lucianus hoc ipſum memorans, ipſum Diogenem, quantum huc ſpectat æquaſſe ſe Herculi. Milito, inquit, vt ille, aduerſus voluptates non iuſſus, ſed ſponte. Simili fere exemplo, & metaphorico

Clem. Alex. Strom. lib 7. loquendi genere vſus eſt Clemens Alexandrinus, vbi ait de victoria illius qui coronatur vt victor perturbationum animi. Hic, inquit, eſt ille verus athleta, qui ob veram victoriam, quam obtinuit aduerſus omnes affectus in magno ſtadio, qui vocatur mundus, coronatus eſt. At is qui ſpectaculum propoſuit, eſt omnipotens Deus. Iudex, vnicus filius Dei. Spectatores verò angeli & Dij; & pancratium illud quod ex omni genere pugnæ conſtat: non aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus ſpirituales poteſtates, quæ per carnes operantur vehementes vitiorum & affectionum motus. Cæterùm Plutarchi exſtat problema quod huc pertinet.

Plutarch. ſymp. lib. 5. probl. 3. Quærit enim qua de cauſa pinus in Iſthmicis ludis ſit coronamentum victoris. Et quidem communis exiſtimatio erat, pinum eſſe coronamentũ Neptuni. Dixi quoque è Strabone, apud Iſthmum fuiſſe templum huius numinis ἄλσει πιτυώδει συνηρεφὲς, ὅπου τ' ἀγῶνα τῶν Ἰσθμίων Κορίνθιοι συνετέλουν, luco pineo contectum, vbi certamen Iſthmiorum Corinthij peragebant. Etſi hæc cauſa non ſatis videtur eſſe valida. Quippe pinus non ſolum Neptuni, ſed & Liberi coronamentum eſſe conſtat, propter eas cauſas quæ memorantur apud Plutarchum. Certè verum eſt, vtrique numini hanc arborem eſſe complacitam. Vtrumque enim & humido & genitali præeſt. Neptuno quidem ſatiuo, at Dionyſio arboreo omnes Græci ſacrificant. Adduntur ibidem aliæ cauſæ, quas inde lectorem petere æquum eſt. Ne multa, hic ipſe Praxiteles, quem Plutarchus hac de re diſſerentem inducit, denique ait; Non enim heri pinus hîc & nuper facta eſt coronamentum Iſthmiorum. Priùs tamen, inquit,

Scholiaſt. in alexiphar. Nicand. τοῖς σελίνοις ἐστέφοντο apio coronabant. Hoc ipſum firmat ſcholiaſtes Nicãdri, Ducitur autem Melicertæ, inquit, Iſthmicum certamen, in quo priùs corona fuit victoribus ex apio. Vltimò

verò è

verò è pinu. Itaque ex his locis ſolui poteſt nodus qui ſine hac temporum diſtinctione eſſet inſolubilis. Nam etſi pinus, vt ſupra probatum eſt, poſtremò fuit coronamentum Iſthmicum, tamen apio quoque victores in Iſthmicis coronatos legimus. Et exſtat locus Diodori Siculi, vbi is autor eſt, Timolcontem ſua oratione vſque eò accendiſſe militum animos, vt vna voce omnes pugnam poſcerent. Cùm verò caſu magna apij vis ad toros extruendos iumentis deportaretur, Timoleon illud ſe victoriæ omen agnoſcere dixit, quod corona Iſthmica ex apio necteretur. Quod factum his verbis proſequitur Plutarchus, cùm igitur id ageret Timoleon vt milites ſuperſtitione liberaret ac deſperatione, monſtrata apij copia, alijsque quæ tempus poſtulabat, dictis, addidit, coronam victoriæ vltro ſibi in manus venire. Nam Corinthij, inquit, Iſthmiorum victores coronant, exiſtimantes coronamentum apij eſſe ſacrum & patrium: iam enim tunc, quemadmodum nunc, apium erat corona Iſthmiorum, ſicuti Nemeorum. Non autem ita diu pinus fuit. Cùm igitur Timoleon incidiſſet in milites, ſumpto apio, primus ipſe ſe coronauit, deinde qui circa ipſum erant duces & multitudo. Dicitur quoque prætoria, & regia nauis Antigoni ſponte produxiſſe apium; indeque denominatam Iſthmiam. Adeſt & Pindarus, qui agnoſcit apium eſſe coronamentum Iſthmicum, Nemea non repugnante. *Diodori. Sic. lib. 16. bibl. & Plutarch. ſymp. probl. lib 5. probl. 3.* *Plutarch. Timol.*

> δύο δ' αὐτὸν ἔρεψαν πλόκοι σελί-
> νων ἐν Ἰσθμιάδεσσι
> φανέντα. Νεμεά τ' οὐκ ἀντιξοεῖ. *Pindar. Oly. od. 13.*

Duo ipſum contexerunt plicamenta apiorum in Iſthmiadibus conſpectum. Nemeaque non repugnant. Ac ſi dicat, Etſi è pinu propriè texuntur coronamenta Nemea, tamen Xenophontis virtuti datum eſt, vt in Iſthmicis apio coronaretur, perinde ac in Nemeis. Hic interpretes, vt hanc difficultatem concilient, apium faciunt duplex. Diſcriminant enim viride ab arido: vt corona Iſthmica ſit nexa ex apio arido, Nemea è viridi. Cæterùm Pindarus apia vocat Corinthiaca,

> ἴν' ἐν ἀγῶνι βαρυκτύπου
> θάλησε Κορινθίοις σελίνοις. *Pindar. Nē. od. 4.*

quo pacto in certamine [quod ſacrum eſt Neptuno] tridentis concuſſori grauiſtrepo, decoratus fuerit Corinthiacis apijs. Aliis item locis Iſthmicam coronam ex apio necti ait.

> γεραίρετέ μιν ὃς Ἴσθμιον αὖ ἀπὸ
> Δωρίων ἔλαχε σελίνων. *Pindar. Iſth. od. 8.*

honorandumque eum qui apud Iſthmum Dorica ſortitus eſt apia. Item alibi non minùs dilucidè.

Pindar. Iſth. od. 2.

οὐκ ἀγνῶτ' ἀείδω
Ἰσθμίαν ἵπποισι νίκαν,
Τὰν Ξενοκράτει Ποσειδάων ὀπάσαις,
Δωρίων αὐτῷ στεφάνωμα κόμαις·
πέμπεν ἀνδεῖσθαι σελίνων,
εὐάρματον ἄνδρα γεραίρων.
Ἀκραγαντίνων φάος.

non incognitam cano Iſthmiam victoriam equis [partam] quam Xenocrati Neptunus poſtquam præbuit, miſit ei coronamentum Doricorum apiorum ad redimiendam comam, ornans virum curru præſtantem, Agrigentinorum lumen. Equidem etſi iis minimè aduerſor qui apium viride diſtingunt ab arido, tamen pronior ſum Plutarcho, pinum priùs fuiſſe coronamentum Iſthmicum, poſtea verò apium. Adeò vt nihil repugnans dicat quiſquis & è pinu, & ex apio coronam Iſthmicam plexam fuiſſe dicat, adhibita, videlicet, diſtinctione temporis.

CAP. XXVIII.

Dio Chryſoſtomus Iſthmicam pinum vocat plantulam nullius vtilitatis. Alia quadam de pinu. Pan coronatur pinu. Corona è pinu χαλὸς στέφανος. *Pinus eſt ſymbolum puritatis & virginitatis. Pinus coronamentum virginum. Romæ aſinus coronatus. Corona è panibus. Corona pudicitiæ. De victore pancratij in Iſthmicis. Alia præmia in his ludis victoribus data. Locus Athenienſium in Iſthmicis.*

Dio Chryſoſt. in orat. de gloria.

EQuidem miror quid ita Dio Chryſoſtomus hanc, de qua agimus, Iſthmicam pinum vocet plantulam nullius vtilitatis. Certè aut ἐκφαυλίζων loquitur, aut aliam plantam à noſtrate pinu diuerſam indicat. Quippe ait, mirari ſe, cur pinus aliis nihilo viridior tot laboribus ac periculis, interdum quoque ingenti argenti pondere expetatur. Ex ea, inquit, nec vmbra, nec fructus expetitur. Quinimo eſt folio acuto & fumoſo. Fortaſſe ei vetus fabula venit in mentem, quæ ait, Marſyam pinu vinctum ab Apolline excoriatum fuiſſe. Hinc enim factum vt pinus eius miſerta, facta ſit θρηνώδης flebilis. niſi hîc πίτυς eſt arbor picea, vt aliquando apud Plinium. Quæ omnia aduerſantur iis quæ de pinu, & quidem magnifica alij ſcriptores tradunt. Id quod ipſe Dio Chryſoſtomus fatetur, dum huic tantulæ plantæ opponit Megarenſem pinum ſicuti proceram, & aſpectu iucũdam; pro qua, inquit, nemo ſe verteret. Idem enim eſt ac ſi dicat, Vah, homines præpoſteros, qui celeberrimis coronamentis adhibent plantam paruulam &c.

Scholiaſt. Nicand. in Alexiph.

contemptibilem, ſpreta hac tam pulchra, tam ſpecioſa, tam nobili, & odorata fronde. Et verò de pinu arbore propemodum miracula traduntur. Vnam etiam Strabo memorat quæ fuit apud Heptaporum Troianæ regionis fluuium, cuius ambitus fuit pedum XXIIII. altitudo ſexaginta ſeptem, nempe ab radice, donec ſe diffundat in tres partes æqualiter inter ſe diſtantes; quo loco in vnum apicem acuminatur. Tunc omnis eius altitudo eſt duorum iugerum & XV. cubitorũ. Et verò ab Horatio pinus dicitur ingens. *Strabo. lib. 13.*

Sæpius ventis agitatur ingens *Horat. lib. 2. Carm.*
Pinus.

eiuſque vmbra gratiſſima perhibetur, vt apud eundem Horatium, *Horat. lib. 2 Carm.*

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes ſic temerè & roſa
Canos odorati capillos
Dum licet, Aſſyriaq; nardo
Potamus vncti?

Hanc vmbram alibi vocat hoſpitalem, *Horat. lib. 2. Carm. 19.*

Quò pinus ingens, albaq; populus
Vmbram hoſpitalem conſociare amant,
Ramis.

Et verò alibi hic ipſe Horatius, ſcilicet propter vmbram, iubet vt pinus immineat villæ. *Horat. lib. 3. Carm.*

Imminens villa tua pinus eſto,
Quam per exactos ego latus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem,

Fauentina præcipuè commendatur, *Sil. Ital. lib. 8.*

Tum Verona Atheſi circumflua, & vndique ſollers
Arua coronantem nutrire Fauentia pinum.

In hanc arborem Atys conuerſus dicitur. Ideoque Deæ Cybele eſt arbor dilecta. Ouidius, *Ouid. lib. 10 Metam.*

Et ſuccincta comas, hirſutaq; vertice pinus
Grata Deûm matri; ſiquidem Cybeleius Atys.
Exuit hac hominem, truncoq; induruit illo

Pan quoque à veteribus vbique & fingitur & pingitur coronatus pinu & à pinu amatus & ipſe amans huius arboris. Propertius, *Propert lib. 1*

Fagus, & Arcadio pinus amata Deo.

Ergo Ouidius huius numinis cornua præcingit pinu. *Ouid. lib. 14 Metam.*

pinu præcincti cornua Panes.

Suam eſſe pinum ipſe Pan apud Statium profitetur, *Stat. lib. 2. Sylu.*

Et Iouis & Phœbi frondes, & diſcolor vmbra
Populus, & noſtra ſtupeant tua germina pinus.

Long. lib. Apud Longum Pani, qui priùs eſſet perpetuus incola pinus, templum eſt ædificari cœptum. Idem Pan Siringæ Deæ amore captus, priuſquam eam alloquatur, ſe pinu coronat. Ouidius,

Ouid. lib. 1. Metam.

Pan videt hanc, pinuq; caput præcinctus acuta,
Talia verba refert:

Hircus victima offerenda Pani apud Longum pinu coronatur. Pharnutus videtur huius coronamenti rationem reddere, vbi ait, *Pharnut. in Pane.* Pana coronari pinu, ὄρειόν τι ϗ μεγαλοπρεπὲς ἔχοντος τ̃ φυτοῦ, quòd hæc arbor præ ſe fert neſcio quid montani, & magnifici. Alij narrant fabulam, quæ verius repræſentat originem huius coronamenti; Aiuntque pinum fuiſſe virgunculam adamatam à Pane, & à Borea. Cùm vterque id ageret vt à virgine æmulo præferretur, ipſa ſe Pani nempe μέλος λιγυρὸν ἠχοῦντι dulce carmen canenti, non ſtridenti vt ſolet Boreas, proniorem oſtendit. Hinc iratus Boreas eam petris illiſam comminuit. Cuius exitus terra miſerta produxit plantam hoc nomine, quæ & viuæ ingenium retinet. Nam Pana coronat ſua fronde. At vbi Boream ſentit flantem, plangit. Non ergo immeritò poëtæ Pani hoc placitum coronamentum attribuunt.

Conſtantin. Caeſ lib. 11. cap. 11. Iulian ad Iamblich.

Sil. Ital. lib. 13.

Cingit acuta comas, & opacat tempora pinus,
Ac parua erumpunt rubicunda cornua fronte.

Philoſtr. in imag. Quæ corona vocata eſt καλὸς στέφανος, ϗ δίκαιος ἐπιπρέπειν τοῖς ἐν ὥρᾳ, pulchra corona, & idonea quæ concedatur venuſtis. Stephanus *Steph. μίλη-τος.* tradit hanc arborem primùm natam eſſe apud Miletum vrbem Cariæ, & propter ſtirpis antiquitatem ramum pinus ſacris Cereris adhibitum. Siue Cybeles, ſiue Cereris, ſiue Panis eſt pinus, certè nihil non purum, nihil non caſtum ſignificat. Virgilio quidem huius arboris odores ſunt caſti.

Virgil. Cir.

Nec mihi iam pingui ſudabunt tempora myrrha.
Pronuba nec caſtos accendet pinus odores.

Sed & Ouidius teſtis eſt, quædam piamina, ſiue purgamina, & lanas antiquitùs dicta fuiſſe februa. Idque nominis inditum eſſe ramo eius arboris, quam ipſe vocat puram; quæ eſt ipſiſſima pinus.

Ouid. lib. 2. Faſt.

Nomen idem ramo, qui cæſus ab arbore pura
Caſta ſacerdotum tempora fronde tegit.
Ipſe ego Flaminicam poſcentem februa vidi,
Februa poſcenti pinea virga data eſt.

Hinc pinus cœpit eſſe certiſſimum ſymbolum virginitatis. Hoc diſcimus è priſco illo fiſtulæ iudicio, quod apud Epheſios fiebat in antro quodam vbi Pan verſabatur. Quem titum ſeu verum, *Achill. Tat. lib. 8.* ſeu fictum ſacerdos Dianæ memorat apud Achillem Tatium. Ni-

mirum, puella de cuius pudicitia ambigebatur, eò demittebatur. Si ei virginitas manſerat inlibata, dulcis quidam, peneque diuinus ſonus exaudiebatur. Nec multò poſt illius antri valuæ ſponte recludebantur. Et quòd mirabile erat, ipſa virgo aſpiciebatur, ἐστεφανωμένη τὴν κεφαλὴν πίτυος κόμαις. Enimuero quod pinus demonſtret virginitatem, apertè docet locus Callimachi, vbi ſacrum fit Dictynnæ vni è nymphis Dianæ. *Achill. Tat. lib. 8.*

τῷ δὲ στέφος ἤματι κείνῳ
Ἢ πίτυς ἢ σχῖνος *Callimach. hym. in Dian. 21.*

Sertum feſti illius diei eſt pinus, aut lentiſcus. E quibus verbis colligi poteſt lentiſcum quoque eſſe coronamentum virginum. Apud Longum Chloë redimitur ramis pinus. Eandemque pineam coronam Daphnis capiti eius detractam imponit ſuo. Ruſus Chloë ſedens ſub pinu arbore nihilominus redimitur pinu. Eadem, cùm à Metimnæis eſſet capta, ſedit coronata pinu. Atque adeò in eius capite pinus, aut corona pinea floruiſſe viſa. Huic coronæ virginitatis annecti poteſt illa, qua Romæ coronatur aſinus is, cuius beneficio Veſta eſt virgo. Fabula eſt apud Lactātium his verbis, *Lampſaceni aſellum Priapo, quaſi in vltionem mactare conſueuerunt. Cum enim hic Deus Veſtæ dormienti vim inferre conaretur, aſinus intempeſtiuo clamore eam excitauit. Hinc libido inſidiatoris detecta. Apud Romanos eundem aſellum Veſtalibus ſacris in honorem pudicitiæ conſeruatæ panibus coronant.* Eſt autem, vt hoc quoque obiter dicam, hæc corona è panibus non ſolùm huic aſello merces, ſed & apud Ariſtophanem præmium ſeruo nuntio rei lætiſſimæ, hoc eſt, paupertatis opibus commutatæ. Cùm enim propter hoc ipſum totus ille ſenum grex vitularetur, ſaltaret, non ſe, quominus choreas inſtitueret, continere poſſet, ea mulier quæ ibi inducitur, ait. *Long. lib. 1.* *Long. lib. 2.* *Lactant. lib. 1. cap. 21.* *Ariſtoph. Pl.*

κἀγὼ γ᾽ ἀναδῆσαι βούλομαι
Εὐαγγέλιά σ᾽ ἐν κριβανωτῶν ὁρμαθῷ
Τοιαῦτα ἀπαγγείλαντα.

& ego coronare te volo rei tam lætæ nuncium ſerie panum in clibano coctorum. Ibi enim ſcholiaſtes ait, κριβανωτῶν ὁρμαθῷ eſſe ἀντὶ τῶν ἄρτων δέσμῃ ἐν κριβάνῳ ὠπτημένων, pro panum faſce in clibano coctorum. Coronæ virginitatis addi poteſt illa quam Hippolytus Dianæ offert plexam è floribus lectis in prato intonſo.

σοὶ τόν δε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου
λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω.
ἔνθ᾽ οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτά,
οὔτ᾽ ἦλθέ πω σίδηρος, ἀλλ᾽ ἀκήρατον *Euripid. Hippol. act. 1.*

μέλισσα λειμῶν' ἠρινὸν διέρχεται.

tibi hanc nexilem coronam ex illibato prato, ô domina, adornatam fero, vbi nec paſtor paſcit greges, Quò neque ferrum venit, ſed vernam illibati prati aream peruagatur apis. Hanc ipſam coronam paulò poſt vocat aureæ comæ redimiculum.

ἀλλ' ὦ φίλη δέσποινα χρυσέας κόμης
ἀνάδημα δέξαι, χειρὸς εὐσεβοῦς ἄπο.

Sed, ô chara domina, aureæ comæ redimiculum accipe à manu
Val. Max. pia. Coronæ virginitatis affinis eſt corona pudicitiæ, qua corona-
lib.2.cap.1. bantur illæ quæ vno matrimonio contentæ fuerant. Ex hiſce tot, tantiſque dotibus conficitur eminens illa huius arboris dignitas; quæ vtique ea eſt, vt quamuis eam Dion vſquequaque deprimat, tamen Iſthmica coronamenta inde ſint plexa. Hoc moneo, eum qui in Iſthmicis pancratij victor eſſet, myrtea corona donatum. Hoc diſco è Pindaro.

Pindar. *ἁλίκων τῷ τις ἁβρὸν*
Iſthm.od. 8. *ἀμφὶ παγκρατίου Κλεάνδρῳ*
πλεκέτω μυρσίνας στέφανον.

ideoque æqualium aliquis nectat coronam myrti ſplendidam
Plutarch. Cleandro ob victoriam pancratij. Ne illud quidem omiſerim,
Sol. Solonem ei qui in Iſthmicis victor fuiſſet, conſtituiſſe drachmas
Plutarch. centum; qui in Olympicis, quingentas. Poſtremò, addo è Plutar-
Symp lib.1. cho, in Iſthmicis ludis locum fuiſſe Athenienſium quantum ſpa-
probl 2. tij caperet expanſum velum eius nauis, quæ Delphos mittebatur.
Stob. περὶ Ergo nonniſi honoratioribus is locus dari ſolitus veluti ſingulari
φιλοπον. καὶ prærogatiua, qualis fuit Æſchyli quem ibi ſediſſe legimus; cum-
μελ. que videret ſpectatores clamorem edere, dixiſſe, Vides qualis exercitatio. Qui plagam accepit, tacet; ſpectatores clamant.

CAP. XXIX.

Pueruli trimi Athenis coronabantur floribus. Certamina gymnica & ſcenica adoleſcentulorum. Puerile equeſtre certamen. Pueri curſores, luctatores, pugiles, pancratiaſtæ, quinquertiones. Hiſce ſingulis certaminibus ſingulæ coronæ fuerunt propoſita. Puerile certamen ſagittandi. Platonica diſtinctio certaminum. Certamina virginum. Mulieres ludis Olympicis arcebantur.

SVperioribus certaminibus ſiue ludis acceſſerunt pueriles exercitationes, quæ pueris athletis coronas exhibebant. nempe præter illas quibus Athenis pueri trimi coronabantur menſe ἀνθεστηριῶνι, quæ erant floreæ. Quas coronas pueris datas eſſe autumo tanquam victoribus earum difficultatum, eorumque periculorum quibus infantes, & pueruli intra ſpatium primi triennij defunguntur. Cæterùm cùm pueros athletas dico, adoleſcentulos iam lacertorum vi, iam animi robore præditos dico. Horum alacritatem non otio langueſcere, ſed protinus intendi ac roborari oportere ſapiens antiquitas exiſtimauit. Hanc enim gymnaſticam pertinere ad fortitudinem tradit Ariſtoteles. Hæc erant germina ſeueræ illius educationis, ex qua denique metebant integritatem morum. Nam qui ab annis primoribus iam fortis eſt, hunc vix vlla voluptas eneruat. Ergo ab adoleſcentulis exigebant ea, quæ hodie in pauciſſimis illorum reperias quos ſola ætas viros probat. At verò tunc ipſi pueri imitatione fortiſſimorum athletarum indicebant ſibi, inſtituebantque certamina gymnica. In his illa ætas exibebat curſores, luctatores, pugiles, pancratiaſtas, quinquertiones, ſiue pentathlos. De his certaminibus eleganter hæc Statius Herculem alloquens,

Philoſtr. in Her.

Ariſtot. lib. 8. polit cap. 3.

hic tibi feſta
Gymnas, & inſontes iuuenum ſine caſtibus iræ
Annua veloci peragunt certamina luſtro.

Stat. lib. 3. Sylu.

Itaque nihil mirum, ſi his quoque, vt dixi, coronæ erant propoſitæ. Sunt enim, ſunt inquit Clemens Alexandrinus, quemadmodum in certaminibus gymnicis, ſic & in Eccleſia coronæ virorum & puerorum. Puerilis equeſtris certaminis extat exemplum apud Virgilium. Ibi enim pueri decurrunt in honorem Anchiſæ,

Clem. Alex. lib 7. Strom.

Virgil.lib.5. Æneid.

Vade, age, & Aſcanio, ſi iam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſuſq́, inſtruxit equorum,
Ducat auo turmas, & ſeſe oſtendat in armis

Et paulò pòſt,

Incedunt pueri; pariterq́, ante ora parentum
Frenatis lucent in equis.

Lucian. Quom. hiſt. ſit ſcrib. *Plutarch. ſymp.2 probl.5.* *Xenoph hiſt Græc.lib 5.*

Δόλιχον etiam pueri currebant in ſuis certaminibus; δόλιχον, οἶμαι, ἐν παισὶ νενίκηκε, inquit Lucianus. Pueros quoque fuiſſe luctatores, pugiles, & pancratiaſtas, docet Lyſimachus apud Plutarchum vbi ait, poſt pueros luctatores, pugiles, & pancratiaſtas in patria ſua induci viros item luctatores, pugiles, & pancratiaſtas. Id quod Xenophō confirmat, vbi ait, nuntium cladis apud Thebas acceptæ Lacedæmonem veniſſe vltimo die, quo pueri nudi in palæſtra exercentur, cùm iam vitilis chorus ingreſſus eſſet. De pancratio quidem extat locus Plinij vbi loquitur de artificibus. *Leocras aquilam* [fecit] *ſentientem quid rapiat in Ganimede, & cui ferat, parcentem vnguibus etiam per veſtem; puerum Autolycum pancratio victorem, propter quem Xenophon ſympoſion ſcripſit.*

Plin.lib. 34. cap 8. *Plutarch. Eumene.*

Et Plutarchus memorat Philippum peregrinantem, & otioſum ſpectaſſe pancratia adoleſcentulorum Cardianorum, & luctas puerorum. Sed & quinquertium puerile Plutarchus numerat inter ea quæ ludis Olympicis addita quidem, ſed poſtea dempta ſunt: ἀνῃρέθη δὲ καὶ παισὶ πεντάθλοις στέφανος τεθείς. Ablata eſt pueris pentathlis corona poſita. E quo loco id quoque diſcimus, non de nihilo pueros decertaſſe, ſed & ipſis ſingulorum certaminum coronas fuiſſe propoſitas, non hercule paruum creſcenti virtuti incentiuum. Nec verò ſine cauſa adnotatum eſt à Xenophonte, fratrem Pharnabaſi, erepto fratri imperio, filium eius in exilium egiſſe. Hunc Ageſilaus in gratiam patris qua maximè ratione potuit, reduxit. Atque adeò perfecit vt Eualcis Athenienſis filius, qui ei erat in delicijs, ipſius cauſa in ſtadium Olympicum admitteretur, vnde, vt ſupra dixi, alij lege arcebantur. Certaminum quoque ſagittandi puerilium, quibus præmia propoſita fuerunt, meminit Strabo. Ita tamen his exercitamentis pueri ſunt admouendi vt adſit illud temperamentum quod Ariſtoteles ſuadet: ne iis dematur illa vis animi & corporis, quæ nimio labore deteritur, vt apud Lacones. Pueris quoque in muſicis ſiue ſcenicis certaminibus propoſitæ fuerunt coronæ; non ſolùm, inquam, è palæſtra, ſed & è muſica. Et verò Lacedæmone fuerunt ludi, quibus nomen γυμνοπαιδία, vbi pueri nudi Apollini canebāt pæanas. Plato omnia certamina facit triū generū, ἓν μὲν παιδικῶν ἓν δὲ

Xenoph. hiſtor. Græc. lib.4. *Strabo lib. 16.* *Plutarch. ſymp. lib.5. probl.* *Etymol. γυμνοπαιδία.* *Ariſtot. polit. lib.8 cap.4.* *Plato lib.8. de leg.*

ἓν δὲ ἀγενείων, ἓν δὲ ἀνδρῶν, vnum quidem puerorũ, vnum imberbium,
vnum virorum. Sed ſi talium puerorum meritò admiramur indo- *Plato lib. 7. de*
lem, multò æquius eſt virginum virtutem ſuſpici. Nam & virgi- *leg.*
nes, autore apud Platonem, Xenophontem, Plutarchum Lycur-
go; Spartę exercebantur curſu, palæſtra, iactu diſci & iaculi. Cuius *Plutarch. in La*
inſtituti inibi ratio redditur. Atque adeò ipſæ virgines in Olym- *con. apophtheg.*
picum ſtadium deſcendiſſe dicuntur, quamuis parte ferè ſexta *Pauſan. lib. 5.*
breuiori curriculo. Ibique accepiſſe coronam ex olea, quam verè *Dio. in Domit.*
oleagineam virgineam dixeris. Et verò virginibus, hoc eſt, puellis
nondum pubeſcentibus nudis Plato aſſignat ſtadium & δίαυλον, & *Plato lib. 8 de*
equeſtre & δόλιχον. At illas quæ ſunt tredecim annorum, donec *leg.*
nupſerint, decenti veſte indutas vult deſcendere ad certamen ho-
rum curſuum; non tamen poſt viceſimũ, nec item ante decimum
octauum annum. Neque verò tantùm certamina curſus virgini-
bus erant propoſita, ſed & illa quæ ad augendum robur corporis
pertinebant; vbi vnus aduerſus vnum, & duo aduerſus duos, ac
decem pugnabant contra decem. Atque hæc quidem inſtituta
non egrediebantur virgines. Talium ſtudioſiſſimus ſpectator fuit *Plutarch. Age-*
Ageſilaus Plutarcho teſte, οὔτε παίδων, οὔτε παρθένων ἁμίλλης ἀπολειπόμενος. *ſil.*
nunquam deerat neque puerorum, neque virginum certamini. *Dio, Adrian.*
Huius generis puto fuiſſe θέας illas Παρθενικὰς ſpectacula Parthenica,
edita in funere Traiani. Cæterùm mulieres arcebantur ſpectaculo
ludorum gymnicorum, ne nuditas virorum obiecta oculis matro- *Pauſan. lib. 5.*
næ eius pudicitiam minueret. Id quod vſque eò verum eſt, vt, *Philo m. τῷ ἐν*
ſiqua mulier ibi deprehenſa eſſet, hanc lex de ſaxo deijci iuberet. *εἰ. νομ.*
Id quod docet locus inſignis Æſchinis, cuius verba hîc me- *Æſchin. epiſt.*
morare operæ pretium duxi. Dicitur quondam mulier quæ- *4.*
dam ſenior veniſſe in ſtadium, ibique vnà cum viris & ſtetiſſe, &
ſpectaſſe certantes. Cùm autem certaminum iudices ſurrexiſſent
in eam, quòd auſa fuiſſet prodire in ſtadium, reſpondiſſe, At
eccui alij mulieri Deus conceſſit tali perfrui lætitia? Nam & pa-
trem, ac tres fratres habebat Olympionicos, ac prætcrea filium
ducebat ad Olympica certamina. Idem enim eſt ac ſi hæc mulier
dicat; Non impudentia, aut etiam impudici mores me huc impu-
lerunt, ſed eximius, ac præter ſolitum cumulatus meorum honor,
& vera gaudia me huc adduxerunt, etſi id facere lege vetor. Ne-
que enim mirum ſi ſuper quinque Olympionicis gloriabatur. Si
ob cauſam tam honeſtam huic feminæ licuit deſcendere ad ludos
Olympicos, multò hercule magis licuiſſe debuit Cuniſcæ ſorori *Plutarch. Ageſ.*
Ageſilai, quam Rex perſuaſit in curru ſedentem Olympiæ certa-
re. Quo facto ſignificabat Græcis, eas victorias nullius eſſe virtutis,
ſed tantùm opus eſſe diuitiarum & ſumptuum; nempe, cùm

athletica iam degeneraret in ἀκροχειρίαν. Diuerſa ergo fuit ratio mulierum, & virginum. Nam præter ea quæ dixi, virgines etiam

Strabo lib. 15. in India pugiles erant, hoc eſt, pugnis certabant; Ibiq́ue victrici præmium propoſitum erat. In Africa eſt palus Tritonis, deriuato nomine à Minerua, quam ibi genitam ferunt. *Faciuntq́, ei fabulæ aliquam fidem*, inquit Pomponius Mela, *quòd quem natalem eius*

Pompon. Mela lib. 1. cap. 7. *putant, ludicris virginum inter ſe decertantium celebrant*. Quæ quidem virginum certamina ſpectabant veras pugnas nempe, ancipiti repub. Legendus eſt Plutarchus, vbi memorat fortitudinem Archidamiæ, quæ habens gladium venit in ſenatum pro feminis

Plutarch. Pyrrho. increpans viros, ſi eas viuere poſtulant, patria perdita. Cæterùm in vnaquaque harum celebritatum fuerunt ſcenica, ſiue muſica certamina. Et verò, Plutarcho autore, Pythia habebant tria, aut etiam quatuor ἀκροάματα condita ſalibus, alijſq́ue aſperſa iucunditatibus, quæ obiter aſſumpta, ibique inducta fuerant. Hinc So-

Scholiaſt. Sophocl. in eius vita. phocles coronatus traditur. Ac Themiſtocles dicitur viciſſe χορηγῶν τραγῳδοῖς, choragorum tragœdis [ludis] & victoriæ tabulam ſuſpendiſſe cum hac inſcriptione, Θεμιστοκλῆς Φρεάῤῥιος ἐχορήγει. Φρύνιχος

Plutarch. Themiſt. ἐδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἦρχεν. Themiſtocles Phrearius choro præerat. Phrynicus docuit. Adimantus præſedit, ſiue duxit. Et quidem

Aphthon. προγυμν. illud ἐχορήγει non muſica tantùm certamina ſpectat, ſed & maiora & duriora. Nam χορηγοῦντες περὶ τὰς ἑορτὰς qui feſtis diebus choro

Plutarch. Pericle. præſunt, ijdem cenſentur ἐν τοῖς μάχαις εὐφορώντες, vtiles & præſtantes in pugnis. Pericles etiam publico decreto muſicis ludis præfuit. Materia ludorum muſicorum ſæpe fuit laudatio, reſq́ue

Plutarch. Pompeio. geſtæ alicuius magni viri. Certè Pompeius ſpectaſſe dicitur certamen poëtarum, cuius non aliud fuit argumentum quàm res geſtæ ipſius. Et hæc quidem habeo quæ dicam ſuper coronamentis quatuor celeberrimorum Græciæ agonum.

CAP. XXX.

Circenſes. Actij ludi. Alexandria ludi. Alexandrina certamina. Traiani ludi. Certamina Iſolaſtica. ἀγὼν ἀμφιϛοελίτης. ἀποβατικός. *Ellotia. Eliaca. Promachia. Eleuſinia. Eleutheria.* πεντακονταετὴς ἀγών. λυκούλλεια. *Luctatij ludi.* ἀγῶνες ἐπὶ λαμπάδι. *Thematica. Fargelia. Hyacinthina, ſiue Hyacinthia. Antinoia. Neapolitana. Parthenopea.* βίβασις. *Monomachia. Panathenaica gymnica.*

SVPERIORIBVS certaminibus addenda ſunt aliæ celebritates & conuentus ad horum exemplum vbique gentium inſtituti. His quoque recepta iam appellatione indebant nomen

ἆθλα καὶ ἔπαθλα, vnde ἀθλητὴς. Et verò Circenſes Romæ diximus fuiſſe imitamentum ludorum Olympicorum. Actij quoque ludi fuerunt editi in honorem Apollinis apud vrbem Nicopolim, ob deuictos ibi ab Auguſto Antonium & Cleopatram; Quorum cura Lacedæmonijs demandata fuit. Etſi ante eam victoriam eoſdem ludos in honorem eiuſdem numinis celebratos fuiſſe, coronaſque inde victoribus dari ſolitas, tradit Strabo, tum Stephanus, qui ait, ibi fuiſſe certamen gymnicum, & equeſtre, & nauale ſingulis trienniis. Sed, videlicet, hi ludi ab Auguſto fuerunt inſtaurati, & magnificentiùs editi. Hi, nimirum, ſunt illi ludi, quorum mentio apud Ariſtidem, quæ ipſe vocat Apollonia, hoc eſt, feſtum Apollinis, in quo τὴν ἱπποδρομίαν Ῥωμαῖοι ποιοῦσι τῷ θεῷ. equorum curſum Romani faciunt Deo. Fuerunt & Alexandria ludi ab vniuerſa Ionia celebrati; fortè illi ipſi, aut exemplo illorum inſtituti, de quibus Alexander Perſis deuictis, literas perhumaniter ſcriptas dedit ad Ilienſes; quibus literis ſuper alia pollicebatur ſe ibi ſacrum agonem inſtituturum. Et hos quidem ludos Romæ inſtitutos fuiſſe conſtat. Et vocabantur Troiani. Quæ propriè fuit παιδικὴ καὶ ἱερὰ ἱπποδρομία, puerilis & ſacer equorum curſus. Fuerunt & alia certamina hoc eodem ferè nomine Alexandrina, apud Alexandriam Ægypti celebrari ſolita; in quibus Olympiorum imitatione fuit ſtadium. Huius generis fuerunt, aut eſſe potuerunt illi *quinquennales cœtus*, quos Plinius Traiano ſcribens ait appellari poſſe *Traianos*. Sunt & illa quæ idem Plinius vocat *certamina Iſolaſtica*. Fuit & ἀγὼν ἀμφιφορίτης apud Æginetas, in quo ij qui decertant, humeris imponunt hydrias aqua plenas; deinde curſui ſe permittunt de victoria contendentes heroüm imitatione. Fuit quoque certamen, cui nomen ἀποβατικὸς pedeſtre & equeſtre; in quo per rotam euadebant ad currum, & rurſus deſcendebant illæſi. Ibi quoque ἀποβατικὸς vocatur auriga ad hoc genus certaminis neceſſarius. Fuerunt & Ellotia inſtituta Corinthi in honorem Mineruæ, quæ & Ellotis dicta, quòd Bellerophontes, capro equo Pegaſo, adiumento huius Deæ ei frenos iniecit. Nominantur etiam Eliaca & Promachia Lacedæmoniorum. Fuerunt & Eleuſinia, à quorum ſacris exteri arcebantur. Fuit & certamen cui proprium nomen πεντετηρικὸς ἀγὼν, teſte Plutarcho, à quo pompa horum ludorum ſingillatim memoratur. Inter alia ait ibi fuiſſe currus plenos myrti, & coronamentorum: Fuerunt Eleutheria, ac ſi dicas liberatoria, ludi inſtituti in honorem Iouis Liberatoris editi in eo ipſo loco, in quo trecenta Perſarum millia à Græcis cæſa perhibentur. Fuerunt & illa quæ

Etymol. ἀθλητὴς.
Strabo lib. 7.
Steph. ἄκτια.
Ariſtid. in orat. 4.
Strabo lib. 14.
Strabo lib. 13.
Plutarch. Cat. Iun.
Strabo lib. 17.
Plin. epiſt. lib. 10. ep. 79.
Plin. epiſt. lib. 10. ep. 119.
Etymol. ἀμφιφορίτης.
Etymol. ἀποβατικὸς.
Etymol. Ἑλλώτις.
Athen. lib. 15.
Lucian. pſeudo.
Plutarch. Ariſtid.
Etymol. ξενίας.
Strabo lib. 9.

vocabantur λυκούλλεια, certamen, pulſo Mithridate, à Cyzicenis
Appian. Alexandr. Mithr. inſtitutum in honorem Luculli. Ludos quoque Luctatios M. Tul-
lius nominat, *quos Salinator Senenſi prælio vouerat, editos C. Cor-*
Cic. in Bruto. *nelio, Q. Minutio COSS.* Et Plato & Pollux meminerunt ἀγῶνα
Pollux lib. 3. cap 30. τὸν ἐπὶ λάμπαδι. Sunt & Thematica, nempe è numero illorum
Pollux lib. 3. cap. 30. ludorum, quos vocabant ἀργυρίτας, in quibus præmia non qui-
dem erant coronæ, ſed aliud quodpiam donum ex argento, ære,
ebore, aliáve quapiam re, vt ſupra dixi è Plutarcho. Fuerunt &
Pollux ibid. Thargelia in honorem Apollinis. Fuerunt & illa Hyacinthia in
Strabo lib. 6. Amyclæo, quorum Strabo meminit in conſpiratione Eilotarum.
Xenoph. hiſt. Vocata ſunt & Hyacinthia, quæ autoribus Xenophonte & Plu-
Græc. lib. 4 & in Laudat. Ageſ. tarcho, Lacedæmone celebrabantur. Ibi canebatur Pæan, ad
quem Amyclæi conueniebant. Fuerunt & Antinoia inſtituta
Plutarch. Ariſt. in honorem Antinoi, qui fuit libertus Adriani. Quem agonem
Euſeb. hiſt. eccl. lib 4. Hegeſippus ſua ætate celebratum teſtatur. Adſunt & Neapo-
litana, nempe Neapoli inſtituta quinquennalia, & ſacra, & mu-
Strabo lib 5. ſica. Hunc agonem Strabo dicit eſſe ἐνάμιλλον τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν
κατὰ τὴν Ἑλλάδα, conferendum cum quolibet clariſſimo certa-
Etymo. λυκεῖα. mine eorum quæ in Græcia celebrantur. Etymologicon meminit
Lyceorum, qui fuerunt ludi Romani in quibus præmium fuit
Philoſtr. in Icon. lancea. Horum ludorum meminit Philoſtratus. Eadem certamina
fuerunt, aut certè his ſucceſſerunt illa, quæ poſtea apud Surren-
tum fuerunt inſtituta; quibus nomen Parthenopæa, fortè eadem
cum illis quæ ſupra nominaui Neapolitana. Statius,
Stat. lib. 3. Sylu.

--ridetq́ benigna
Parthenope gentile ſacrum, nudoſq́ virorum
Certatus, & parua ſua ſimulachra corona.

Vbi coronam accipio pro certamine & ludis à Pollione inſtitutis
Xiphil. Ner. in honorem Herculis, quæ fuerunt aut Neapolitana, aut imita-
Pollux lib. 4. cap. 14. menta Neapolitanorum. His annumerari poſſunt Iuuenalia, ludi
Romæ inſtituti in honorem barbæ Neronis primùm demptæ.
Spartæ quoque fuit quoddam ſaltationis genus, cui nomen βίβασις,
cuius præmia non pueris tantùm proponebantur, ſed & puellis.
Philoſtr. in vita Apoll. lib. 7. Ibi & ſaliebant, & mutuis ſeſe vſque ad nates ictibus petebant.
Stephan. [illegible] Fuerunt & celeberrima illa Panathenaica Attica, nempe certami-
na muſica, in quibus Harmodius & Ariſtogitón canitibus cele-
Ariſtid. Panath. brantur. Talia edidit Domitianus in monte Albano, quæ fuerunt
muſica. Eadem Panathenaica fuerunt gymnica omnium Græciæ
Xiphil. Domit. certaminum antiquiſſimum, non huius, aut illius diei celebritate
circumſcriptum, ſed ſingulis diebus inſtauratum. In his ludis hoc

in primis eſt aduertendum, nemini licitum fuiſſe eò accedere in veſte tincta, id eſt, verſicolori, ſed ſolùm candida & niuea. Qua de re extat ſingularis locus apud Lucianum, vbi ait, quendam fuiſſe deprehenſum, & ad præſidem ludorum adductum, eò quòd *βαπτὸν ἔχων ἱμάτιον ἐσιὼν*, in veſte tincta ad ſpectaculum venerat. At alios qui hominem viderant, miſertos illius, ac veniam precatos eſſe, eamque impetraſſe. Hæc gymnica vocata ſunt Panathenaica magna. *Lucian. Nigr.* *Xenoph. in conu.*

CAPVT XXXI.

Vtilitas quæ ex his ludis. Dignitas earum coronarum quæ ibi victoribus data.

IN ijs quæ retuli quatuor celeberrimis Græciæ ludis, alijſque qui ad horum exemplum in alijs quoque locis inſtituti ſunt, omnigenæ virtutis exempla edebantur ſine vllo certantium graui periculo. Nemo ibi cum hoſte hoſtili animo ferro cernebat de ſalute ſeu publica, ſeu priuata. Cum æmulo acris erat de virtute concertatio. Vis, velocitas, alacritas, dexteritas ibi ſpectabatur. Illud potiſſimùm robur animi vnde tandem ſurgit gloria militaris, hoc eſt, illud militiæ decus, quo vt firmiſſima columna, nititur imperium. Enimuero in media pace, quod publicè ſaluberrimum, dediti erant exercitationibus belli, ne deſides animos derepente turbata pax deprehenderet; ſed qui belli, ijdem pacis artibus perpetuo vigerent; & quidem ſine vllo ſuo, ſine vllo cuiuſquam periculo. Ideoque has vocabant *μάχας ἑορταστικὰς* pugnas feſtas, imitatrices *τῶν πολεμικῶν*. Memoriæ proditum eſt, quoſdam equites Romæ cùm ad ſingulare certamen deſcendiſſent, alterque ipſorum interemptus fuiſſet, non permiſiſſe Tiberium vltra eos armis decertare. Traditur & illud M. Antonino dignum, noluiſſe cùm gladiatores Romæ maiori periculo decertare quàm athletas. Taleſque victoriæ eò fortaſſe erant gratiores & commendatiores quòd non ab odio cuiuſquam, non ab vltione proficiſcebantur, ſed ab animo accenſo cupiditate ſummæ laudis. Eæ quoque coronæ quas præclariſſimorum certaminum victoria pepererat, dignitate militaribus proximæ ſunt, quomodo militares triumphalibus. Sed hodie, quod vtique dolendũ, vix huius rei tam præclaræ exigua reſtant veſtigia in haſtiludijs, in torneamẽtis, in adũbratis certaminibus; in quibus ipſis multo plus

Plato lib. 8 de leg. *Xiphil. Tib.* *Xiphil. M. Antonino.*

eſt paratus, luxus, gloriatū, quàm veræ virtutis. Hæc ſiquis attētiùs conſideret, ea quanti dicat eſſe præ illis tot, tamque accuratis, tam frequentibus, tam veris, hercule tam arduis exercitamentis, quæ tanta cura, tantaque animi contentione antiquitas excoluit? Nunc quidem vix vllus tyro, vix vllus miles veteranus, vix vllus leuioris aut grauioris armaturæ eques hiſce ſtudijs deditus eſt, niſi intra domeſticos parietes, aut ante ora imperitæ multitudinis; vix vllo qui rei militaris peritus ſit, ſpectatore, certè nullo adnotatore, nullo neque laudatore, neque cēſore, nullo pudore, nullis pręmijs. Et miramur nonniſi perpaucorum virtutem, ſimulatque ad vera prœlia ventum eſt, ſeſe ſpectandam præbere? Ceſſat neceſſitas belli? Eâdem ceſſant exercitamenta, ac proinde præmia virtutis. Quibus ſublatis, eneruari animos neceſſe eſt vilibus curis implicitos. Cum gladio, lorica, galea omnis pariter vigor poni videtur. Vnoque die dediſcit miles quod longa militia didicerat. Nobilitas delicijs effeminatur. Apud pleraſque gentes vniuerſi diuturni otij morbis aſpiciuntur languidi. Neque hoc negotium ad ſe principes viri pertinere putant, dum patiuntur hæc ſtudia iacere; quibus tamen vnis militaris virtus alitur, augetur, ſolidatur. Si ſecus fiat, ſi huc rerum arbitri toti incumbant, enimuero Reſpub. ancipiti ac turbida, ipſi non à milite imparati, miles non à virtute deſtitutus inueniatur. Duces fama, numerus palmarum, res ipſa monſtraret. Qui curſu, lucta, iaculo, diſco, qui pancratio, qui quinquertio, qui cæteris certaminibus victor extitiſſet, hunc nulla inuidia deprimeret, nulla obſcuritas inuolueret, quominus è multitudine adſciſceretur in numeros, & inde inter duces. Nulli iudicio, nulli electioni, ac ne vlli quidem ſorti relinqueretur quo errare poſſet. Nemo eum è tot millibus edecumare dubitaret qui in otio didiciſſet ea, quę in negotio præſtari neceſſe eſt. *Animos ſubitò ad arma non erigunt*, inquit Senator, *niſi qui ſe ad ipſa idoneos, præmiſſa exercitatione, confidunt.* Hos monitus, hoc quidem loco, non intempeſtiuos duxi, ne quis ita putet, Olympica, Pythica, Nemea, Iſthmica, & alia quotquot huius generis certamina antiquitas inſtituit, eſſe negotium ludicrum, leue, Græculum. Ac proinde reponat eas coronas, quæ inibi tanto paratu, tantaque ſpecie victoribus dabantur, inter illecebras inanis glorioIæ potiùs quàm inter documenta veræ virtutis. Certè quamuis ea certamina ludi, & hæ coronæ ludicro quæſitæ, & ipſæ ludicræ quandoque dicerentur, *ſemper tamen autoritas vel ludicro quæſitarum fuit. Namq́; ad certamina*, inquit Plinius loquens de Romanis, *in Circum per ludos & ipſi deſcendebant, & ſeruos ſuos quiſque mittebant. Inde illa xij*

Caſſiod. Var. l. ep. 40.

Plin. lib. 21 c. 3.

tabularum lex, Qui coronam parit, ipſe, pecuniaue eius virtutis ergo arguitur. Quæ verba interpretans Plinius, addit, *Quam ſerui, equiue meruiſſent, pecunia partam lege dici, nemo dubitauit*. Nunc perſequar inſtitutum meum; ac ſingillatim deſcribam eas coronas, quæ verè ſunt militares, hoc eſt, partæ vulneribus, fortiter faciendo, vlciſcendo publicas iniurias, tuendis ac promouendis imperij terminis, iure, decore, ſplendore.

CAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

DE CORONIS LIBER SEPTIMVS; QVI EST DE CORONIS MILITARIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Militares coronæ quæ. Dona id eſt coronæ. Dona militaria. Quanti ſit miles. Præmium militis eſt corona, potiſſimùm Romani. Parcarum coronamentum.

Gell.lib.5.c.6.

Liu. lib. 6.

Val.Max.lib.3. cap.2.

Tacit.Annal. lib.2.

Plutarch. Sertorio.

CORONAS quibus fortes & milites & duces donãtur, generali appellatione antiquitas vocauit militares. *Militares coronæ*, inquit Gellius, *multifariæ ſunt. Has fermè accepimus eſſe, &c.* Quandoque hæ coronæ non ſunt monſtratę ſuo nomine, ſed in genere dicebantur dona, vt apud Liuium, *Dona imperatorum ad quadraginta; in quibus inſignes duas murales coronas, &c.* & apud Valerium Maximum, *Totius ciuitatis oculos in ſe numeroſa donorum pompa conuertentem. Præferebantur enim aureæ coronæ octo, ciuicæ xiiij, murales tres, obſidionalis vna.* Interdum dicta ſunt dona militaria, vt apud Tacitum, vbi ait, Flauium fratrem Arminij donatum fuiſſe torque & corona, *Flauius*, inquit, *aucta ſtipendia, torquem & coronam, aliaque militaria dona memorat, irridente Arminio vilia ſeruitij pretia*, nempe στρεπτὰ, δόρατα, στεφάνους, torques, lanceas,

lanceas, coronas; quibus addo plauſum, & lętitiam vniuerſorum. Suetonius tamen diſtinguit dona militaria ab coronis in his verbis, *Dona militaria aliquantò faciliùs phaleras & torques, quicquid auro, argentoq; conſtaret, quàm vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat.* Plutarchus quoque diſertim diſtinguit coronas à cæteris præmijs, vbi loquitur de ijs militibus qui è prælio Cannenſi profugerant, quorum opera Senatus Marcello vt in Sicilia vteretur, permiſit, ea lege vt nullas coronas, nullaque præmia ab duce conſequerentur. Si Marcellus, inquit, fortè ipſis vti vult, nemini liceat ab duce accipere eas coronas & præmia, quæ ijs conſtituta ſunt qui quidpiam fortiter fecerint. Cæterùm militiæ primus inter omnia præmia coronis eſt locus. Non torques, non phaleras, non armillas, non alia huius generis cum coronis componi æquum eſt. Neque item vlla eſt inuidia eum militem donari corona, qui fortibus factis patriam ab ſeruitute, à periculis, ab interitu vindicarit. Nam militi armato omnia humana ſunt peruia, procliuia, vincibilia. Neque ego hunc togato minorem, aut inferiorem iudico; niſi ſi quis pacem plurimi facit, eum cuius periculis parta eſt, conſultò deprimit. Aut ſiquis plus eſſe putat, legitima complere, quàm vt compleri poſſint, pręſtare. Enimuero hic foris ideo pugnat, vt domi ſtabiliat ſolidam tranquillitatem. Fruſtra domi ciuilitas niteat, niſi foris adſit armata defenſio. Ergo vis brachiorum tractat arma, vt animis otia pariat. Iuſtus, idemque fortis miles tanto animi ardore fertur, vt, ſui propemodum oblitus, habeat ſibi pro vnico oblectamẽto degere inter anguſtias & incommoda contubernij. Non illi certa ratione diſcriminata ſunt tempora quietis ac laboris. Sed dum diurnis, nocturniſque munijs intentus eſt, vtrique vacat, prout neceſſitas cogit, aut ductor imperat. Nullus à magiſtro diſcipulus tam arctè habetur, quàm miles ab duce. Nullus magis cenſetur obſequijs quàm miles. Vnus propemodum miles eſt immemor otij, laboris, & inediæ patiens, acer diſciplinæ cuſtos, duritiæ cultor, flagitij oſor, hoſtilis ſanguinis cupitor, ſui largitor. Et, quod mirere, exiguo ad præſens ſtipendio, hoc eſt, tota militia vt plurimùm ſterili & infructuoſa. Hoc tantùm ſe iactat vno quod arma tractat. Pro magnis, inquit, mihi ſunt diuitijs haſta, gladius, pulchrumque ſcutum, munimẽtum corporis. Cum hoc aro, cum hoc meto; cum hoc vinum ſuaue, quod vitis præbet, pedibus tero. Cum hoc ſupplices me dominum ſerui publici vocant. Haſtam qui non audet comparare, nec enſem, nec pulchrum ſcutum, corporis tegmen, flexis ille genubus me adoret, dominumque ſalutet, ac magnũ eſſe regem alta voce teſtetur. Hoc plerunque limite ſiſtit ſe tam vti-

Sueton. Aug.
Plutarch. Marcello.
Verſus ſũt apud Athen. lib. 15.

lis tãque adeò neceſſarius publicæ rei miniſter. Niſi quod mirum eſt, quantopere quorundam animus aſſurgat, nempe vſque ad veram gloriam, hoc eſt, meritis & virtute partam. Neque enim fortis miles ſibi proponit ſtipendia, ſed præmia. Vnis inquam, viuit gloriæ prẽmijs. Ad quæ dum totis animi, corporiſque viribus contẽdit, ſæpe ipſum tam magna, ac tam præclara agitantem vita deficit. Tam parui alias res facit, tanti hanc vnam. Quin, quò magis gloriæ ſeruit, hoc vtiliùs patriæ negotium agit. Quo ergo præmio ſe is dignum deputat? Nempe corona, eaque quæ coronę comes it, celebritate, hoc eſt, perennitate bonæ famæ. Præclarè Agathias, Coronæ, inquit, non ob gratiam, quæ ex oleaſtro, apioue conſtet, Olympionico athletæ ſumebantur. Nec bello boni decertatores exuuiarum, & futuri mox lucri auiditate in prompta ſe atque aperta pericula ingerunt, ſed ob firmiorem, immortalemque gloriam, eam quæ eſt ex hiſtoria. Et vt hęc de omnium gentium militia, deque omni forti milite dici poſſint, tamen hęc laus & militiæ, & ſtrenui militis prærogatiua videtur eſſe propria nominis Romani. Hi præ cęteris mortalibus hoc vitæ genus tam durum, totque periculis ſeptum mitigarunt ſperata compenſatione gloriæ. Hinc animis admouerunt ſolaria tot moleſtiarum. Hinc ſeſe & excitarunt, & roborarunt aduerſus illam tantam duritiam, priuatim quidem ſæpiſſimè infructuoſam, ſed publicè nunquam non ſalutarẽ; denique eam qua itur ad coronas. Res teſtis dari poteſt. Nam, Plinio autore, ***Romæ aliarum coronarum nulla propemodum, at bellicarum ſumma ratio fuit. Longum eſt,*** inquit, ***nec inſtituti operis, diſſerere quiſnam Romanorum primus acceperit. Neque enim alias nouerant, quàm bellicas. Quod certum eſt, vni gentium huic plura ſunt genera quàm cunctis.*** Certè per coronas, hoc eſt, via aſperrima tandem peruentum eſt ad faſtigium rerum. Non ergo mendax Caſſandræ vaticinium, quæ poſteritati Troianæ ait omnes gentes allaturas eſſe coronam, primitias ſuas, nempe ſicuti ad Deos, id eſt, regnaturam apud omnes gentes.

Agath. lib. 1.

Plin. lib.

Lycophr. Caſſ.

> γένους δὲ πάππων τῶν ἐμῶν αὖθις κλέος,
> μέγιστον αὐξήσουσιν ἀμναμοί ποτε,
> αἰχμαῖς τὸ πρωτόλειον ἄραντες στέφος,
> γῆς καὶ θαλάσσης σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν
> λαβόντες.

Gloriam porrò generis maiorum meorum maximam rurſus augebunt olim poſteri, Haſtis erecta primarum corona partium, Terrę mariſque ſceptrum & imperium adepti. Nimirum, quod de Parcis Homerus dixit, eas, cùm inſaniunt, vera dicere, de hac ipſa Caſſandra dici poteſt. Parcarum mentione inductor vt obiter dicam, ipſas

Homer. hymn. in Mercur.

quoque parcas neceſſitatis filias eſſe coronatas, Platone autore: *Plato lib. 8. de*
Coronam nõ nominat. Redeo ad rem, vt Lycophron, qui inducit *Rep.*
Caſſandram ita vaticinantem, iam viderit magnitudinem Romanam, quid de Homero dicamus, cuius tempeſtate nondum Roma fuit? Hic tamen Neptunum hęc loquentem facit,

νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων τοί κεν μετόπισθε γένωνται. *Homer. Iliad.*

Nunc autem iam Ænecę vis Troianis imperabit, Et filij filiorum, & *γ.*
qui in poſterum naſcentur. Ac ſi dicat, etſi nunc quidem Troianũ nomen videtur extinctum, tamen ex hoc protrito germine ſurget magnus dux Æneas, cuius poſteri longè, lateq́; imperabunt, ipsáq́; adeò Troiam ipſis victoribus eripient. Itaque huc ſpectarunt militaria præmia, & militiæ decora, in his coronæ, vt vi diſciplinæ & glorię militaris perpetuò ſtaret illud imperium, quo nullum maius ne ipſe quidem ſol vnquam vidit.

CAPVT II.

Coronæ militares non ab alio accipiuntur, quàm ab illo qui ſit dux & imperator exercitus. Vnde manarit mos coronandi milites. Quis primus militari corona donatus fuerit. Quibus militibus darentur coronæ aureæ. De more dandi has coronas.

SED ENIM, vt initium militiæ eſt religio iuriſiurandi, & amor ſignorum; ac proinde vt militem nonniſi dicto imperatoris audientem eſſe oporret, ita & ſtipendia & præmia, qualiacũque ſint, & in his coronas eum nonniſi ab imperatore accipere fas eſt. Hoc loco non abſurdè quæri poteſt, vnde manarit hoc inſtitutum condecorandi milites coronis. Equidem inuenio, priſco more duces cùm exercitum luſtrarent, fuiſſe coronatos. Certè Caſſio exercitũ *Appian. Alex.*
luſtranti lictor coronam inuerſam repoſuit. Idipſum fortè ex Ap- *lib. 4 bel. ciu.*
piano ſumptum memorat quoque Zonaras. Ac Statius hunc mo- *Zonar. in Caſſ.*
rem exprimit in hoc verſu.

Sæpe coronatis iteres quinquennia luſtris. *Stat. lib. 4. Sylu.*

luſtra coronata vocat, in quibus dux & imperator eſt coronatus. Neque tãtùm dux in exercitu, ſed quiſquis in bellorũ ſimulachris, hoc eſt, in militaribus exercitationibus decurreret, is priſco more coronatus erat. Hoc diſcimus è Xenophonte, qui vbi diligenter
memorauit apparatũ belli, omnéque genus bellicæ exercitationis *Xenoph. lib 3.*
quæ Epheſi habebatur, poſtremò addit, confirmatos eſſe quorun- *hiſtor. Græc.*
dam animos, cùm viderent ipſum quidem Ageſilaũ primũ, deinde alios milites redeũtes è gymnaſijs coronatos, ac ſuſpẽdentes Dianę coronas ſuas. Id quoque colligimus ex his Virgilij verſibus, vbi

Virgil. lib. 5. Æneid. deſcribit equeſtre certamen puerorum, quod fiebat iuſſu Æneæ.

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frænatis lucent in equis. quos omnis euntes,
Trinacriæ mirata fremit Troiaq; iuuentus,
Omnibus in morem tonſa coma preſſa corona.

Omnibus, inquit, corona tonſa premit comam. Corona tonſa, id eſt, lecta è pratis, ſiue hortis, familiari noſtris locutione, tōdere prata, herbas, violas, & ſimilia. Quòd ſi dux, cùm ſeſe oſtētat exercituī eſt coronatus, æquum ſanè viſum eſt, ſtrenuum militem, cum cuius opera Reſpub. aut ſalua, aut promota eſt, hac prærogatiua inſignē aſpici; atque hinc propemodū æquari ipſi duci; dignumque videri qui cæteris præſit. Quòd ſi ij, qui in militaribus exercitationibus decurrunt, præcipuū virtutis inſigne capite geſtant, quî minus hoc ipſum liceat fortibus militibus, quibus vniuerſi ſuam ſecuritatem accepto ferunt? Et ipſe quidem militares coronas hinc manaſſe puto. Cæterùm, *quis primus donatus ſit corona*, nempe militari, inquit Plinius loquēs de corona caſtrenſi, *non inueni, ſed quis primùm donauerit, à L. Piſone traditur. A. Poſthumius Dictator apud lacum Regillum, caſtris Latinorum expugnatis, ei, cuius maximè opera captá eſſent, hanc coronam ex præda dedit. Item L. Lentulus COS. Ser. Cornelio Merendæ, Samnitū oppido capto. Sed quinque librarum coronæ Piſo frugi filium ex priuata pecunia donauit; eamq; coronam teſtamento Reipub. legauit.* Porrò coronæ militares, ſiue bellicæ propriè ſunt hę, caſtrenſis, muralis, naualis, ciuica, obſidionalis. Sed priuſquam vltra tendo, moneo, militares coronas aureas ijs tantùm militibus fuiſſe datas, qui eſſent ciues Romani. Certè hoc exemplo Cyrus militibus tantùm Græcis ſe aureas coronas, & quidem ſingulis daturum pollicetur. Auxiliaribus quidem & externis Romæ non coronæ dabantur, ſed torques aurei, cùm hi ciuibus darētur argentei. Nimirum, in illis pretium ſpectabatur; in his ſolus honor & gloria rei geſtæ. At armillæ dabantur ciuibus, externis minimè. Illud quoque aduertendum, dandi militaria præmia, illa de quibus nūc ago, magnam vtique, inſignemque fuiſſe ſpeciem. Et quidem coronæ, priuſquam pugnaretur, ab duce exercitus militi proponebātur. Quod ipſum obſeruabatur in ijs certaminibus, quę dixi eſſe ſimulachra bellorum. Diſertim hūc morem exprimit Scipio apud Silium Italicum.

Plin. lib. 33 c. 2. — *Xenoph. de exped. Cyr. lib. 1.* — *Plin. lib. 33. c. 2.* — *Sil. Ital. lib. 16.*

Mente fauete pari, atque aures aduertite veſtras.
Septima cùm ſolis renouabitur orbita cælo,
Quiq; armis, ferroq; valent, quiq; arte regendi
Quadriiugos pollent currus, queis vincere planta
Spes eſt, & ſtudium iaculis impellere ventos,

Adſint, & pulchra certent de laude corona.
Pramia digna dabo, & Tyria ſpolia inclyta prada.
Nec quiſquam noſtri diſcedet muneris expers.

Simili ratione ſi caſtra perrumpenda erant, caſtrenſis corona militibus proponebatur vt ſummum decus. Si capiendum vallum, vallaris; ſi vrbis obſeſſæ ſubeundus murus, muralis; ſi nauali prælio dimicandum, naualis ſiue claſſica. Re demum fortiter feliciterque geſta, Imperator vt promiſſa exſolueret, exercitu inſpectante promebat eas coronas, ſtatuebatque in edito loco. Atque adeò hortabatur eos, qui ſe ijs donis dignos ducerent, quos Valerius Maximus vocat *honorandos*, hoc eſt premijs donandos, vt id palam, in omnium, inquam, oculis apud ipſum profiterentur. *Valer. Max. lib. 2. cap. 8.* Eadem prorſus ratione qua coronæ virtutis ex quæ eſſent aureæ, in concione dari ſolitæ. Quem morem exprimit Ariſtides, vbi ait, eum qui donatur aurea corona, poſtquam à ſacro præcone ea res renuntiata fuerit, tum nomen eius qui tanto honore honeſtatur, denique in concione nominari, ipſumque coronari. *Ariſtid. in 4. orat.* Sic fiebat, vt eò nulla fraus obreperet. Nullus ibi ambitioni, nullus fautoribus & gratiæ locus. Hunc quoque morem diſertis verbis Liuius exprimit. *Poſtero*, inquit, *die omnium animi ad oppugnandum accenduntur; vtique poſtea quàm corona aurea muralis propoſita eſt.* *Liu. lib. 13.* Ergo incendendis animis militum hæ coronæ proponebantur. Quod ſi res in oculis ipſius imperatoris geſta fuerat, adeò vt neque teſtes, neque profeſſionem expectari neceſſe eſſet, enimuero imperator milites eo tanto decore dignos nominatim appellabat. Ij accedentes ad tribunal imperatoris, multo honore verborum pulcherrimum præmium accipiebant, non ſibi tantum, ſed & poſteris, & familiæ decus. Hoc ferme exemplo Cyrus apud Xenophontem Chryſantam ordinis ductorem ait ſtrenuè feciſſe proximum ſibi, & in conſpectu ſuo. *Nihil*, inquit, *opus eſt teſtibus. Sed ipſe ſcio qualis fuerit.* *Xenoph. de inſtit. Cyp. lib. 4.* Hunc ipſum morem deſcribit Silius Italicus in his verſibus, *Sil. Ital. lib. 15.*

Tum merita aquantur donis, ac pramia virtus
Sanguine parta capit. phaleris hic [huic] *pectora fulgent.*
Hic torque aurato circumdat bellica colla.
Ille nitet celſus muralis honore corona.

Huius quoque inſtituti illuſtre exemplum eſt Scipio, & Maſſaniſſa. *Ibi*, inquit Liuius, id eſt, in oculis omnium, *Maſſaniſſam primùm regem appellatum, eximiiſq; ornatum laudibus aurea corona, aurea patera, ſella curuli, & ſcipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat.* *Liu. lib. 20.* Vbi coronam interpretor non diadema regium inſigne, ſed decus militia partum. Denique hoc inſtitutum non ſolùm in

libertate, verùm etiam, imò maximè à Romanis principibus eſt cultum. Sciendum quoque eſt, ijs militibus qui fortiter feciſſent, datum fuiſſe ius geſtandi in publicis ſpectaculis eas coronas quibus donati eſſent, vt in ſerie huius operis ſæpe videbimus. Quo exemplo legimus Alexandrum Magnum ſcripſiſſe Antipatro, vt ijs militibus, quos vt bello inutiles, nempe vulneribus & ætate debiles, in patriam remittebat, permiſiſſe ſe vt ius eſſet ſedendi in honoratiſſimo loco theatri; ibique geſtandi coronam, ſi ipſis ita videretur.

Zonar. in Alex.

CAP. III.

De corona caſtrenſi. Inſigne huius coronæ. Hæc corona fuit aurea, etſi primò frondea. An caſtrenſis & vallaris fuerint duæ. Corona muralis aurea. Vallaris & muralis coronæ dignitas. Corona turrifera. ſeu turrigera. Inſigne huius coronæ.

CASTRENSI corona donabatur is, qui primus hoſtium caſtra pugnans introijſſet. Hîc notandum, quomodo coronarum innumerabiles prope fuerunt ſpecies, ita nullam ex his non ſuo inſigni fuiſſe conſpicuam. Quippe hoc potiſſimùm inſigni diſcernebatur à cæteris, vt ex ijs quæ ſequuntur, palam eſt. Ergo inſigne caſtrenſis coronæ fuit vallus ex auro, Totamque coronam conſtat fuiſſe auream, etſi primùm fuit frondea. *Romulus*, inquit Plinius, *frondea coronauit Hoſtium Hoſtilium, quòd Fidenam primus irrupiſſet. Auus hic Tulli Hoſtilij regis fuit.* Cæterùm caſtrenſem & vallarem vix duas fuiſſe puto. Id vt ſic exiſtimem moueor verbis Valerij Maximi, vbi loquitur de caſtris Lucanorum & Brutiorum expugnatis à C. Fabricio Conſule. *Poſtero*, inquit, *die cùm Conſul inter honorandos, quorum ſtrenua opera fuerat vſus, vallarem coronam ei ſe ſeruare dixiſſet, à quo caſtra erant oppreſſa; nec inueniretur qui id præmium peteret*, &c. Quibus verbis perſpicuum fit vallarem dari ei qui caſtra oppreſſiſſet, hoc eſt, vallum conſcendiſſet ac perrupiſſet. Certè caſtra, portis obſtructis, non alia ratione capi poſſe conſtat, quàm vallo deiecto ac ſuperato. Et huius quidem coronæ origo etſi ea eſt quam dico, tamen iam ſeneſcente ac decreſcente imperio, vt pleraque alia, ita tantæ quoque rei decus ad eos tranſlatum qui vix vnquam caſtra viderant, ſed ſolùm erant in comitatu principis. Iſti enim plerunque non tam ob virtutem, quàm gratiâ & fauore principis, more iamdiu recepto donabantur ijs præmijs quæ non meruerant. Hæ, nimirum, ſunt illæ caſtrenſes coronæ de quibus hæc Tertullianus, *Eſt & alia militia*

Feſt. Caſtrenſi. Gell. lib. 5. ca. 6.

Plin. lib. 16. c. 4.

Valer. Max. li. 1. cap. 8.

Tertull. de cor. mil.

regiarum familiarum. Nam & caſtrenſes appellantur munifica, & ipſæ ſolennium Cæſarianorum. Caſtrenſem & vallarem ſequitur muralis ipſa quoque aurea. Hanc imperator proponebat illi qui murum obſeſſæ vrbis primus ac per vim aſcendiſſet. Verba ſunt Liuij, *Itaque quanquam omnibus omnia deberent, præcipuum tamen muralis corona decus eius eſſe, qui primus murum aſcendiſſet. Profiteretur qui ſe dignum eo duceret dono. Duo profeſſi ſunt.* Vallaris ac muralis quòd alia dona militaria honore antcibant nonniſi præcedente faſtidioſa inquiſitione, hoc eſt, re ad vnguem explorata, dabantur, teſte Suetonio, eo, quem iam citare cœpi loco, quem hîc integrum ſcribere, operæ pretium duxi. *Dona militaria aliquantò faciliùs, phaleras, & torques, quicquid auro, argentoq́; conſtaret, quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat* [Auguſtus.] *Has quàm parciſſimè, & ſine ambitione; ac ſæpe etiam caligatis tribuit.* Vbi hæc verba, *quicquid auro argentoq́; conſtaret*, interpretor torques aureos qui externis, argenteos qui ciuibus dabantur, vt ſuprà è Plinio dixi. Murali corona donatur Milo apud Silium Italicum, & quidem magna ſpecie, ab Q. Fuluio Proconſule.

Liu. lib. 26.

Sueton. Aug.

Fuluius vt finem ſpoliandis ædibus aræ
Belligero reuocante dedit, ſublimis ab alto
Suggeſtu magnis autor non futilis auſis,
Lauino generate, inquit, quem ſoſpita Iuno
Dat nobis, Milo, Gradiui cape victor honorem,
Tempora murali cinctus turrita corona.

Sil. Ital. lib. 13.

Certè è loco Suetonij ſatis conſtat, non tantùm centuriones, ordinumque ductores, ſed & ipſos caligatos milites admiſſos ad hoc tantum decus. Hanc muralem coronam Lucretius tribuit magnæ Deûm matri, non quòd ipſa capiat vrbes, ſed quòd eas ſuſtinet.

Muraliq́; caput ſummum cinxere corona,
Ex imis munita locis quòd ſuſtinet vrbes.
Quo nunc inſigni per magnas prædita terras
Horrificè diuinæ matris imago. &c.

Lucret. lib. 2.

Vbi pro *munita* credibile eſt Lucretium ſcripſiſſe, *mœnita*. Hæc eſt Rhea, ſiue Cybele quæ ita pingitur, vt eam leones ferant, & tympanum habeat, & ſuper caput coronam turritam, ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυργοφορέει. *Eandem, inquit Varro,* [verba ſunt Auguſtini] *dicunt matrem magnam, quòd tympanum habeat, ſignificari eſſe orbem terræ, quòd turres in capite, oppida; quòd ſedes fingantur circa eam, cum omnia moueantur, ipſam non moueri.* Hac ipſa corona hæc ipſa Dea donatur ab Ouidio, nempe turrifera, vel turrigera, vbi quærit cur hæc Dea geſtet coronam turriferam.

Lucian de Syr. Dea.

Auguſt. lib. 7. de ciu. Dei. cap. 24.

Ouid. lib. 4. Faſt.

At cur turrifera caput eſt onerata corona?
An nomen primus vrbibus illa dedit?
Annuit.

Idem alibi huic Deę non vnam coronam tribuit, ſed plures, credo, quòd ſummitas cuiuſque turris propter interualla quibus diſcriminantur pinnæ, aſſimilatur coronæ.

Ouid. lib. 6. Faſt.

Turrigeram frontem Cybele redimita coronis
Conuocat æternos ad ſua feſta Deos.

Simili corona, nempe turrita Silius Italicus donat Carthaginem,

Sil. Ital. lib. 13.

— ſi nunc exiſteret alma
Carthago ante oculos turrita celſa corona.

Inſigne muralis coronæ ſunt pinnæ muri. *Idcirco*, inquit Gellius, *quaſi muri pinnis decorata eſt.* Quanti iam inde à priſcis temporibus fuerint coronæ murales & vallares, ſciri poteſt è Liuio, *Multæ*, inquit, *ciuicæ coronæ, vallareſq; ac murales conſpectæ*, nempe in triumpho Papitij conſulis, *expugnato Sepino vrbe Samnitium, inſigni, vt illis temporibus, triumpho.* Idem enim eſt ac ſi Liuius dicat, Ea victoria non ſine ingenti militum virtute parta eſt. Tantæ virtutis illuſtre documentum ſunt hæ coronæ, quæ nonniſi eximia virtute militibus conceduntur. (Liu. lib. 10.)

CAPVT IV.

Corona naualis, ſiue claſſica, ſiue roſtrata. Quis primum hac corona donatus ſit. Pax hac corona redimita fuit. Roſtra nauium, inſigne huius coronæ, tribunali infixa. Hac corona à Græcis fuit vſurpata. Equeſtris corona.

Feſt. Nauali. Gell. lib. 5. ca. 6. Zonar. in Cam.

NAVALIS, ſiue claſſica, ſiue roſtrata ea eſt, qua donatur is qui maritimo prælio primus in hoſtium nauem armatus tranſilierit; cuiuſque opera, manuve nauis hoſtium capta fuerit. Ea quaſi nauium roſtris inſignita, & aurea quoque fuit. Ideoque fulgere dicebatur. Virgilius,

Virgil. 8. Æneid.

— cui belli inſigne trophæum
Tempora nauali fulgent roſtrata corona.

Paterc. lib. 2. Epit. Liu. lib. 12. Sen. de benef. lib. 3. Plin. lib 16. cap. 4. Feſt. nauali.

Hoc inſigni tam præclaro Paterculus firmat neminem vnquam Romanorum fuiſſe donatum. Idque bello Actiaco Agrippam ſingulari virtute meruiſſe. Id ipſum tradit Epitome Liuij his verbis, *M. Agrippa nauali corona à Cæſare donatus eſt. Qui honos nemini ante eum habitus eſt.* Et quidem Seneca vocat Agrippam nauali corona inſignem, ſed non addit, primum. Contra, autoribus Plinio & Feſto, *M. Terentius Varro hanc coronam adeptus eſt bello pyratico,*

pyratico, donante Cn. Pompeio Magno, præter alios qui ea quoque è pyraticis bellis donati ſunt, & è Siculis, quæ & ipſa pyratica fuerunt. Eodem Feſto autore, A. Attilius hac corona donatus eſt *bello quod geſtum eſt contra Nabin, vt,* inquit, *ſcriptum eſt in carmine Saturnio, quod quidem duces ipſi conſueti ſunt in tabellis publicè ponere, in quo nominabantur qui nauali corona donati erant.* Ouidius hac corona pacem redimit. (Ouid. Faſt. lib. 1.)

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.

ſed, ſcilicet, hoc facit per occaſionem Actiacæ victoriæ, & propter ingentem tanti boni impetrati lætitiam; Cuius effectus & bona non alius elegantius deſcripſit quàm Bacchilides. Quantæ dignitatis eſſet hæc corona, ex eo ſciri poteſt quod Plinius memorat, olim roſtra nauium tribunali fuiſſe præfixa, *decus fori, veluti ipſi populo Rom. corona impoſita eſſet. Poſtquam verò,* inquit, *Tribunitiis ſeditionibus calcari ac polluì cœpere, poſtquam vires ex publico in priuatum magis, ſingulisq; ciuium quæri, & ſacroſancta omnia profana fecere,* [f. fuere] *tum à pedibus eorum ſubiere in capita ciuium roſtra.* (Plin lib. 16. cap 4.) Suetonius quoque refert, Claudium inter hoſtilia ſpolia *naualem coronam faſtigio Palatinæ domus iuxta ciuicam fixiſſe, traiecti, & quaſi domiti Oceani inſigne.* (Sueton. in Claud.) Neque enim tantùm in Republica, ſed & ſub multis, atque adeò ſub ipſis prope vltimis principibus ingens coronæ decus durauit, vt ex Ammiano Marcellino perſpicuum fit. *Qui* [Iulianus] *appellans,* inquit, *pleroſque nominatim, quos ſtabili mente aliquid clarum feciſſe ipſe arbiter perſpexit, naualibus donauit coronis, & ciuicis, & caſtrenſibus.* (Ammian. Marcell. lib. 24.) Hãc quoque naualem coronam à Græcis vſurpatam video. Nempe, cùm Athenienſis Reſpub. magnis rebus vrgeretur, & vndique ſurgentia pericula poſtularent, vt quantocyus triremes milite complerentur, decretum factum eſt his verbis; Qui primus adornauerit triremem, huic populus quæſtorem iuſſit dare coronam. (Demoſth. de cor. præf nau.) At hoc ego feci, inquit Apollodorus ore Demoſthenis, idcirco me coronari oportere aio. More quidem Græco, omnes claſſiarii milites victores hac nauali corona videntur fuiſſe coronati, vt ex hiſce duobus locis Xenophontis colligi poteſt; ſtatimque coronati in caſtra reuerterentur, ſtatimque Callicratidam prælio naualivicſſe clamarent. (Xenoph. hiſtor. Græc. lib. 7.) Et infra, Verùm multò æquius eſt, coronis remunerare victores [nauali prælio] quàm [eos] morte multare. Quòd ſi claſſiarij milites corona donabantur, multò magis dux. Hinc illæ tot coronæ, quæ ad Lyſandrum mari latè victorem vndique allatæ, quas quoque verè gratulatorias dixerim. (Xenoph hiſtor. Græc. lib. 2.) Hanc quoque coronam in Græcia adipiſcebatur is, qui hoſtium inſula promptiùs nauibus cir- (Pollux lib. 1. cap. 9.)

cumdata, inibi aggerem occupaſſet; ac proinde ſuis inſulam aperuiſſet, eamque princeps perrupiſſet. Cæterùm inter militares coronas videtur fuiſſe illa, quam Zonaras equeſtrem vocat, quæ illi ſcilicet, dabatur, qui equo merens ediſſet aliquod memorabile facinus, quo Rempub. iuuiſſe diceretur. Hæc quoque corona præferebat ſuum inſigne, ideſt, quidpiam quod ad equitatum pertineret. Atque hæ quidem militares coronæ militum vſque eò propriæ fuerunt, vt vix eas cum duce exercitus communicatas reperire liceat. De obſidionali & ciuica, quòd militibus ac ducibus promiſcuè dabantur, ſeorſim ago.

Zonar. in Com.

CAP. V.

Coronæ victrices. Corona, id eſt victoria. Victoriæ ſimulachrum coronatum. Victoribus tænia dabatur vnà cum corona. καλλίνικα στέ- καλλίνικοι. νικητήριον. Corona victoria. Hæc corona vt plurimum fuit aurea. Quandoque laurea. Obſeruata à Græcis in danda hac corona. Caſtitas coronata. Mos Græcorum in dandis his coronis. Ducibus hæc corona decreta. corona ἀριστείας. Milites hac corona donati. Coronare tot minis. Tyrannicidæ donati hac corona.

NVnc venio ad eas coronas, quæ & ſtrenuis militibus, ac præſtantiſſimis ſiue tribunis, ſiue ordinum ductoribus, & centurionibus promiſcuè, prout cuiuſque virtus conſpectiſſima fuerat, dari ſolitæ. Has generali appellatione coronas victoriæ, ſeu victrices rectè dixeris, quomodo eas Græci vocant στεφάνους ἐπινικίους, quarum autorem non ſolùm Apollinem, ſed & potiſſimùm Palladem antiquitas fecit. Non ſolùm Palladi fas eſt vincere, inquit Ariſtides, ſed & victores coronare. Ipſa victoria homines coronare dicitur. Et verò Caligula cùm cuperet eſſe in magna apud homines exiſtimatione, tum lunæ miſceri, tertium eius votum fuit, à luna coronari. Talium coronarum apud rerum ſcriptores eſt frequentiſſima mentio, quotieſcunque id agunt, vt vnica dictione commendent decus illius qui aliquo, & quidem illuſtri facinore clareſcit. Huius generis eſt illa corona, qua ſe ipſe Romulus inſignem fecit. Quippe hac ratione hoſti ſuam infelicitatem exprobrabit; ſuumque decus magnificè extulit. Hoc exemplo Alexander, cùm abiret ex Indiâ, dicitur fuiſſe coronatus, nempe vt victor. Et verò corona vſque eò victoriæ propria eſt, vt ſæpiſſimè hac appellatione victoria demonſtretur. Id quod etſi ſupra ſatis eſt probatum, tamen hîc addo locum Dionis Chryſoſtomi de Melancoma ſcribentis; Cuius, inquit, certamina & coronas memorare

Artemid. lib. 4 cap 54.
Ariſtid. μαρτυρ... Ἀθην.
Xiphil. C. Calig.
Plutarch. Rom.
Theophraſt. lib. 4. plutar.
Dion Chryſoſt. orat. 30.

apud vos ſcientes ſuperuacaneum eſt. Cùm victoriam dico, nec facilem, nec difficilem dico. Nam quocunquè modo victoria parta ſit, corona illi, qui victor eſſe renuntiabatur, decreta erat, vt liquet ex his verbis Ariſtidis; Omnino ne exiſtimaueritis, ſiquis Olympiæ vicerit eum qui ab aliquo alio ſit conciſus, ideò minùs ſibi coronam poſtulare. nec verò minus quempiam victorem renuntiari, quòd is ſibi in parte victoriam præparauit. *Ariſtid. orat. 1. pro Theb.* Cæterùm ipſius victoriæ ſimulachrum vix vnquam aſpicitur incoronatum. Vnde illi epithetum στεφανηφόρος. Cuiuſmodi fuit illa, quam Plutarchus adnotauit à Pergamenis demiſſam ſupra caput Mithridatis fuiſſe confractam, eiuſque coronam humi diruptam. *Plutarch. Sylla.* Id quod, vt ſiniſtrum omen populo multum terrorem, ipſi Mithridati animi conſternationem iniecit. Apud Pauſaniam nominatur quoddam numen, cuius in dextera manu eſt victoria ex ebore & auro facta cum corona ac tænia. *Pauſan. lib. 5* Nimirum, victoribus vnà cum corona dabatur quoque tænia. Quo exemplo Plutarchus memorat, Periclem, Samiis deuictis, iiſque ſuper cuiuſque ſepulchro collaudatis qui in eo bello ceciderant, cultum fuiſſe à matronis. Deſcendentem ipſum è tribunali, inquit, aliæ mulieres exceperunt, & coronis redimierunt ac tæniis ſicuti athletam νικηφόρον. *Plutarch. Pericl.* Porrò ipſa victoria coronata coronat victores. Et fortiſſimi cuiuſque viri hoc eſt votum.

> ὦ μέγα σεμνὴ νίκα, τὸν ἐμὸν
> βίοτον κατέχοις,
> καὶ μὴ λήγοις στεφανοῦσα. *Euripid. in fi. trag. Oreſt.*

ô admodum veneranda victoria, meam vitam obtineas, nec [me] vnquam deſinas coronare. Quos verſus Lucianus citat. *Lucian piſcat. ſeu reuiui.* Hoc genus coronarum Tireſias apud Euripidem vocat καλλίνικα στέφη, eamque geſtores καλλινίκους.

> οὓς καλλινίκους Κεκροπίδας ἔθηκ' ἐγὼ,
> καὶ τόνδε χρυσοῦν στέφανον, ὡς ὁρᾷς, ἔχω,
> λαβὼν ἀπαρχὰς πολεμίων σκυλευμάτων.
> Κρ. οἰωνὸν ἐθέμην καλλίνικα σὰ στέφη. *Euripid. Phœniſſ. actu 3.*

vbi effeci vt victores eſſent Cecropidæ, atque hanc coronam auream, vt vides, gero; Primitias prædæ & ſpoliorum hoſtilium. Cr. Tuæ victrices coronæ mihi omen ſunt. Quem Euripidis locū Socrates apud Platonē citat, cùm ab Alcibiade ſibi datā coronam libenter accipit his verbis; *Plato in Alcib. 2.* Quemadmodum & Creō ab Euripide fingitur, cōſpecto Tireſia habente coronā, & audito ipſum ab hoſtibus primitias accepiſſe, propter artē dixiſſe, Tuę victrices coronæ mihi omen ſunt. Nam in fluctu cōſtituti ſumus, vt tu ſcis, & c

Apud eundem Euripidem Agamemnon redimit Dianam corona victoriæ,

Euripid. Iphig. in Aul. Actu 5.

Ἀγαμέμνονά τε λόγχαις
Ἑλλάδι κλεινότατον στέφανον
δὸς ἀμφὶ κάρα τεὸν
κλέος ἀείμνηστον ἀμφιθεῖναι.

Da Agamemnonem cum Pelaſgo belli apparatu, nomine Græciæ tibi inclyta victoriæ Caput redimire corona [quod eſt] decus immortale. Hic ipſe alibi vocat victoriam Græcorum, Ilio euerſo, καλλίνικον στέφανον.

Euripid. Iphig. in Taur. in fi.

τὸν καλλίνικον στέφανον Ἰλίου θέλων
λαβεῖν Ἀχαιούς.

Victoriæ coronam Ilij volens capere Achæos. Apud eundem Euripidem Caſſandra matrem alloquens caput νικηφόρον ſibi redimiri vult.

Euripid. Troad. actu 2.

μᾶτερ πύκαζε κρᾶτ' ἐμὸν νικηφόρον,
Καὶ χαῖρε τοῖς ἐμοῖς βασιλικοῖς γάμοις.

Mater corona caput meum circumda, & gaude propter meas regias nuptias. Enimuero corona victori non magis eripi poteſt quàm Herculi claua. Nec mirum ſi hanc ſtrenuo militi ac victori Plato in ſuis legibus dari vult. Ideoque hæc corona propriè vocabatur νικητήριον, pretium, aut ſymbolum victoriæ, quod tantæ ſublimitatis fuit, vt factum quandoque ſit præmium illorum quibus ob præclariſſima merita remuneratio dabatur. Edixit autem [Iaſon] inquit Xenophon, & niceterium, auream coronam fore, ſi quis è ciuitatibus bouem ductorem pulcherrimum Deo aleret. Nempe, huic vt victori aliorum omnium qui id ipſum ſuſcepiſſent, hæc veluti merces promittebatur, ſicuti eam vocat Lactantius, vbi agit de eo certamine quod anima inſtituit aduerſus carnem, *Quæ virtus*, inquit, *perfecta, & omnibus numeris abſoluta coronam vincentibus, & mercedem expetendæ nobis immortalitatis impertit.* De victore Angelo agens Tertullianus ait, *Accepit & angelus victoriæ coronam procedens in candido equo vt vinceret.* Torquatum è ſingulari certamine redeuntem victorem Liuius corona aurea à Dictatore donatum fuiſſe memorat, præter laudes, quibus in concione ea pugna elata eſt. Ergo ſic ſtatuendum coronam auream fuiſſe certiſſimam indicem victoriæ. *Cum veniſſet Tarentum Sylla, atque ibi ſacrificaſſet, vidit in capite vitulini iecoris ſimilitudinem coronæ aureæ. Tunc Poſthumius haruſpex ille reſpondit, præclaram ei victoriam ſignificari, iuſſitque vt extis illius ſolus veſceretur.* Tu modò & certa, & vincas, & iam te coronatum puta. Certè vix quiſquam in antiquis monimentis aliquo præclaro facinore ſplendeſcit, qui

Plato lib. 12. de leg.

Xenoph. hiſtor. Græc. lib 6.

Lactant. lib. 4. de ve. ſap. cap 16.

Tertull. de cor mil.

Liu. lib. 7.

Auguſt. lib. 2 de ciu. Dei cap. 24.

Thucyd. lib. 4.

non ingenti vniuerſorum plauſu corona donatus ſit. Thucydides non quidem ſingula Braſidæ facinora memorat, ſed cùm eum vocat liberatorem Græciæ, nempe vnica dictione omnes eius laudes complectitur. Non ergo mirum, ſi ei vnica quoque dictione omnia præmia tribuit. Hæc fuit aurea corona, qua illum publicè donatum fuiſſe dicit. Tanti eſt victoria, ipſaque adeò corona victrix, vt ſicuti gloria & fama non viuos tantùm, ſed & fato functos impenſiùs comitetur. Halicarnaſſæus memorat, Bruti corpus cum multis & laudibus & lachrymis Romam à primoribus equitum fuiſſe vectum, atque adeò στεφάνοις κεκοσμημένον ἀριστίοις, ornatum coronis fortitudinis. vbi puto legendum ἀριστείοις, vt apud Plutarchum de tali corona loquentem, qua C. Marius donauit Trebonium quendam militem, quòd is Lucium ſororis ſuæ filium vim ſibi facientem occidiſſet. Quippe tali dono factum illius ſummè probauit, & laudauit. Hanc ibi coronam vocat τὸν ἐπὶ τ. ἀριστίαις διδόμενον στέφανον. ſuper egregriè factis datam coronam. Quæ corona meritò quoque data videtur eſſe caſtitati, veluti ei quæ eſt victrix impuritatis & libidinis. Itaque in bello fortiter occidere, eſt coronā fortitudinis mereri; nec ſibi tantùm, ſed & patriæ illam dare. In hanc ſententiam extant præclari verſus Euripidis,

Dionyſ. Halic. lib 5.

Plutarch. ἀποφθ. βασιλικ. καὶ στρατ. & in Mario.

Euripid. Troad. actu 2.

φεύγειν μὲν οὖν χρὴ πόλεμον ὅστις εὖ φρονεῖ·
Εἰ δ' ἐς τόδ' ἔλθοι, στέφανος οὐκ αἰσχρὸς πόλει
Καλῶς ὀλέσθαι, μὴ καλῶς δὲ δυσκλεές.

Bellum ergo fugit quiſquis ſanè ſapit, Si verò in hoc venerit, corona haud turpis ciuitati Fortiter occumbere. At ignauè, dedecus. Hîc aduertēdum, eum qui in bello ſtrenuè quidpiam feciſſet, priſco Græcorum more, primùm à ſingulis commilitonibus in ipſo exercitu corona donatum; mox publicè, id eſt, à magiſtratibus. Id coniicio ex hoc loco Platonis. Qui verò, inquit, rebus præclarè geſtis, nomen gloriamq́; fuerit conſecutus, primò quidem ab iis qui vnà militant, adoleſcentibus & pueris, à ſingulis viritim coronandus eſt, an minimè? Mihi quidem [videtur] Annon & dextris excipi? Id quoque. Hoc exemplo Titinnius vnus ducum Caſſij, cùm victor in certamine fuiſſet, coronatus ab equitibus, abiit ad Caſſium. Denique quiſquis hac ratione coronatus fuiſſet, ſua corona inſignis per vrbem incedebat. Ad quem morem alludens Hieronymus ait, *Veniet, veniet poſtea dies ille, quo victor reuertaris in patriam, quo per Hieroſolymam cæleſtem vir fortis coronatus incedas.* Ergo tam inſignis corona publico decreto, ducibus iis, qui victores fuiſſent, decernebatur; vt Pauſaniæ, nunciata victoria, & morte Philippi; L. Siccio Dentato, tot rebus ab ipſo geſtis; Pelopidæ, licet mortuo, & confoſſo coniectu telorum; Mario poſt inſignem de

Plato lib. 5. de Rep.

Plutarch. Bruto.

Hieron. lib 2. epiſt. epi. 6.

Plutarch. Demoſth. Æmil. Prob. Pelop.

Plutarch. Mar. barbaris victoriam; Dioni, Syracuſis receptis. Hoc exemplo Caſtor Pollucem coronat Amyco proſtrato,

Valer. Flacc. lib. 4. Argon.
Illius exemplum ramis caput, armaq́; Caſtor
Implicat, & viridi connectit tempora lauro.
Reſpicienſq́ue ratem, patriis, ait, has precor oris
Diua refer frondes, cumq́; hac freta curre corona.

Denique quempiam coronare eſt eum victorem pronuntiare, vt apud Syneſium, ἐγὼ δ' ἅπαντας, τοὺς παρεγγυωμένους τῷ ἔργῳ ἥδιστα ἂν στεφανώσαιμι καὶ ἀνακηρύξαιμι. Ego verò omnes qui operi acceſſerunt, libentiſſimè coronarem, & [victores] renuntiarem. Enimuero victoria & corona vſque eò ſunt cognata, vt Græcis ſit frequens hæc loquendi forma στεφανοῦσθαι τὸν ἀγῶνα coronari certamen, id eſt vincere, ac victorem è certamine renunciari, vt in hoc loco, τί οὖν ἆθλον πρόκειται τῷ στεφανωθέντι τὸν ἀγῶνα τοῦτον; Quod igitur præmium proponitur illi qui ſit coronatus hoc certamen? id eſt, qui victor renuntiatus fuerit? Item alibi, ὁ δ' αὐτὸς οὗτος τοὺς ἱεροὺς ἀγῶνας στεφανωθεὶς ἀνεκηρύχθη, At hic vir ſacra certamina coronatus renuntiatus eſt. His coronis quàm proximè accedit illa qua donatur is qui in magnis periculis eſt animo imperturbato, quam Plutarchus vocat στέφανον ἀταραξίας, quam quidam, inquit, aiunt eſſe imparem, neque conferendam illi quæ datur magnis ducatibus. Idem alibi facit Niciam ſibi plectentem hanc ipſam coronam. Hanc ego libenter vocem coronam conſtantiæ. Exemplo ducum milites quoque coronatos legimus. Sed quòd militum tantus erat numerus, vt vix tot coronæ quot ſingulis coronandis ſufficerent, reperiri poſſent, datæ ſæpe illis ſunt pecuniæ pro coronis; nempe vt inde ſibi ipſi coronas plecterent, aut emerent. Et hoc ſcilicet, demonſtrabant hac locutione; coronare tot minis. Hoc exemplo Syracuſij peregrinos Dionis milites ἑκατὸν μναῖς ἐστεφάνωσαν, centum minis coronarunt. At ipſi milites Dionem aurea corona. Nempe quandoque ſummus dux ab aliis ducibus, quãdoque ab ipſis militibus coronabatur, vt obſeruandum eſt in iis exemplis, quæ frequenter à me citãtur. Interdum quoque hoc ipſo loquendi genere ſignabant pretium eius coronæ quæ cuique data eſſet. Hoc munere apud Plutarchũ donatur is, qui interfectorem patris ſui occiderat. τὸν μὲν οὖν ἄνθρωπον ἐστεφάνωσαν οἱ Κορίνθιοι δέκα μναῖς. Hominem igitur Corinthij coronarunt decem minis. Cæterùm quòd multo maius ac præclarius facinus eſt, tyrannum occidere quàm hoſtem, corona victoriæ tyrannicidas donatos legimus. Et verò Cæſare occiſo, M. Tullius Brutum donat aurea corona. *Mihi quidem*, inquit, *videtur Brutus noſter iam vel coronam auream per forum ferre poſſe. Quis enim au-*

Marginal notes: Syneſ. epiſt. 121. — Philo περὶ ἀθλ. καὶ ἐπιτ. — Plutarch. περὶ Κολώτ. — Plutarch. Craſſo. — Plutarch. Dione. — Plutarch. Timol. — Cic. ad Att. lib. 14. ep. 12.

deat violare, propoſita cruce, vel ſaxo? præſertim tantis plauſibus, tanta adprobatione infimorum?

CAP. VI.

Populus, vrbes, vulgus, vniuerſi coronati. Quiſquis aliqua ratione auxit publica commoda coronatur. Æſculapius coronatus. Coqui coronati. Vitia coronata. Corona infamis. Corona myrica. Plura de myrica. Decretum myricinum. Ægyptij & Magi myrica coronati.

NOn tantùm ſinguli haſce victoriæ & fortitudinis coronas adepti ſunt, verùm etiam interdum tota cohors, populus, publici ordines, vniuerſi, totæ vrbes. *Rhodiorum populus corona* *Liu lib. 11.* *aurea virtutis ergo donatus eſt.* Ipſe quoque populus Romanus, ſi eius auſpiciis bellum geſtum, patratumque fuerat, coronam, victoriæ inſigne, capite geſtare ſolitus fuit. Id quod diſertim tradit Liuius, *Eodem*, inquit, *anno coronati primùm ob res bello bene geſtas,* *Liu. lib. 10.* *ludos Romanos ſpectauerunt, palmaq́; tum primùm, tranſlato è Græcia more, victoribus data.* Sed de populo hoc ipſum tradit Gellius, *Verba*, inquit, *hæc ſunt Catonis, vt populus ſua opera potiùs ob rem* *Gel lib.* *bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quàm re malè geſta coronatus veneat.* De publicis ordinibus hæc Tertullianus, *Coronant*, inquit, *Tertul de* *& publicos ordines laureis publica cauſa.* Enimuero Romanum ſe- *cor mil* natum ſic pingi ſolitum, diſcimus è Dione, vt ſit ἐν ἱματίῳ καὶ ἰδίῳ *Dio Traiano* τῷ περιπορφύρῳ, ἔτι δὲ καὶ στεφάνῳ ἐστολισμένος prætextatus, id eſt, purpura amictus, inſuper, & corona honeſtatus. Populus Syracuſa- *Diodor Sic.* nus, deuictis acie inquilinis, qui rebellauerant, delectos viros *lib. 16. bibl.* circiter ſexcentos, quorum vi & virtute ea pugna pugnata fuerat, corona donauit. Dion, Syracuſis expugnatis, induxit in eam vrbem hominum millia quinquaginta: qui omnes vrbem inierunt coronati. Syracuſanorum quoque milites, Athe- *Plutarch.* nienſibus victis, & Nicia eorum duce capto, ſe ipſos corona- *Nic.* runt. Ergo ſeipſi milites inuicem coronabant priſco more. Idipſum quoque de vulgo Tertullianus, *Coronatur*, inquit, *& vulgus ex principalium proprietatum exſultatione, nunc ex munici-* *Tertull. de cor. mil.* *palium ſolennitatum proprietate.* (Quibus in verbis pro illo, *proprietatum*, libenter legerim *victoriarum.*) *Et eſt omnis publicæ lætitiæ luxuria captatrix.* Ipſas vrbes aliarum victrices, ac dominas

Athen. lib. 5. conſtat fuiſſe coronatas. Corinthus aureo diademate fuit euincta. Carthaginem dixi fuiſſe inſignem corona turrita.

Sil. Ital. lib. 13.

ſi nunc exiſteret alma
Carthago ante oculos turrita celſa figura.

Ariſtid. in Panath. Græci Athenas, ingẽti aduerſus Perſas parta victoria, coronarunt. Neque ob id ſolùm hanc vrbem corona dignam cenſuerunt; verùm etiam quòd omni virtutum genere cæteras vrbes antecelleret. Id quod verum eſſe, *Demoſth. de cor.* decretum Byzantinorum docet factum in honorem Athenienſium, quo ſtatutum vt vrbis Athenienſis ſtatua erigeretur ſexdecim cubitorum in Boſphoro, quę fidem faceret, à populo Byzantino & à Perinthiis populum Athenienſem fuiſſe coronatum. Cæterùm quiſquis illius exemplo qui hoſtem vicit, aliqua illuſtri ratione auxit publica commoda, per quem factum eſt vt Reſp. vitata inuidia, miſeria, calamitate, honorem, fauſtitatem, felicitatem adepta ſit, is veluti malorum præclariſſimus victor, corona donabatur. Talis, præter alios illuſtres viros *Plutarch. Lycur.* fuit Lycurgus, qui ideo à populo ſæpe coronatus, ac ſtatuas adeptus perhibetur. *Plutarch. Demoſth.* Demoſthenes quoque, vt ſupra dixi, cuius extabant illa in Rempub. merita, quæ recitantur in decreto, ſæpe fuit coronatus; priùs quidem à Democle Ariſtonico Hyperide, aurea corona, vltimò autem ab Cteſiphonte. Et in decreto quod factum eſt ſuper Lycurgo Butade, poſtquam eius in Rempub. bonafacta commemorata ſunt, additur, Cùm autẽ viſus eſſet omnia hæc iuſtè adminiſtraſſe, ſæpe ab ciuitate coronatus eſt. Ad hoc exemplum qua re quiſque Reipub. maximè prodeſſet, ob eam rem co- *Scholiaſt. Ariſtoph. in Pluto.* rona donabatur. Et verò Æſculapium vſque eò conſtat fuiſſe coronatum, vt is nunquam effigietur ſine corona, ſicuti victor morborum. Quæ corona fuit index artis præclariſſimæ, cui multum diſſimiles illæ quæ datæ ſunt coquis, talibuſque voluptatum leno- *Athen. lib. 12.* nibus. Nempe apud perditiſſimos illos Sybaritas coronabantur ij quos luxus erudierat ferculis & condiendis & apponendis. Porrò quomodo quantum eſt hominum qui virtuti militant, coronatur, ita qui ſunt mancipati vitiis, vt ſua vitia pro virtutibus oſtentent, proh pudor! ſeſe coronare non verentur, vt, quàm virtus ſuis inſiguiis clareſcit, tam vitia ſuis maculis innoteſcant. Quem morem ſignauit Bernardus, vbi acerrimè inuehitur in monſtra hominum *Bernard. ſerm. 66.* ſui temporis, in eos potiſſimùm qui nuptias damnant, vt immunditiæ laxent habenas. *Coronabitur turpitudo?* inquit, *Nihil minus decet honeſtatis autorem.* Huius generis illud eſt quod de *Diog. Laert. lib 4.* Xenocrate Laërtius tradit. Is enim propter longiorem compotationem pro præmio accepit coronam. Vſque eò corona

demonſtrat

demonſtrat eum qui in aliqua re inſigniter verſatur, vt, ſi quod infame, atroxque facinus feliciter patratum eſt, illud ipſum hinc demonſtretur. Sed ea, videlicet, corona quàm aliæ ſunt honeſtæ, tam eſt plena dedecoris, & infamiæ. In legibus Charondæ altero loco hæc fuit, vt qui calumniæ, dolique mali crimine conuicti eſſent, per vrbem circumuectarentur, & quidem coronati myrica; vt omnibus innoteſcerent ſicuti ſingulari improbitate inſignes. Ergo myrica fuit conueniens ac dirum coronamentum illorum qui eſſent inſigniter improbi. Enimuero Strabo quoque tradit, ſacerdotes Perſarum, quoties illas diuturnas diras alicui imprecantur, tenere faſciculum virgarum myricinarum tenuium. Porro myrica, vt hæc quoque obiter dicam, non ſolùm eſt inter plantas *ἀκάρπους*, ſed & habita eſt infauſta. Et quidem cùm in funere Achillis propoſitum fuiſſet certamen curſus, Teucer qui inibi erat vt metam attingeret, myrica implicitus cùm cecidiſſet, victoriam Aiaci tradidit.

Diodor. Sic. bibl. lib. 12.

Strabo lib. 15.

τὸν γὰρ ῥα θεὸς βλάψεν, ἤ τις ἄτη
ὄζον ἐς ἀλγήεντα βαθυῤῥίζοιο μυρίκης.
τῷ δ' ἄρ' ἐγχριφθεὶς χαμάδις πέσε. *Q. Calab. li. 4.*

Hunc Deus aut ſors noxia impegit in triſtem ramum myricæ alta radice hærentis. Huic enim implicitus humi cadit. Inuenio tamen vates per myricam vaticinari ſolitos, vt lege ipſis ab Apolline præſcriptum fuit. Quapropter inſigne aliquod dumetum myricinum vocabant *μάντιν*, vatem. Atque adeò Magi & Scythæ, tum in Europa quamplures futura prædicunt, tenentes lignum myricinum. Et in Leſbo Apollo habet ramos myricæ, vnde dictus eſt *μυρικαῖος* myricinus. Idem viſus eſt per quietem habere ramum myricinum. Denique Ægyptij in pompa Iouis coronantur myrica, ſicuti apud Medos Magi. Redeo vnde ſum digreſſus, nempe ad eas quæ verè dici poſſunt coronæ turpitudinis & infamiæ. Polynices apud Euripidem, cùm precatur Iunonem, Turpem, inquit, coronam peto è nece fratris.

Scholiaſt. in ther. Nicandr.

αἴσχιστον αὐτῷ στέφανον ὁμογενῆ κτανεῖν. *Euripid. Phœniſſ. actu 5.*

Contra, illæ coronæ ſemper ſunt præclariſſimæ quæ forte præclarumque facinus demonſtrant; qualis illa qua Oreſtes redimitur, interfecto Ægyſto adultero Clytemneſtræ.

στέφουσι δ' εὐθὺς σου κασιγνήτου κάρα
χαίροντες, ἀλαλάζοντες. *Euripid. Electr. actu 5.*

Illico verò coronant tui fratris caput, lætantes, iubilantes. Idem paulò poſt,

νίκας στεφανοφορεῖαι
κρείσσω τοῖς παρ' Ἀλφειοῦ ῥεέθροις τελέσας.

Καϲίγνητος σέθεν.

Præclariora victoriæ inſignia meruit, quàm quis ad Alphei fluėta, frater tuus. Et in ſequentibus,

ϲτέψω τ' ἀδελφοῦ κρᾶτα τοῦ νικηφόρου.

Et coronabo fratris caput victoris. Et paulò poſt,

δέξαι κόμης σῆς βοϲτρύχων ἀναδήματα.

ſume coronamenta cirrorum comæ tuæ. Denique hoc,

σύ τ' ὦ παρασπίς' ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου
παίδευμα Πυλάδη ϲτέφανον ἐξ ἐμῆς δέχου.

Tuque ô propugnator, viro piiſſimo educate Pylades, coronam è mea manu accipe. Itaque verè dici poteſt, coronam vt eſt index fortitudinis, ita eſſe comitem felicitatis. Ac præterea qua quiſque præclara dote potiſſimùm cenſetur, ob hanc ipſam ęquiſſimũ eſſe eum coronari. Non ergo mirum ſi præclariſſimis artificibus quandoque ſunt datæ coronæ. Quod ad exẽplum, Parrhaſius ille pictor inſignis ſolitus fuit redimire caput aurea corona. Apud Plutarchũ Neoptolemus Anticlei filius coronatur, eique ſtatua ponitur quòd pollicitus eſt ſe deauraturum aram Apollinis in foro, ex vaticinio Dei.

Himer. μελ. ὀκλ.

Ælian. lib. 9. var. hiſtor. cap. 11.

Plutarch. Lycur.

CAPVT VII.

Felicitas coronatur. Huius coronæ deſcriptio. Diuites coronantur. Naues coronatæ. Corona è prunis. Alia premia militum, nempe armillæ, feminæ ſpectata forma, Torques & haſta, Boues. Bos genus nummi. Bouis-laus. Venire ſub corona, quid.

SED quia non ſolùm virtus, ſed & felicitas cœlo demittitur, non mirum ſi hanc quoque haud minùs quàm virtutem antiquitas coronauit. Nam cuicunque hæc adeſt, Deo gratus acceptuſque exiſtimatur. Ergo quomodo vrbes, populus, ordines coronãtur, ita quoque ſiquid cuipiam poſt multa diſcrimina proſperè feliciterq; euenit, hunc quoque apud priſcos coronari mos fuit, ſicuti victorem laborum, periculorum, ærumnarum. Quòd Smyrna terræmotu collapſa in meliorem & luculentiorem, quàm priùs fuerat, ſtatum reſtituta eſt, ob hanc, inquam, felicitatem Ionia coronatur. De quo more hæc Ouidius,

Aristid. περὶ Σμυρν.

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Femina lucentes portat ab vrbe faces.

Ouid. li. 3. Faſt.

Et Apuleius cùm ſibi etiam atque etiam gratulatur, *Mihi*, inquit, *coronam, & Hercules coronam conſequenter, quòd tot ac tantis exantlatis laboribus, tot emenſis periculis, Deæ maximæ prouidentia adluctantem mihi ſæuiſſimè fortunam ſuperarim.* Plutarchus ait, eos

Apul. lib. 11. Metam.

qui ſacrum piſcem, qui rarus, & circa Pamphiliam eſt, cœperint, tam dominos quàm ipſos piſcatores coronari, & plauſu & fauſtis acclamationibus excipi. Deniq; corona felicitatis omnibus bonis propoſita eſt, non pinea, non ex oleaſtro, non ex apio plexa, ſed è veris & gaudijs & iudicijs hominum; Nimirum, cùm illud vniuerſi adepti ſunt quod ſummis, aſſiduiſque votis expetierant, libertatem, opes, bonam famam, otia. ταῦτα πάντα τῷ στεφάνῳ τούτῳ συναναπέπλεκται, Hæc omnia vnà cum hac felicitatis corona plexa ſunt. Ipſa corona ante hominum ora nectebatur ex omnigenis floribus, ijs qui eſſent pulcherrimi & odoratiſſimi. Certè felicitatem, ſiue beatitatem, eiuſque coronam ſic deſcribit Cebes; In veſtibulo matrona formoſa ſedet in alto ſolio, ornata liberaliter citraque luxum, & coronata corona florida egregiè concinnata. Ipſa eſt beatitudo, ad quam cùm quiſpiam peruenit, hunc ipſa coronat ſua vi. cumque etiam [coronant] omnes aliæ virtutes, veluti eos qui maximis certaminibus defuncti ſunt. Et infra; Verùm illud etiam mihi dicito, quæ vis eſt illius coronæ, qua eum ornari dicebas? Beatifica, ô adoleſcens! Nam qui ea vi coronatur fit beatus, & malorum expers; nec in alijs ſpem felicitatis habet repoſitam, ſed in ſemetipſo; ô præclaram victoriam! Vbi autem coronatus eſt, quid facit, quóve abit? Virtutes eum deducunt vnde antea venerat. Cæterùm quia diuites vulgi opinione adepti ſunt id quod in rebus humanis optatiſſimum eſt, coronas geſtant, argumenta eius quam ipſi ſibi fingunt, felicitatis. Vnde meritò Cynicus ille apud Lucianum gloriatur, non ſe efferri eo faſtu, quo tument iſti coronarum & purpuræ geſtores. τοὺς δὲ χρυσοῦς στεφάνους καὶ τὴν πορφύραν τῦφον νομίζω. aureas coronas & purpuram fumum, ſiue arrogantiam exiſtimo. Naues quoque legimus fuiſſe coronatas, nempe nauigatione feliciter peracta.

Plutarch. πότ. τῶν ζω. φρονιμ. τὰ χερ. ἢ τὰ ἔνυδ.

Lucian. de gymn.

Tab. Ceb.

Lucian. Cyn.

Ceu preſſa cùm iam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

Virgil. lib. 1. Georg.

Similis, ijſdemque prope verbis locus eſt apud Propertium,

Ecce coronata portum tetigere carinæ.

Propert. lib. 3.

Et alibi, vbi Cynthia mortua alloquitur Propertium,

Ecce coronato pars altera parta phaſelo,
Mulcet vbi Elyſias aura beata roſas.

Propert. lib. 4.

Ouidius de appulſu Æneadum in Italiam,

Æneadæ gaudent; cæſoq; in littore tauro,
Torta coronatæ ſoluunt retinacula nauis.

Ouid. lib. 15. Metam.

Sic apud Silium Italicum victrix nauis portum ſubiens coronatur lauro,

—lauro redimita ſubibat
Optatos puppis portus; pelagoq; micabant

Sil. Ital. lib. 11.

Captiua arma procul celſa fulgentia prora.

Plutarch. Timol. Hoc more ineptus ille Carthaginiẽſium nauarchus, vt imponeret Syracuſanis, iuſſit nautas coronari, ornauitque triremes ſcutis Græcanicis & Phœnicum; eoque ornatu Syracuſas nauigauit. Cæterùm etſi è lauro, olea, oleaſtro, alijſque frondibus texebantur coronæ victrices, ſeu victoriæ, tamen è prunis quoque nexas fuiſſe, docet apud Athenæum Hipponax in ijs verſibus, quorum *Athen. lib. 2.* hic eſt ſenſus. Coronam habui è prunis atque mentha. Alex. Quin & in ſomnis videre viſus ſum mihi præmium victoriæ. B. Id dicito. A. animum aduerte. In ſtadio antagoniſtarum me quiſpiam nudus accedens coronare viſus eſt corona tortili prunorum, Hercules, maturorum. Id ipſum confirmatur teſtimonio Plinij, vbi *Plin. lib. 15. c. 13.* agit de generibus pruni. *Eam quoque*, inquit, *eruditiores negauerunt ex Perſide propter ſupplicia tranſlatam; ſed à Perſeo Memphi ſatam. Et ob id Alexandrum illa coronare victores ibi inſtituiſſe in honorem ataui ſui.* Hiſce victoriæ coronis plerunque accedebant *Liu. lib. 10.* armillæ. Liuius, *Et Papyrius apud quem multiplex in acie, circa caſtra, circa vrbem fuerat certamen, Sp. Nautium, Sp. Papyrium fratris filium, & quatuor centuriones, manipulumq́; haſtatorum armillis, aureiſq́; coronis donauit.* Apud priſcos feminæ forma præſtantes ſuper coronam victoribus cedebant in præmium. Hercules apud Euripidem gloriatur ſe præclara femina eſſe donatum, ſicuti ſingulari præmio.

Euripid. Alceſt. actu 5. — γυνὴ δ' ἐπ' αὐτοῖς εἵπετο.

Xenoph. de venat. mulier verò ſuper ipſis ſequebatur. Cùm Hercules, Troia capta, ſuis ducibus præmia diſtribueret, Telamoni dedit Iſionem. Pe- *Aphth. progymn.* leus, oppreſſis Lapithis præmium virtutis accepit cõcubitum Deę. *Tacit. lib. 3. Annal.* Sæpe accedebant torques & haſta. His apud Cornelium Tacitum Apronius donat Rufum Heluium. Victus quoque victori ndonat herba, id eſt, corona, aut ſerto plexo ex ea herba quæ in loco pugnæ nata eſſet. Hoc ſenſu Appianus Alexandrinus de Aſdrubale *Appian. Alex. in Liby.* ait, eum fugiſſe ad Scipionem μετὰ θαλλῶν, cum folijs, ſeu ramis, id eſt, victoriam tradens. Et fortaſſe victor ea herba coronabat caput ſuum, vt ſuſpicari licet ex hoc loco Accij in Meleagro, *Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent; pro ſe quiſque cum corona clarum conuectit caput.* Et quidem Pindarus virum fortem coronat herba,

Pindar. Pyth. od. 4.

ϖερὶ δ' ἑταῖροι καρτερὸν ἄνδρα φίλας
ὤρεγον χεῖρας; στεφάνοισί τέ μιν
ποίας ἔρεπτον, μειλιχίοις τε λόγοις
ἀγαπάζοντο.

Socij autem forti viro amicas porrigebant manus, coroniſq́; herbæ

ipſum tegebant, blandiſque ſermonibus comiter excipiebant. Ergo hęc herbæ traditio erat confeſſio eius qui eſſet victus in loco herbido. Nam in ſtadio victus talem ſe fatebatur ponendo ſiue demittendo manus. Qui mos exprimitur apud Philonem his verbis, καθάπερ ἐν ἀγῶνι τὸν ἀντίπαλον ἀπειπὼν χεῖρας ὑπ᾽ ἀσθενείας καθέντα, καὶ τὰ βραβεῖα, καὶ τὸν στέφανον παρακεχώρηκε τῷ πόλεμον ἄσπονδον καὶ ἀκήρυκτον πρὸς τὰ πάθη πεποιημένῳ. ſicuti in certamine aduerſarium defatigati, manibus præ imbecillitate demiſſis, tum præmia & coronam cedere illi qui internecinum & indictum bellum patrauit aduerſus affectus. & alibi, καὶ οὐ χεῖρας μόνον ὑπ᾽ ἀσθενείας, οἷα τῶν ἀθλητῶν οἱ νενικημένοι, καθῆκε. Et non manibus tantùm præ imbecillitate, vt victi athletæ ſolent, poſitis. Alio item loco, βαρὺν ἀντίπαλον ἡγησάμενοι τὸν πόνον, καὶ τὰς χεῖρας ὑπ᾽ ἀσθενείας ὥσπερ ἀπειρηκότες ἀθληταὶ καθῆκαν. grauem aduerſarium exiſtimantes laborem, & manus præ imbecillitate ſicut feſſi athletæ demiſerunt, &c. Cæteris præmijs antiquiſſimo more accedebant boues. Et quidem Hercules apud Euripidem memorans niceteria quibus donatus eſt, ait, illos qui leuiorum certaminum victores fuerunt, equos accepiſſe. At qui grauiorum, hoc eſt, qui pugilatu, & lucta viciſſent, boues. At te præclara femina.

Philo π. τῶν Αβ. καὶ Κα. ἱερ.

Philo π. φυτ.

Philo π. τῆς τὰ προπ. συνέδρ.

Euripid. Alceſt. actu 3.

> τὰ μὲν γὰρ κοῦφα τοῖς νικῶσιν ἦν
> ἵππους ἄγεσθαι· τοῖσι δ᾽ αὖ τὰ μείζονα
> νικῶσι πυγμὴν, καὶ πάλην, βουφόρβια·
> γυνὴ δ᾽ ἐπ᾽ αὐτοῖς εἵπετο.

Etenim qui in leuioribus vincebant, His equos abducere licebat. At qui grauiorum certaminum victores erant pugilatu aut lucta boues accipiebant. Vnà autem ſequebatur mulier. Cyrus quoque ijs qui in certaminibus victores fuiſſent, boues dabat quos ſacrificarent, vt inde epularentur. Ipſe etiam bouem accepit τὸ νικητήριον. Vnà cum bobus cenſeo vaccas cum ſuis vitulis. Tale præmium Thetis, Achille mortuo, dedit ijs, qui in certamine curſus victores eſſent. – Θέτις δ᾽ ἐς μέσσον ἀγῶνα

Xenoph. de inſt. Cyr. lib. 8.

Q. Calab. lib. 4.

> Θῆκεν ἄρ᾽ ἀμφὶ δρόμοιο βόας. δεκάτῃσι δ᾽ ἦ πάσῃς
> Καλαὶ πόρτιες ἦσαν ὑπὸ μαζοῖσιν ἰοῦσαι,
> τάς ποτε Πηλείδαο θρασὺ σθένος ἀκαμάτοιο
> Ἤλασεν ἐξ Ἴδης, μεγάλῳ ἐπὶ δουρὶ πεποιθώς·
> τῶν πέρι οἱ δ᾽ ἀνέσταν ἐελδόμενοι μέγα νίκης.

Thetis autem in mediam ludorum aream decem vaccas in præmium curſus ſtatuit, quibus omnibus inſignes erant vitulæ vbera adhuc ſubeuntes, quas olim inuicti animoſa vis Pelidæ ex Ida abegerat, magnam in haſta fiduciam habens. propter quas hi ad certamen prodierunt, magno victoriæ ſtudio. Qui mos exceſſit fines

Græciæ, & illorum temporum, & Romam peruenit; ac durauit vſque ad illa ſæcula, quibus iam omnia quæſitiùs & ſolertiùs agi cœpta. *Conſul concione aduocata*, inquit Liuius, *laudatum tribunum decem bobus, aureaq́ corona donat*. Idem alibi, *Ante omnes C. Lælium præfectum claſſis & omni genere laudis ſibimet ipſi æquauit, & corona aurea, ac triginta bobus donauit*. P. Decius apud eundem Liuium ſuper auream coronam accipit centum boues. *COS. aduocata concione, P. Decij non cœptas ſolum ante, ſed cumulatas noua virtute laudes peragit. Et præter militaria alia dona, aurea corona eum, & centum bobus, eximioq́ vno albo opimo auratis cornibus donat*. Illis quoque bos præmium dabatur qui dithyrambo viciſſent. Etſi non ſum neſcius, bouem aliquando ſumi pro Athenienſium drachma, cui bos inſculptus, veluti apud Romanos cuidam monetæ. In Delijs, quæ erant feſta Apollinis, cùm cuipiam donum daretur, pronuntiabant, tot boues ei datum iri. Vnde quidam hunc nummum putarunt eſſe Delium, non Athenienſem. Certè in corruptos cauſidicos & iudices inualuit hoc ſcomma, Βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν, bos ſuper linguam aſcendit. Ego in præmijs quæ mihi ſunt memorata, non hoſce nummos, ſed veros boues priſco more datos firmo, quòd priſcis ſæculis hoc animal fuit in multo honore, eoque liberi parentes redimebant. Veteri prouerbio, Pauperibus bos eſt pro ſeruo. Ac tam capitale fuit bouem necaſſe quàm ciuem. *Tanta*, inquit Cicero, *putabatur vtilitas percipi ex bobus, vt eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur*. Cæterùm bouis natura eſt valde clemens, atque

Inter vtroſque ſita eſt, ceruos, ſæuoſq́ leones.

Illi nimis timidi; hi ſunt nimiùm feroces. Denique bos eſt altor hominum. Ideoque eum dici volunt παρὰ τὸ βῶ, quod eſt τρέφω, alo, quod nos alit vt tertio & agricola. Atque adeò apud Ægyptios bos fuit ſymbolum γεωργίας καὶ τροφῆς agriculturæ, & alimenti. Et qui primi auſi ſunt comedere boues, dicti ſunt homines perditiſſimi, οἱ πρῶτοι κακόεργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντο ἀροτήρων, qui primi fabricati ſunt gladium Martium, ac primi bobus ſaturati ſunt aratoribus. Qui, inquit, primi bouillas carnes comederunt, auſi ſunt atrox & impium facinus. Et verò inter leges Solonis extat hæc, Bouem ne ſacrificato. Id quod tamen poſteri excuſatiùs fecerunt. Itaque ipſa Proſerpina illum exceptura quem putabat eſſe Herculem,

βοῦν ἀπανθράκιζ᾽ ὅλον,

bouem aſſauit integrum. Ita deinceps apud Homerum, alioſque integri boues aſſantur, & conuiuis apponuntur. Et hæc erant ὁλοκαυτώματα quæ tauris fiebant Ioui; equis autem Soli. Et hæc

Liu. lib. 7.
Liu. lib. 16.
Liu. lib. 7.
Etymol. ταυροφάγον.
Plutarch. Plebi.
Pollux lib. 9.
Etymo. ἀλφεσίβοιαι.
Ariſtot. lib. 1. polit. cap. 1.
Cic. de nat. Deor. lib. 2.
Varro lib. 6. de ling. lat. Gell. lib. 2. c. 11.
Colum. lib. 6. in præfat.
Stob. π. νόμ. καὶ ἐθ.
Varro lib. 6 de re ruſt.
Etymol. βοῦς.
Clem. Alex. Strom. lib. 5.
Arat. φαινομ. 25. & ibi Schol.
Citat quoque Max. Tyr. in ſerm. pro agric.
Plutarch. Sol.
Ariſtoph. βατ.
Xenoph. de inſt. Cy. lib. 8.

quidem in genere de ijs coronis dici poſſunt quæ ſunt clariſſima
clariſſimæ victoriæ teſtimonia; tum de ijs præmijs, quæ præter
eas victoribus dabantur, cuiuſmodi ſunt armillæ, torques, haſta,
feminæ, boues. His addo eam coronam ſub qua venibant illi
qui in bello capti eſſent. Quæ aut fuit ingentis magnitudinis; aut
neceſſe eſt fuiſſe plures, ſub quibus ij ſtabant qui venales proſta-
bant, & quidem pileati. Itaque ſiue plures, ſiue vna eſſet ea coro-
na, certè victoriam illorum demonſtrabat qui eos cœperant, &
vendebant. Quanquam ipſi qui venibant dicebantur quoque
coronati; vt in verbis Catonis quæ ſupra retuli, *vt populus ſua ope-
ra potius ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quàm re malè
geſta, coronatus veneat.* Hic certè mos eſt apud antiquitatem fre-
quens, vt apud Liuium, *In poteſtatem redactos* [Turdetanos] *ſub* *Liu. lib. 14.*
corona vendiderunt. Et Tacitus de Volando caſtello quod Cor-
bulo expugnauit *Imbelle*, inquit, *vulgus ſub corona venumdatum.* *Tacit. lib. 13. Annal.*
Cauſam huius moris exponit Cælius Sabinus Iureconſultus, cuius
hæc ſunt verba apud Gellium, *Antiquitùs mancipia iure belli capta* *Gell. lib. 7. c. 4.*
coronis induta, [f. inducta, id eſt, ducta ad eum locum qui eſſet
coronatus, ſiue coronis opertus,] *veniebant, & idcirco, diceban-
tur ſub coronis venire. Namque vt ea corona ſignum erat captiuorum
venalium, ita pileus impoſitus demonſtrabat huiuſmodi ſeruos venum-
dari, quorum nomine emptori venditor nihil præſtaret. Eſt autem
alia rationis huius opinio, cur dici ſolitum ſit, captiuos ſub corona
venumdari, quòd milites cuſtodia cauſa captiuorum venalium greges
circumſtarent; eaq́; circumſtatio militum corona appellata ſit. Sed id
magis verum eſſe quod ſupra dixi, Cato quoque in libro, quem compo-
ſuit de re militari, docet.*

CAP. VIII.

De corona ciuica. Vnde dicta. Eadem dicta querna vel quercea. Quanti fuerit. Comparatio militis Romani cum externo & auxiliare. Quis hanc coronam det, quis item accipiat. ζῶγρα καὶ τὰ σωτήρια. Quædam ſcrupuloſè ſeruata vt daretur ciuica. Hæc corona non fuit aurea, ſed frondea.

IIs coronis quæ militibus ac ducibus qui fortiter feciſſent, promiſcuè dabantur, adnumeratur ciuica. Atque adeò hanc inter omnes militares coronas, vt nobiliſſimam eminuiſſe, vna & conſentiens antiquitatis vox eſt. Porrò à re duplex eſt ſortita nomen, à ciue, ſcilicet, ſeruatore & ſeruato ciuica; à materia vnde plecte-

barur, quercea vel querna. Huius coronæ dignitas inde potiſſimùm eſt, quod illi vni ſepoſita eſt qui è manibus hoſtium ciuem Romanum eripuerit. Plutarchus vbi memorauit Coriolanum
Plutarch. M. Coriol. interfeciſſe hoſtem qui impetum fecerat in ciuem Rom. ait eum ab duce ſuo coronatum fuiſſe corona quercus. Hanc enim, inquit, lex dat illi qui ciuem protexerit. Idem Plutarchus vbi memorat
Plutarch. Marcell. M. Claudium Marcellum ſeruaſſe fratrem Otacilium periclitantem, ob eamque rem donatum fuiſſe corona, haud dubiè ciuicam ſignat. Cæterùm ad hoc decus non ſine euidentis periculi contemptu, & inuſitatæ virtutis documento iri poterat. Ea re æquiſſimum viſum eſt, coronam ſingularis dignitatis illi tribui, quem ſingulare meritum condecoraſſet. Id quod minimè mirabitur is, cui libet attentiùs inſpicere prærogatiuam ciuitatis Romanæ; ac proinde componere militem, eumdemque ciuem Romanum cum externo, eoque qui militabat inter auxilia. Nempe ille in imperio natus ita reipub. nauabat operam, vt eâdem ſibi imperium aſſereret. Quin, ſi rem, vt eſt, libet æſtimare, nullus ciuis Romanus non eſt conſors eius dignitatis quæ ſupereminet omnia
Iuſtin. lib. 18. regna. Certè *interrogatus à Pyrrho Cyneas, qualis Roma eſſet, reſpondit regum vrbem ſibi viſam.* At miles auxiliaris, idemque mercenarius ad imperium vadentibus ſuum ſanguinem modico ſtipendio commodabat. Vt in legionibus Romanis, quę conſcribebantur è ciuibus, omne imperij robur, omne momentum fuit, ita in vno legionario plus credebant eſſe præſidij quàm in multis au-
Plutarch. Lucullo. xiliaribus. Huc pertinet illa Luculli vox, ſe malle vnum ex hoſtibus ſeruare ciuem Romanum, quàm omnia quæ hoſtium ſunt, occupare. Hæc fuit illa tanta prærogatiua ciuitatis Romanæ. Quod ius vt magnum, ita rarum, & ingentibus in Rempub. meri-
Liu. lib. 17. tis pretium erat. Nec niſi rogatione ab Tribuno plebis ex autori-
Liu. lib. 24. tate patrum perferebatur. Ac ne ijs quidem qui mittebantur in colonias hoc ſolo miſſu conceſſum erat, vt de Ferentinatibus tradit Liuius. Et verò quid hîc mirum aut inuſitatum? Mos fuit clariſſimis quibuſque gẽtibus hoc beneficium pluris facere quàm
Demoſth. de repub. ordin. alia omnia. Menoni Pharſalio, propter præclara in Rempub. Athenienſem merita, Athenienſes non πολιτείαν ciuitatem decreuerunt, ſed tantùm ἀτέλειαν immunitatem. Idipſum decretum fuit Perdicæ, Magnam, inquit Demoſthenes, honoratam & reuerendam exiſtimantes patriam ſuam, id eſt ius ciuitatis, & omni beneficio maiorem. Si licuit Athenienſibus tam magnificè de ſe ſen-
Sen. lib. 1. de ira cap. 31. tire, quid Romanis? Nulla ergo cauſa eſt quapropter quiſpiam miretur, ſi in acie ſeruaſſe ciuem, *qui*, vt ait Seneca, *eſt pars patriæ*, vt ingẽs virtutis experimentum, & rarum meritũ, ita rara laus fuit.

Denique

Denique ſi ſuper omnia ſpectatæ virtutis documenta huius coronæ præcipua ratio ſemper eſt habita. Anchiſes Æneæ demonſtrans poſteritatem ſuam, ait fore vt hi geſtent coronam ciuicam, ſicuti decus eximium, & culmen omnium honorum, omniſq; felicitatis.

Qui iuuenes quantas oſtentent aſpice vires, Virgil. 6. Æneid.
Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.

Cæterùm coronam ciuicam miles militi dabat. credo, vt à cuius inuidia naſci poſſet ſuſpicio aut impedimentum, ab eiuſdem con- Cic in orat. pro
feſſione oriretur certũ & indiſputabile teſtimonium. *At id etiam,* Cn. Planc.
inquit M. Tullius, *gregarij milites faciunt inuiti, vt coronã dent ciuicam, & ſe ab aliquo ſeruatos eſſe fateantur, nõ quò turpe ſit protectum in acie hoſtium manibus eripi (nam id accidere niſi forti viro, & pugnanti cominus non poteſt) ſed onus beneficij reformidant, quòd permagnum eſt alieno debere idem quod parenti.* Ergo in veteri republica hæc corona dabatur manu illius qui ſeruatus eſſet. Quo ſanè facto is ſe tanti beneficij memorem, munemque oſtendebat. *Ciuica corona*, inquit Gellius, *appellatur quam ciuis ciui, à quo ſeruatus* Gell lib. 5. c 6.
eſt, in prælio teſtem vitæ, ſalutiſq; perceptæ dat. Itaque hæc corona connumeratur inter illa genera præmiorum quæ Græcis erant ζῶστρα, ſiue τὰ σωτήρια, id eſt mercedes quas dant ſeruati. Nempe Etymo. ζῶστρα.
vterque erat ciuis tam is qui ciuicam dabat, quàm is qui accipiebat. *Auxilia*, inquit Plinius, *quamuis rege ſeruato, decus id non* Plin. lib. 16. c. 4.
dant. Nec creſcit honos idem imperatore conſeruato; quoniam conditores in quocunque ciue ſummum eſſe voluêre. Atque adeò neceſſe fuit, ciuem ſeruando hoſtem occidere. vt de Coriolano memorat Plutarchus; Cùm, inquit, hominem Romanum qui proximè ce- Plutarch. M.
ciderat, conſpicatus eſſet, non neglexit, ſed ſtetit ante eum, & in- Coriol.
gruentem vnum ex hoſtibus interfecit. Deinde neceſſe fuit vt eum locum, in quo id eſſet actum, *hoſtis obtineret eo die, vtq; ſeruatus fateretur. Aliàs teſtes nihil proderant.* Et hæc quidem à Plinio verè tradita luculenter Gellius exponit his verbis è Maſurio Sabino ſumptis. *Qui*, inquit, *in vndecimo librorum memorabilium ciui-* Gell. lib. 5. c. 6.
cam coronam tum dari ſolitam dicit, cùm is qui ciuem ſeruauerat, eodem tempore etiam hoſtem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat. Aliter ius ciuicæ coronæ negat conceſſum. Tiberium tamen Cæſarem conſultum an ciuicam coronam capere poſſet qui ciuem in prælio ſeruaſſet, & hoſtes ibidem duos interfeciſſet, ſed locum in quo pugnabat, non retinuiſſet, eoq; loco hoſtes potiti eſſent, reſcripſiſſe ait, Eum quoque ciuica dignum videri, quòd appareret è tam iniquo loco ciuem ab eo ſeruatum, vt etiam à fortiter pugnantibus retineri non quiuerit. Enimuero hæ leges, vt Plinius ait, *ſunt arctæ, & ideo ſuperbæ.* hoc eſt, omnes hæ conditiones, quibus ciuicæ decus circumſcribitur,

mirè ſunt arduæ. Sed quia tales, hæc quoque ſumma & eminentiſſima laus eſt; quamque conferre licet cum illa Græcorum ſumma, quę ſub ipſo Ioue datur, id eſt Olympica corona, qua Olympionici donantur in conſpectu ipſius Iouis. Sequuntur verba Plinij, *cuiq;*, id eſt ei cui, *muros patria gaudens rumpit*. Quod dictum Xiphilinus interpretatur his verbis, de reditu Neronis ad vrbem loquens; Quidpiam, inquit, muri ac portarum ruptũ eſt, quibuſdam firmantibus ſancitum eſſe vt vtrumque fiat ijs qui è certaminibus coronati redeunt. *ô mores æternos*, addit Plinius, *qui tanta opera honore ſolo donauerint; & cùm reliquas coronas auro cõmẽdarent, ſalutem ciuis in pretio eſſe noluerunt; clara profeſſione, ſeruari quidem hominẽ nefas eſſe lucri cauſa.* Frondea enim hæc corona fuit, vt infra dico. Talis tamen omnibus antiſtabat, etiam aureis & gemmeis. Aurum Romana maieſtas externis largiebatur. At cum honorem qui cùm ſummus eſſet, auro potior erat, ſibi ſuiſque ſepoſuit. Eſt ergo ciuica Romanę gentis propria. Et verò Strabo memorat, ciuicã coronam Socratem meritum fuiſſe; quam adeptus eſſet, ſi eam dari, vt apud Romanos, ita apud Græcos in more poſitum fuiſſet, quòd Xenophontem equo lapſum, effusè fugientibus Athenienſibus, humeris ſuis impoſitum per plurima ſtadia ſeruaſſet. Nempe Straboni collibitum eſt, morẽ Romanũ deducere ad Græcos. Quo ferè exemplo Athenæus memorat, inter fercula inſignis illius pompę, in qua Ptolemæus Philadelphus ſuas opes oſtentauit, fuiſſe coronam è quercu gemmatã. Nimirũ, hunc morem non quidem vſurpandę, ſed oſtentandæ coronæ ciuicę admiratio magnitudinis Romanæ, ſiue ambitioſa imitatio; ſiue, id quod veriſimilius eſt, exquiſita adulatio tandem perduxit ad exteras gentes; ad illos potiſſimùm reges, qui ſe profitebantur mancipia populi principis omnium gẽtium. At Romæ ſuper omnia ſpectatæ virtutis documenta huius coronæ præcipua ratio ſemper eſt habita. *Neque enim tantum ſudores bellicos teſtatur*, vt Caſſiodorus ait, *ſed hæc vna omnia militiæ decora præ ſe ferre ſemper eſt viſa.* Plinius ciuicas coronas dicit eſſe *militum virtutis inſigne clariſſimũ.* Et paulò poſt, *Cedunt his murales, vallareſque & aureæ, quanquam pretio antecedentes. Cedũt & roſtratæ, quamuis in duobus ad hoc æui celebres M. Varrone, & pyraticis bellis, dante Magno Pompeio, itemq; M. Agrippa.* Prudentius vbi celebrat Laurẽtium martyrem, ex omnibus coronis eligit ciuicam, qua cum donat in cœlo degentem, ob ſolam huius præmij dignitatem.

Sic ſancte Laurenti, tuam
Nos paſſionem quærimus.
Eſt aula nam duplex tibi,

Xiphilin. Ner. — *Strabo lib. 9.* — *Athen. lib. 5.* — *Caſſiod. lib. 2. Var.* — *Plin. lib. 16. c. 4.* — *Prudent. peri. ſteph. hym. 2.*

Hic corporis, mentis polo.
Illic inenarrabili
Allectus vrbi municeps
Æternæ in arce curiæ
Geſtas coronam ciuicam.

CAPVT IX.

Corona ciuica iis data, qui, vt miles militem, ita Remp. aut reum periculo exemiſſent. In bello ciuili huic corona non fuit locus. Pauculi nominantur hac corona donati.

HANC coronam Seneca tribuit principi Reipub. ſeruatori. *Felicitas illa*, inquit, *multis ſalutem dare, & ad vitam ab ipſa morte reuocare. Nullum ornamentum principis faſtigio dignius, pulchriuſq́; eſt quàm illa corona ob ciues ſeruatos; non hoſtilia arma detracta victis; non currus barbarorum ſanguine cruentati; non parta bello ſpolia.* Veram hanc clemẽtis principis laudem adulatio imitari non erubeſcit. Quippe hanc coronam Cæſari decretam poſt bella ciuilia, veluti ſeruatori patriæ, memorat Appianus Alexandrinus. Lucanus hanc coronam facetè tribuit patrono cauſarum qui reum ſub iudice damnationi eripuerat, ſaluti reddiderat, in hiſce preclariſſimis verſibus, *Sen. lib. de clem. cap. 26.* *Appian. Alex. lib. 2. bel. ciu.*

Nos quoque pacata Piſonem laude nitentem
Exæquamus auis: tamen etſi bella quierunt,
Non periit virtus. licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub iudice bella mouere.
Hinc quoque ſeruati contingit gloria ciuis;
Altaq́; victrices intexunt limina palmæ. *Lucan. in pa-neg.*

Hoc aduertẽdum quod Plinius indicat, etſi verbis obſcurioribus, in bello ciuili huic coronę non fuiſſe locum. Cùm enim ciuica non daretur niſi illi qui ciuem ſeruando hoſtem occidiſſet, ac tum ciuis ciui hoſtis eſſet, ac proinde non hoſtis occidi, quin eâdem ciuis perderetur, poſſet, meritiſſimò ſub imperatoribus hæc vna ex aſperis illis coronæ ciuicæ legibus dempta. Et hæc, ſcilicet, eſt illa *imperatorum clementia*, quam Plinius extollit his verbis, *Hinc ciuica corona, militum virtutis inſigne clariſſimum; iampridem verò & clementia imperatorum, poſtquam ciuilium bellorum profano meritum cœpit videri, ciuem non occidere.* Idem enim eſt ac ſi Plinius dicat, Olim fuiſſe meritum, & quidem magnũ, ſiquis hoſtem occideret. Sed hodie par, maiúſue meritum eſſe, hoſti parcere, videlicet, quia ciuis eſt. Neque enim ęrare Plinij ideo minus dabatur ciuica quòd hoſtis nõ eſſet occiſus. Quin hoc ipſo dabatur, quòd eſſet ſeruatus.

Hæc inquam eſt illa imperatoria clementia, quam is tanti facit, vt eam obliquè præſtringat his verbis, *poſtquam bellorum ciuilium profano meritum cœpit videri, ciuem non occidere.* haud ſanè abſimili ſenſu ab eo quod M. Tullius dicit, *gloriari latrones iis ſe vitam dediſſe quibus non ademerunt.* Cæterùm in priſca Repub. hoc eſt, tam longo ſæculorum decurſu, quò pauciores ciuicæ coronæ decus adepti perhibentur, hoc ſunt inſigniores, & apud infinitam poſteritatem commendatiores. Hac ergo corona Statius donat Curtium illum qui equo inſidens, & armatus inſilijt in profundam voraginem,

Cic pro Mil.

Ipſe loci cuſtos, cuius ſacrata vorago,
Famoſusq; lacus nomen memorabile ſeruat,
Innumeros æris ſonitus, & verbere crudo
Vt ſenſit mugire forum, mouet horrida ſancto
Ora ſitu, meritaq; caput venerabile quercu.

Sed adeſt non minori ob hoc ipſum claritate Siccius ille, ſiue Sicinius Dentatus, Achilles ille Romanus, qui in ſua, quæ extat apud Dionyſium Halicarnaſſeum concione ſingillatim enumerat honores eos quibus affectus eſt, eaque præmia quibus donatus. Inter quę eminēt quatuordecim coronæ ciuicę, ſuper obſidionales tres: Quem numerum mirum in modum auget Solinus, qui hūc ipſum Dentatum memorat, *ſpolia ex hoſte tricies & quater cepiſſe. In phaleris, haſtis puris, armillis, coronis, trecenta duodecim dona meruiſſe.* Qua de re idem ferè tradit Plinius, huic adnumerans Capitolinū, cui ſex obtigerunt. Et Solinus paulò poſt haud ferè minora narrat de M. Sergio, *qui à Thraſymeno, Trebia, Ticinoq; coronas ciuicas retulit; & Cannenſi prælio, de quo refugiſſe eximiū opus virtutis fuit, ſolus accepit coronam. Africanus de patre,* inquit Plinius, *accipere noluit apud Trebiam;* ne, videlicet, patri beneficium imputaret. Ergo eius honor hoc ipſo conduplicatus eſt quòd honorem patrij periculi exprobratorem fortiter recuſauit. *Scripſit & Sylla Dictator, ab exercitu ſe quoque donatum apud Nolam, legatum bello Marſico. Idq; etiam in villa ſua Tuſculana, quæ fuit poſtea Ciceronis, pinxit. Quod ſi verum eſt,* addit Plinius, *hoc execrabiliorem eum dixerim; quandoquidem eam capiti ſuo proſcriptione ipſe detraxit, tantò paucioribus ciuium ſeruatis, quàm poſtea occiſis. Addet etiamnum huic gloriæ ſuperbum cognomen Felicem. Ipſe tamen, obſeſſis in toto orbe proſcriptis, hac corona Sertorio ceſſit.* Id ipſum de Cæſare dici potuit, cùm ſicuti patriæ ſeruator, vt ſupra dixi, corona quercea donatus eſt. Is enim, ſi homines ad ſeruitutem natos audire libet, non libertatis euerſor, ſed patriæ pater ſeruatorque audit. Et hinc, ſcilicet, ciuicam meritus. Hoc exemplo, eademque propter

Dionyſ. Halic. lib. 10 antiq. Rom.

Solin. cap. 6.

Plin. li. 16. c. 4.

merita Auguſtus cum roſtratam Agrippæ dediſſet, ciuicam à genere humano accepit ipſe. Et quidem aſpicientibus domum Augusti hæc corona prima ſeſe offerebat, vt quæ eſſet in eius faſtigio collocata. Apud Ouidium liber eius ab vltimis terrarum oris Romam miſſus, vbi in vrbe fuit, omniaque ſpectare cœpit, viſa principis domo ſic loquitur, *Sueton. Aug.*

Singula dum miror, video fulgentibus armis *Ouid. de triſt. lib. 3.*
Conſpicuos poſtes, tectaq; digna Deo.
En, domus hæc, dixi, Iouis eſt, quod vt eſſe putarem,
Augurium menti querna corona dabat.
Cuius vt accepi dominum, Non fallimur, inquam;
Et magni verum eſt hanc Iouis eſſe domum.

Similem in veſtibulo coronam Tiberium recuſaſſe infra dicam. Hîc verò aduertendum, hanc querceam coronam, quæ ornabat poſtes domus Auguſtæ, fuiſſe circumdatam lauro, quod, vt infra dico, fuit ſymbolum victoriæ. Vtrumque ipſe Apollo profitetur, cuius hæc ſunt verba alloquentis Daphnen mutatam in laurum,

-- at quoniam coniux mea non potes eſſe,
Arbor eris certè, dixit, mea ſemper habebunt *Ouid. lib. 1. Metam.*
Te coma, te citharæ, te noſtra Laure pharetræ,
Tu ducibus lætis aderis cùm læta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.
Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediamq; tuebere quercum.

Et hanc quidem fabulam præter Ouidium memorat Plutarchus è Phylarcho. Ait enim filiam Amyclæ nomine Daphnen quæ fugeret Apollinem, qui eam volebat comprimere, mutatam fuiſſe in arborem, quæ ab illo honorata, & vaticinij prærogatiua donata fuit. Aliter hæc fabula narratur ab Aphthonio, qui Daphnen facit Ladonis fluuij ac Terræ filiam. Huius ipſius coronæ mentio eſt apud Valerium Maximum. *Cæterùm*, inquit, *ad quercum pronæ manus porriguntur, vbi ob ciues ſeruatos corona danda eſt, qua poſtes Auguſtæ domus ſempiterna gloria triumphant.* *Plutarch. Ag. & Cleom.* *Aphthon. Daphne.* *Valer. Max. li. 2. cap. 3.*

CAPVT X.

Corona ciuica ſuper foribus priuatorum. Alijs quoque in locis ſtatuta. Hæc corona facta beneficium principis Romani. Taciti locus emendatus & enarratus. Alter eiuſdem ſcriptoris locus explicatus.

A domo principis ad ædes priuatorum ſenſim tranſiit hic mos ſtatuendi coronam ciuicam ſuper foribus cuiuſque. Certè ibi-

ciuica aſpiciebatur picta, aut quauis alia ratione effigiata; prorſus eodem exemplo, quo hodie honeſtiſſimus quiſque ſcutum, in quo ſint inſignia principis aut principatus, ſuis foribus ſuperponit, veluti conſpicuum decus, atque adeò præſentem ſibi ſuiſque rebus tutelam. Id colligere licet è verſibus Ouidij, vbi loquitur de ſacris ac templis auguſtis, & de augurio.

Ouid li.1.Faſt.

Augeat imperium noſtri ducis; augeat annos
Protegat & noſtras querna corona fores.

Id fiebat in publica lætitia. Quippe publica re bene geſta, vt ad ſingulos vtilitas, ita lætitia perueniebat. Tertullianus, *Scio fratrem per viſionem eâdem nocte caſtigatum grauiter quòd ianuam eius, ſubito annuntiatis gaudijs publicis, ſerui coronaſſent.* Nec verò ſola quercus imponebatur foribus, ſed, vt alibi dico, & laurus & palma. Lucanus,

Tertul. de idolol.

Lucan. in paneg.

Hinc quoque ſeruati contingit gloria ciuis;
Altaq; victrices intexunt limina palmæ.

Memorat quoque Tacitus, inter honores Germanico decretos hunc fuiſſe, vt *ſedes curules ſacerdotum Auguſtalium locis, ſuperq; eas quercea corona ſtatuerentur.* Sed, vt in Iulio, in Auguſto, aliquando etiam in Tiberio magnitudo virtutum vmbrarit vulnera funeſtæ ambitionis; totus Germanicus virtuti ſimillimus hodieq; cenſeatur, eique meritò ſuper alios honores ciuica corona decreta fuerit, etiamne à Caligula patriam ſeruatam agnoſcemus? Hanc tamen peſtem, hoc ex omni colluuie compactum mõſtrum refert Zonaras hoc habitu inijſſe vrbem Romam. Tectus fuit paludamento purpureo, diſtincto lapillis Indicis, gladio accinctus, ſcuto ſiniſtræ impoſito, tum redimitus corona quercea. Nempe omnia verarum virtutum ornamenta tunc quidem aceruatim congerebantur in ea monſtra, quæ natura in hominum perniciem irata expuerat. Cæterùm vt ſynceriſſima quæque longo lapſu multa mutuantur ex ingenio loci quà fluunt, ita hoc tam laudabile inſtitutum, poſtquam inſertum fuit ambitioni & gratiæ, mirum dictu quantum ab ſe degenerarit. Quippe cùm præcipua laus ciuicæ coronæ profeſſione eius qui eam daret, contineretur, verſo rerum ſtatu, cœpit eſſe beneficium principis, non iudicium ſeruati. Etſi enim ſub principibus non minùs aduertebatur meritum eius qui ſibi hoc decus in acie pepeRiſſet, tunc tamen ciuica nequaquam tribuebatur à ſeruatore, ac ne à duce quidem exercitus, ſed ſola principis manu. Cuncta enim ceſſerant in vnum principem. Et hoc, nimirum, fuit inter illa quæ princeps vni ſibi ſepoſuerat. *Si ſingulis manipularibus*, inquit apud Tacitum Corbulo, *præcipua ſeruati ciuis corona imperatoria manu tribueretur, quod illi, & quan-*

Tacit. lib. 2. Annal.

Zonar. in Calig.

Tacit. lib. 15. Annal.

tum decus, vbi par eorum numerus adipiſceretur, qui attuliſſent ſalutem, & qui accepiſſent? Qui ſanè locus ab interpretibus neque animaduerſus, neque intellectus eſt. Quid? num illi qui ſalutem acceperunt coronam ciuicam adipiſcentur æquè ac ipſi datores ſalutis? Senſus eſt manifeſtæ abſurditatis. Atqui manentibus verbis, vt ſunt in vulgatis codicibus, non aliud dici poteſt. Tu, ſiquid mihi credis, pro *adipiſceretur, vel apiſceretur,* ſcribe *aſpiceretur.* Vt ſit ſenſus, hoc ſeruati ciuis decus multiplicatum in tot hominum millibus multò illuſtrius futurum, quàm ſi vnus, alterve ciuis eſſet ſeruatus. At in caſtris Pæti erant duæ legiones, id eſt, tunc quidem ciuium Romanorum millia ſex. Et ipſe Corbulo eò duxerat peditum ſena millia. Nempe è tribus legionibus expedierat tria millia, è cohortibus parem numerum. Cùm ergo Tacitus ait, eorum qui afferant ſalutem, eorumque qui accipiant, parem eſſe numerum, ſena millia legionariorum vtrinque fuiſſe dicit. ô quale, inquit, quantumque decus, aſpicere ſena hominum millia mereri coronam ciuicam; quæ cùm ſola eſt, vnique tantùm ciui datur, tamen admirabile facinus eſt, nullumq; maius in imperio Romano decus. Quanta huius diei, quanta rei nouæ ſpecies futura eſt, ſi ſex mille homines aſpiciantur inſignes tanto decore? Nunquam id viſum; nunquam auditum, ac ne ſperatum quidem. Idem Tacitus refert Oſtorium *multa militari fama, & ciuicam coronam apud Britanniam meritum.* Et alibi, *Qua pugna,* inquit, *filius legati M. Oſtorius ſeruati ciuis decus retulit.* Vtroque loco aduertendum, Cornelium Tacitum, quo ſcriptore non alter eſt accuratior aut oculatior, hoc dicere, Vtrumque Oſtorium patrem & filium ciuicam quidem fortibus factis coronam meritos, ſed non illico, & inibi adeptos. ſed quam ibi ſunt meriti, poſtea Romæ à principe Romano, eodemque Romani exercitus imperatore accepiſſe. Quid, quod hoc ipſum diſertim Tacitus alibi tradit? *Quo,* inquit, *prælio Rufus Heluius gregarius miles ſeruati ciuis decus retulit. donatusq; eſt ab Apronio torquibus & haſta. Cæſar addidit ciuicam coronam. Quòd non eam quoque Apronius iure proconſulis tribuiſſet, queſtus magis quàm offenſus.* Nimirum, Tiberius veluti manente Repub. omnia ciuiliter agere videri volebat, cùm reuera eſſet acerbiſſimus dominus. Certè memor præcepti illius Salluſtiani, quo monitus eſt *ne ipſe vim principatus reſolueret, cuncta ad Senatum vocando. Eam conditionem eſſe imperandi, vt non aliter ratio conſtet quàm ſi vni reddatur.* Quæ verba huc ſpectant, vt in vno principe ſit omne momentum, regimenque rerum. Hic ergo Tiberij queſtus eſt ab eadem illa modeſtia qua ciuicam in veſtibulo coronam recuſauit; ne, ſcilicet, ſe Auguſto æquare videretur. Eâdem quoque illa

Tacit. lib. 12. Annal.

Tacit. lib. 3. Annal.

Tacit. lib. 1. Annal.

Suetón. Tiber.

verecundia, qua infimis patrum obteſtationibus ad ſuſcipiendum imperium cogi voluit. Superioribus addo priuilegia & prærogatiuas eius qui ciuicam accepiſſet. Quæ omnia Plinius recenſet his verbis, *Accepta licet vti perpetuò. Ludos ineunti ſemper aſſurgi, etiam ab Senatu in more eſt. Sedendi ius in proximo Senatui. Vacatio munerũ ipſi, patriq́, & auo paterno.* Hæc de legibus ac dignitate coronæ ciuicæ, rei in orbe Romano auguſtiſſimæ dici poſſunt. Certè raræ ac ſuſpiciendæ virtutis fuit niti ad hanc coronam; parique felicitati adſcribebatur tale decus aſſequi. In ſequentibus dicam de eius materia.

CAPVT XI.

Materia ciuicæ ilex, eſculus, quercus. Ciuica primùm è vera quercu, deinde ex aurea. Cur quercus ſit materia ciuicæ. Quercus Ioui ſacra. Eſt & arbor Rheæ. Quædam ſingularia de Rhea.

MATERIA vnde ciuica plectebatur fuit frondea, hoc eſt, primùm ex ilice, poſtea ex eſculo, poſtremò è quercu. *Samnitium bello*, inquit Plinius, *ciuica iligna primò fuit; poſtea magis placuit ex eſculo Ioui ſacra. Variatumq́, & cum quercu eſt; ac data vbique quæ fuerat, cuſtodito tantùm honore glandis.* Id eſt, priſci in danda corona ciuica diſtinxerunt ilicem ab eſculo, & eſculum ab ea quæ propiè quercus. Quanquam omnes hæ ſunt glandiferæ. *Glandem*, inquit Plinius, *quæ propriè intelligitur, ferunt robur, quercus, eſculus, cerrus, ilex, ſuber.* Poſtremò, mos inualuit dandi ciuicam è qualibet quercu; hoc tantùm è priſca inſtitutione ſcrupuloſè ſeruato, *vt glans in ea eligeretur optima, atque grandiſſima. Nam præter glandem ilicis, quam Homerus acylon vocat, qua appellatione à communi glande diſtinguitur, quæ & ipſa eſt breuior & gracilior, robori eſt parua, cerro triſtis.* Reſtat igitur vt honor ciuicæ fuerit in ilice, eſculo, quercu. De ilice hæc Gellius, *Quod genus ſuperiori, nempe quercui, proximum eſt, ſicuti ſcriptum eſt in quadam comœdia Cæcilij, Aduehuntur, inquit, cum iliginea corona, & chlamyde.* Hoc obiter dico, ilicem poſſe ſumi pro ſymbolo fertilitatis. Siquidem quoties ipſa ferax eſt, inſequentem annum credunt fore fertilem. De eſculo, ſatis probatum è Plinio. Sed & ilex & eſculus denique vno nomine quercus fuerunt cõprehenſa. At etiam inter aggeſtus opum fuit auro effigiata quercus; & auro quidem, vt ſæpe dicendũ eſt, gemmato. Reſtat id diſpicere, quid ita quercus eò dignitatis euecta ſit, vt virtutem tam felicem, tamq́ue memorabilem ſignarit. Plutarchus huius rei has rationes reddit, Quòd quercus eſt

Plin. lib. 16. c. 4.

Plin. lib. 16. cap. 13.

Gell. lib. 5. ca. 6.

Conſtãtin. Caſ. lib. 11. cap. 15.

Plutarch. κε- [illegible] [illegible]

inuentu

inuentu facilis; Quòd hæc frons, (nam hîc quidem στέφανον interpretor frondem ex qua corona plectitur,) Ioui & Iunoni ſacra eſt; Quòd is ritus ab Arcadibus fluxit, quibus quædam fuit cum hac arbore cognatio. Denique quòd hæc frons ſalutis gratia datur, quòd eſt ſacra Ioui Polieo, hoc eſt, ciuitatem gubernanti. Sed hæc, aliaque quæ pertinent ad repræſentandam dignitatem quercus, & quidem diligentiùs conquiſita hîc ſub vno aſpectu ponam; vt fides fiat, non abſurdè repertum, vt arbor tanti nominis, tantæque dignitatis ſit inſigne documentum ingentis meriti; ad quod quiſquis perueniſſet, is, vt Virgilius ait, *Plutarch. M. Coriol.*

Vmbrata gereret ciuili tempora quercu, *Virgil. lib. 6. Æneid.*

Nimirum, ciuica ſummæ laudis, & conſummatæ felicitatis fuit inſigne præcipuum. Quo decore non aliud generoſiſſimo cuique magis in votis fuit. Martialis,

Hic colat Albano Tritonida cultus in auro;
Perque manus tantas plurima quercus eat. *Martial. lib. 4.*

Primùm dicimus, Quercum eſſe Ioui ſacram vt maximo numini. Certè hęc eſt illa quam antiquitas propriè vocauit arborem Iouis, & Ioui conſecratam. Ouidius,

Fortè fuit iuxta patulis rariſſima ramis *Ouid. lib. 7. Metam.*
Sacra Ioui quercus de ſemine Dodonæo.

Itaque nullum numen Ioue minus eius curam ſuſcepit; nimirum, in cuius tutela eſſet res Romana; atque adeò ipſe vnus Capitolio, vnde Capitolinus dictus, præſideret. Ergo ſacra vt proprio epitheto à Poëtis donatur. Virgilius,

Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eque ſacra reſonant examina quercu. *Virgil. ecl. 7.*

Niſi fortè ſacram malis interpretari ingentem more Græco. Quippe illi ſæpe μέγαν οἴονται τὸ ἱερὸν, magnum exiſtimant ſacrum. Scio mihi dici poſſe, quercum habitam fuiſſe arborem Rheæ, vt ait Apollodorus libro tertio de Dijs, quem citat ſcholiaſtes Apollonij Rhodij, quòd Dea partita eſt hanc arborem; eamque fecit vtilem ad tecta, & ad alimentum. Inde factum vt Apollonius dixerit, Argonautas in monte Adteſte, qui eſt apud Boſphorum, huic Deæ aram erexiſſe, eique ſacrum feciſſe coronatos folijs querneis. Verſus Apollonij hi ſunt, *Plutarch. πότ. τῶν ζώ. φρ. τὰ χερ. ἢ τ᾽ ἐν.*

Βωμὸν δ᾽ αὖ χεράδος παρενήνεον· ἀμφὶ δὲ φύλλοις
Στεψάμενοι δρυΐνοισι θυηπολίης ἐμέλοντο,
Μητέρα Δινδυμίην πολυπότνιαν ἐγκαλέοντες. *Apollon. Rhod. lib. 1.*

Ad aram autem [extruendam] rurſus cumulos lapidum aggerabant. Circa verò folijs coronati querceis ſacrificium curabant, matrem Dindymenam valde venerabilem inuocantes. Qui locus

Apollonij non abnegat quercum eſſe Ioui ſacram, etſi qui Dindymenæ ſacrificabant, ea redimiti fuerunt. Laurus eſt Apollinis, hedera Bacchi, olea Palladis, populus Herculis, myrtus Veneris. Nihilominus tamen & ij qui alijs numinibus ſacrum inſtaurabant, his quoque ſiue ramis, ſiue folijs ſæpe redimiebantur. Rheę quidem haud abſurdè is honos habebatur, cùm Rhea vna eademque cum terra exiſtimata fuerit, teſte hoc ipſo Apollonij ſcholiaſte in voce αὐτοῖν. At terram antiquitas vt Deam venerata eſt. Nomen terræ, inquit Plutarchus, omni vbiuis Græco dilectum & honoratum, tum patrium nobis eam ſicut alium quempiam Deum colere. Denique Rheam antiquitas celebrauit vt matrem quatuor elementorum, inde dictam, quòd fluxu quodam, motuque perenni hæc rerum vniuerſitas adminiſtratur.

Plutarch. π. τ' ἐμφαινομ. τῷ κυκ. τ' σελ.

Heracl. Pont.

C A P. XII.

Quercus eſt in tutela Iouis. Et cur. Primi homines fructu huius arboris veſcebantur, dictiq́; βαλανηφάγοι. Iiſdem hæc arbor fuit receptaculum. Eſt ſymbolum diuitiis. Quercus procera & ingens, deq́; eius vmbra. Tenebræ ſub quercteto. Hecate cur coronetur ramo quercus. Hecate duplex. Vtraque coronata dracone. Draco quid ſignet.

HÆc quæ tradidi de Rhea etſi vera ſunt, non tamen impediunt quominus quercus, vt Claudianus ait, *ſit amica Ioui*, Itaque ſicuti apud Theocritumne an Moſchum? platanus ore virginum ſic loquitur,

Claud. de rap. Proſerp lib 2.

Σέβου μ'. Ἑλένας φυτὸν εἰμί.

Theocrit. Idyl. 18.

Ita quercus dicere iure poteſt, σέβου με. Ζηνὸς φυτὸν εἰμί, cole me, Iouis arbor ſum. Quid, quòd Celtæ eam colunt, ſicuti ipſum in quercu effigiatum Iouem? Celtica effigies Iouis, inquit Tyrius, eſt alta quercus. Cæterùm hæc arbor videtur eſſe in tutela Iouis, quòd is vbique dicitur pater & altor hominum. Atque adeò primi homines hoc cibo, nempe duro, natalibuſque ſuis conuenientiſſimo veſcebantur, quod illis Iupiter præ cæteris omnibus delegerat. Certè, autore Platone, præmium quo Deus donabat primæuos illos homines qui iuſti eſſent, conſiſtebat in abundantia eius fructus, aliorumque commodorum, quorum hæc arbor eſt ferax. Et quidem is citans Heſiodum ait,

Tyr. Max. διαλ. λη.

Ἄκρας μέν τε, φέρει βαλάνους μέσσαι δ' μελίσσας.

Plato lib. 2. de rep.

Summas [arbores] ferre glandes; medias verò mella. *Syluestribus arbuſtis*, inquit Symmachus, *vita producebatur; atque ad Dodonaas arbores plebis ruſtica inopia conſolabat*, hoc eſt, ad quercus. Quippe, *Symmach. lib. 10 ep. 54.*

Quercus ante data Cereris quàm ſemina vita. *Virgil. in Cul.*

Id quod fuſius Ouidius,

Panis erant primis virides mortalibus herba *Ouid. lib. 4. Faſt.*
Quas tellus nullo ſollicitante dabat.
Et modo carpebant viuax è ceſpite germen.
Nunc epula tenera fronde cacumen erant.
Poſt modo glans nata eſt. bene erat iam glande reperta
Duraq́; magnificas quercus habebat opes.

Apud Homerum cùm Eurylochus & ſocij circumſtetiſſent boues ſolis, & iam ſacra facerent, decerpſerunt folia quercus, quia nulla ibi erat ordei copia.

φύλλα δρεψάμενοι δρυὸς ὑψικόμοιο· *Homer. Odyſ. μ.*
οὐ γὰρ ἔχον κρῖ λευκὸν ἐυσέλμου ἐπὶ νηός.

Hos ipſos & homines & cibos deſcribit Lycophron. Et quidem homines vocat nepotes quercuum; hoſque ait coquere panes fagineos tempore brumæ ſub cineribus. Et verò *glans in cinere toſta*, inquit Plinius, *dulcior eſt*. Verſus Lycophronis hi ſunt, *Plin. li. 16. c. 5.*

ὁ δεύτερος δὲ νῆσον ἀγρίτης μολὼν,
Χερσαῖος αὐτόδαιτος ἐκγόνων δρυὸς *Lycophr. Caſ.*
λυκαιτομόρφων νυκτίμου κρεανόμων,
τῶν πρόσθε μήνης φηγίνων πύργων ὄχλῳ
σποδῷ κατ' ἄκρον χεῖμα θαλψάντων πυρὸς
χαλκωρυχήσει.

Secundus autem ad inſulam agreſtis accedens terrigena conuiua nepotum quercus lupiformium Nyctimi ſectorum fagineorum ante lunam panum cibum in cinere per hyemem ſummam fouentium, Æs effodiet. Tali cibo veſcebantur priſci illi Arcades mortalium antiquiſſimi, vt iam dixi è Plutarcho,

οἱ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται
Ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσιν. *Apoll. Rhod. lib. 4.*

Qui & ante lunam perhibentur viuere fagum edentes in montibus. Ergo hos ipſos Arcadas Archæus poëta, & poſt ipſum Plutarchus vocat βαλανηφάγους, qui comedebant illa ἀκρόδρυα πρὸ τῶν καρπῶν. Hinc eſt, quòd quercum vocarunt arborem fructuoſam; ſaltem ἀμφίβολον πρὸς τὰ ὕστερα, ambiguam reſpectu fructuoſarum. Atque adeò ætate Plinij *per Hiſpanias ſecundis menſis* *Artemid. lib. 2. cap. 2.* *Etymol. κριθή.* *Pollux lib. 2. cap. 10.* *Plin. lib. 16. c. 5.*

glandem inſerebant , ſicuti arboreum fructum, aut ſanè memores priſci victus. Certè quercus autore Plutarcho, eſt τῶν μὲν ἀγρίων καλλικαρπότατον, τῶν δὲ ἡμέρων ἰσχυρότατον, agreſtium [arborum] fructuoſiſſima, manſuetarum fortiſſima. Sed poſtea repertis frugibus, haud dubiè fuit inter δένδρα ἄκαρπα. arbores infructuoſas. Nempe, vt Lucianus ait, nemo vſque eò deſipit vt fructum quercus præferat ſpicæ. Hinc quoque priſca vox, ἄλις δρυὸς, ſatis quercus: ac ſi nimium diu quercũ homines eſitarint, ac ructarint, iamque adſit tempus tranſeundi ab illo victu ſordido ad vitam lautiorem & elegantiorem. Et hoc quidem ſignificatu hoc prouerbiale dictum magnus ille Eraſmus, eumque ſecuti interpretantur. Sed M. Tullius ſublimiori ſenſu, & quæſitiori ſignificatu protulit hæc verba ſcribens Attico. *Dignitatis*, inquit ἄλις *tanquam* δρυὸς, quaſi dicat, cibi quotidiani. Id eſt, me ſatias capit vltra perſequendi ea quæ ducunt ad dignitatem. Quippe ſatis, ſuperque laudis à me partum eſt ob res in conſulatu geſtas. Nec mihi præterea præmium è rectè factis magnopere eſt expetendum, cui quodcunque adeſt, affatim eſt. Neque verò primis hominibus glans tantùm fuit cibus, ſed & ipſa quercus receptaculum, hoc eſt τὰ κοιλώματα τῶν δρυῶν concauitates quercuum. Inde prima dignitas, primuſque locus huius arboris inter cæteras. Atque adeò appellatione quercus ſæpe ἐξαιρέτως cęteræ arbores continentur, vt apud Bionem,

Plutarch. M, Coriol. — *Lucian. Amor.* — *Cic lib. 2. ad Attic. ep 19.* — *Etymol.* ἐνδρυάζειν. — *Etymol.* δόρυ, & δρύινος, & δρυοφάκτης.

> ὤρεα πάντα λέγοντι καὶ αἱ δρύες
> Αἲ τὸν Ἄδωνιν.

Montes omnes & quercus dicunt, Ah Adoni. hîc quercus, id eſt arbores: quomodo ἀκρόδρυα non ſolùm ſignant βαλάνους glandes, ſed omnis arboris fructum eſculentum. Hinc quoque Artemidoro teſte, factum eſt vt quercus ſit ſymbolum hominis opulenti. Commendatur quoque ob proceritatem. Eam certè in loco ſupra citato Homerus vocat ὑψίκομον altìcomam: & vbique celebrantur δρυῶν ὕψη περιμηκέστατα, quercuum altitudines proceriſſimæ. A' noſtris quod excreſcit in admirabilem altitudinem ſæpe dicitur ingens, & ramis patulis. Virgilius,

Tzetz. in lib. 1. Heſiodi. & ſ. bo. in ther. Nic. 7. — *Bion. in epithal. Adon.* — *Etymol.* γεράνδρυον. — *Plutarch. Alex. Mag.* — *Philo* περὶ ἀφθαρ. κόσ.

> *Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus*
> *Ingentes tendat ramos.*

Virgil. lib. 3. Æneid.

Eiuſque vmbra eſt gratiſſima. Ouidius de Orpheo,

> *Umbra loco deerat; qua poſtquam parte reſedit*
> *Dîs genitus vates, & fila ſonantia mouit*
> *Vmbra loco venit. Non Chaonis abfuit arbor,*
> *Non nemus Heliadum,*

Ouid lib. 10. Metam.

Atque adeò Iupiter tenebras ſub querceto abſcondiſſe dicitur, ac ſi ſacratius & mirabilius fiat quicquid inde reſponſum fuerit. Teſtis eſt Stephanus, euntibus ab Erinis eſſe locum conſitum quercubus, cui nomen σκοτινὰ, quaſi dicas, tenebræ, non ita appellatum ob talium arborum frequentiam, ſed ei loco id nominis ab Ioue inditum, ait, quòd is eum fecit tenebricoſum. Hinc fortaſſe ὑπὲρ δρυῒ σκότος, tenebræ apud quercum, quod memoratur à Plutarcho. Et quòd Hecate eſt numen ſubterraneum, eam antiquitas præter draconem coronauit ramo quercino, autore Scholiaſte Apollonij Rhodij. Id quod is, opinor, ſumpſit è Sophocle, qui ἐν ῥιζοτόμοις chorum fecit dicentem, *Step. σκοτινὰ.* *Plutarch. κε- φαλ. ἑλλων. χρ- πχ.*

> Ἥλιε δέσποτα, καὶ πῦρ ἱερὸν τῆς εἰνοδίας
> Ἑκάτης, ἔγχος τὸ δι' ὀλύμπου πολλὸν φέρει
> καὶ γῆς ναίει ἱερὰς τριόδους, στεφανωσαμένη
> δρυῒ, καὶ πλείστοις ὤμων σπειράμασι δρακόντων.

Sol domine, & ignis ſacer compitalis Hecate, qui telū per Olympum multum fert, & terræ habitat ſacrę triuia, coronata quercubus, & multis humero voluminibus ſerpentium. Id ipſum tradit Apollonius de Hecate, *Apollon. Rhod. lib. 3.*

> πέριξ δέ μιν ἐστεφάνωντο
> Σμερδαλέοι δρυΐνοισι μετὰ πτόρθοισι δράκοντες.

Circa verò eam coronabant Horrendi querceis cum ramis dracones. Sed hæc eſt illa Hecate quam vocabant εἰνοδίαν compitalem, cuius ſtatua τριπρόσωπος trino vultu erat in triuijs, ſicuti luna dicta τριοδῖτις triuia. Hæc ergo Hecate erat terreſtris & ſenſibilis, iuxta diuiſionem Deorum, eam quam tradit Artemidorus. Nam & ipſe draco terreſtre animal eſt. Vtramque Hecaten tam hanc εἰνοδίαν, quàm illam cui epithetum χθονία, quamque aggregabant furijs ac dæmonibus ſubterraneis, ea re dracone coronabant & quercu, quod in hoc quidem coronamēto quercus ſignabat eas, quas dixi, vmbras ſiue tenebras. At draconem, ſiue baſiliſcum ſerpentem Ægyptij Deorum capitibus imponebant, & aureum effigiabant, quòd eum cenſebant eſſe dominum vitæ, & necis. Denique hinc quoque ſeculum ſignari aiebant. *Plutarch. π. τῶ ἐμφ. πρ. τῷ κύκλ. σελήν.* *Artemid. lib. 2. cap. 35.* *Or. Hierogl.*

CAP. XIII.

Illa omnia ſunt inſignia & præclara quæ fiunt apud quercum. Quædam quercus præ cæteris inſignes. Loqui à quercu, & ad quercum. Dodonea quercus. Δρυμοί. Quercus oraculum. Quercus Orphei. Fagus. Quercui neſcio quid ineſt diuinitatis. Quercus vocales & loquaces. Rami Dodonea loquaces. Quercus ſacra & inuiolabilis. Alata quercus.

Refert Hieron. in epitaph ad Euſtoch. virg.

ILLVD quoque aduertendum, apud priſcos vix fieri mentionem quercus, quin eâdem quidpiam inſigne inibi demonſtretur. Et quidem in ſacra hiſtoria memoratur illa quercus *ſub qua Abraham vidit diem Chriſti, & lætatus eſt.* Imò inibi is ipſum Deum vidiſſe dicitur. Pellem, ſeu vellus arietis contactu Mercurij aureum factum ſuſtinuit quercus; vt videri poſſit, hanc arborem præ cæteris huic dignitati fuiſſe delectam.

Euſeb. lib. 1. c. 2.

Apollon. Rhod. lib. 2.

— τὸν ῥα χρύσειον ἔθηκεν
Ἑρμείας, κῶας δὲ καὶ εἰσέτι νῦν κεν ἴδοισθε
Πεπταμένον λασίοισιν ἐπὶ δρυὸς ἀκρεμόνεσσι.

hunc [arietem] aureum poſuit Mercurius, pellem verò vſque adhuc videbitis extenſam denſis ſuper quercus ramis. Id quod his verbis vertit, aut ſaltem imitatus eſt Valerius Flaccus,

Valer. Flacc. Argon. lib. 5.

— at vellera Martis in vmbra
Ipſe ſui Phryxus monimentum inſigne pericli
Liquerat, ardenti quercum complexa metallo.

Et paulò poſt,

Tu quoque ſacrata rutilant cui vellera quercu
Excubias Gradiue tene.

Apud Callimachum Hercules ſub quercu membra in Deum mutatus dicitur,

Callimac. hym. in Iouem. 2.

ὅτι [Ἡρακλῆς] Φρυγίῃ περ ὑπὸ δρυῒ γυῖα θεωθεὶς.

Apud eundem Callimachum, vbi Rhea ſoluit Zonam, multæ ſunt enatæ quercus.

Callimach. hym. in Iou.

ἐπὶ τηνοῖς ἡ Ῥείη ὅτ' ἐλύσατο μίτρην,
Ἦ πολλὰς ἐφύπερθε σαρωνίδας ὑγρὸς Ἰάων
Ἤνεγκεν.

quoniam quo tempore Rhea Zonam ſoluit, Sanè multas deſuper quercus liquidus Iaon produxit. Itaque quædam quercus memorantur præ cæteris inſignes.

Nota per Arcadias felici robore ſyluas *Stat. lib. 9. Theb.*
Quercus erat, Triuiæ quam deſacrauerat ipſa
Electam [p. electam] *turba nemorum, numenq́ſ colendum*
Fecerat. Hîc arcus, & feſſa reponere tela,
Armaq́ curua ſuum, & vacuorum terga leonum
Figere, & ingentes æquantia cornua ſyluis.
Vix ramis locus, agreſtes adeò omnia cingunt
Exuuiæ, & viridem ferri nitor impedit vmbram.

Apud Virgilium arma quæ Vulcanus rogatu Veneris Æneæ fabricatus eſt, deponuntur ſub quercu.

Arma ſub aduerſa poſuit radiantia quercu. *Virgil. 8. Aneid.*

Apud Q. Calabrum aduertitur illa quercus ſub qua fuit torus, ſiue illius monimentum, in quo Luna cum Endimione concubuiſſe dicitur.

ἧς ἔπι τοῦ δὲ *Q. Calab. li. 10.*
Εὐνῆς σῆμα τέτυκται ὑπὸ δρυσίν.

huius etiamnum tori monimentum extat ſub quercubus. Apud Ouidium deſcribitur quercus inſignis, nempe & vittata, & inſcripta, & coronata. Quam tamen Eriſichthon haud veritus eſt exſcindere. Qua de re videndus Callimachus in hymno ad Cererem. Apud Liuium Romulus, *ſpolijs ad quercum paſtoribus ſacram depoſitis, ſimul cum dono deſignat templo Iouis fines.* Addidit huic arbori decus & autoritatem Ancus Martius Rex Romanus, qui vſu æris nondum reperto, primas leges Romanas, & priſcos illos qualeſcunque ritus in querneis tabulis incidit. Nam ſequutis temporibus vſus æris ad perpetuitatem monumentorum tranſlatus eſt, *tabulis æreis*, inquit Plinius, *in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur.* Autore Plutarcho, cùm fuga Pyrrhus adhuc infans periculo eriperetur, & ad torrentē quendam peruentum eſſet, qui propter impetum illorum colloquia impediebat qui ad vtramque ripam conſtiterant, tandem cortici quercus res, vt erat, inſculpta fuit. Illi, re intellecta, arboribus coniunctis, rates fecerunt, quibus amnem tranſnatarunt, & puerum exceperunt. Adnotatū quoque eſt à Plutarcho apud Cteſiphum adhuc videri eam quercum, cuius vmbra Alexāder Magnus delectatus eſt. Apud eundem ſcriptorem memoratur prouerbialis illa, vetuſque vox, cuius ſupra mētionem feci, ὁ παρὰ δρυῒ σκότος, quòd Prienenſium plures interfecti ſunt apud eam, quæ veluti peculiari nomine vocabatur Quercus. Sed inter præcipuas huius arboris prærogatiuas illa eſt, quòd tam apud Græcos, quàm apud noſtros, Loqui à quercu & ad quercum, nihil eſt aliud, niſi omni poſito metu, cumque omni ſecuritate verba facere. Cùm enim quercus, vti dictum eſt, ſit arbor Iouis, quiſ-

Liu. lib. 1.

Halic. lib. 3. ant. Rom.

Plin. lib 34. c 9.

Plutarch. Pyrr.

Plutarch. Alex. Mag.

Plutarch. κεφάλ. ἑλλην. ζητημ.

quis ad hanc confugit, ibidem cenſetur eſſe in tuto, ac veluti ſub tutela ſummi numinis. Hector, viſo Achille, & contra eum ad ſingulare certamen deſcenſurus, præ metu multa ſecum volutat, multùm titubat, diu trepidat. Inter cætera hoc dicit, Non mihi, inquit, liciturum eſt hunc alloqui è quercu, neque à petra. Ac ſi dicat, Si ſaltem liceret mihi nullo periculo venire ad colloquium, ipſe mihi aliqua pactione proſpicerem.

Homer. Iliad. χ.

μή μιν ἐγὼ μὲν ἵκωμαι ἰών· ὁ δέ μ' οὐκ ἐλεήσει,
οὐδέ τί μ' αἰδέσεται, κτενέει δέ με γυμνὸν ἐόντα
αὔτως ὥς τε γυναῖκα, ἐπεὶ κ' ἀπὸ τεύχεα δύω,
οὐ μέν πως νῦν ἔστιν ἀπὸ δρυὸς, οὐδ' ἀπὸ πέτρης
τῷ ὀαριζέμεναι, ἅτε παρθένος ἠΐθεός τε.

Non ipſi equidem ſupplicabo iens. Is enim mei non miſerebitur, neque quid me verebitur, interficietque nudum exiſtentem temerè vt feminam, poſtquam arma exuero. Non quidem aliquo modo nunc licet à quercu neque à petra Huic loqui, qualia virgo & adoleſcens. Huius antiquiſſimi moris meminerunt Liuius, & Dio vbi memorant, tres legatos Roma ad Æquos ex fœdere res repetitum miſſos fuiſſe, quorum vnus ab Æquorum imperatore iuſſus eſt dicere ad quercum, nempe, vt ſe intelligeret tutò loqui quæ vellet, poſſe. Sed cùm Æquus alia interim acturum ſe diceret, ibi vnus ex legatis, *Et hæc*, inquit, *ſacrata quercus, & quicquid Deorum eſt, audiant fœdus à vobis ruptum.* Ergo ibi quercus rei magnæ teſtis adhibita. Quòd autem quercus omnium arborum prima fuit, καταχρηστικῶς δρυμοὺς ἐκάλουν τοὺς δασεῖς τόπους, loca arboribus denſa. Id quod non ſolùm pertinet ad vmbram, de qua ſupra dixi, verùm etiam ad demonſtrandam religionem, illudque venerabile ſecretum, è quo numinum reſponſa redduntur. Nec ſine euidenti ratione Virgilius tradidit hanc arborem eſſe Græcis oraculum,

Dion. ἐκλ. πρεσβ.

Liu. lib. 3.

Etymol. δρυῖνος.

atque habitæ Graiis oracula quercus.

Virgil. lib. 2. Georg.

Phædrus apud Platonem ait, eos qui in Iouis Dodonæi æde verſantur firmare, δρυὸς λόγους μαντικοὺς πρώτους γενέσθαι, è quercu fatidicos ſermones primùm erupiſſe. Et hę quidem Dodonęæ quercus ſæpe futura prædicebant. cuius rei exemplum eſt apud Plutarchum in Phocione. Ibi Dodonęæ oraculum ediderunt, quo ſacrarium Dianæ iubebatur cuſtodiri, ne illud alij occuparent. Et qui Thebis circumſtabãt quercum Dodonæ, dicebantur conciliare ſapientiam arboris, eo quòd aurea auis rete ibi capta ſit. Non ergo mirũ ſi in Dodonę ab humi ſtratis quercus colebatur. Sed præter Dodonęas, aliæ quercus habebantur veluti oracula. Vlyſſes ſedulò ſe diffingens, enixeque id agens vt ignoratus, qua quiſque ſuorum mente eſſet, exploraret, Aiunt, inquit, Vlyſſem in Dodonem ire, vt è quercu

Plato in Phæd.

Plutarch: Phoc.

Philoſtrat. in imag.

Homer Odyſſ. ξ.

Tyr. Maxim. διαλ. κς.

vt è quercu Iouis ſenſum cognoſcat. Perſpicuè Ouidius facit Iouem reſpondentem è quercu. *Ouid lib. 7. Metam.*

> *Tu mihi da ciues, & inania mœnia ſupple.*
> *Intremuit, ramiſq; ſonum ſine flamine motis*
> *Alta dedit quercus, pauido mihi membra timore*
> *Horruerant.*

& paulò poſt,

> *Ante oculos eadem mihi quercus adeſſe*
> *Et rami totidem, totidemq; animalia ramis*
> *Ferre ſuis viſa eſt.*

Ipſa ſacra hiſtoria docet, Abraham crediſſe voci, quæ ſibi edita eſt ſub ea quercu quæ erat in Mambre. Tibi, inquit Deus, do hanc terram, & ſemini tuo. Apud Poëtas quercus dicuntur edere carmina, hoc eſt, reſponſa & vaticinia. Virgilius, *Genes cap. 13. citat. Clē. Alex. lib. 5. Strom.*

> *Quam comitabantur fatalia carmina quercus.* *Virgil. Cul.*

Et Claudianus, *Claud. de raput Proſerp lib. 2.*

> *rurſuſq; locuta*
> *In te Chaoniæ mouerunt carmina quercus.*

Huius generis fuerunt illæ quæ dictæ ſunt quercus Orphei, ſub quibus fuit antrum Zerynthium, ſiue ſpelunca Hecates. Apud Sophoclem reſponſa à duabus columbis redduntur ex antiqua fago, quæ & ipſa eſt quercus, & arbor glandifera. Nam quamuis fagus diſtinguatur à quercu, tamen cùm Theophraſtus facit quinque genera quercus, in his ponit fagum. Et cùm quercus, vt infra dicam, coronamentis adhibeatur illis, quæ ſunt argumenta victoriæ & felicitatis, cùm Hercules Acheloum vicit, tunc verò Deianiram φηγῷ ἐστεμμένην fago coronatam legimus. Apud Sophoclem Hercules memorat vaticinium vetus acceptum à vocali, & patri ſacra quercu. *Schol. in Ther. Nic. Sophocl. Trach. Schol. in Ther. Nic. Philoſtrat. in imag.*

> [μαντεῖον]
> ὃ τῆς πατρῴας ϗ πολυγλώσσου δρυὸς
> ἥ μοι χρόνῳ τῷ ζῶντι ϗ παρόντι νῦν
> ἔφασκε μόχθων τῶν ἐφεστώτων ἐμοὶ
> λύσιν τελεῖσθαι. *Sophocl. τραχ.*

vaticinium à patri ſacra & vocali quercu, Quæ mihi viuenti ad hoc præſens tempus reſpondit laborum incumbentium finem fore. Cæterùm quòd oraculis, vt voci diuinæ fides habetur, M. Tullius quercui fatetur neſcio quid ineſſe diuinitatis. *Adoleſcentem*, inquit, *incenſum cupiditate veriſſimæ gloriæ cupientem ſibi aliquid cōſilij dari quod ad laudem ſempiternam valeret, cohortantur ad decus. Non deeſt oratio. Ego quid poſſum? Tamen neſcio quid è quercu exculpſeram quod videretur ſimile ſimulachri.* Id eſt, Equidem me aliquid *Cic ad Attic. lib. 15.*

reconditi, ſapientiſque conſilij inueniſſe puto quod capi poteſt vice oraculi. Vt enim quercus, quod ex ipſis reſponſa eduntur, vocantur προσήγοροι, vocales, ſiue loquaces, id quod Æſchylus ait eſſe miraculum incredibile, ita ſiquid ſimulachri è quercu exculpitur, potiſſimùm Dodonæa, id quoque vocale eſt, hoc eſt, vaticinans & fatidicum, cuiuſmodi eſt tota arbor. Nam & ipſi rami Dodonęæ quercus ſacram edebãt vocem. Tale fuit illud lignum vocale quod fuit in Argo naui, de quo Apollonius Rhodius. Hoc ergo dicit M. Tullius, ſiquid huic adoleſcenti ſuaſero, id non tanquam ex ore mortali profectum, ſed ſicuti ab ipſo Ioue prolatũ accipi æquum eſt. Neque enim ipſe loquar, ſed ipſum ſimulachrum querneum, ac proinde Iouis Opt. Max. mentem aperiens. Non ergo mirum ſi quercus dicitur ſacra, atque adeò vſque eò inuiolabilis eſt, vt neque Eurylocho, neque patri Paræbij eam excidiſſe impune fuerit. De Pherecydis alata quercu, ac de vario eius velamine vſque adhuc nihil habeo quod dicam.

Æſchyl. Prometh. *Lucian. Amor.* *Apollon. Rhod. lib. 1.* *Apollon. Rhod. lib. 1. & ibi ſcholiaſt.*

CAP. XIIII.

Spolia hoſtibus detracta ſuſpenduntur ad quercum. Palladi quale trophæum ſtatuatur. Marmorea & ænea trophæa vetita. Quercus ſignat inſignem victoriam, eaq́ue victores coronantur. Ritus in danda quercea corona obſeruari ſolitus. Ciuica corona fuit quoque hederacea. In ciuica olea quercui mixta. Alia corona præter ciuicam è quercu plexa.

ET hæ quidem tot, taleſque dotes huius arboris etſi maximæ ſunt, tamen cumulantur illa quæ eſt omnium maxima. Nam vſque eò verum eſt quercea frõde ſignari victoriam, triumphum, felicitatem, vt ſpolia hoſtibus detracta non ſuſpendantur ad aliam arborem. Quæ prærogatiua, vt veriſimile eſt, nõ eſt aliunde quàm ex eius robore impenetrabili. Virgilius,

Virgil. lib. 10 Æn.

Hæc arma exuuiaſq́ue viri tum quercus habebit.

Idem alibi,

Virgil lib. 11. Æneid.

Ingentem quercum, deciſis vndique ramis,
Conſtituit tumulo, fulgentiaq́ue induit arma
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens.

Similiter Claudianus,

Claudian. in Ruf. lib. 1.

accingere mecum,
Et Thracas defende tuos, ſi lætior adſit

Gloria, veſtita ſpoliis donabere quercu.

Idem paulò poſt de hac ipſa arbore,

meus ecce paratur
Ad bellum Stilicho, qui me de more trophæis
Ditat, & hoſtileis ſuſpendit in arbore criſtas.

Romulus, victo Acrone, quercum decîdit ingentem, eique dedit formam trophæi, ad quod ſuſpendit ſingula arma Acronis. Similiter Marcellus opima ſpolia Britomarto regi Celtico detracta ſuſpendit ad quercum. Enimuero Pauſanias prudenter adnotauit, Perſas, quòd contemnerent opes Athenienſium, non quercum, aliamue arborem, ſed Parium marmor, victoriæ certos, trophæi erigendi cauſa deportandum curaſſe, manſurum, videlicet, in omne tempus trophæum. Id quod, vt inſolens ac ſuperbum, ac præter morem cæterę mortalitatis vſurpatum Nemeſis, quæ Dea ſuperbis eſt implacabilis, ingenti vltione perſecuta eſt. Certè huius Deæ Phidias ex illo ipſo marmore ſignum fecit, cuius capiti corona fuit impoſita, in qua ſunt cerui & ſigilla victoriæ. Apud Amphyctionas, id eſt, apud commune Græciæ conſilium Lacedæmonij Thebanos accuſarunt, quòd victoriæ monumentum aduerſus ſe partæ æneum ſtatuiſſent trophæum. Ac Thebani quidem tantùm celebrandæ victoriæ id ſe ſtatuiſſe dicebant. Contra Lacedæmonij, id ipſos ea re feciſſe arguebant, vt belli memoria æternùm maneret. Illi addebant, ſe ex bello gloriam virtute peperiſſe, vt eius duraturum inſigne poſteris ſuis relinquerent. Attamen Amphyctiones cenſuerunt perpetuum inimicitiarum monimentum Graios de Graiis ſtatuere non oportuiſſe. Duo Palladis trophæa, vnum aduerſus Neptunum, & hoc ex olea, alterum contra barbaros, & hoc è platano deſcribit Himerius: nempe vtrumque ligneum, ne poſſet eſſe diuturnum. vſque eò ne ipſi quidem Palladi, etſi his epithetis cenſetur, *ἱππεία, ἀρεία, δαμνίππος, δορυκλύτως*, equeſtris, Martia, equorum domitrix, iaculatrix, trophæum ſtatuitur niſi è ligno, ſæpiùs oleagineo, nempe ſuo. Quod huc percommodè transferri poteſt, obſeruatum eſt, Cæſarem *quantum ſanguinis bellis ciuilibus fudiſſet, noluiſſe adnotari.* Neque apud Græcos, inquit Plutarchus, egregia fama ſunt illi qui primi trophæum ſtatuerunt lapideum & æneum. Vbi Diodorus Siculus repetit præcepta veterum ſapientum, Homo, inquit, caue ne nimiùm ſis confidens. Cognoſce te ipſum; conſidera fortunam omnium dominam. Huius rei gratia maiores, parentéſque totius Græciæ in victoriis bello partis id egerunt, ne lapidea, ſed lignea potiùs qualiacunque trophæa erige-

Plutarch. Romulo.
Plutarch. Marcello
Pauſan lib. 1
Cic. lib. 2. de inuent.
Himer. μελ.
Phornut. in Pall.
Solin. cap. 6.
Plutarch. κεφαλ. καταχ ῥωμ.
Diodor Sic. lib. 13. bibl.

Plato lib. 5. de Rep. rentur. Nempe, vt his breui tempore conſumptis, confeſtim auferrentur è medio argumenta diſcordiæ. Quid, quod Plato in ſua ciuitate non vult arma hoſti detracta ſuſpendi in templis, potiſſimùm inter Græcos? Et hæc quidem de trophæis per occaſionem quercus & victoriæ obiter mihi ſint dicta. Certè ex his palam eſt, quàm meritò quercus ipſa per ſe non qualemcunque, ſed ſanè inſignem victoriam ſignet. Hinc eſt, quòd quiſquis victor eſſet, hoc genus coronamenti potiſſimùm ambibat, vt de Macedonibus, qui erant circa Pyrrhum, Plutarchus memorat. *Plutarch. Pyrrho.* Demens ille Caligula cum Alexandri indutu, & armatura inſignem ſe faceret, voluit coronari quercea, ſicuti victor ac domitor gentium. *Xiphil. Calig.* Hoc loco obſeruandus eſt mos priſcus. Nam quoties dabatur corona quercea, rem diuinam ad quercum faciebant. Id colligo è loco Valerij Maximi, quem ſupra citaui his verbis, *Valer. Max. lib. 2. cap. 3.* *Cæterùm ad quercum pronæ manus porriguntur, vbi ob ciues ſeruatos corona danda eſt, qua poſtes Auguſtæ domus ſempiterna gloria triumphant.* Illud quoque moneo ciuicam coronam non ſemper fuiſſe querceam, ſed & quandoque hederaceam, nempe principi oblatam ab iis, quibus, ob dotes ingenij ius eſt geſtandi coronam ex hedera, cuiuſmodi ſunt poëtæ. Talem coronam Martialis offert Domitiano in his verſibus.

Martial. 8.

Non quercus te ſola decet, nec laurea Phœbi
Fiat & ex hedera ciuica noſtra tibi.

ciuica noſtra, id eſt ea, quam tibi nectunt noſtra ſtudia; quam nos poëtæ æternitati tuæ conſecramus, Ante enim dixerat.

Poſſe Deum rebus pariter, Muſiſq; vacare
Scimus, & hæc etiam ſerta placere tibi.

Non ſolùm, inquit, quercu aut lauru bello, ciuibuſque ſeruandis parta æquum eſt diuinum iſtud caput redimiri, verùm etiam hedera; quandoquidem & Muſis vacas. Et has quoque coronas tibi cordi eſſe ſcimus. Videtur in ciuica quandoque oliua quercui fuiſſe mixta. Statius.

Stat. lib. 5. Sylu.

Nam quod me mixta quercus non preſſit oliua,
Et fugit ſperatus honos, cùm dulce parentis
Inuida Tarpeij caneret te noſtra magiſtro
Thebais, vrgebant priſcorum exordia vatum.

quibus in verſibus dicit, Thebaiñ ſuam fuiſſe celebraturam inuida Tarpeij parentis, id eſt Iouis liuorem, per quem factum ſit vt ipſe non ſit ciuicam conſecutus. Præter ciuicam aliæ quoque coronæ fuerunt plexæ è quercu. Certè apud Ouidium Tmolus mons iudex inter Pana, & Apollinem redimitur quercu.

Ouid. lib. 11. Metam.

quercu coma cærula tantùm

Cingitur, & pendent circum caua tempora glandes.

CAP. XV.

Corona è ſpinis & quercu, Qui Cereri hymnos canebant coronabantur quercu. Corona ſpicea. Ceres σταχυστέφανος, Triptolemus. Ceres regina. Δημήτηρ. Spica inſignia Cereris. Spica ſymbolum pacis. Iſis eadem quæ Ceres. Spicea corona argumentum fertilitatis. Triptolemus minor Cerere.

INuenio quoque, Athenis, in ſolennibus nuptiarum moris fuiſſe vt puer patrimus & matrimus geſtaret ſpinas cum fructibus quercus, diceretque caniſtrum ibi poſitum eſſe plenum panibus. Nempe hinc ſignificans mutationem in melius. Nimirum, Spinæ erant indices primi ſqualoris quo terra fuit obducta, dum manſit inculta; Glandes, priſtini cibi, qui nunc beneficio Cereris eſt commutatus frugibus. Ergo corona ſpinea tam fuit infauſta, quàm ſpicea fauſtitatis eſt ſymbolum. Siquidem hæc ſignificabat illud ipſum quod hæc verba, Fugi malum, reperi melius. Quibus verbis demonſtrabant, in locum cibi agreſtis ſucceſſiſſe mitiorem. Huc adde, illos qui Cereri hymnos, ob hoc ipſum beneficium canebant, cùm ariſtas meſſis ſpicare cœperat, fuiſſe coronatos quercu. Et hæc eſt illa corona, cuius mentio eſt apud Athenæum, ἐν παροιμ.

πλούτου μητέρ' ὀλυμπίαν ἀείδω
Δήμητρα στεφανηφόροις ἐν ὥραις. *Athen. lib. 15.*

Pluti matrem cano Cererem hoc tempore coronatus. Quòd autem hæc corona fuerit querna, docet Virgilius, *Virgil. 1. Georg.*

neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quàm Cereri tota redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Hanc quoque coronam fuiſſe ſpiceam, diſcimus ex Ariſtide, vbi ait, Herculem & Dioſcuros primos fuiſſe initiatos ſacris Cereris, & agonem gymnicum primùm fuiſſe apud Atticam Eleuſinem, cuius præmium fuit fructus is qui comparuit. At hic fructus nihil aliud fuit niſi fruges, inuentum Cereris. Ibidem ἆθλον interpretor coronam. Hinc puto ſumendam interpretationem horum verſuum Statij *Ariſtid. ἐλευσιν.*

Hei mihi quod tantum patrias ego vertice frondes, *Stat. lib. 5. Sylu.*
Solaq; Chalcidica Cerealia dona corona

Te ſub teſte tuli.

id eſt, quod te vidente ſacris Cereris ſum initiatus. Huius generis ſunt iliæ coronæ, quas Artemidorus ait, in ſomnis viſas agricolis (*Artemid. lib. 1. cap. 79.*) eſſe bonas, διὰ τὴν Δήμητρα, propter Cererem. Etſi è verbis Artemidori hæc corona videtur eſſe myrtea. Ibi enim ait, myrtum eſſe plantam vtriuſque Deæ Veneris & Cereris. Quæ Artemidori ſententia mihi quidem ſuſpectiſſima eſſet, ſi non confirmaretur ab ſcholiaſte Sophoclis, in illud, θάλλει δ' οὐρανίας. ſiquidem myrtum eſſe propriam frondem Veneris, luce meridiana clarius eſt. Nec dum ſcio quî fiat vt in hanc huius arbuſti ſocietatem Ceres admittatur, præſertim repugnante antiquitate, quæ in hoc conſentit, agricolas quercu euinctos Cereri rem diuinam feciſſe. Ne ipſa quidem Ceres coronamento ſuo myrtum adhibuit, ſed tantùm (*Artemid lib. 2 cap. 44.*) ſpicas. Ea re proprio epitheto dicta eſt σταχυοστέφανος. Cauſa frequentiſſimè eſt apud Poëtas,

(*Ouid. lib. 4. Faſt.*)

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato,
Mutauit glandes vtiliore cibo.
Illa iugo tauros primum præbere coegit,
Tunc primum ſoles eruta vidit humus.

Et alibi,

(*Ouid lib. 5. Metam.*)

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro.
Prima dedit fruges, alimentaq; initia terris.

Hoc ipſum Cereris beneficium collatum in vniuerſam mortalitatem Callimachus eleganter expreſſit.

(*Callimach. hym. in Cer. Virgil. in Cul. Ariſtid. Panath. Solin. cap. 11.*)

Κάλλιον ὡς πολίεσσιν ἑαδότα τέθμια δῶκε,
Κάλλιον ὡς καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτον
Ἀσταχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι
Ἁνίκα Τριπτόλεμος ἀγαθὰν ἐδιδάσκετο τέχναν.

(*Tzetz. in Heſiod. Lucian. in ſomn. Ariſtid. Panath.*)

Pulchrius vt ciuitatibus placidas leges dederit. Pulchrius vt culmum, & ſacros manipulos prima Spicarum abſciderit, & boues calcare immiſerit, Cùm Triptolemus bonam doceret artem. Hunc vltimum verſum etſi non ad verbum, Virgilius vertit,

Illas Triptolemi mutauit ſulcus ariſtis.

(*Ariſtid. Παναθ. Ἀθην. Plato lib. 6. de leg. Xenoph. hiſt. Græc lib 6. Ariſtid. Ἐλευσ.*)

Is fuit Triptolemus Eleuſinus à Cerere ἐς ἅρμα πτερωτὸν in vehiculum alatum, id eſt, alatorum draconum impoſitus. Vnde illa eius per aërem celebrata profectio. Cuius tamen vehiculi inuentum non fuit Cereris: ſed Palladis. Is, inquam eſt ille Triptolemus, quem Plato nominat miniſtrum donorum Cereris & Proſerpinæ, quique adeò ſedet inter iudices Plutonios, Minoa, Rhadamantum Æacum. Etſi in huius quoque laudis conſortium aſſumptos legimus Celeum, nempe huius Triptolemi patrem & Melaniran,

qui acceptas ab Athenienſibus fruges, quibus à Cerere donati eſſent, omnibus & Græcis & barbaris diſtribuerunt. Hinc eſt quod apud Ariſtidem ætatem eam quæ Triptolemi ſæculum præceſſit, ſumptam legimus pro rudi & barbaro ſæculo, quo homines viuebant βίον σκληρόν τινα καὶ ἄγροικον, καὶ ὀρείας διαίτης ὀλίγον ἀποκεχωρηκότα, vitam duram, & agreſtem, & à montano victu haud multum diſtantem. De Cerere, Proſerpina, Triptolemo videndus eſt Tzetzes, & Philo. Et ſi quoque libet noſſe fabulam Celei, adeundus eſt ſcholiaſtes Nicandri. Cæterùm hinc eſt, quod antiquitas exiſtimans Cererem eſſe magiſtram ſationis frumentariæ, eam coronauit ſpicis. Horatius; *Ariſtid. εἰς ῥώμην.* *Schol. Nicā. in Ther. ἀπαλδέξ.* *Phornut in Cer. & Veſ.*

Fertilis frugum, pecoriſq; tellus
Spicea donet Cererem corona. *Horat. in carm. ſæcul.*

Et Ouidius:

Tunc demum vultumq; Ceres, animumq; recepit;
Impoſuitq; ſuæ ſpicea ſerta comæ. *Ouid. lib. 4. Faſt.*

Et alibi,

Feſta piæ Cereris celebrabunt annua matres;
Illa quibus niuea velata corpora veſte *Ouid. lib. 10 Met.*
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.

Hanc ipſam coronam innuit autor horum ad Priapum verſuum,

Contentus modico Bacchus ſolet eſſe racemo, *Incerti.*
Cùm capiant alti vix ſua muſta lacus.
Magnaq; fœcundis cùm meſſibus area deſit;
In Cereris crineis vna corona datur.

Et hæc quidem corona omnium coronarum videtur eſſe antiquiſſima non ſolùm ob id quòd Romulus, vt dixi, ea coronatus eſt, ſed quòd Ceres eadem eſt cum terra, quæ eſt omnium mater. Atque adeò hæc corona ſemper viſa eſt eſſe boni ominis ob ea quæ mihi dicta ſunt. Quibus addo id quod de Eumene Plutarchus memorat. Quippe cùm is per quietem vidiſſet duos Alexandros, paratos inter ſe pugnare, quorum alteri Pallas, alteri Ceres fautrix aderat, is qui Cereris fauore nixus erat, victor extitit, eique Dea plectit coronam è ſpicis. Deinde ipſe Eumenes, audito ſignum hoſtibus eſſe Palladem & Alexandrum, ſignum & ipſe dedit Cererem & Alexandrum; omneſque non ſolùm milites, ſed & ipſa arma coronari iuſſit, quo ſcilicet, coronamento elatus, victoriæ certus in campum deſcendit. Cæterùm quidni Ceres coronetur cùm vocetur omnium regina? Euripides, *Plutarch. Eum.*

Euripid. Phœn. actu 2.

καὶ φίλα Δαμάτηρ θεὰ, ἁπάντων
ἄνασσ', ἁπάντων δὲ γᾶ τροφός.

Et amabilis Ceres Dea, omnium regina, omnium verò terra altrix. Meritò eſt regina, quia

Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Plato in Crat. Atque adeò Græcis Δημήτηρ dicta eſt κατὰ τὴν δόσιν τῆς ἐδωδῆς, διδοῦσα ὡς μήτηρ; ob alimenti donationem cibos largiens vt mater, ſiue, vt loquitur Apuleius, frugum parens originalis, *Apul. lib. 11. Metam.* ſiue παρ' ὅσον εἶναι δοκεῖ μήτηρ φυτῶν τε καὶ ζώων, quatenus eſſe videtur mater omnium plantarum & animantium. *Philo περὶ φυτ.* Certè ſcitè dictum eſt, Terram eſſe horreum Cereris; eandemque eſſe & rationem & venerationem Cererisque eſt terræ. *In alterc. Hadr. & Epict.* Vtraque eſt ζώδωρος, φερέσβιος, βιόδωρος, victum dans, vitam ferens ſiue ſuſtinens, vitam dans. Ergo ſpicæ non tantùm ſunt illæ frumentariæ in aceruo, ſed & illæ flexiles in corona; quæ verè dici poſſunt inſignia huius Deæ. Tibullus,

Tibull. lib. 1. el. 1.

Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Idem alibi Bacchum coronat & Cererem.

Tibull. lib. 2. el. 1.

Bacche veni, dulciſq; tuis è cornibus vua
Pendeat, & ſpicis tempora cinge Ceres.

De hac item corona Propertius,

Propert. lib. 4

Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.

Hæc corona eſt pretioſiſſima, quod ſpica, vt altrix hominum, *Plutarch. Eum.* παρέχει εἶδος πρέπον εἰρήνῃ ὄψιν, præbet paci conuenientem aſpectum. ac meritò ſpica ſumi poteſt pro ſymbolo pacis. Tibullus,

Tibull lib. 1. eleg. vlt.

At nobis pax alma veni, ſpicamq; teneto;
Perfluat & pomis candidus ante ſinus.

Sed adeſt Cereri æmula Iſis illa Ægyptia, quæ hanc quoque ſpiceam coronam ſibi vindicat. Niſi dicere malis, eam quæ nobis eſt Ceres, Ægyptiis eſſe Iſidem. Id quod omnium conſenſu traditur; Iſis eſt, [verba ſunt Stephani] ſecundum Græcorum linguam, Ceres. *Steph. ἐθνικ.* Hæc quoque Tertullianus, *Si*, inquit, *Leonis Ægyptij ſcripta euoluas, prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit, rem magis ventris.* *Tertull. de cor. mil.* Iſidem fuiſſe vxorem Oſiris Ægyptiam Deam tradit Auguſtinus, eamque inueniſſe hordei ſegetem, atque inde ſpicas marito regi & eius conſiliario Mercurio demonſtraſſe, eandemque eſſe Cererem. *Aug. de ciuit. Dei lib. 8. cap. 27.* *Vitem Dionyſius*, inquit Martianus Capella, *apud Thebas, Oſiris apud Ægyptios hauſtum vini, vſumq; comperiens; frumentum Iſis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuère.* *Martian. cap. lib. 2.* Etſi hæc non ſolum Iſis dicta, ſed & Iuno ζευξιδία, quo nomine colitur Argis. *Etymol. ζευξίδια.* Cùm enim Apis ex Argis tranſiſſet in Ægyptum, inde miſit

boues

boues ei regi, qui Argis regnabat, ſementiſque rationem docuit. Hic, iunctis ad aratiqnem bobus, ſacrum Iunoni ſuſpendit, & ſpicas vocauit flores Iunonis. Id quod verum eſt in Ægypto. Sed in Græcia hæc laus inuentæ arationis & ſementis tota eſt Cereris, vt quoque corona ſpicea huius vnius Deæ propria eſt. Enimuero beneficio Cereris agnoſcebant ſe viuere. Eaque re ſpicea corona eſt quoque argumentum omnis fertilitatis & abundantiæ. Nec mirum, ſi ſub Claudio principe, equiti Rom. *cui* *Tacit lib. 11. Annal.* *Petra cognomentum, crimini data eſt nocturnæ quietis ſpecies ei obiecta, tanquam vidiſſet Claudium ſpicea corona euinctum, ſpicis retro conuerſis; eaq́ imagine grauitatem annonæ dixiſſet.* Nempe, talia omina ſæpe capiebantur è coronis, vt ſequentia Taciti *Etymol. ὀμπνι-λός.* verba demonſtrant. Cæterùm Cererem, cùm ſit altrix ὀμπνίαν vocant Cyrenenſes παρὰ τὸ πνέω, reſpirabilem, ſiue reſpirare facientem. Ijdem hac ipſa de cauſa ſegetes & frumenta vocarunt τοὺς Δημητριακοὺς καρποὺς ὄμπνιας, quaſi horum opera reſpiremus, id *Phornut. in Cer. & Veſ.* eſt, viuamus. Itaque verè Phornutus ait, illud eſſe maximè neceſſarium, per quod hominibus tradita ſunt alimenta ſuauiora. Ne ipſe quidem Triptolemus ſe Cereri componere audeat, qui *Etymol. ἀρόω.* mortalis, & Celei filius perhibetur; idémque à Cerere doctus, iuſſuſque docere homines arationem, & ſationem frumenti. Certè ipſe apud Patras araſſe, & ſementem feciſſe dicitur, ibi priùs perſpecto ingenio terræ. Eſt ergo Ceres Dea arationis & ſationis. Quam ob cauſam ei fuerunt inſtituta propria ſacra, & quidem diſtincta ab illis quæ vocabantur Θαλύσια, quæ fie- *Etymol. θα-λύσια.* bant impetrandæ fertilitati, & fructuum abundantiæ. Atque adeò priſci agricolæ non ſolùm ſupplicabant huic Deæ, ſed & his verbis iuſiurandum concipere ſoliti erant, μὰ τὴν Δήμητρα, *Scholiaſt. Ariſtoph. in Plut.* per Cererem, tanquam per illud numen quod ſibi præ cæteris tam iratum metuebant, quàm propitium optabant.

CAPVT XVI.

Corona obſidionalis triplici nomine. Eadem eſt graminea. A quo daretur. Diſcrimen inter ciuicam & obſidionalem. Sublimitas, & nobilitas huius coronæ. Gramen coronamentum Martis. Sumptum pro omni genere herbæ.

EX Coronis militaribus quaſdam militibus ac ducibus promiſcuè dari dixi; Alias ducibus, id eſt, ijs qui exercitui præſunt, ſeponi vt peculiares. De prioribus egi: Nunc ego de obſidionali quæ triplex eſt ſortita nomen. Nam & obſidionalis & obſidialis eodem ſignificatu dicitur, inde quòd à milite dabatur imperatori, ei qui ciues obſidione liberaſſet. Dicebatur & graminea, *Plin. lib. 22. c. 4.* quòd eſſet è gramine. Quam omnem rem Plinius ob oculos ponit his verbis, *Graminea nunquam niſi in deſperatione ſuprema contigit, nulli niſi ab vniuerſo exercitu ſeruato decreta. Cæteras imperatores dedere. Hanc ſolam miles imperatori. Eadem vocatur obſidionalis, liberatis obſidione, abominandoq́; exitio totis caſtris.* Quòd ſi ciuicæ honos vno aliquo, ac vel humillimo ciue ſeruato, præclarus ſacerque habetur, quid tandem exiſtimari debet vnius virtute ſeruatus vniuerſus exercitus? Ergo obſidionalis dabatur ab illo duce, ijſque omnibus in quos tale tantumq́ue beneficium collatum eſſet, vt de Minutio Conſule, eiuſque exercitu memoriæ *Plin. de vir. Illuſt. cap. 17.* traditum. Hic enim *L. Quintium Cincinnatum, à quo ipſe & exercitus obſidione liberati fuerant, hac corona donauit.* Interdum obſidionalis fuit munus exercitus, cui præeſſet, aut certè in quo ordines duceret is qui eam meritus eſſet, eiuſue præſidij quod obſi- *Plin. lib. 22. c. 6.* dione liberatum fuerat, vt conſtat è verbis Plinij, qui etiam tradit, *Manlium Conſulem, tribus cohortibus ſeruatis, totidemq́; ad ſeruandas eas eductis, hac corona donatum fuiſſe. Quod & ſtatua eius in foro* *Feſt. obſidionalis.* *ſuo D. Auguſtus adſcripſit.* Feſtus de hac corona verba faciens, *P. Decio,* inquit, *datæ duæ ſunt, vna ab exercitu vniuerſo: altera ab ijs qui fuerant in præſidio obſeſſi, & L. Sicinio Dentato &c.* Hunc Plinius vocat L. Siccium quem ſupra dixi quatuordecim ciuicas meruiſſe; quique *depugnauit CXX. prælijs ſemper victor.* Sed de *Liu. lib. 7.* Decio hiſtoria tota eſt apud Liuium; *Secundum Conſulis donationem,* inquit, *legiones gramineam coronam obſidialem clamore donum approbantes Decio imponunt.* Vbi aduertendum, quomodo in ciuica neceſſe fuit eum fateri qui ſeruatus eſſet, ita cùm obſi-

dialis dabatur, omnem rem manu quidem imperatoris, eiuſue
qui ab ipſo ſecundum in exercitu locum obtineret, tranſactam,
ſed interuentu clamoris, id eſt, conſenſu militari, & adproba-
tione vniuerſorum. Hoc exemplo *Scipio Æmilianus Tribunus* *Plin de vir il-luſt.cap.58.*
in Africa ſub T. Manilio Imperatore cohortes octo ab obſidione
vallatas conſilio & virtute ſeruauit. A quibus corona obſidionali
donatus. Maximè inſignis fuit illa, quam S. P. Q. R. Fabio *Gell lib.5 c.6.*
Maximo dedit bello Pœnorum ſecundo, quod is cunctando
rem Romanam prope collapſam reſtituiſſet, atque adeò vrbem
Romam obſidione hoſtium liberaſſet. *Nec data*, inquit Plinius, *Plin.lib.22.c.5*
cùm magiſtrum equitum & exercitum eius ſeruaſſet. Tunc ſatius
fuit nomine nouo coronari appellatum patrem ab his quos ſeruauerat;
ſed, quod dictum eſt, conſenſu honoratus eſt, Annibale ex Italia
pulſo. Quæ corona adhuc ſola ipſius imperij manibus impoſita eſt.
Et quod peculiare ei eſt, ſola ab Italia data. Idem Plinius autor *Plin lib.22.c.6.*
eſt, Auguſtum cum M. Cicerone filio Conſulem Idibus Septem-
bribus à Senatu donatum obſidionali. *Adeò*, inquit, *ciuica non*
ſatis videbatur. Ac tanto rarius eſt, ſeruatorem vnum à ſeruatis
donari. Itaque inter obſidionalem & ciuicam hoc intereſt, quod *Feſt. obſidiona-lis.*
altera ſingularis ſalutis ſignum eſt: altera diuerſorum ciuium
ſeruatorum. Huius coronæ vſus ſub principibus quàm diutiſſimè
retentus; teſte Ammiano Marcellino, cuius hæc ſunt verba, *Ammian Mar-cellin. lib.24.*
Ita nunc enituerunt hi qui fecere fortiſſimè obſidionalibus coronis
donati, & pro concione laudati veterum more. Certè in hac coro-
na tantum fuit claritatis, vt ea claritate nihil in rebus humanis
ſublimius fuerit. Et quidem P. Decius religione confeſſus eſt
quanta eſſet huius coronæ autoritas. ſiquidem ea donatus *bouem*
album Marti immolauit, & centum fuluos, qui ei virtutis cauſa dati
fuerant ſimul ab obſeſſis. Enimuero Plinius firmat, coronam nul- *Plin.lib.22.c.3.*
lam fuiſſe graminea nobiliorem *in maieſtate populi terrarum prin-*
cipis, premijſq; gloria. Gemmata, inquit, *& aurea, vallares, mura-*
les, roſtrata, ciuica, triumphales poſt hanc fuere; ſuntq; cunctæ ma- *Feſt.Gradiuus.*
gno internallo, magnaq; differentia. Feſtus quoque tradit, hanc
coronam eſſe *magnæ honerationis*. Quam vocem equidem reijcio,
& ſubſtituo, *venerationis*, quòd Mars gramine ornatus, [id eſt,
coronatus] eſſet. Fuit ergo gramen, ſi Feſto credimus, corona-
mentum Martis ſicuti victoris. Hæc item corona, vt Plinius, Gel- *Gell lib 9.c.6.*
lius, Feſtus aiunt, graminea eſt. Obſeruari, inquam, ſolitum vt *Feſt.obſidional.*
fieret è gramine, *quod in eo loco generatum eſſet, intra quem*
clauſi erant, qui obſidebantur. Dabatur hæc, inquit Plinius, *Plin.lib.22.c.4.*
viridi è gramine, decerpto inde vbi obſeſſos ſeruaſſet aliquis. Namq;

ſummum apud antiquos ſignum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc eſt, terra & altrice ipſa humo, & humatione etiam cedere. Quem Plin. lib. 22. c. 6. *morem etiam nunc durare apud Germanos ſcio.* Idem alibi, *Nullæ ergo herbæ fuere certæ in hac honore, ſed quæcunque fuerant in periculi ſede, quamuis ignobiles ignotæq́; , honorem nobilem faciebant.* Ergo quod ad hanc coronam pertinet, veriſimile eſt, gramen ſumi pro omni genere herbæ. Itaque non ſatis mirari poſſum quid ita Plinius hanc ipſam obſidialem coronam alibi frondeam vocet. Nam vbi dixit, Romulum frondea coronaſſe Hoſtum Hoſtilium, quòd Fidenam primus irrupiſſet, addit, *P. Decium patrem Tribunum militum frondea donauit exercitus ab eo ſeruatus Imperatore Cornelio Coſſo COS.* Frondes tantùm ſunt in arboribus & arbuſtis. At ibi Plinium loqui de hac obſidionali corona, palam eſt. Neque enim ſi alia eſſet, exercitus ab ipſo ſeruati mentionem faceret. Non ergo fuit frondea, ſed graminea. Et hoc fortaſſe vt non magnopere aduertendum, aut ſicuti rem notiſſimam, Plinius ſcripſit haud ſanè ἀκριβῶς.

CAPVT XVII.

Corona oualis. Ouatio vnde dicta. Ouare quid. Oualis eſt myrtea. Plutarchi & Gellij ſententia de ouali confutatur. Dionyſij Halicarnaſſei error, aut eius locus emendandus.

INTER eas coronas quæ ducibus tantùm, non etiam militibus ſeponuntur, altero loco collocaui oualem. Qua corona ij erant donati qui ouantes vrbem introibant, id eſt, qui victores fuiſſent Plin. li. 15. c. 29. eorum hoſtium quibus bellum non eſſet indictum, quorumque victoria facilis fuiſſet & incruenta. *Triumphans de Sabinis Poſthumius Tubertus*, inquit Plinius, *in Conſulatu (qui primus omnium ouans ingreſſus vrbem eſt) quoniam rem leniter, ſine cruore geſſerat, myrto Veneris victricis coronatus inceſſit, optabilemq́; arborem etiam hoſtibus fecit.* Plutarch. Marcello. Cæterùm ouationem Plutarchus ait quibuſdam placere dici à Baccho, quem & Euium ac Triumphum nominãt. Id quod ipſe improbat. Non, inquit, ſic ſe res habet. Sed in magno triumpho ſolent duces more patrio bouem immolare. At in hoc, nempe in ouatione, ſacrificabant id animal cui apud Romanos nomen eſt ouis. Hinc minorem hunc triumphum ouationem vocarunt. Et hæc quidem de hac appellatione tradit Plutarchus. Gell. lib. 5. c. 6. De ipſa re hæc Gellius, *Ouandi, ac non triumphandi cauſa,*

eſt, cùm aut bella non ritè indicta, neque cum iuſto hoſte geſta ſunt, aut hoſtium nomen humile, & non idoneum eſt, vt ſeruorum, pyratarumq́. Aut deditione repente facta, in puluere, (vt dici ſolet) incruentaq́ victoria obuenit. Porrò hæc corona fuit myrtea. *Huic enim facilitati,* inquit Gellius, *aptam eſſe Veneris frondem crediderunt, quòd non Martius, ſed quaſi Venereus quidam triumphus foret.* In hac ipſa ſententia eſt Plutarchus, abs quo Gellius hæc ſua, vt eſt veriſimile, mutuatus eſt. Ouatio, inquit Plutarchus, eſt minor triumphus. Nec enim triumphans conſcendit currum, nec habet coronam lauri. Nec tuba celebratur triumphus, ſed it pedes in calceis aut ſoleis. Præterea geſtat coronam myrti ſicuti imbellis, & viſu gratus potiùs quàm admirabilis. Id quod apud me quidem maximo argumento eſt, modo actionis, id eſt, rei geſtæ, non magnitudine priſcos triumphum definire aut metiri ſolitos. Nam *qui pugnando, & multa hoſtium cæde hoſtes vicerant, hi Martium illum ac tremendum triumphum agebant, multa lauru coronantes arma, & milites, ſicuti fieri ſolitum cum luſtratur exercitus. At iis ducibus, quibus non tam opus fuit bello, quàm familiaritate, & perſuaſione quadam verborum res peragenda, his lex iubebat præmium eſſe laudationes, & hanc veluti in morem concionis adornatam pompam.* Quæ Gellij, atque adeò ipſius Plutarchi ſententia quàm non ſit digna vt referatur inter probas, in ſequentibus planum faciam. Certè Tiberius ipſe nihil Venereum in ouatione cogitauit, cùm ob res geſtas *& ouans, & curru vrbem ingreſſus eſt, licet triumphalibus ornamentis, primus, vt quidam putant, honoratus, nouo, nec antea cuiquam tributo genere honoris.* Et quidem Dionyſius Halicarnaſſæus hoc triumphi genus à Senatu inuentum, autore Licinio, prodidit, aitque nullo diſcrimine agi hunc triumphum ab altero, niſi quòd in ouatione dux non curru, ſed pedibus in vrbem præcedit pompam militum; nec induitur trabea picta, auroque intertexta, ſed toga prætexta, quod eſt conſuetum Conſulibus & Imperatoribus geſtamen: nec ſceptrum geſtat vt triumphantes, ſed tantùm coronam lauream, στέφανον ἐπίκειται δάφνης. Qua in re manifeſtè diſſentit à Plutarcho, & ab alijs. Itaque in Dionyſio pro δάφνης, repono μυῤῥίνης.

Plutarch. Marcello.

Sueton. Tiber.

Halicarn. li. 5.

CAP. XVIII.

Myrtus eſt Veneris. Et cur. Ipſa redimitur myrto. Naucratitis corona quæ. Myrtus pulchra & odorata. Eſt cupidini dilecta. Poëtæ coronati myrto. Myrtus eſt amantium.

MYRTVM eſſe frondem Veneris, ex omni prope antiquitate
Stat. li. 4. Theb. diſcimus. Ideoque peculiari epitheto dicta eſt Paphia, &
cenſetur inter lætas frondes. Virgilius de Ænea,
Virgil. 5. Æn. *Sic fatus velat materna tempora myrto.*
Et Lucianus de myrto; Abundè, inquit, illa frugibus denſa myr-
Lucian. Amor. tus apud dominam ſuam [Venerem] copioſa naſcens, &c. At cur
hæc planta ſit Veneris, docet Ouidius alloquens matronas,

Ouid. li. 4. Faſt.

Vos quoque ſub viridi myrto iubet illa [Venus] *lauari,*
Cauſaq́ue cur iubeat, diſcite, certa ſubeſt.
Littore ſiccabat rorantes rore capillos.
Viderunt ſatyri, turba proterua Deam.
Senſit & appoſita texit ſua tempora myrto.
Tuta fuit facto; voſq́ue referre iubet.

Plinius haud ſanè fabuloſam, ſed naturalem huius rei cauſam
affert. Nimirum, *inguen ne intumeſcat ex hulcere, ſatis ait eſſe ſur-*
Plin. lib. 23. c. 9. *culum tantùm myrti habere ſecum non ferro, nec terra contactum.*
Siue ob Ouidianam illam, ſiue ob hanc Plinianam, ſiue, quod ve-
riſimilius eſt, ob vtramque, certè Virgilius diſertis verbis hanc
Virgil. ecl. 7. frondem tribuit Veneri,

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri: ſua laurea Phœbo.

Plutarch. Marcello. Tibia, inquit Plutarchus, pacis eſt pars, & Myrtus Veneris planta.
In conuiuio Deorum ſinguli Dij cuius rei facultatem habent, hanc
Lucian. Icaromenip. quiſque exhibet, Ceres panem, Liber vinum, Hercules carnes,
Venus myrtum. Nam in conuiuio tradebatur myrti ramus, vt ali-
bi dico. Ipſam Venerem Ouidius facit redimitam myrto.

Ouid. lib. 3. Amor.

Dixerat, ac myrti (myrto nam vincta capillos
Conſtiterat) folium, granaq́ue pauca dedit.

Vſque eò myrtus eſt Veneris vt priſci *μύρτον πεποικιλμένον* myrtum
Schol. Ariſtoph. ἱππ. variatam ſumpſerint pro pudendo muliebri. Muſam procacem
myrtis Statius vocat eam quæ ſit inuitatrix ad Venerea.

Stat. lib. 1. Sylu.

——— *diſce de laborq́ue*
Curaq́ue dum nitidis canimus gemmantia ſaxis
Balnea, dumq́ue procax myrtis, ederiſq́ue ſoluta
Fronte verecundo Cleio mea ludit Etruſco.

Athenæus explicans quænam ſit corona Naucratitis, ait eam fuiſſe myrteam; eiuſque originem referri ad Venerem, quæ nauim, in qua periclitabantur Naucratitæ viridi myrto compleuit, ſalutemque eis dedit. Tum ſingulis coronam myrteam, quam ea re naucratiten appellarunt. Ergo naucratitis corona, inquit Athenæus, eſt eadem cum myrtea, additis roſis, ab Anacreonte geſtata, quod myrtus vapores prohibet, & roſę refrigerant. Et verò myrtus rectè ſociatur roſis, cùm vtraque planta ſit Veneris. Traditque Conſtantinus Cęſar, roſam, ſi plantetur ante iuxtaque myrtum dici feliciter prouenire. Ipſe Anacreon huius coronæ meminit in his verſibus,

Athen. lib. 15.

Conſtātin Caſ. lib. 11. cap 8.

Στεφάνους δ' ἀνὴρ τρεῖς ἕκαστος εἶχεν,
Τοὺς μὲ ῥοδίνους, τὸν δὲ ναυκρατίτην.

Anacr.

Coronas autem vir tres vnuſquiſque habuit, Alias quidem roſeas, vnam autem naucratiten. Etſi non defuerunt qui coronam naucratiten dixerunt plecti ex amaraco, qui flos abundat in Ægypto; ſequuti, videlicet, opinionem illorum, qui referente Ariſtide, aiunt Naucraten eſſe vrbem Ægypti, quæ eadem eſt vrbs Mercurij. Artemidorus ait, coronam myrteam viſam in ſomnis eſſe fauſtam mulieribus διὰ τὴν Ἀφροδίτην propter Venerem. Porrò Veneri myrtus tantopere grata eſt, διὰ τὴν φιλοφροσύνην, propter comitatem & affabilitatem. Addunt Plinius & Plutarchus, quam nunc Murciam Venerem vocant, priſcis fuiſſe Myrteam. Inuenio hanc myrtum Veneri ſacram propriè dici φιλύβιαν διά τε τ' ὄνομα; ὅτι τὸ φιλεῖν παρακεκρυμμένως ἐξενήνοχε), quòd hoc pacto amor aptè effertur. Et hac ipſa plerunque vtuntur πρὸς τὰς στεφάνων πλοκὰς ad plectendas coronas. Nempe hæc propriè eſt myrtus στεφανῶτις coronaria, id eſt, coronarij generis, τῶν ἄλλων ὄντων μεγάλων μυῤῥίνων, cùm aliæ ſint magnæ, id eſt, proceræ myrti, inquit Theophraſtus. Eſt verò hæc myrtus inter cæteras frondes eximia pulchritudine. Et hoc, ſcilicet, illud eſt quod eam Catullus ait floridis enitere ramulis,

Ariſtid. κοινὰ ἀπολογ.

Artemid. lib. 1. cap. 79.

Plutarch. κεφάλ. ῥωμαϊκ.

Phornut. in Ven.

Theophraſt. lib. 5. de plant.

Namq́; Iulia Mallio
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Iudicem, bona cum bona
Nubit alite virgo.
Floridis velut enitens
Myrtus Aſia ramulis,
Quos Hamadryades Deæ
Ludicrum ſibi roſcido
Nutriunt in honore.

Catull. in epithal. Iul. & Mall.

Certè inter illa quæ Achilli conficiebant inſignem pulchritudi-

reconditi, ſapientiſque conſilij inueniſſe puto quod capi poteſt vice oraculi. Vt enim quercus, quod ex ipſis reſponſa eduntur, vocantur προσήγοροι, vocales, ſiue loquaces, id quod Æſchylus ait eſſe miraculum incredibile, ita ſiquid ſimulachri è quercu exculpitur, potiſſimùm Dodonæa, id quoque vocale eſt, hoc eſt, vaticinans & fatidicum, cuiuſmodi eſt tota arbor. Nam & ipſi rami Dodonæ quercus ſacram edebãt vocem. Tale fuit illud lignum vocale quod fuit in Argo naui, de quo Apollonius Rhodius. Hoc ergo dicit M. Tullius, ſiquid huic adoleſcenti ſuaſero, id non tanquam ex ore mortali profectum, ſed ſicuti ab ipſo Ioue prolatũ accipi æquum eſt. Neque enim ipſe loquar, ſed ipſum ſimulachrum querneum, ac proinde Iouis Opt. Max. mentem aperiens. Non ergo mirum ſi quercus dicitur ſacra, atque adeò vſque eò inuiolabilis eſt, vt neque Eurylocho, neque patri Paræbij eam excidiſſe impune fuerit. De Pherecydis alata quercu, ac de vario eius velamine vſque adhuc nihil habeo quod dicam.

Æſchyl. Prometh.
Lucian. Amor.
Apollon. Rhod. lib. 1.
Apollon. Rhod. lib. 2. & ibi ſcholiaſt.

CAP. XIIII.

Spolia hoſtibus detracta ſuſpenduntur ad quercum. Palladi quale trophæum ſtatuatur. Marmorea & ænea trophæa vetita. Quercus ſignat inſignem victoriam, eaq́ victores coronantur. Ritus in danda quercea corona obſeruari ſolitus. Ciuica corona fuit quoque hederacea. In ciuica olea quercui mixta. Alia corona præter ciuicam è quercu plexa.

ET hæ quidem tot, taleſque dotes huius arboris etſi maximæ ſunt, tamen cumulantur illa quæ eſt omnium maxima. Nam vſque eò verum eſt quercea frõde ſignari victoriam, triumphum, felicitatem, vt ſpolia hoſtibus detracta non ſuſpendantur ad aliam arborem. Quæ prærogatiua, vt veriſimile eſt, nõ eſt aliunde quàm ex eius robore impenetrabili. Virgilius,

Virgil. lib. 10 Æn.

Hæc arma exuuiaſq́, viri tum quercus habebit.

Idem alibi,

Virgil lib. 11. Æneid.

Ingentem quercum, deciſis vndique ramis,
Conſtituit tumulo, fulgentiaq́ induit arma
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens.

Similiter Claudianus,

Claudian. in Ruf. lib. 1.

accingere mecum,
Et Thracas defende tuos; ſi lætior adſit

Gloria, veſtita ſpoliis donabere quercu.

Idem paulò poſt de hac ipſa arbore,

meus ecce paratur
Ad bellum Stilicho, qui me de more trophæis
Ditat, & hoſtileis ſuſpendit in arbore criſtas.

Romulus, victo Acrone, quercum decîdit ingentem, eique dedit *Plutarch.* formam trophæi, ad quod ſuſpendit ſingula arma Acronis. Simili- *Romulo.* ter Marcellus opima ſpolia Britomarto regi Celtico detracta ſuſ- *Plutarch. Marcello* pendit ad quercum. Enimuero Pauſanias prudenter adnotauit, *Pauſan lib. 1* Perſas, quòd contemnerent opes Athenienſium, non quercum, aliamue arborem, ſed Parium marmor, victoriæ certos, trophæi erigendi cauſa deportandum curaſſe, manſurum, videlicet, in omne tempus trophæum. Id quod, vt inſolens ac ſuperbum, ac præter morem cæteræ mortalitatis vſurpatum Nemeſis, quæ Dea ſuperbis eſt implacabilis, ingenti vltione perſecuta eſt. Certè huius Deæ Phidias ex illo ipſo marmore ſignum fecit, cuius capiti corona fuit impoſita, in qua ſunt cerui & ſigilla victoriæ. Apud Amphyctionas, id eſt, apud commune Græciæ conſilium Lacedæmonij Thebanos accuſarunt, quòd victoriæ monumen- *Cic. lib. 2. de* tum aduerſus ſe partæ æneum ſtatuiſſent trophæum. Ac Thebani *inuent.* quidem tantùm celebrandæ victoriæ id ſe ſtatuiſſe dicebant. Contra Lacedæmonij, id ipſos ea re feciſſe arguebant, vt belli memoria æternùm maneret. Illi addebant, ſe ex bello gloriam virtute peperiſſe, vt eius duraturum inſigne poſteris ſuis relinquerent. Attamen Amphyctiones cenſuerunt perpetuum inimicitiarum monimentum Graios de Graiis ſtatuere non oportuiſſe. Duo Palladis trophæa, vnum aduerſus Neptunum, & hoc ex olea, *Himer.* alterum contra barbaros, & hoc è platano deſcribit Himerius: *μελ.* nempe vtrumque ligneum, ne poſſet eſſe diuturnum. vſque eò ne ipſi quidem Palladi, etſi his epithetis cenſetur, *ἱππεία, ἀρεία,* *Phornut. in* *δαμάσιππος, ἀκοντιστὴς,* equeſtris, Martia, equorum domitrix, iacula- *Pall.* trix, trophæum ſtatuitur niſi è ligno, ſæpiùs oleagineo, nempe ſuo. Quod huc percommodè transferri poteſt, obſeruatum eſt, Cæſarem *quantum ſanguinis bellis ciuilibus fudiſſet, noluiſſe adnotari.* *Solin. cap 6.* Neque apud Græcos, inquit Plutarchus, egregia fama ſunt illi *Plutarch.* quì primi trophæum ſtatuerunt lapideum & æneum. Vbi Dio- *κεφαλ. κα-* dorus Siculus repetit præcepta veterum ſapientum, Homo, in- *ταχ. ῥωμ.* quit, caue ne nimiùm ſis confidens. Cognoſce te ipſum; conſi- *Diodor Sic. lib. 13. bibl.* dera fortunam omnium dominam. Huius rei gratia maiores, parentéſque totius Græciæ in victoriis bello partis id egerunt, ne lapidea, ſed lignea potiùs qualiacunque trophæa erige-

Plato lib. 5. de Rep. rentur. Nempe, vt his breui tempore conſumptis, confeſtim auferrentur è medio argumenta diſcordiæ. Quid, quod Plato in ſua ciuitate non vult arma hoſti detracta ſuſpendi in templis, potiſſimùm inter Græcos? Et hæc quidem de trophæis per occaſionem quercus & victoriæ obiter mihi ſint dicta. Certè ex his palam eſt, quàm meritò quercus ipſa per ſe non qualemcunque, ſed ſanè inſignem victoriam ſignet. Hinc eſt, quòd quiſquis victor eſſet, hoc genus coronamenti potiſſimùm ambibat, vt de Macedonibus, qui erant circa Pyrrhum, Plutarchus memorat. Demens ille Caligula cum Alexandri indutu, & armatura inſignem ſe faceret, voluit coronari quercea, ſicuti victor ac domitor gentium. Hoc loco obſeruandus eſt mos priſcus. Nam quoties dabatur corona quercea, rem diuinam ad quercum faciebant. Id colligo è loco Valerij Maximi, quem ſupra citaui his verbis, *Cæterum ad quercum prona manus porriguntur, vbi ob ciues ſeruatos corona danda eſt, qua poſtes Auguſtæ domus ſempiterna gloria triumphant*, Illud quoque moneo ciuicam coronam non ſemper fuiſſe querceam, ſed & quandoque hederaceam, nempe principi oblatam ab iis, quibus, ob dotes ingenij ius eſt geſtandi coronam ex hedera, cuiuſmodi ſunt poëtæ. Talem coronam Martialis offert Domitiano in his verſibus.

Plutarch. Pyrrho. Xiphil. Calig.

Valer. Max. lib. 2 cap. 3.

Martial. 8.

Non quercus te ſola decet, nec laurea Phœbi
Fiat & ex hedera ciuica noſtra tibi.

ciuica noſtra, id eſt ea, quam tibi nectunt noſtra ſtudia; quam nos poëtæ æternitati tuæ conſecramus, Ante enim dixerat.

Poſſe Deum rebus pariter, Muſiſq; vacare
Scimus, & hæc etiam ſerta placere tibi.

Non ſolùm, inquit, quercu aut lauru bello, ciuibuſque ſeruandis parta æquum eſt diuinum iſtud caput redimiri, verùm etiam hedera; quandoquidem & Muſis vacas. Et has quoque coronas tibi cordi eſſe ſcimus. Videtur in ciuica quandoque oliua quercui fuiſſe mixta. Statius.

Stat. lib. 5. Sylu.

Nam quod me mixta quercus non preſſit oliua,
Et fugit ſperatus honos, cùm dulce parentis
Inuida Tarpeij caneret te noſtra magiſtro
Thebais, vrgebant priſcorum exordia vatum.

quibus in verſibus dicit, Thebaïn ſuam fuiſſe celebraturam inuida Tarpeij parentis, id eſt Iouis liuorem, per quem factum ſit vt ipſe non ſit ciuicam conſecutus. Præter ciuicam aliæ quoque coronæ fuerunt plexæ è quercu. Certè apud Ouidium Tmolus mons iudex inter Pana, & Apollinem redimitur quercu.

Ouid. lib. 11. Metam.

quercu coma cærula tantùm

Cingitur, & pendent circùm caua tempora glandes.

CAP. XV.

Corona è ſpinis & quercu, Qui Cereri hymnos canebant coronabantur quercu. Corona ſpicea. Ceres σταχυοστέφανος, Triptolemus. Ceres regina. Δημήτηρ. Spicæ inſignia Cereris. Spica ſymbolum pacis. Iſis eadem quæ Ceres. Spicea corona argumentum fertilitatis. Triptolemus minor Cerere.

INuenio quoque, Athenis, in ſolennibus nuptiarum moris fuiſſe vt puer patrimus & matrimus geſtaret ſpinas cum fructibus quercus, diceretque caniſtrum ibi poſitum eſſe plenum panibus. Nempe hinc ſignificans mutationem in melius. Nimirum, Spinæ erant indices primi ſqualoris quo terra fuit obducta, dum manſit inculta; Glandes, priſtini cibi, qui nunc beneficio Cereris eſt commutatus frugibus. Ergo corona ſpinea tam fuit infauſta, quàm ſpicea fauſtitatis eſt ſymbolum. Siquidem hæc ſignificabat illud ipſum quod hæc verba, Fugi malum, reperi melius. Quibus verbis demonſtrabant, in locum cibi agreſtis ſucceſſiſſe mitiorem. Huc adde, illos qui Cereri hymnos, ob hoc ipſum beneficium canebant, cùm ariſtas meſſis ſpicare cœperat, fuiſſe coronatos quercu. Et hæc eſt illa corona, cuius mentio eſt apud Athenæum, ἐν παροιμ.

πλούτου μητέρ' ὀλυμπίαν ἀείδω — Athen. lib. 15.
Δήμητρα στεφανηφόροις ἐν ὥραις.

Pluti matrem cano Cererem hòc tempore coronatus. Quòd autem hæc corona fuerit querna, docet Virgilius,

neque ante — Virgil. 1. Georg.
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quàm Cereri tota redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Hanc quoque coronam fuiſſe ſpiceam, diſcimus ex Ariſtide, vbi ait Herculem & Dioſcuros primos fuiſſe initiatos ſacris Cereris, & agonem gymnicum primùm fuiſſe apud Atticam Eleuſinem, cuius præmium fuit fructus is qui comparuit. At hic fructus nihil aliud fuit niſi, fruges, inuentum Cereris. Ibidem ἆθλον interpretor coronam. Hinc puto ſumendam interpretationem horum verſuum Statij — Ariſtid. ἐλευσιν.

Hei mihi quod tantum patrias ego vertice frondes, — Stat. lib. 5. Sylu.
Solaq́; Chalcidica Cerealia dona coronæ

Te ſub teſte tuli.

id eſt, quod te vidente ſacris Cereris ſum initiatus. Huius generis ſunt illæ coronæ, quas Artemidorus ait, in ſomnis viſas agricolis eſſe bonas, διὰ τὴν Δήμητραν, propter Cererem. Etſi è verbis Artemidori hæc corona videtur eſſe myrtea. Ibi enim ait, myrtum eſſe plantam vtriuſque Deæ Veneris & Cereris. Quæ Artemidori ſententia mihi quidem ſuſpectiſſima eſſet, ſi non confirmaretur ab ſcholiaſte Sophoclis, in illud, θάλλει δ' ἱερᾶς. ſiquidem myrtum eſſe propriam frondem Veneris, luce meridiana clarius eſt. Nec dum ſcio quî fiat vt in hanc huius arbuſti ſocietatem Ceres admittatur, præſertim repugnante antiquitate, quæ in hoc conſentit, agricolas quercu euinctos Cereri rem diuinam feciſſe. Ne ipſa quidem Ceres coronamento ſuo myrtum adhibuit, ſed tantùm ſpicas. Ea re proprio epitheto dicta eſt σταχυοστέφανος. Cauſa frequentiſſimè eſt apud Poëtas,

Artemid. lib. 1. cap. 79. — *Artemid. lib. 2. cap. 44.* — *Ouid. lib. 4. Faſt.*

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato,
Mutauit glandes vtiliore cibo.
Illa iugo tauros primum præbere coegit,
Tunc primum ſoles eruta vidit humus.

Et alibi,

Ouid lib. 5. Metam.

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro.
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris.

Hoc ipſum Cereris beneficium collatum in vniuerſam mortalitatem Callimachus eleganter expreſſit.

Callimach. hym. in Cer. — *Virgil. in Cul.* — *Ariſtid. Panath.* — *Solin. cap. 11.*

Κάλλιον ὡς πολίεσσι ἑαδότα τέθμια δῶκε,
Κάλλιον ὡς καλάμαν τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτα
Ἀσταχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι
Ἁνίκα Τριπτόλεμος ἀγαθὰν ἐδιδάσκετο τέχναν.

Pulchrius vt ciuitatibus placidas leges dederit. Pulchrius vt culmum, & ſacros manipulos prima Spicarum abſciderit, & boues calcare immiſerit, Cùm Triptolemus bonam doceret artem. Hunc vltimum verſum etſi non ad verbum, Virgilius vertit,

Tzetz. in Heſiod. — *Lucian. in ſomn.* — *Ariſtid. Panath.*

Illas Triptolemi mutauit ſulcus ariſtis.

Is fuit Triptolemus Eleuſinus à Cerere εἰς ἅρμα πτερωτὸν in vehiculum alatum, id eſt, alatorum draconum impoſitus. Vnde illa eius per aërem celebrata profectio. Cuius tamen vehiculi inuentum non fuit Cereris: ſed Palladis. Is, inquam eſt ille Triptolemus, quem Plato nominat miniſtrum donorum Cereris & Proſerpinæ, quique adeò ſedet inter iudices Plutonios, Minoa, Rhadamantum Æacum. Etſi in huius quoque laudis conſortium aſſumptos legimus Celeum, nempe huius Triptolemi patrem & Melaniran,

Ariſtid. μαντευμ. — *Ἀθην.* — *Plato lib. 6. de leg.* — *Xenoph. hiſt. Græc lib. 6.* — *Ariſtid. Ἐλευσ.*

qui acceptas ab Athenienſibus fruges, quibus à Cerere donati eſſent, omnibus & Græcis & barbaris diſtribuerunt. Hinc eſt quod apud Ariſtidem ætatem eam quæ Triptolemi ſæculum præceſſit, ſumptam legimus pro rudi & barbaro ſæculo, quo homines viuebant βίον σκληρόν τινα καὶ ἄγροικον, καὶ ὀρείου διαίτης ὀλίγον ἀποκεχωρηκότα, vitam duram, & agreſtem, & à montano victu haud multum diſtantem. De Cerere, Proſerpina, Triptolemo videndus eſt Tzetzes, & Philo. Et ſi quoque libet noſſe fabulam Celei, adeundus eſt ſcholiaſtes Nicandri. Cæterùm hinc eſt, quod antiquitas exiſtimans Cererem eſſe magiſtram ſationis frumentariæ, eam coronauit ſpicis. Horatius;

Ariſtid. εἰς ῥώμην. *Schol. Nican. in Ther. ἀλεξιφ.* *Phornut in Cer. & Veſ.*

Fertilis frugum, pecoriſq́ue tellus
Spicea donet Cererem corona. — *Horat in carm. ſecul.*

Et Ouidius:

Tunc demum vultumq́ue Ceres, animumq́ue recepit, — *Ouid. lib. 4. Faſt.*
Impoſuitq́ue ſuæ ſpicea ſerta comæ.

Et alibi,

Feſta piæ Cereris celebrabunt annua matres;
Illa quibus niuea velata corpora veſte — *Ouid. lib. 10 Met.*
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.

Hanc ipſam coronam innuit autor horum ad Priapum verſuum,

Contentus modico Bacchus ſolet eſſe racemo; — *Incerti.*
Cùm capiant alti vix ſua muſta lacus.
Magnaq́ue fœcundis cùm meſſibus area deſit;
In Cereris crineis vna corona datur.

Et hæc quidem corona omnium coronarum videtur eſſe antiquiſſima non ſolùm ob id quòd Romulus, vt dixi, ea coronatus eſt, ſed quòd Ceres eadem eſt cum terra, quæ eſt omnium mater. Atque adeò hæc corona ſemper viſa eſt eſſe boni ominis ob ea quæ mihi dicta ſunt. Quibus addo id quod de Eumene Plutarchus memorat. Quippe cùm is per quietem vidiſſet duos Alexandros, paratos inter ſe pugnare, quorum alteri Pallas, alteri Ceres fautrix aderat, is qui Cereris fauore nixus erat, victor extitit, eique Dea plectit coronam è ſpicis. Deinde ipſe Eumenes, audito ſignum hoſtibus eſſe Palladem & Alexandrum, ſignum & ipſe dedit Cererem & Alexandrum; omneſque non ſolùm milites, ſed & ipſa arma coronari iuſſit, quo ſcilicet, coronamento elatus, victoriæ certus in campum deſcendit. Cæterùm quidni Ceres coronetur cùm vocetur omnium regina? Euripides,

Plutarch. Eum.

Euripid. Phœniſ. actu 2.

καὶ φίλα Δαμάτηρ θεὰ, πάντων
ἄνασσ', πάντων δ' γᾶ τροφός.

Et amabilis Ceres Dea, omnium regina, omnium verò terra altrix. Meritò eſt regina, quia

Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Plato in Crat. — Atque adeò Græcis Δημήτηρ dicta eſt κατὰ τὴν δόσιν τῆς ἐδωδῆς, διδοῦσα ὡς μήτηρ, ob alimenti donationem cibos largiens vt mater, ſiue, vt loquitur Apuleius, frugum parens originalis, ſiue παρ᾽ ὅσον εἶναι δοκεῖ μήτηρ πάντων φυτῶν καὶ ζώων, quatenus eſſe videtur mater omnium plantarum & animantium. Certè ſcitè dictum eſt, Terram eſſe horreum Cereris; eandemque eſſe & rationem & venerationem Cererisque eſt terræ. Vtraque eſt ζείδωρος, φερέσβιος, βιόδωρος, victum dans, vitam ferens ſiue ſuſtinens, vitam dans. Ergo ſpicæ non tantùm ſunt illæ frumentariæ in aceruo, ſed & illæ flexiles in corona, quæ verè dici poſſunt inſignia huius Deæ. Tibullus,

Apul. lib. 11. Metam.
Philo περὶ κόσμ. Stoic. in altercat.
Heduor. Gr. Epict.

Tibull. lib. 1. el. 1.

Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Idem alibi Bacchum coronat & Cererem.

Tibull. lib. 2. el. 1.

Bacche veni, dulcisq́; tuis è cornibus vua
Pendeat, & ſpicis tempora cinge Ceres.

De hac item corona Propertius,

Propert. lib. 4

Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.

Hæc corona eſt pretioſiſſima, quòd ſpica, vt altrix hominum, παρέχει εἰρήνῃ πρέπουσαν ὄψιν, præbet paci conuenientem aſpectum. ac meritò ſpica ſumi poteſt pro ſymbolo pacis. Tibullus,

Plutarch. Eum.

Tibull. lib. 1. eleg. vlt.

At nobis pax alma veni, ſpicamq́; teneto;
Perfluat & pomis candidus ante ſinus.

Sed adeſt Cereri æmula Iſis illa Ægyptia, quæ hanc quoque ſpiceam coronam ſibi vindicat. Niſi dicere malis, eam quæ nobis eſt Ceres, Ægyptijs eſſe Iſidem. Id quod omnium conſenſu traditur; Iſis eſt, [verba ſunt Stephani] ſecundum Græcorum linguam, Ceres. Hæc quoque Tertullianus, *Si*, inquit, *Leonis Ægyptij ſcripta euoluas, prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit, rem magis ventris.* Iſidem fuiſſe vxorem Oſiris Ægyptiam Deam tradit Auguſtinus, eamque inueniſſe hordei ſegetem, atque inde ſpicas marito regi & eius conſiliario Mercurio demonſtraſſe, eandemque eſſe Cererem. *Vitem Dionyſius*, inquit Martianus Capella, *apud Thebas, Oſiris apud Ægyptios hauſtum vini, vſumq́; comperiens; frumentum Iſis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuêre.* Etſi hæc non ſolùm Iſis dicta, ſed & Iuno ζευξιδία; quo nomine colitur Argis. Cùm enim Apis ex Argis tranſiſſet in Ægyptum, inde miſit

Steph. Ἴσις.
Tertull. de cor. mil.
Aug. de ciuit. Dei lib. 18. cap. 27.
Martian. Cap. lib. 2.
Etymol. ζευξιδία.

boues

boues ei regi, qui Argis regnabat, ſementiſque rationem docuit. Hic, iunctis ad arationem bobus, ſacrum Iunoni ſuſpendit, & ſpicas vocauit flores Iunonis. Id quod verum eſt in Ægypto. Sed in Græcia hæc laus inuentæ arationis & ſementis tota eſt Cereris, vt quoque corona ſpicea huius vnius Deæ propria eſt. Enimuero beneficio Cereris agnoſcebant ſe viuere. Eaque re ſpicea corona eſt quoque argumentum omnis fertilitatis & abundantiæ. Nec mirum, ſi ſub Claudio principe, equiti Rom. *cui Petra cognomentum, crimini data eſt nocturnæ quietis ſpecies ei obiecta, tanquam vidiſſet Claudium ſpicea corona euinctum, ſpicis retro conuerſis; eaq; imagine grauitatem annonæ dixiſſet.* Nempe, talia omina ſæpe capiebantur è coronis, vt ſequentia Taciti verba demonſtrant. Cæterùm Cererem, cùm ſit altrix ὀμπνίαν vocant Cyrenenſes παρὰ τὸ πνέω, reſpirabilem, ſiue reſpirare facientem. Iidem hac ipſa de cauſa ſegetes & frumenta vocarunt τοὺς Δημητριακοὺς καρποὺς ὄμπνους, quaſi horum opera reſpiremus, id eſt, viuamus. Itaque verè Phornutus ait, illud eſſe maximè neceſſarium, per quod hominibus tradita ſunt alimenta ſuauiora. Ne ipſe quidem Triptolemus ſe Cereri componere audeat, qui mortalis, & Celei filius perhibetur; idémque à Cerere doctus, iuſſuſque docere homines arationem, & ſationem frumenti. Certè ipſe apud Patras araſſe, & ſementem feciſſe dicitur, ibi priùs perſpecto ingenio terræ. Eſt ergo Ceres Dea arationis & ſationis. Quam ob cauſam ei fuerunt inſtituta propria ſacra, & quidem diſtincta ab illis quæ vocabantur Θαλύσια, quæ fiebant impetrandæ fertilitati, & fructuum abundantiæ. Atque adeò priſci agricolæ non ſolùm ſupplicabant huic Deæ, ſed & his verbis iuſiurandum concipere ſoliti erant, μὰ τὴν Δήμητρα, per Cererem, tanquam per illud numen quod ſibi præ cæteris tam iratum metuebant, quàm propitium optabant.

Tacit lib. 11. Annal.

Etymol. ὀμπνιαλός.

Phornut. in Cer. & Veſ.

Etymol. ἀρών.

Etymol. Θαλύσια.

Scholiaſt. Ariſtoph. in Plut.

CAPVT XVI.

Corona obſidionalis triplici nomine. Eadem eſt graminea. A quo daretur. Diſcrimen inter ciuicam & obſidionalem. Sublimitas, & nobilitas huius coronæ. Gramen coronamentum Martis. Sumptum pro omni genere herba.

EX Coronis militaribus quaſdam militibus ac ducibus promiſcuè dari dixi; Alias ducibus, id eſt, ijs qui exercitui præſunt, ſeponi vt peculiares. De prioribus egi: Nunc ego de obſidionali quæ triplex eſt ſortita nomen. Nam & obſidionalis & obſidialis eodem ſignificatu dicitur, inde quòd à milite dabatur imperatori, ei qui ciues obſidione liberaſſet. Dicebatur & graminea, quòd eſſet è gramine. Quam omnem rem Plinius ob oculos ponit his verbis, *Graminea nunquam niſi in deſperatione ſuprema contigit, nulli niſi ab vniuerſo exercitu ſeruato decreta. Cæteras imperatores dedere. Hanc ſolam miles imperatori. Eadem vocatur obſidionalis, liberatis obſidione, abominandoq́ exitio totis caſtris.* Quòd ſi ciuicæ honos vno aliquo, ac vel humillimo ciue ſeruato, præclarus ſacerque habetur, quid tandem exiſtimari debet vnius virtute ſeruatus vniuerſus exercitus? Ergo obſidionalis dabatur ab illo duce, iſque omnibus in quos tale tantumque beneficium collatum eſſet, vt de Minutio Conſule, eiuſque exercitu memoriæ traditum. Hic enim *L. Quintium Cincinnatum, à quo ipſe & exercitus obſidione liberati fuerant, hac corona donauit.* Interdum obſidionalis fuit munus exercitus, cui præeſſet, aut certè in quo ordines duceret is qui eam meritus eſſet, eiuſue præſidij quod obſidione liberatum fuerat, vt conſtat è verbis Plinij, qui etiam tradit, *Manlium Conſulem, tribus cohortibus ſeruatis, totidemq́ ad ſeruandas eas eductis, hac corona donatum fuiſſe. Quod & ſtatua eius in foro ſuo D. Auguſtus adſcripſit.* Feſtus de hac corona verba faciens, *P. Decio*, inquit, *data duæ ſunt, vna ab exercitu vniuerſo: altera ab ijs qui fuerant in præſidio obſeſſi, & L. Sicinio Dentato &c.* Hunc Plinius vocat L. Siccium quem ſupra dixi quatuordecim ciuicas meruiſſe; quique *depugnauit CXX. prælijs ſemper victor.* Sed de Decio hiſtoria tota eſt apud Liuium; *Secundum Conſulis donationem*, inquit, *legiones gramineam coronam obſidialem clamore donum approbantes Decio imponunt.* Vbi aduertendum, quomodo in ciuica neceſſe fuit eum fateri qui ſeruatus eſſet, ita cùm obſi-

Plin. lib. 22. c. 4.

Plin. de vir. illuſt. cap. 17.

Plin. lib. 22. c. 6.

Feſt. obſidionalis.

Liu. lib. 7.

dialis dabatur, omnem rem manu quidem imperatoris, eiuſue
qui ab ipſo ſecundum in exercitu locum obtineret, tranſactam,
ſed interuentu clamoris, id eſt, conſenſu militari, & adproba-
tione vniuerſorum. Hoc exemplo *Scipio Æmilianus Tribunus* *Plin de vir il-*
in Africa ſub T. Manilio Imperatore cohortes octo ab obſidione *luſt.cap.58.*
vallatas conſilio & virtute ſeruauit. A quibus corona obſidionali
donatus. Maximè inſignis fuit illa, quam S. P. Q. R. Fabio *Gell.lib.5 c.6.*
Maximo dedit bello Pœnorum ſecundo, quod is cunctando
rem Romanam prope collapſam reſtituiſſet, atque adeò vrbem
Romam obſidione hoſtium liberaſſet. *Nec data*, inquit Plinius, *Plin.lib.22.c.5*
cùm magiſtrum equitum & exercitum eius ſeruaſſet. Tunc ſatius
fuit nomine nouo coronari appellatum patrem ab his quos ſeruauerat;
ſed, quod dictum eſt, conſenſu honoratus eſt, Annibale ex Italia
pulſo. Quæ corona adhuc ſola ipſius imperij manibus impoſita eſt.
Et quod peculiare ei eſt, ſola ab Italia data. Idem Plinius autor *Plin lib.22.c.6.*
eſt, Auguſtum cum M. Cicerone filio Conſulem Idibus Septem-
bribus à Senatu donatum obſidionali. *Adeò*, inquit, *ciuica non*
ſatis videbatur. Ac tanto rarius eſt, ſeruatorem vnum à ſeruatis
donari. Itaque inter obſidionalem & ciuicam hoc intereſt, quod *Feſt. obſidiona-*
altera ſingularis ſalutis ſignum eſt: altera diuerſorum ciuium *lis.*
ſeruatorum. Huius coronæ vſus ſub principibus quàm diutiſſimè
retentus; teſte Ammiano Marcellino, cuius hæc ſunt verba, *Ammian Mar-*
Ita nunc enituerunt hi qui fecere fortiſſimè obſidionalibus coronis *cellin. lib.24.*
donati, & pro concione laudati veterum more. Certè in hac coro-
na tantum fuit claritatis, vt ea claritate nihil in rebus humanis
ſublimius fuerit. Et quidem P. Decius religione confeſſus eſt
quanta eſſet huius coronæ autoritas. ſiquidem ea donatus *bouem*
album Marti immolauit, & centum fuluos, qui ei virtutis cauſa dati
fuerant ſimul ab obſeſſis. Enimuero Plinius firmat, coronam nul- *Plin.lib.22.c.3.*
lam fuiſſe graminea nobiliorem *in maieſtate populi terrarum prin-*
cipis, præmijſq́ gloriæ. Gemmata, inquit, *& aurea, vallares, mura-*
les, roſtrata, ciuica, triumphales poſt hanc fuere; ſuntq́ cuncta ma- *Feſt.Gradiuus.*
gno interuallo, magnaq́ differentia. Feſtus quoque tradit, hanc
coronam eſſe *magnæ honorationis.* Quam vocem equidem reijcio,
& ſubſtituo, *venerationis*, quòd Mars gramine ornatus, [id eſt,
coronatus] eſſet. Fuit ergo gramen, ſi Feſto credimus, corona-
mentum Martis ſicuti victoris. Hæc item corona, vt Plinius, Gel- *Gell lib 9.c.6.*
lius, Feſtus aiunt, graminea eſt. Obſeruari, inquam, ſolitum vt *Feſt.obſidional.*
fieret è gramine, *quod in eo loco generatum eſſet, intra quem*
clauſi erant, qui obſidebantur. Dabatur hæc, inquit Plinius, *Plin.lib.22.c.4.*
viridi è gramine, decerpto inde vbi obſeſſos ſeruaſſet aliquis. Namq́

ſummum apud antiquos ſignum victoriæ erat, herbam porrigere victos, hoc eſt, terra & altrice ipſa humo, & humatione etiam cedere. Quem morem etiam nunc durare apud Germanos ſcio. Idem alibi, *Nullæ* Plin. lib. 22. c. 6. *ergo herbæ fuere certæ in hoc honore, ſed quæcunque fuerant in periculi ſede, quamuis ignobiles ignotæq́, honorem nobilem faciebant.* Ergo quod ad hanc coronam pertinet, veriſimile eſt, gramen ſumi pro omni genere herbæ. Itaque non ſatis mirari poſſum quid ita Plinius hanc ipſam obſidialem coronam alibi frondeam vocet. Nam vbi dixit, Romulum frondea coronaſſe Hoſtum Hoſtilium, quòd Fidenam primus irrupiſſet, addit, *P. Decium patrem Tribunum militum frondea donauit exercitus ab eo ſeruatus Imperatore Cornelio Coſſo COS.* Frondes tantùm ſunt in arboribus & arbuſtis. At ibi Plinium loqui de hac obſidionali corona, palam eſt. Neque enim ſi alia eſſet, exercitus ab ipſo ſeruati mentionem faceret. Non ergo fuit frondea, ſed graminea. Et hoc fortaſſe vt non magnopere aduertendum, aut ſicuti rem notiſſimam, Plinius ſcripſit haud ſanè ἀκριβῶς.

CAPVT XVII.

Corona oualis. Ouatio vnde dicta. Ouare quid. Oualis eſt myrtea. Plutarchi & Gellij ſententia de ouali confutatur. Dionyſij Halicarnaſſei error, aut eius locus emendandus.

INTER eas coronas quæ ducibus tantùm, non etiam militibus ſeponuntur, altero loco collocaui oualem. Qua corona ij erant donati qui ouantes vrbem introibant, id eſt, qui victores fuiſſent eorum hoſtium quibus bellum non eſſet indictum, quorumque Plin. li. 15. c. 29. victoria facilis fuiſſet & incruenta. *Triumphans de Sabinis Poſthumius Tubertus,* inquit Plinius, *in Conſulatu (qui primus omnium* Plutarch. Marcello. *ouans ingreſſus vrbem eſt) quoniam rem leniter, ſine cruore geſſerat, myrto Veneris victricis coronatus inceſſit, optabilemq́, arborem etiam hoſtibus fecit.* Cæterùm ouationem Plutarchus ait quibuſdam placere dici à Baccho, quem & Euium ac Triumphum nominãt. Id quod ipſe improbat. Non, inquit, ſic ſe res habet. Sed in magno triumpho ſolent duces more patrio bouem immolare. At in hoc, nempe in ouatione, ſacrificabant id animal cui apud Romanos nomen eſt ouis. Hinc minorem hunc triumphum ouationem vocarunt. Et hæc quidem de hac appellatione tradit Plutarchus. De ipſa re hæc Gellius; *Ouandi, ac non triumphandi cauſa* Gell. lib 5 c. 6.

eſt, cùm aut bella non ritè indicta, neque cum iuſto hoſte geſta ſunt, aut hoſtium nomen humile, & non idoneum eſt, vt ſeruorum, pyratarumq́. Aut deditione repente facta, in puluere, (vt dici ſolet) incruentaq́ victoria obuenit. Portò hæc corona fuit myrtea. *Huic enim facilitati,* inquit Gellius, *aptam eſſe Veneris frondem crediderunt, quòd non Martius, ſed quaſi Venereus quidam triumphus foret.* In hac ipſa ſententia eſt Plutarchus, abs quo Gellius hæc ſua, vt eſt veriſimile, mutuatus eſt. Ouatio, inquit Plutarchus, eſt minor triumphus. Nec enim triumphans conſcendit currum; nec habet coronam lauri. Nec tuba celebratur triumphus, ſed it pedes in calceis aut ſoleis. Præterea geſtat coronam myrti ſicuti imbellis, & viſu gratus potiùs quàm admirabilis. Id quod apud me quidem maximo argumento eſt, modo actionis, id eſt, rei geſtæ, non magnitudine priſcos triumphum definire aut metiri ſolitos. Nam *qui pugnando, & multa hoſtium cæde hoſtes vicerant, hi Martium illum ac tremendum triumphum agebant, multa lauru coronantes arma, & milites, ſicuti fieri ſolitum cum luſtratur exercitus. At iis ducibus, quibus non tam opus fuit bello, quàm familiaritate, & perſuaſione quadam verborum res peragenda, his lex iubebat præmium eſſe laudationes, & hanc veluti in morem concionis adornatam pompam.* Quæ Gellij, atque adeò ipſius Plutarchi ſententia quàm non ſit digna vt referatur inter probas, in ſequentibus planum faciam. Certè Tiberius ipſe nihil Venereum in ouatione cogitauit, cùm ob res geſtas *& ouans, & curru vrbem ingreſſus eſt, licet triumphalibus ornamentis, primus, vt quidam putant, honoratus, nouo, nec antea cuiquam tributo genere honoris.* Et quidem Dionyſius Halicarnaſſæus hoc triumphi genus à Senatu inuentum, autore Licinio, prodidit; aitque nullo diſcrimine agi hunc triumphum ab altero, niſi quòd in ouatione dux non curru, ſed pedibus in vrbem præcedit pompam militum; nec induitur trabea picta, auroque intertexta, ſed toga prætexta, quod eſt conſuetum Conſulibus & Imperatoribus geſtamen: nec ſceptrum geſtat vt triumphantes, ſed tantùm coronam lauream, στέφανον ἐπίκειται δάφνης. Qua in re manifeſtè diſſentit à Plutarcho, & ab alijs. Itaque in Dionyſio pro δάφνης, repono μυῤῥίνης.

Plutarch. Marcello.

Sueton. Tiber.

Halicarn. li. 5.

Athenæus explicans quænam ſit corona Naucratitis, ait eam fuiſſe myrteam; eiuſque originem referri ad Venerem, quæ nauim, in qua periclitabantur Naucratitæ viridi myrto compleuit, ſalutemque eis dedit. Tum ſingulis coronam myrteam, quam ea re naucratiten appellarunt. Ergo naucratitis corona, inquit Athenæus, eſt eadem cum myrtea, additis roſis, ab Anacreonte geſtata, quod myrtus vapores prohibet, & roſę refrigerant. Et verò myrtus rectè ſociatur roſis, cùm vtraque planta ſit Veneris. Traditque Conſtantinus Cęſar, roſam, ſi plantetur ante iuxtaque myrtum dici feliciter prouenire. Ipſe Anacreon huius coronæ meminit in his verſibus, *Athen. lib. 15.* *Conſtātin Caſ. lib. 11. cap 8.*

> Στεφάνους δ' ἀνὴρ τρεῖς ἕκαστος εἶχεν,
> Τοὺς μὲν ῥοδίνους, τὸν δὲ ναυκρατίτην. *Anacr:*

Coronas autem vir tres vnuſquiſque habuit, Alias quidem roſeas, vnam autem naucratiten. Etſi non defuerunt qui coronam naucratiten dixerunt plecti ex amaraco, qui flos abundat in Ægypto; ſequuti, videlicet, opinionem illorum, qui referente Ariſtide, aiunt Naucraten eſſe vrbem Ægypti, quæ eadem eſt vrbs Mercurij. Artemidorus ait, coronam myrteam viſam in ſomnis eſſe fauſtam mulieribus διὰ τὴν Ἀφροδίτην propter Venerem. Porrò Veneri myrtus tantopere grata eſt, διὰ τὴν φιλοφροσύνην, propter comitatem & affabilitatem. Addunt Plinius & Plutarchus, quam nunc Murciam Venerem vocant, priſcis fuiſſe Myrteam. Inuenio hanc myrtum Veneri ſacram propriè dici φιλύδριαν διά τε τ' ὄνομα, ὅτι τὸ φιλεῖν παρακειμένως ἐξευλύνεται), quòd hoc pacto amor aptè effertur. Et hac ipſa plerunque vtuntur πρὸς τὰς στεφάνων πλοκὰς ad plectendas coronas. Nempe hæc propriè eſt myrtus στεφανῶτις coronaria, id eſt, coronarij generis, τῶν ἄλλων ὄντων μεγάλων μυῤῥίνων, cùm aliæ ſint magnæ, id eſt, proceræ myrti, inquit Theophraſtus. Eſt verò hæc myrtus inter cæteras frondes eximia pulchritudine. Et hoc, ſcilicet, illud eſt quod eam Catullus ait floridis enitere ramulis, *Ariſtid. κοινὰ ἀπελ.γ.* *Artemid. lib. 1. cap. 79.* *Plutarch. κε-φάλ. χγταχ.* *Phornut. in Ven.* *Theophraſt. lib. 5. de plant.*

> *Namq; Iulia Mallio*
> *Qualis Idalium colens*
> *Venit ad Phrygium Venus*
> *Iudicem, bona cum bona*
> *Nubit alite virgo.*
> *Floridis velut enitens*
> *Myrtus Aſia ramulis,*
> *Quos Hamadryades Deæ*
> *Ludicrum ſibi roſcido*
> *Nutriunt in honore.*

Catull. in epithal. Iul. & Mall.

Certè inter illa quæ Achilli conficiebant inſignem pulchritudi-

nem, dicitur fuiſſe capillus myrteus. Verba ſunt Daretis Phrygij, *Achillem pectoroſum, ore venuſto, membris valentibus, magna vi brachiorum, bene criſpatum, clementem, in armis acerrimum, vultu hilari, largum, dapſilem, capillo myrteo*, id eſt, Venereo. Tradit Athenæus è Myrſilo, apud Eleos, eum qui è certamine pulchritudinis redijſſet victor, ab amicis & vittis & tænijs redimiri ſolitum. Denique perductum ad ædem Mineruæ, coronari myrtis. Pulchritudini accedit odor gratiſſimus, Horatio teſte, qui deſcribens luxuriam ſui ſæculi, ait,

Dar. Phryg. de excid. Tr.

Athen. lib. 13.

Horat. lib. 2. Carm. od. 15.

—tum violaria, &
Myrtus; & omnis copia narium
Spargent oliuetis odorem
Fertilibus domino priori.

Inter delicias hortorum numerabant ψαλιστὰς μυῤῥινῶνας tonſilia myrteta, vt ait Hierocles. Hinc eſt, quod apud Ariſtophanem Hercules memorans plauſus & choreas mulierum & virorum, quæ ſunt in ipſo aditu inferorum, eos dicit eſſe apud myrteta.

Stob. ἐπὶ τάλ- λιστονόμ. ξε.

Ariſtoph. Ba- tr.

Καὶ μυῤῥινῶνας, ϗ θιάσους εὐδαίμονας
Ἀνδρῶν, γυναικῶν, ϗ κρότον χειρῶν πολύν.

Et myrteta, & choreas felices virorum, mulierum, & multum plauſum manuum. myrteta, id eſt loca voluptaria & Venerea. Quem locum, vt veriſimile eſt, imitatus Virgilius, etiam apud inferos, amantes regit ſylua myrtea.

Virgil. 6. Ænei.

Hîc quos durus Amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylua tegit.

Ipſæ teneræ puellæ in teneris myrtetis dicuntur canere Venerem. Cæterùm quòd myrtus eſt Veneris, hanc quoque frondem vt maternam Cupido amat. Certè is apud Longum incedit cum myrtis & granatis. Ibi quidam ait ſe à Cupidine percuſſum myrtis, βεβλῆμαι τοῖς μύρτοις, nempe, iaculo Venereo. Vnus Cupidinum in epithalamio Stellæ & Violantillæ Venerem matrem alloquens, ait Stellam prætuliſſe amores luſuſque Venereos verſibus heroicis, ijs, quibus res geſtæ præclariſſimorum hominum traduntur.

Philoſtr. in Imag.

Stat. lib. 1. Sylu.

Hinc tibi plectra dedit; mitiſq; incedere vates
Maluit, & noſtra laurum ſubtexere myrto.

id eſt, victorijs inſerere amores. Et hoc illud eſt quod ait Horatius, vbi lauro confert myrtum de ſe loquens,

—vt premerer ſacra
Lauroq; collataq; myrto
Non ſine Dîs animoſus infans.

Horat. lib. 3. Carm. od. 4.

id eſt, vt iam inde diſcerem militare Apollini & Veneri. Quippe

myrtus non ſolùm eſt Veneris, ſed & illorum omnium qui Veneri celebrandæ operam impendunt. Non ergo mirum, ſi & ipſi poetę Veneris cultores amant redimiri myrto. Ouidius,

Finis adeſt operi. palmam date grata iuuentus; *Ouid. lib. 2. de ar. am. cir. fi.*
Sertaq; odorata myrtea ferte coma.

Certè hic ipſe Ouidius ait, ſibi tempora Venerem tetigiſſe myrto. Indeque ſe factum eſſe ſcientem dierum huius Deæ, in primis, menſis Aprilis.

Venimus ad quartum, quo tu celeberrima, menſem *Ouid. l. 4. Faſt.*
Et vatem & menſem ſcis Venus eſſe tuos.
Mota Cytherea leuiter mea tempora myrto
Contigit, & cœptum perfice, dixit opus.

Et verò menſe Aprili matronæ ſacrificabant Veneri; & myrto coronatæ lauabantur. Tibullus quoque ſciri cupiens quanti faciat Venerem, vt ſibi propitium numen, loquens de ſacris domeſticis coronat ſe myrto. *Plutarch. Numa.*

Hunc pura cum veſte ſequar, myrtoq; caniſtra
Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput. *Tibull. lib. 1.*

Et verò quia myrtus eſt Veneris, amantium quoque eſt. Tibullus de campis Elyſijs.

Illic eſt cuicunque rapax mors venit amanti, *Tibull. lib. 1.*
Et gerit inſigni myrtea ſerta coma.

CAPVT XIX.

Virgines & puellæ coronatæ myrtis. Myrtus efficax excitando riſui. Caſtæ myrtum aſpernantur. Locus Clementis Alexandrini emendatus. Bacchus coronatur myrto. Corona conuiuialis myrtea. Hypothymis ramus myrti. Quibus floribus, plantiſq; ſocietur myrtus. Apollo coronatur myrto. Myrtus ſacra. Myrtus ſymbolum lætitiæ.

IPSÆ virgines & puellæ, quæ Veneris ſacris initiari cupiunt, ſe hac fronde oblectari profitentur. Et hæc ſunt illa παρθένια μύρτα, virginales myrti, apud Ariſtophanem. *Ariſtoph. ὄρνιθ.*

Ηρινά τε βοσκόμεθα παρθένια
λευκότροφα μύρτα, χαρί-
των τε κηπεύματα.

Et vernis fruimur virgineis mollibus candidiſque myrtis, Gratiarumque hortenſibus. Et hoc, ſcilicet, illud eſt quod priſcus ille Comicus, vbi fucos cultúſque muliebres memorat, præter cætera ait, Eam quæ non ſit læta, toto tamen die ridere, ſi habet in labris

exiguam myrti tabellam; Ac ſi myrtus ſit efficax prouocandò illi riſui, qui plerunque eſt comes Veneris,

Clem. Alex lib. 3. pædag. cap. 2.

Ἂν δὲ μὴ χαίρῃ, γελῶσα διατελεῖ τὴν ἡμέραν ξυλήφιον
Μυῤῥίνης ἔχουσα λεπτὸν ἐν τοῖς χείλεσιν·
Ὥς τι τῷ χρόνῳ σέσηρεν, ἄν τε βούλετ᾽ ἄν τε μή.

Et quamuis non ſit læta, toto tamen die ridet, in labris tenuem habens myrti tabellam, adeò vt tempore hiet velit nolit. Cæterùm caſtæ, & Venerem aſpernentes myrtum pariter aſpernantur. Hinc eſt quod Callimachus loquens de feſto Dictynnæ, quam nympham Diana præ cęteris omnibus diligebat (niſi ſi fuit ipſa Ἄρτεμις, vt ait Scholiaſtes Nicandri) dicit, illo die ſertum eſſe è pinu aut lentiſco. At myrto Gortynin abſtinere, atque adeò eam odiſſe.

Callimach. hym. in Dian.

— τὸ δὲ στέφος ἤματι κείνῳ
Ἢ πίτυς, ἢ σχῖνος· μύρτοιο δὲ χεῖρες ἄθικτοι.
Δὴ τότε γὰρ πέπλοισιν ἐνέσχετο Μύρσινος ὄζος
Τῆς κούρης, ὅτ᾽ ἔφευγεν· ὅθεν μέγα χώσατο μύρτῳ.

At ſertum die illo aut pinus aut lentiſcus. [fuit.] Myrtum verò manus non tangunt. Tunc enim peplis inhæſit myrteus ramus. Huius odij cauſam aliter memorat Scholiaſtes Nicandri, interpretans hæc verba, αὕτη ἡ μυρσίνη τῆς Ἰμβρασίας Ἥρας οὐχ᾽ ὑπεδέξατο στέφος, ipſa myrtus Imbraſiæ Iunonis non ſuſcepit coronam. hoc eſt, inquit, non fuit coronamentum Imbraſiæ Iunonis. Quia cùm in monte Idæ tres Deæ de pulchritudine certarent, Venus fuit redimita myrto. Hanc ob cauſam aliæ Deę hanc frondem oderunt. Quamuis hæc cauſa nihil pertinuit ad Dictynnam. Et ibi nequicquam ſudat Scholiaſtes. Præco ille Spartanus apud Ariſtophanem ait, Quantum eſt mulierum Spartanarum non pati ſe à viris contrectari, ac ne myrto quidem velle tangi. Lactantius è Sex. Clodio memorat, *Fatuam Fauni vxorem, quòd contra morem, decusq́; regium clam vini ollam ebiberat, & ebria facta erat, virgis myrteis à viro cæſam vſque ad mortem.* Nimirum is vinolentiam in femina impudicitiæ adfinem exiſtimans, Veneteas virgas, quæ in alijs eſſent ſymbola libidinis, in propria vxore voluit eſſe ſupplicij miniſtras. Quod factum ſcribens Plutarchus ait, matronas in feſtis bonæ Deæ μυρσίνην οὐκ εἰσφέρειν, non eò ferre myrtos, ſed ei libare vinum, cui indunt nomen lactis. Simile quidpiam Lucianus memorat de myrto, vbi alloquitur indoctum, eundemq́ue multam librorum ſuppellectilem vndique nullo delectu coëmentem; aitque Muſas eius aſpectum dedignari; eumque potiùs myrto, vel malua cæſum ſua ſede eijcere, ne Olmeum, aut Caballi fontem polluat. Verum ergo eſt, caſtas myrtum, vt Veneri dilectam & ſacram, deteſtari. Ideóque emẽdandus eſt locus Clementis Alexandrini qui de lilio

Schol. Nicand. in Alexiph. — *Ariſtoph. Lyſiſtr.* — *Lactãt. de fal. relig lib. 1. c. 22.* — *Plutarch. κεφάλ. ῥωμ. ζητημ.* — *Lucian adu. ind.* — *Clem. Alex. lib. 2. pædag cap 8.*

& myrto loquens, ait lilio Iunonem delectari, καὶ τὴν Ἄρτεμιν μυῤῥίνῃ, & Dianam myrto. Quo loci aut Clementi memoria vacillauit, aut errauit librarius, qui pro Ἀφροδίτην ſcripſit Ἄρτεμιν, cum ex ijs quæ mihi dicta ſunt, conſtet myrtum non ſolùm non eſſe dilectam Dianæ, verùm illi potiùs odioſiſſimam. Cæterùm quod Venus & Bacchus ſunt affinia numina, mutuaſque operas tradunt, minimè mirum eſt, apud Ariſtophanem Bacchũ coronari myrto.

Πολύκαρπον μὲ τινάσσων Ariſtoph. Βα-
Ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα τραχ.
Στέφανον μύρτων.

Fructuoſam quidem agitans circa caput tuum pullulantem coronam myrtorum. Et verò corona conuiuialis ſæpe plectebatur è myrto, vt pluribus locis apud Horatium,

Nunc decet aut viridi caput impedire myrto, &c. Horat. lib. 1. Carm. od. 4.

Et alibi,

Simplici myrto nihil allabores Horat. lib. 2.
Sedulus curo. neque te miniſtrum Carm. od. 38.
Dedecet myrtus, neque me ſub arcta
Vite bibentem.

Alio item loco conuiuialem coronam ſibi texi vult ex apio, aut myrto, ——— *quis vdo*

Deproperare apio coronas, Horat. lib. 2.
Curat ve myrto? quem Venus arbitrum Carm. od. 7.
Dicet bibendi?

Id ipſum docent hæc apud Athenæum verba.

Κατὰ χειρὸς δ' ἤλυθ' ὕδωρ. ἁπαλὸς Athen. lib. 15.
παιδίσκος, ἐν ἀργυρέῳ προχόῳ
φέρων ἐπέχευεν· εἶτ' ἔφερε στεφανο-
λεπτὰς ἀπὸ Μυρτίδων εὐγενήτων
κλάδων δισυμάπλον. Aqua lauandis manibus allata eſt. Molliuſculus puellus argenteo gutto quem tenebat, affudit, coronaſque deinde aduexit tenues, è puris myrti ramis magno labore contextas. Quæ huic eſt pura myrtus, Horatio eſt ſimplex, id eſt ſola nulla alia fronde permixta. Nam myrtus, quòd eſt Venerea, ſæpe miſcetur violis, & roſis vt infra dico. Cæterùm myrti ramum floribus intextum à Leſbijs ſupra dixi vocari hypothymida. Virgilius, poſtquam enumerauit quantum eſt arborum lectiſſimarum, his addit myrtum,

Queis aderat veteris myrtus non neſcia fati. Virgil. Cul.

Nam Myrſine virgo à iuuenibus occiſa perhibetur, vt infra dico. Alibi eam iungit roſæ, hyacintho, croco, acantho, lilijs, lauro, cæteris. — *hîc eſt & Spartica myrtus,* Virgil. Cul.

Atque hyacinthus, & hic Cilici crocus editus arno.

Ouidius alloquens vulgares puellas, myrtum ſociat ſiſymbrijs, eamque ait Veneri offerri oportere.

Cumq́ ſua domina date grata ſiſymbria myrto,
Ouid.l.4. Faſt. *Textaq́ compoſita iuncea vincla roſa.*

Theocritus eam ſociat lauro & cupreſſui.

—— ἀέναον δὲ
Theocr. in epig. Ῥεῖθρον ἀπὸ σπιλάδων πάντοσε πληθύει
Δάφναις ϗ μύρτοισι ϗ εὐώδει κυπαρίσσῳ.

& perenne fluentum de ſaxis vndique viret lauru & myrtis, & odorata cupreſſo. Horatius rorem marinum iungit myrto.

Horat. lib 3. Carm od.23. *Paruos coronantem marino*
Rore Deos, fragiliq́ myrto.

In fragm. Steſich. Apud Steſichorum myrtus iungitur roſis, & violis, eius verba alicubi referente Athenæo. Cæterùm propter lætitiam & pulchritudinem huius frondis ipſe Apollo deſcribitur aut coronatus myrto, aut certè eius coma, vt dixi de Achille, dicitur myrtea.

Intonſi crines longa ceruice fluebant.
Tibull. lib.3. *Stillabat Tyrio myrtea rore coma.*

Et quia plurium Deorum coronamentum myrtus eſt, vocatur ſacra, vt in hoc loco Euripidis,

ἵνα δρόσοι τέγγουσ' ἱεραὶ.
Euripid. Ion. τὰν ἀέναον παγὰν
ἐκπροϊεῖσαι
μυρσίνας ἱερὰν φόβαν.

vbi ſacer fons iugis aquæ diffuſus rigat myrti ſacra folia. Nec verò hac ſola de cauſa myrtus vocatur ſacra, ſed *quòd & in ea quoque arbore ſuffimenti genus habetur*, inquit Plinius. Atque adeò hæc frons cenſetur in ſacrificali apparatu.

Διὰ ταῦτα τὸν δὲ τὸν βάδον βαδίζομεν.
Ariſtoph. ὄρνιθ. Κανοῦν δ' ἔχοντε ϗ χύτραν, ϗ μυῤῥίνας
Πλανώμεθα, ζητοῦντε τόπον ἀπράγμονα,
Ὅποι καθιδρυθέντε διαγενοίμεθ' ἄν.

Propterea hoc iter eamus, & caniſtrum habentes & ollam, & myrtos erremus, quærentes locum otioſum vbi ſedentes tranſigamus. Certè inter ſacra coronamenta μυῤῥίνην στεφανῶτιδα σπεῖσαι

Pollux lib.1. & Theophraſt. lib. 5. hiſt. plant. Plin. li.15. c.29. myrtum coronariam libare, refertur à Polluce, ſumptum, opinor, à Theophraſto. Sed quàm myrtus pertinuerit ad religionem, ex his Plinij verbis ſciri poteſt; *Haud ſcio an prima etiam omnium in locis publicis Romæ ſata ſit, fatidico quidem & memorabili augurio. Inter antiquiſſima namq́ delubra habetur Quirini, hoc eſt, ipſius Romuli. In eo ſacra fuere myrti duæ ante ædem ipſam per longum*

tempus, altera patritia appellata, altera plebeia exuberans ac læta. Patritia multis annis prævaluit, flaceſcente plebeia. Quandiu Senatus quoque floruit, illa vigens, plebeia retorrida & ſqualllida. Quæ poſteaquam evaluit, flaceſcente patritia Marſico bello, languida autoritas patrum facta eſt, ac paulatim in ſterilitatem emarcuit maieſtas. Quin & ara vetus fuit Veneri myrtea, quam nunc Murtiam vocant. Poſtremò myrrus eſt ſymbolum lætitiæ priuatæ, vt ſupra de myrto conuiuiali mihi dictum; tum publicæ, cuius promi poſſunt ex antiquitate luculentiſſima teſtimonia. Et quidem, referente Athenæo, Seleucus in linguis textam è myrto coronam vocari ait Ellorida, ambitu cubitorum viginti; eamque in Ellotiorum Feſto, quod apud Corinthum ſolenne eſt, in pompa vehi cum oſſibus Europæ, quam Corinthij Ellotidam vocant. Horum ludorum ſupra è Pindaro mentionem feci. Adeſt & Claudianus, cuius hi ſunt verſus deſcribentis publicam lætitiam ob nuptias Honorij. Nam myrtum collocat in foribus ſponſorum. *Athen. lib. 15.*

Claudian. de nupt. Honor.

> *—alij funalibus ordine ductis*
> *Plurima venturæ ſuſpendite lumina nocti.*
> *Hi noſtra nitidos poſtes obducere myrto*
> *Contendant.*

Alibi quoque vbi agit de nuptijs Martis & Veneris, myrto coronat fores, *Claudian. de ſtat. Mart. & Ven.*

> *—feſta frondentia myrto*
> *Limina cinguntur; roſeiſq́ cubilia ſurgunt*
> *Floribus; & thalamum dotalis purpura velat.*

Et hæc quidem habeo quæ dicam de myrto Venerea; cuius gratia Plinio, Plutarcho, Gellio nihil vltra ſpectantibus ouatio eſt triumphus Venereus. Sed quantas, dum hoc dicunt, nugas agant, è ſequentibus palam fiet.

CAPVT XX.

Robur myrti. Tela myrtea. Corona myrtea ſymbolum fortitudinis. Viri fortes & militares coronati myrto, ſicut & ipſa tabernacula militum. Tiara Perſica circumdata myrto. Tyrannicidarum gladij coronati myrto. Verba quædam in laudem tyrannicidarum concepta; eademq́ Athenis vulgatiſſima.

NATVRÆ parum viſum eſt dare myrto odorem, teneritudinem, pulchritudinem, omnia Venerea, niſi eam quoque cumularet ſolido robore. Id Virgilius docet, *Virgil. lib. 2. Georg.*

> *Sed truncis oleæ melius, propagine vites*

Reſpondent; ſolido Paphiæ de robore myrtus.

Alibi valida haſtilia myrto tribuit,

Virgil. lib. 2. Georg. *Viminibus ſalices fœcunda, frondibus vlmi*

At myrtus validis haſtilibus.

Alibi ea tela quibus confixus eſt Polydorus, facit myrtea. Nam primùm dicit,

Virgil. 3. Æneid. *Fortè fuit iuxta tumulus, quo cornea ſummo*

Virgulta, & denſis haſtilibus horrida myrtus.

Paulò poſt addit,

- hîc confixum ferrea texit

Telorum ſeges, & iaculis increuit acutis.

E' quibus verbis liquidò conſtat, tela fuiſſe myrtea. Et verò myrtum conficiendis ſagittis aptam eſſe, diſertim tradit Conſtantinus

Conſtãtin. Cæſ. lib. 11. cap. 8. Cæſar. E' Virgilio colligere licet, baculum paſtoralem fuiſſe myrteum, quod fuit inter bellica geſtamina Camillæ

Virgil. 7. Æneid. in fin. *Et paſtoralem præfixa cuſpide myrtum.*

Hinc veriſimile eſt, factum eſſe vt corona myrtea ſit ſymbolum fortitudinis. Certè è Claudio Saturnino Tertullianus tradit, myrto

Tertull. de cor. mil. milites redimiri ſolitos. Additque hæc verba, *Veneris enim myrtum matris Æneæ, non laurum, etiam amiculæ Martis per Iliam & Romulos Romani.* Vbi pro *enim* lego *eſſe.* Venus, inquit, eſt amicula Martis. Ipſe Mars, quòd eſt pater Iliæ, quæ enixa eſt Romulũ & Remum (hos enim vocat Romulos) Romanus quoque eſt. Ipſe Hercules ob robur & fortitudinem inter Deos relatus incedit coronatus ramis myrti.

Euripid. Alceſt. actu 4. στέφει δὲ κρᾶτα μυρσίνοις κλάδοις

ἄμουσ' ὑλακτῶν.

euincitque caput ramis myrteis, abſurda latrans. Et Herculis imitatione alij viri fortes, vt apud Euripidem Oreſtes.

Euripid. Electr. actu 4. ἔνθ' ἦν ὁ κλεινὸς τῶν Μυκηναίων ἄναξ·

κυρεῖ δὲ κήποις ἐν καταρρύτοις βεβὼς,

δρέπων τερείνης μυρσίνης κάρᾳ πλόκους.

Illic ſuperbus Mycenæorum princeps erat. Fortè autem irriguis hortis inambulans, carpit teneræ myrti ſerta capiti. Apud eundem Euripidem Alceſtis obitura voluntariam mortem pro Admeto viro, non femineo, ſed virili animo, votis ad omnes aras factis, eas cinxit multis myrti ramis.

Euripid. Alceſt. actu 1. πάντας δὲ βωμοὺς, οἳ κατ' Ἀδμήτου δόμους,

προσῆλθε, κἀξέστεψε, καὶ προσηύξατο,

πτόρθων ἀποσχίζουσα μυρσινῶν φόβην.

Ad omnes autem aras, quæ erant in ædibus Admeti, acceſſit, & ſupplicauit ramorum abſcindens myrteorum comam. De hac

Alceſtis fortitudine videndus Plato in conuiuio. Poſt deuictos à Græcis Perſas inſtituta ſunt, vt ſupra dixi, Eleutheria, in quorum pompa conſpecti ſunt currus pleni myrto & coronamentis. Hinc ſanè liquet, quàm myrtus nō ſolum ſit Venerea, ſed & Martia. Nam *bellicis rebus*, vt Plinius ait, *ſe inſeruit*. Plutarchus memorat, in caſtris Pompeij, cùm is apud Pharſaliam victus eſt, tabernacula fuiſſe coronata myrtis. Itaque non abs re adnotatum eſt ab Herodoto, Perſas ſacrificantes geſtare tiaram myrto circumdatam, nimirum, ſicuti Martios & bellicoſos homines, atque adeò multarum gentium victores celeberrimos. Cæterùm myrtus non ſolùm eſt index qualiſcunque victoriæ, verùm etiam illius quæ omnium pulcherrima eſt, per quam, ſcilicet, itur ad libertatem. Hanc ob cauſam in publica lætitia propter ſublatum tyrannum tyrannicidæ geſtarunt gladios myrto redimitos, Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω ὥσπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων, ὅτε τὸν τύραννον κτανέτην, ἰσονόμους τ᾽ Ἀθήνας ἐποιησάτην. Φίλταθ᾽ Ἁρμόδι᾽ οὔπω vel οὔ πω, vt in Ariſtide, τέθνηκας· νήσοις δ᾽ ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι, ἵνα περ ποδώκης Ἀχιλεὺς Τυδεΐδην τέ φασι τὸν ἐσθλὸν Διομήδεα. In myrti ramo gladium feram ſicuti Armodius & Ariſtogeiton quando tyrannum interfecerunt, & Athenas liberas reddiderunt. Chariſſime Armodie, nondum mortuus es. At te in inſulis beatorum aiunt eſſe, vbi [eſt] celeripes Achilles, aiuntque [eſſe] Tydeiden, & fortem Diomedem. Eadem propè verba vt inſignia, nullo aliorum interiectu, tantùm paucis additis, repetuntur. Vſque eò & legenti, & ſcriptori adlubeſcit illa multitudinis acclamatio quæ pertinet ad libertatem. Ibi enim diſertim nominatur Hipparchus tyrannus is qui occiſus fuit. Quæ verba vſque eò fuerunt celebrata, per vniuerſam Græciam, nihil vt quicquam diu fuerit vulgatius. canebanturque in conuiuijs, erantque inter illa quæ dicebantur ſcolia, de quibus iam egi. His affinia tradit Plinius, *Athenienſes*, inquit, *neſcio an primi omnium Armodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publicè poſuerunt ſtatuas*. Et hæc quidem de hiſce tyrannicidis tunc vulgo iactata & credita ſunt, etſi alia quoque huius necis cauſa traditur à Socrate apud Platonem, nempe, quòd vtrique tyrannicidæ in amore prælatus fuit Hipparchus, illis quidem temporibus ſapientia inclytus. Eamque cauſam ipſe Plato videtur exiſtimare veriorem. Veruntamen celebrior & conſtantior exiſtimatio fuit illa prior. Quippe & apud horum tyrannicidarum poſteritatem multi honores manſerunt. Itaque Dinarchus acriter exprobrat Demoſtheni, Demadem, qui cauſam maieſtatis dicere debuerit, non ab illo prohibitum quominus iiſdem beneficijs, iiſdemque honoribus colatur, quibus afficiuntur ipſi poſteri Armodij & Ariſtogeitonis. Tantus fuit tam celebris

Plato in conu. *Plutarch. Ariſt.* *Herodot. lib. 1.* *In fragm. Alc.* *Ariſtid. epis.* *Etcon.* *Plin. li. 34. c. 4.* *Plato in Hippar.* *Dinarch. in Demoſth.* *Hermog. περὶ τῶν στασ.*

facti fauor, vt non ſolùm horum tyraunicidarum poſteritas fuerit præcipuo loco, verùm etiam apud ipſorum ſtatuas confugerent miſerabiles, ſicuti ad aſylum. Cæterùm cùm Plutarchus ait, Hermonem, ob occiſum Phrynicum, qui quamlibet mortuus, proditionis damnatus fuerat, ab Athenienſibus fuiſſe coronatum, etſi non addit qua fronde, tamen eam fuiſſe myrtum planè eſt veriſimile. Ex his omnibus fides fit, myrrum publicæ gratulationi teſtem adhibitam ob patratum facinus fortiſſimum & pulcherrimum, hoc eſt, ob depulſos publicis ceruicibus tyrannos. Porrò hæc locutio, ἐν μύρτου κλαδὶ φορήσω τὸ ξίφος Athenis ceſſerat in locum prouerbij; eamque non alij vſurpabant, quàm qui ſe publici ſeruitij perpetuos oſores, ac libertatis acerrimos propugnatores profitebantur, vt palam eſt è loco Ariſtophanis, vbi chorus ſenum queritur publicæ libertati eſſe periculum à conſpiratione mulierum, ſi non huic malo maturè obuiam itur. Hancque dicit eſſe coniurationem quorumdam qui imminent tyrannidi. Verùm ſe tyrannis haudquaquam obnoxium fore conſtanter firmat:

Plutarch. Alcib.

Ariſtoph. Lyſiſt.

Ἀλλ' ἐμοῦ μὲν οὐ τυραννεύσουσ' ἐπεὶ φυλάξομαι,
Καὶ φορήσω τὸ ξίφος τὸ λοιπὸν ἐν μύρτου κλαδὶ
Ἀγορεύσω τ' ἐν τοῖς ὅπλοις ἑξῆς Ἀριστογείτονι.

Sed in me quidem non exercebunt tyrannidem; quia canebo. Et feram gladium deinceps in myrti ramo. Et poſthac Ariſtogeitonem prædicabo in armis.

CAP. XXI.

Myrtus coronamentum triumphantium. Magiſtratus Athenienſes coronantur myrtis. Lacedæmonij magiſtratus coronantur. Athenis iudices coronabantur. στεφανῶν *verbi elegans ſignificatus. Myrtus eſt Palladis. Myrtus addita ſepulchris defunctorum. Quædam ſingularia de myrto. Venus collocata inter fortiora numina.*

Plin. li. 15. c. 29.

QVID, quod myrtus quoque fuit coronamentum triumphantium? *Maſſurius,* inquit Plinius, *autor eſt, curru quoque triumphantes myrtea corona vſos. L. Piſo tradit, Papyrium Maſſonem, qui primus in monte Albano triumphauit de Corſis, myrto coronatum ludos Circenſes ſpectare ſolitum. Auus maternus Africani ſequentis hic fuit. Marcus Valerius duabus coronis vtebatur, laurea & myrtea, qui & hoc vouerat.* Cùm myrtus in tantam ſublimitatem euecta fuerit, minimè mirum eſt ſi Virgilius Cæſari Auguſto imponit coronam myrteam, ſicuti tot gentium, æmulorum, ſeruitij publici victori; denique vt numini.

& te

— & te maximus orbis *Virgil. lib. 1. Georg.*
Autorem frugum, tempeſtatumq́; potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto.

Tradit Pollux, magiſtratus Athenienſes, poſteaquam iureiurando *Pollux lib. 8.* adacti ſunt in iura & leges, cùm redeunt in arcem, coronari myrtis. Credo, firmandæ autoritati illorum, inuenta eſt corona myrtea, quibus publicæ rei gubernacula committũtur. Magiſtratus autem non ſolùm Athenis, ſed & alibi, vt Lacedæmone, coronari ſolitos diſcimus è Plutarcho, vbi agit de forma eligendi ſenatores, ὁ δὲ στε- *Plutarch. Lyc.* φανωσάμενος περιῄει τοὺς θεούς. At coronatus circumibat Deos, hoc eſt puluinaria Deorum, vbi coronatus ſignat renuntiatus & inſignitus præcipua nota magiſtratus, quæ eſt corona. Et quamuis Plutarchus non myrteam coronam ibi nominet, tamen veriſimile eſt fuiſſe myrteam exemplo vrbis Athenarum. De hoc Athenienſium more id ipſum quod Pollux tradit Scholiaſtes Ariſtophanis interpretans hæc verba,

ψωλὸν γενέσθαι δεῖ σε μέχρι τοῦ μυῤῥίνου. *Ariſtoph. ἱππ.*

Recutitum fieri oportet te vſque ad myrtum. Vbi μέχρι τοῦ μυῤῥίνου ait eſſe, μέχρι τῆς κεφαλῆς, vſque ad caput, quandoquidem, inquit, *Æſchi. in Tim.* magiſtratus myrto coronabantur. Hîc verò nomine magiſtratus etiam complector iudices, quos Athenis fuiſſe coronatos, docet locus Æſchinis, vbi ait, Iudicibus ademptas fuiſſe coronas propter impunitatem datam Timarcho. Cæterùm, ille ipſus Æſchines στεφανοῦν vſurpat pro δικάζειν, ἔπειτα εἰσβάλλει εἰς τὴν ἀγορὰν, ἢ στεφανοῦ. Deinde in forum irrumpit, aut iudicis officio fungitur. Et ſic interpretandum eſſe hunc locum, equidem firmare audeo. Tradit quoque Plutarchus, iudices, à quibus Phocion condemnatus eſt, *Plutarch. πολ. παραγγ.* fuiſſe coronatos. Porrò hæ & magiſtratuum, & iudicum coronæ ſunt illæ ipſæ quarum meminit Plutarchus, vbi ait, concordiam & amicitiam collegarum multò magis eſſe decus publicæ perſonæ, quàm coronas & prætextam. Plato poſtquam tradidit *Plato lib. 12. de leg.* rationem creandi tres cenſores, addit eos qui ſuffragijs victores fuerint, coronari θαλλοῦ ramo oleæ. Quæ, ſcilicet, fuit nota renuntiati magiſtratus, ducto, vt veriſimile eſt, more ab Repub. Athenienſe ad ciuitatem Magnetum. Sed nequis cuiquam ſuper hac re ſcrupulus hæreat, ſciendum eſt, non Veneris tantùm eſſe myrtum, ſed & Palladis. Res ita habet, Myrſene virgo fuit Athenis *Conſtãtin Cæſ. lib. 11. cap. 7.* præcipua formæ nobilitate inſignis, eademque Palladi complacita. Hæc frequens erat in palæſtris & ſtadiis; ibique coronabat adoleſcentes qui è certamine victores redibant. Horum quidam à virgine ſuperati, impatienter eius victoriam ferentes, eam interemerunt. Nec ideo extinctus eſt amor Deæ erga virginẽ. Quippe

vſque adhuc, inquit Cæſar Conſtantinus Myrſine eſt accepta Deę ſicuti olea. Quæ cauſa ijs eſt adnumeranda propter quas myrtus eſt ſymbolum fortitudinis & victoriæ. Cæterùm quòd mortui cenſentur victores humanarum miſeriarum, hinc factum puto, vt defunctorum ſepulchris myrtus adhibita fuerit. Certè apud Euripidem Electra queritur, ſepulchrum Agamemnonis patris ſui nul-
Euripid. Elect. actu 2. lum accepiſſe neque libamen, neque ramum myrti.

> Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἠτιμασμένος
> οὔπω ποτ', οὐ χοὰς, οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης
> ἔλαβε.

At ſepulchrum Agamemnonis inhonoratum nunquam nec inferias, nec ramum myrti accepit. Et alibi, eâdem tamen tragœdia,

> ἦλθον γὰρ αὐτοῦ πρὸς τάφον πάρεργ' ὁδοῦ,
> καὶ προσπεσὼν ἔκλαυσ' ἐρημίας τυχών·
> σπονδάς τε, λύσας ἀσκὸν ὃν φέρω ξένοις,
> ἔσπεισα· τύμβῳ δ' ἀμφέθηκα μυρσίνας.

Veni enim ad ipſius ſepulchrum obiter; Ac procidens humi luxi, nactus ſolitudinem. Libaminaque ſoluto vtre, quem hoſpitibus fero, Fudi, tumulumque ramis conſtraui myrteis. Poſtremò de dignitate huius frondis hęc Plinius tradit, quæ quòd neque con-
Plin.li.15.c.29. trahi, neque elegantiùs dici poſſunt, hîc adſcripſi. *Graecum ei nomen eſt, quo peregrinam eſſe apparet. Fuit vbi nunc Roma eſt, iam tum cum conderetur. Quippe ita traditur, myrtea verbena Romanos, Sabinoſq;, cùm propter raptas virgines dimicare voluiſſent, depoſitis armis purgatos in eo loco qui nunc ſigna Veneris Cloacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant.* Tot dotibus cùm myrtus emineat, cùm fortitudinem, victoriam, triumphum, felicitatem demõſtret, non ſatis mirari queo quî Gellio & alijs lubitum ſit eam deprimere, & ouationem vocare triumphum Venereum. Quanquam & ipſam Venerem etiam à magnis ducibus inuenio collocatam inter
Plutarch. Sylla. fortiora numina. Eaque re victricis epitheto donatur à Plinio in loco ſupra citato. Enimuero Sylla poſt ingentem de Archelao partam victoriam trophæis inſcripſit Martem, Victoriam, & Venerem. Ipſa quoque Venus in ſomnis dicitur adſtitiſſe Lucullo, eumque impuliſſe ad prælium his verbis, Quid dormis magnanime Leo? Agni propè te ſunt. Cęterùm non ita prona fuit ouatio,
Feſt. myrtus. vt non ad eam perueniretur ſit ductu multę curę, multæ prouidentiæ, pariſque adeò fortitudinis & felicitatis. *M. Craſſus bello fugitiuorum confecto ouans in vrbem rediit*; etſi is myrteam coronam aſpernatus dicitur. Nam quia Spartacus fuit hoſtis Reip. formidatus, Craſſus cenſuit ſibi deberi lauream, & honorem triumpho potiùs quàm ouationi propiorem. Quanquam & ipſa ouatio non

ſemper geſtauit myrtum, ſed interdum loco myrti oleam, autore Plinio. Cæterùm mihi Feſtus nugari videtur cùm ait myrtea corona Papyrium fuiſſe vſum quòd Sardos in campis myrteis ſuperaſſet. Apud me quidem multò potior eſt autoritas Plinij, qui hos non Corſos, ſed Sardos nominat in loco ſupra citato. Et Papyriũ in monte Albano primũ de Corſis triumphaſſe, & myrto coronatum ludos Circenſes ſpectare ſolitum ait. Quo loci myrtus haud dubiè eſt coronamentum viri triumphalis. Itaque quicquid hac de re ſcribit Feſtus, reijcio; & in eo pro *Sardos*, lego *Corſos*. Poſtremò, ſic ſtatuendum, myrtum inſigne ouationis, fuiſſe quidem frondem Veneris, ſed non illius procacis & libidinoſæ, ſed illius bellacis victricis, triumphatricis: nec Veneris tantùm, ſed & Martis & Herculis fortiſſimorum numinum, Alceſtis feminæ conſtantiſſimæ, clariſſimorum tyrannicidarum, Achillis, Apollinis; denique illam quę fuit victoriæ triumphique præclariſſima demonſtratrix. Talis cùm ſit ouatio, non mirum eſt, ouare apud noſtros idem eſſe ac lætitia efferri, non ob rem quamlibet, ſed ſanè ob Rempub. bene geſtam; eumque affectum maxima quaque ſignificatione teſtari. Virgilius, Plin. lib. 15. c. 4.

– ita me referat tibi magnus ouantem Virgil. 9. Æneid.
Iupiter, aut quicunque oculis hac aſpicit æquis.

Et Claudianus,

– nec contra nixus ouantem Claudian. de laud. Stilich.
Confringas animum.

Huic tantæ lætitiæ demonſtrandæ myrtea corona, propter illa quæ retuli, viſa eſt peridonea.

CAROLI PASCHALII

REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

DE CORONIS LIBER OCTAVVS; QVI EST DE CORONIS TRIVMPHALIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Triumphalis corona munus exercitus. Quandoque prouinciarum. Hæc fuit & laurea & aurea. Laurea caput triumphantis euinciebat. Inſignis laurea quæ. Quandoque triumphans laurum manu tenuit. Laurus ſymbolum victoriæ, & inſigne triumphi.

Plutarch. Mar.

VIx vnquam fit mentio triumphi ſine corona; vſque eò hæc duo videntur eſſe congenita. Venit Marius, inquit Plutarchus, ad coronam, & ad triumphum. Cæterùm triumphales coronæ erant duorum generum. Priorem locum obtinuit illa quam exercitus imperatori dabat, ſcilicet, argumentum iudicij de ſuo duce ſui. Huius duæ fuerunt ſpecies, Vna laurea, quam triumphans capite geſtabat. Altera fuit aurea, id eſt, ex auro effigiato in ſpeciem lauri. Alterius generis fuerunt illæ, quas prouinciæ ductori exercitus Romani, cùm is è militia Romam redibat victor, gratulationis ergo certatim mittebant. Hoc genus coronarum triumphanti præferebatur. E duabus prioribus illa quæ erat laurea, id eſt, contexta, ſeu plexa è duobus ramulis lauri, caput triumphantis euinciebat. At illa aurea propriè dicebatur inſignis

laurea; quandoque inſignis corona triumphalis. Hanc ſeruus publicus eodem quo triumphator curru vectus geſtabat ſuper caput eius. Quod hæc vocaretur inſignis, perſpicuum eſt è verbis Sex. Tullij, qui nomine exercitus C. Sulpitium dictatorem ſic alloquitur; *Te, Imperator, milites tui oramus vt nobis pugnandi copiam facias. Tum vincere cupimus; tum duce te vincere; tibi lauream inſignem* [videlicet, auro & gemmis] *deferre; tecum triumphantes vrbem inire; tuum ſequentes currum Iouis Opt. Max. templum gratantes ouanteſq; adire.* Similiter Manlius agens de ſuo triumpho, *L. Furius*, inquit, *& L. Æmilius currum triumphalem me conſcendere prohibent; coronam inſignem capiti detrahunt*, id eſt, qua corona ab exercitu meo donatus ſum, hac me inſignitum triumphare vetāt. Certè cùm Feſtus ait coronas triumphales fuiſſe eas quæ imperatori aureæ præferuntur, dimidiatum neſcio quid dicit; aut hoc perperam dicit & indiſtinctè. Nam ſi rem, vt ſe habet, eloqui voluit, diſcriminanda fuit verè laurea à verè aurea. Ridiculè enim ait, propter paupertatem has coronas fuiſſe laureas. Ac ſi Repub. florentiſſima laureæ à triumphantibus non geſtatæ fuerint. Nec tamen inficior, in priſca Repub. quòd tenuis erat, neceſſe fuiſſe honorum monumenta è rebus quoque tenuibus, paratuque facilibus conſtare. Sed vt hinc Feſtus conficiat, tunc temporis coronas triumphales tantùm fuiſſe laureas, hoc verò omni repugnante antiquitate, loquitur. Quinimo, in priſca illa Repub. aureas quoque fuiſſe docet Liuius, qui *L. Quintio Cincinnato Dictatori ait, ab exercitu L. Minutij Conſulis, quem obſidione liberauerat, decretam eſſe coronam aueam libræ pondo.* Qui mos in vetere Repub. natus vſque ad ſeros principes eſt propagatus. Nam & Stilichonem, ob partam inſignem victoriam, ab vniuerſo exercitu priſco more coronatum rediiſſe, teſtis eſt Zoſimus. Ergo hæc laurea corona, quam triumphans capite geſtabat, diſtinguenda eſt ab illa aurea, vt & ipſe Feſtus fatetur; & ipſe è Liuio verum eſſe doceo. *Poſtero die*, inquit, *& cognati, amiciq; Cn. Manlij ſummis opibus annixi ſunt, & autoritas ſeniorum valuit, negantium exemplum proditum memoriæ eſſe, vt imperator qui perduellibus deuictis, confecta prouincia, exercitum reportaſſet, ſine curru & laurea priuatus, inhonoratuſq; vrbem iniret.* Silius quoque Italicus facit Appium Claudium triumphantem reuinctum lauro,

Appius adſtabat pugnæ, laureq; reuinctus
Iuſtum Sarrana ducebat ſede triumphum.

Sed omnium accuratiſſimè Zonaras hoc ipſum tradit in triumpho Camilli. Ait enim, quam coronam Camillus triumphans, ac triumphali curru ſublimis capite geſtabat, fuiſſe contextam è

Liu. lib. 7.
Liu. lib. 38.
Feſt. triumphales.
Liu. lib 3.
Zoſim. lib. 5.
Liu. lib. 38.
Sil. Ital. lib. 6.
Zonar. in Camil.

ramulis lauri. At ſupra caput eius aliam fuiſſe quam ſeruus publicus tenebat gemmis inſignem, eamq; enormis magnitudinis, cui, ſcilicet, ferendæ nullum mortale caput eſſet idoneum. Itaque non ſolùm in Rep. ſed & ſub principibus triumphales haſce coronas quæ capite geſtabantur, conſtat fuiſſe laureas. Hoc quoque diſcimus ex Ouidio,

Ouid. lib. 2. de Pon.

Ipſe ſuper currum placido ſpectabilis ore
Tempora Phœbea virgine nexa tulit.

Et paulò poſt,

Hanc colit ante diem per quam decreta parenti
Venit honoratis laurea digna comis.

Et Tibullus de triumpho Meſſallæ,

Tibull. l. 1. el. 7.

At te victrices lauros Meſſalla parentem
Portabat nitidis currus eburnus equis.

Victrices lauros dixit, nempe duos lauri connexos in orbem ramulos. Idem alibi de Meſſallino,

Tibull. lib. 2. el. 6.

Ipſe gerens laurus, lauro deuictus agreſti
Miles Io magna voce triumphe canet.

Plutarch. Æmil. Pau.
Valer. Max. lib. 2. cap. 3.

Illud non omiſerim, quandoque triumphantes currui inſidentes non quidem capite coronam lauream, ſed manu ramum lauri tenuiſſe. Id quod de Æmilio Paulo diſertim Plutarchus tradit. Cæterùm de triumpho Valerius Maximus verba faciens ait, *Probentur nunc cuiuſlibet gloria cupidi, qui ex deſertis montibus, myoparonumq; pyraticis roſtris laudis inopes, laureæ ramulos feſtinabunda manu decerpſerunt*, id eſt, immeritum triumphum ſibi decerni æquum cenſent. Et, vt M. Tullius loquitur, *laureolam in muſtaceo quærunt*. Eſt ergo laurus, ſiue laurea, nempe corona vt ſymbolum victoriæ, ita inſigne triumphi, *Laurea illa*, inquit Cicero, *magnis periculis parta amittit longo interuallo viriditatem*. Et alibi, *Ex illo fonte & ſeminario triumphorum cùm arida folia laureæ retuliſſes*. Portò hoc decus videtur fuiſſe propriũ nominis Romani. Etſi ducibus inſignioribus Græcia quoque tribuit κορυθαλίαν, quam Heſychius interpretatur eſſe δάφνην ἐστεμμένην laurum coronatam, quidam, inquit, ereſionem. Fortaſſis coronæ illæ aureæ, quibus Alcibiades poſt reditum in vrbem Athenarum ingenti omnium conſenſu donatus eſt, fuerũt laureæ, id eſt, aureæ, lauri forma, στεφάνοις μὲν ἐστεφανώθη χρυσοῖς, coronis quidem coronatus eſt aureis. In hunc ordinem videntur illæ omnes referendæ, quas milites Græci dabant imperatoribus ſuis. Ibidem quidam è peregrinis iam coronabant Ageſilaum, inquit Xenophon. Quo exẽplo Antiochus poſt deuictos Galatas à Macedonibus eſt coronatus.

Cic. lib. 5. epp. ad Att. ep. 20.
Cic. de prou. Coſ.
Cic. in L. Piſon. orat. 38.
Heſych. κορυθαλία.
Plutarch. Alcib.
Xenoph. hiſt. Græc. lib. 4. & in laudat. Ageſ.
Lucian in Zeuxi ſiue Antiocho.

CAPVT II.

Vnde laurea triumphantium decerpta fuerit. Omnia Cæſaribus per laurum. Duo laureta è quibus decerpta hæ laurus, nempe lauretum Numæ, & lauretum Cæſarum. Laurea triumphalis apud Iouem Capitolinum deponi ſolita. Quæ conſuetudo originem traxit è Græcia.

SED cùm agimus de hac laurea, non promiſcuam & qualemcunque laurum dicimus, ſed ſanè decerptam ex eo laureto quod vni huic vſui deſtinatum fuerat. Quippe ſcriptores tradunt, *gallinam roſtro tenuiſſe ramulum lauri, ipſamq́ ab aquila demiſſam in gremium Liuiæ. Placuiſſeq́ eum ramum pangi. Vnde tale exſtitit lauretum, vt triumphaturi Cæſares inde laureas decerperent. Fuitq́ mos triumphantibus alias confeſtim eodem loco pangere.* Et hinc quidem Romani Cæſares ſuas laureas deſumebant. Certè dein Cæſarum vſque eò propria laurus eſſe cœpit, vt ſiquid ſignificaretur ominis quod ad ipſorum exitium, aut ſalutem pertineret, id fieret per laurum. Qua de re extat Suetonij locus hiſce verbis, *Pridie eaſdem Idus autem regaliolum cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ ſe inferentem volucres varij generis ex proximo nemore perſecutæ ibidem diſcerpſerunt.* Ad hoc lauretum (nam inibi plures enatæ lauri) adluſit Calphurnius in eglogis, Sueton. Galba. cap. 1. Sueton. Iul.

Me quoque facundo comitatus Apolline Cæſar
Reſpiciat; montes neu dedignetur adire
Quos & Phœbus amat; quos Iupiter ipſe tuetur;
In quibus auguſtos viſuraq́ ſæpe triumphos
Laurus fructificat, vicinaq́ naſcitur arbos. Calph. ecl. 4.

Ergo verum eſt, ſub principibus coronas triumphales, hoc eſt laureas hinc decerpi ſolitas. Sed in vetere Repub. aliud lauretum fuiſſe conſtat, *quod in Auentino multò poſt Romam conditam virere cœpiſſe*, autor eſt Macrobius. De quo laureto hæc tradit Halicarnaſſæus de Auentino loquens, Eſt is collis mediocriter altus octodecim fermè ſtadiorum ambitu, ſylua tunc obſitus varij generis, præcipuè copioſa & pulchra lauro, vnde lauretum pars eius à Romanis dicitur. Nunc autem totus refertus eſt ædificijs. Certè hæc vltima verba, Nunc autem eſt totus refertus ædificijs; palam faciunt, non de hoc priſco, ſed de illo nouo Cæſarum laureto Caſſiodorum loqui, vbi agit de Gallica nobilitate, quæ tandem Curiæ reſtituta eſt. Nempe ex eo laureto, vt ex eius verbis Macrob. lib. 3. Stat. cap. 12. Varro. lib. 2. rer. hum. Dionyſ. Halicarn. antiq. Rom. lib. 3.

conijcio, triumphales laureæ decerpebantur. *Tandem*, inquit,
Caſſiod. lib 2. *preſſos diuina leuauerunt. Romam recepere cum gloria; & auorum antiquas laurus ab ornata Curia ſylua legerunt.* Atque adeò hinc omnem ſcrupulum demit Plinius, qui diſertim tradit fuiſſe duas ſyl-
Plin. li. 15 c. 30. uas, hoc eſt, duo lautera. *Et durant*, inquit, *ſyluæ nominibus ſuis diſcreta, fortaſſis ideo mutatis triumphalibus.* Et paulò poſt, *Durat & in vrbe impoſitum loco* [nomen] *quando loretum in Auentino vocatur, vbi ſylua lauri fuit.* Ibidem, ſcilicet, vbi Halicarnaſſæus domibus ſua ætate locum refertum tradit. Vt recentior ſylua vocabatur lauretum Cæſarum, ita illud priſcum dicebatur eſſe lauretum Numæ. Sulpicia,

Sulp. in ſat. cãt. Domit. *Nam laureta Numæ, fonteſq́ habitamus eoſdem.*

Talibus locis antiquitas delectabatur, quibus perſæpe magna celebritas accedebat. Huiuſmodi fuit illud apud Daphnen vrbem Peluſio proximam. Nam ob multas laurus quæ ibi proueniebant,
Steph. δάφνη. Solin. cap. 55. incolæ vocati ſunt *δαφναῖοι*. Et *Aſpagonum gens laureis perhibetur virere ſyluis.* Cæterùm obſeruandum eſt, lauream hanc triumphalem deponi ſolitam apud Iouem Capitolinum præſidem arci, reique adeò omni Romanæ. Nimirum ſæpe dux ante victoriam vouebat Ioui coronam. Sed ſiue eam vouiſſet, ſiue minimè, certè deponebatur apud Iouem. Hoc diſcimus ex Ouidio, vbi agit de triumpho ob victam Germaniam,

Ouid. lib. 4. de triſt. *Inde petes arcem, & delubra fauentia votis;*
Et dabitur meritò laurea vota Ioui.

Hunc quoque morem Statius expreſſit,

Stat. lib. 4 Sylu. *Reſtat Bactra nouis, reſtat Babylona tributis*
Frenari; nondum gremio Iouis indita laurus.

id eſt, hæ gentes nondum ſunt triumphatæ. Plinius in loco ſupra citato hoc ipſum diſertim tradit, de laurea loquens, *Faſces*, inquit, *imperatorum decorat. Ex his in gremio Iouis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit.* Quo loco illud *ex his*, fateor mihi eſſe ſuſpectum, & fortaſſe legendum, *exin.* Sed ſiue vetus illa lectio, ſiue hæc noſtra manet, haud dubiè hoc Plinius dicit, Vbi imperatoris duodecim faſces laurea decorauit, illa, inquam, laurea detracta faſcibus datur Ioui Capitolino; hoc eſt, conſecratur ei numini cuius in tutela eſt res Romana.
Iul. obſeq. de prod. cap. 62. Adeſt & locus Iulij Obſequentis, qui memorat, *C. Antonium Conſulem, cùm in agro Piſtorienſi Catilinam deuiciſſet, laureatos faſces in prouinciam tuliſſe. Ibi à Dardanis oppreſſum, amiſſo exercitu profugiſſe. Apparuit*, inquit, *eum hoſtibus portendiſſe victoriam, cùm ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio*

debuerat

debuerat deponere, id eſt, cùm grates Ioui, recepto & vſitato more, ob eam victoriam agere debuerit, tantæque rei argumentum, laurum faſcibus additam deponere in gremio ſummi numinis, hoc tam celebri cultu, gratique animi ſignificatione omiſſa, eoſdem faſces, vt erant, laureatos totus in alium hoſtem verſus ſibi præferri voluit. Nec mirum ſi illa laurus index partæ victoriæ, omine verſo, præſagiit inſtantem cladem. Hunc quoque morem exprimit Latinus Pacatus his verbis, *Ne virtus, quiete langueſceret, depoſitis in gremio Capitolini Iouis laureis*, hoc eſt, victoria parta, *triumphales viri ruſticabantur*. Et de hoc quidem more deponendi victrices laureas ſatis eſt exploratum. Hoc tantùm addo, eam conſuetudinem manaſſe à priſcis aliarum gentium moribus. Certè Plato in ſuis legibus, vbi conſtituit ſingulis militibus coronam θαλλῶ τὸ νικητήριον oleæ victoriæ præmium, addit eam cum inſcriptione dedicandam in templis Deorum militarium. Enimuero mos erat Athenis, vt publicæ rei curator poſt rem proſperè geſtam aliquod donarium, ſiue ἀνάθημα Mineruæ ſuſpenderet. Ergo Dinarchus, vbi acriter inuectus in Demoſthenem, nihil ab illo quod Reip. conducat, geſtum eſſe ait, addit, Ecquis Deę cultus ab iſto in arcem eſt allatus? Ac ſi dicat, ſi iſte quidpiam egregiè proſpereque geſſiſſet, eius rei haud dubiè aliquod exſtaret teſtimonium Deæ ſuſpenſum ac dicatum, vt publici moris eſt.

Lat. Pac. in Paneg.

Plato lib. 12. de leg.

CAP. III.

Inſignis corona in gremio Iouis Capitolini depoſita, A quo daretur, & cuius ſumptibus fieret. Mos Romanus deponendi coronas apud numina. Verè laurea domi aſſeruari ſolita. Eius forma & materia.

SCiendum eſt, Iouem Capitolinum fuiſſe cultum corona non tantum laurea, quę facilè areſcit, ſed & illa quam dixi vocari inſignem ſpecie, ſcilicet, amplitudine, materia. Specie quidem & amplitudine, hoc eſt, ambitu & latitudine tanta fuit, vt ſatis appareret, non vlli condecorando mortali capiti inuentam, ſed illi vni, quod vnum eſſet caput rerum, ſepoſitam. Enimuerò res maximo numini vota & conſecrata non apud alium ſanctius aſſeruari, quàm in æde eidem ſummo numini dicata potuit. Non ergo hanc triumphalis dux domum ſuam deferebat, ſed eam ipſe, perfecto prope triumpho, triumphali curru vectus deferebat ad Iouem; eamque in ipſius gremio deponebat. Nempe effigies Capitolini

Iouis, ad exemplum Olympici ſedebat. M. Tullius vbi loquitur de Cæſare victore Galliarum, *ſi, inquit, in Capitolium inuehi victor cum illa inſigni laurea geſtiret, ſi denique, &c.* Hoc ipſum exprimit Silius Italicus inducens Iouem de Africano ſuperiore verba facientem,

Cic. de prou. Conſ orat. 37

Ille, ô nata, libens cui tela inimica ferebas,
Contundet Tyrios iuuenis, ac nomina gentis
Induet, & Lybicam feret in Capitolia laurum.

Sil. Ital. lib. 9.

Idem alibi inducit virtutem alloquentem hunc ipſum Scipionem in his verſibus,

Sed dabo qui veſtrum ſæuo nunc Marte fatigat
Imperium, ſuperare manu, laurumq́; ſuperbam
In gremio Iouis, excisis deponere Pœnis.

Sil. Ital. lib. 15.

Quæret quiſpiam cuius datu & conceſſu geſtaretur ea corona; cuius item ſumptibus fieret. Reſpondeo, à Senatu decretam, ac proinde publico ſumptu factam. Quod à Senatu decreta fuerit, docet M. Tullius vbi de tali corona loquitur, *Quid eſt*, inquit, *quod confecto formidoloſiſſimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à Senatu?* Et hæc quidem dici poſſunt de inſigni corona, quæ Ioui ab imperatore vota, poſt victoriam à Senatu decreta, dein ab ipſo triumphatore in gremio Iouis depoſita, poſtremò in æde ipſius cum cæteris donis religioſè aſſeruari ſolita fuit. Sed priuſquam vltra tendo, moneo, non tantùm apud Iouem Capitolinum haſce laureas coronas depoſitas fuiſſe, ſed & apud alia numina. Enimuero quiſquis è negotio feliciter geſto Romam coronatus redierat, is ſuam coronam apud ædem eius numinis, cuius ope rem confecerat, conſecrabat. Quod ad exemplum *Q. Fabius Pictor, cùm à Delphis, quò ad conſulendum oraculum miſſus fuerat, ad vrbem laurea coronatus rediiſſet, ſe ait quæcunque imperata ſint cum ſumma religione ac diligentia executum coronam Romæ in ara Apollinis depoſuiſſe.* Hoc ipſum firmant Ouidiani hi verſus ad Germanicum,

Cic. in L. Piſ. orat. 38.

Liu. lib. 13.

Quòd ſi me ſaluo dabitur tua laurea templis,
Omina bis dices vera fuiſſe mea.

Ouid. lib. 2. de Ponto ad German.

hoc eſt, ſi populus coronatus lauro, laurumque manu ferens gratias Diis aget apud omnia puluinaria ob res abs te geſtas. Illa altera corona verè laurea, quam triumphans capite geſtabat, veluti ſplendidiſſimum domeſticæ virtutis inſigne, ſumma cura domi aſſeruabatur; eamque perſæpe proferri, mos in vetere Repub. receptiſſimus fuit. Nimirum, cuicunque triumphus decretus fuerat, huic quoque inſignia triumphi decreta cenſebantur, quæ ipſi geſtare ius eſſet. Inter hæc primus haud dubiè huic coronæ locus,

erat adſignatus. Itaque in ſpectaculis, aut quoties res magna peragebatur, cùm, inquam, inſignis alicuius diei ſtatis temporibus magna ſpecies recurrebat, tunc verò vir triumphalis in publicum egrediebatur ſua corona non tantùm conſpicuus, ſed & venerabilis. Eam coronam equidem auream fuiſſe nego, nec gemmatam. Vt hæc non potuit eſſe non inuidioſa, præſertim in libera ciuitate, & in re cuiuſque familiari, ita illa erat præclariſſimum monumentum tantæ partæ laudis, & eius nobilis victoriæ, quæ eam laurum edidiſſet. Valerius Maximus & Plutarchus memorant *Val. Max. lib. 3. cap. 7.* *Africanum in ius vocatum ingenti frequentia in forum deductum roſtra conſcendiſſe, capitiq; ſuo corona impoſita, dixiſſe, Hac ego, Quirites, die Carthaginem magna ſperantem leges noſtras accipere iuſſi. Proinde æquum eſt vos mecum ire in Capitolium ſupplicatum.* Quid? Num cuipiam ſuſpicandum relinquitur Africanum populo ſe conſpiciendum præbuiſſe euinctum caput auro, non lauro? Neque tamen exiſtimandum eſt hanc coronam tantùm fuiſſe plexam è duobus lauri ramulis, quales arbori detrahuntur. Accedebant quædam additamenta, veluti inſignia eius laureæ quæ deſtinaretur decorando capiti viri triumphalis. In hoc, ſcilicet, hæc additamenta fuerunt inuenta, vt hæc corona triumphalis diſtingueretur ab iis coronis, quæ militum, aliarumque rerum aliorumue hominum propriè fuerunt. Et mihi quidem fit veriſimile his coronis additas fuiſſe tænias, ob eam cauſam quam alibi dico. Porrò de his additamentis agit Tertullianus his verbis; *Triumphi laurea foliis ſtruitur. Hanc aduerbis* [corruptiſſimam vocem excludo, & pro ea verecundè ſubſtituo, adaugent] *lemniſcis; inauratur lamnulis; vnguentis delibuitur à lachrymis coniugum & matrum, fortaſſe quorundam & Chriſtianorum. Nam & apud barbaros cuius* [lego, eſt] *Chriſtus. Qui hanc portauerit in capite cauſam, nõne & ipſe pugnauit?* Hoc ergò ſic ſtatuendum, coronam triumphalem, eam quæ domi ſeruabatur, fuiſſe ſtructam foliis; quibus accedebant illa quæ proximè dixi. Exſtat & locus Velleij Paterculi, vnde hoc ipſum confirmatur. *Cn. Pompeio*, inquit; *Tribunos plebis legem tuliſſe vt ludis Circenſibus corona aurea, & omni cultu triumphantium vteretur. Scenicis autem prætexta, coronaq; aurea. Id quod ille nõ plus quàm ſemel (& hoc ſane nimium fuit) vſurpare ſuſtinuit.* Nempe, ſi viro triumphali auream coronam capite geſtare licitum fuiſſet, nihil ſanè fuit opus de ea re ferre ad populum. Id ergo extra ordinem, ac præter ſolitum morem Pompeio decretum. Quæ ſpecies vſque eò inſolens & ſuperba Romæ viſa eſt, vt ipſe Velleius humilis principalium nominum

Tertull. de cor. mil.

Vell. Patert. lib. 2.

adulator, cùm ea corona Pompeius non pluſquam ſemel vſus fuerit, id tamen nimium, id eſt, libertati intolerandum eſſe dicat. Iulius quidem Cæſar *ex omnibus decretis ſibi à Senatu, populoq́ʒ honoribus non alind aut recipit, aut vſurpauit libentius quàm ius laureæ coronæ perpetuò geſtandæ*, ne, videlicet, vllo viro triumphali hac in parte inferior eſſet. Quod in Pompeij decreto inſolitum fuit in materia, in Iulio fuit in tempore. Nam ex ea die Cæſar caluitij deformitatem iniquiſſimè ferens, illud texit corona laurea, cuius perpetuò geſtandæ ius acceperat. Sed poſtea huic ipſi Cæſari (& id quoque præter ſolitum morem) *ex prouinciis redeunti. C. Sentio. & Q. Lucretio C O S S. currus cum corona aurea decretus eſt, quò aſcendere noluit.* Eundem quoque Cæſarem poſtea coronatum memorant ſcriptores ex corona de qua alibi dico. *Sedebat in roſtris collega tuus*, inquit Cicero, *amictus toga purpurea, in ſella aurea coronatus.* Plinius adnotauit, triumphaturis collatas fuiſſe eas coronas quæ in templis erant dicandæ, nempe aureas; cuiuſmodi fuit illa, quam Pompeio decretam dixi.

Sueton. in Iul. cap. 45. Dio. in Iulio. Caſſiod. in Chron. Cic Philip. 2. orat. 45. Plin. lib. 16. cap. 4.

CAP IIII.

Exercitus triumphantis laureatus Magna corona quæ. Primores ciuium in triumpho laureati. Miles, & multitudo coronata ludos ſpectabat. Milites victores coronati in loco victoriæ. Laurus agreſtis. Militibus pugnaturis corona datæ. Præcipui è militibus donabantur aurea corona. Omnibus victoribus dantur coronæ.

NEque verò ipſum tãtùm triumphatorem, ſed & milites eius, quorum brachiis parta erat victoria, cùm triumphum celebrabant, laurea corona inſignes fuiſſe conſtat. Hinc eſt quod Tertullianus firmat, coronam eſſe *inuentum militum Romanorum ex vſu rei ſecularis.* Quamuis ipſe Tertullianus parum meminit eius quod ſupra dixit, nempe *Liberum fuiſſe principem coronæ planè laureæ in qua ex Indis triumphauit.* Idque ait vulgus agnoſcere, cùm dies in illam ſolennes Magnam appellant coronam. Ergo laurea corona non tam videtur fuiſſe inuentum militum Romanorum, quàm Liberi. Vt vt eſt, hæc corona planè eſt militaris, & ab ipſo Tertulliano vocatur *Sertum militare.* *Militum quidem propria eſt cauſa*, inquit apud Liuium M. Seruilius, *qui & ipſi laureati, & quiſque donis quibus donati ſunt, inſignes triumphum nomine cient.* Alexander Macedonibus militibus nunc immodeſtè incuſatis, nunc comiter appellatis, complures bello inutiles exauthorauit, magnifi-

Tertull. de cor. mil. Idem. Liu. lib. 15. Q. Curt. lib. 10. Plutarch. Alex. Mag.

centiſſimeque donatos dimiſit. Scribens quoque ad Antipatrum Macedoniæ præfectum, eis ad ſpectanda certamina priores in theatro partes aſſignari, coronatoſque ſedere iuſſit. Sed hic potiſſimùm mos ab Romanis fuit vſurpatus, Vniuerſus exercitus, inquit Plutarchus in triũpho M. Æmilij Pauli, laureatus ducẽ ſequebatur per cohortes & ordines. Quæ ſpecies triũphi ſeruabatur in ſpectaculis, aliiſq; diebus, ſolennibus non ſolùm à primoribus, ſed ab ipſo populo. Et de primoribus quidem exſtat locus Plutarchi in triumpho L. Syllæ, quem honeſtabat præclariſſimus & potentiſſimus quiſque ciuium, & quidem coronatus. De populo extat locus Liuij. Is enim poſtquam egit de origine ludorum Apollinarium, addit, *Hæc eſt origo ludorum Apollinarium, victoriæ, non valetudinis ergo, vt plerique rentur, votorum. Factoſq́, populus coronatus ſpectauit.* Quem morem Antiochus Epiphanes imitatus dicitur, cùm exhibuit pompam in celeberrimo Græcorum conuentu. Quippe inibi primus ordo fuit hominum quinque millium inſtar agminis Romani, cum hamatis loricis. Sequebantur Myſi totidem. Dein Cilicum tria millia leuis armaturæ cum aureis coronis. Cæterùm huius moris coronandi milites rationem reddit Feſtus, & quidem è Maſſurio, vt Plinius tradit, *Vt quaſi*, inquit, *purgati à cæde humana intrarent vrbem. Quia omnibus ſuffitionibus laurum abbiberi mos erat.* Quæ ratio nec Plinio eſt placita. Atque adeò inepta ea re videri poteſt, quòd

Plutarch. Æmil. Paulo.

Plutarch. Sylla.

Liu. lib. 15.

Athen. lib. 5.

Feſt. Laureati.

καθαρὸς ἅπας πολεμίους ὃς ἂν κτάνῃ. *Euripid. Ion. actu 4.*

Cui verſui addo hunc è Menandro,

πᾶς ἁγνός ἐστιν ὁ μηδὲν αὑτῷ συνειδὼν *Clem Alex. lib. 7. Strom.*

Item hunc è Q. Calabro,

ἐσθλὸς ἀνὴρ καὶ δήιον ἄνδρ' ἐπαμύνει. *Q. Calab. lib. 13.*

Quorum verſuum hic eſt ſenſus,

Is mihi purus erit qui in bello occiderit hoſtem,

His addo ſententiam Democriti, κλέπτην καὶ λῃστὴν πάντα κτείνων ἀθῷος ἂν εἴη καὶ αὐτοχειρίῃ, καὶ κελεύων καὶ ψήφῳ. Furem & prædonem omnem occidens innocens erit quamuis ſua manu, & iuſſu & ſuffragio. Nec ſolùm in triumpho milites victores coronabantur, verùm etiam in ipſo loco, vbi victoria parta eſſet. Quo exemplo Ageſilaus, magna de Thebanis parta victoria, cùm id ſcire vellet an iterum Thebani eſſent pugnaturi, milites coronari iuſſit, ac tibicines canere, denique ſtatuere & ornare trophæum ſicuti victores. Porrò non tantùm victoribus militibus, ſed & pugnaturis ſæpe dabantur præmia, cuiuſmodi Ageſilaus dedit iis quos ex Aſia ſecum in Græciam ducere decreuerat. Quæ præmia fuerunt arma tam peditatus quàm equitatus. Fuerunt & coronæ aureæ. Idipſum

Stob. περὶ νόμ. καὶ ἐθ.

Plutarch. Ageſ.

Xenoph hiſt. Græc. lib. 4.

Xenoph. in Rep. Lacedæm. & in Lycurgo. de Lacedemoniis tradit alibi Xenophon. Cùm enim in hoſtium conſpectu capra mactatur, quotquot adſunt tibicines tibia canunt ac nemo Spartanus ἀστεφάνωτος ἐστι ſerto caret. Id ipſum de Celtis tra- *Ælian. var. hiſt. lib. 12. cap. 23.* dit Ælianus. Enimuero Cyrus poſtquam hortatus eſt milites ad pugnam, denique addit vt eant pranſum coronati, factiſque liba- *Xenoph. de inſtit. Cy. lib. 3.* tionibus veniant ad ordines cum ſuis coronis, ſiue ſertis. Et paulò infra, alloquens τοὺς οὐραγοὺς, tergiductores, vel extremam partem agminis, Venite, inquit, cum aliis ad ordines coronati. Hîc non prætereundum, haſce militum lauros non ex illis, quæ dixi, laure-tis decerpi ſolitas, ſed è qualibet obuia lauro, quam ideo Tibullus vocat agreſtem, id eſt, ex agris promiſcuè decerptam.

Tibul. lib. 2. el. 6.

Ipſe gerens lauros lauro deuinctus agreſti
Miles Io magna voce Triumphe canet.

Illi quoque milites quorum præcipua in exercitu opera eminue- *Zonar. in Cam.* rat, donabantur aurea corona, tum argentea. In his coronis inſcul-pta erant geſta illorum qui iis donabantur. Ac Tertullianus autor eſt *lauream in donatiui diſpenſatione denunciari*, vbi lauream ſignat *Tertull. de cor. mil.* auream, minimùm argenteam. Id quod inſequentia Tertulliani verba docent, *Planè*, inquit, *non gratuita idololatria, aliquibus aureis venditans Chriſtum.* Talem coronam accepiſſe Soſim Syracu- *Liu. lib. 26.* ſanum & Mericum Hiſpanum Liuius memorat. *Et non minimum*, inquit, *fuêre ſpectaculum cum coronis aureis præcedentes Soſis Syracuſanus, & Mericus Hiſpanus, quorum altero duce nocturno Syracuſas introitum erat.* Supra quoque vidimus, L. Siceium Dentatum aurea corona virtutis ergo donatum. Denique triumphalibus hiſce coronis rectè adnumerantur illæ, qualeſcunque dici eas mos eſt, quibus omnes victores donātur ſicuti præclariſſimis inſigniis rei geſtæ, ſiue ſinguli eas accipiant, ſiue vniuerſi. Huiuſmodi ſunt *Agath.* illæ, illiſque ſimiles, de quibus Agathias, Poſt inſignem illam, inquit, Francorum cladem acceptam ſub Bultino eorum duce, Romani præda onuſti, pæana canentes, lęti & alacres, coronatique ante præfectum ordine incedentes Romam venerunt.

CAP V.

In triumpho citharœdi ac tibicines coronati, tum in ſpectaculis. Martyres Chriſti coronati. Lanceæ, pili, faſces in triumpho coronati. Lictores laureati. Equi trahentes currum triumphalem laureati. Elephanti coronati. Ruſtica inſtrumenta viri triumphalis dicebantur laureata. Signa Deorum laureata quoties vir triumphalis ſacrificaret. Ipſe triumphus laureatus.

IN pompa triumphali Scipionis Africani omnes citharœdi ac tibicines cōſpecti ſunt coronati. Nec in triumpho tantùm, ſed & in theatris exibebantur tales. Qua de re exſtat locus inſignis in libris ad Herennium. *Vti, inquit, citharœdus cùm prodierit optimè veſtitus palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam auro & ebore diſtinctam.* Hanc coronam Nero acerrimè concupiuit, vſque eò vt omnes huius generis coronæ ad eum delatæ fuerint. Ad ſimilitudinem militum martyres Chriſti, ſicuti victores tyrannicæ impietatis, donantur coronis aureis. *Autor ad Heren. lib. 4.* *Xiphil. Ner.*

Non ſordidati aut debiles,
Sicut videntur interim,
Sed purpurantibus ſtolis
Clari, & coronis aureis. *Prudent. periſteph.*

Alibi idem poëta has coronas vocat rutilas.

Iuſtorum dirimente Chao, rutilaſq; coronas
Eminus oſtendi pœnarum carcere merſis. *Prudent in Hamartig.*

Et paulò poſt,

Lux immenſa alios, & tempora vincta coronis
Glorificent. me pœna leuis clementer adurat.

Ipſæ lanceæ, ipſi pili, ipſi faſces qui imperatori triumphanti præferebantur, erant laureati, vt diſertim Plinius tradit eo loco quem ſupra citaui. Tum Halicarnaſſæus agens de Seruilio Conſule, qui triumphum petens, renitente Appio Claudio collega, faſces coronari iuſſit. Et ipſe coronatus ac triumphali veſte indutus vrbē inij comitante populo. Poſtremò aſcendit in Capitoliū, ac votis nuncupatis, inibi ſpolia ſuſpēdit. Nec ſolùm Romæ, ſed & in ipſis prouinciis victori imperatori laureati faſces præferebātur, vt Lucullo & Pōpeio, autore Plutarcho. De horū ipſorū cōgreſſu loquēs Plutarchus. Vt ſolent, inquit, maximi duces magnarum rerum geſtores, occurrerunt alter alteri cum lictoribus præferentibus faſces. *Dionyſ. Halicar. lib. 6. antiq.* *Plutarch. Lucullo.*

laureis reuinctos. Verùm Lucullus è locis viridibus & vmbroſis, Põpeius è nudis & frigidis prodibat. Ea re cùm lictores Luculli viderent laureas Pompeij iam areſcentes, è ſuis recentibus dederunt

Plutarch. Pompeio. Põpeianis, vnde hi ſuos faſces ornarunt & coronarunt. Quod fuit omen Pompeium æquaturum gloriam, reſque geſtas Luculli. Hîc eſt locus aduertẽdi, eos qui fuiſſent imperatores populi Romani, donec imperiũ deponerẽt, præ ſe duxiſſe lictores laureatos. Id col-

Cic. ad Att. lib 15. ligo ex hiſce verbis M. Tullij, *Subitò*, inquit, *conſilium cæpi, vt antequam luceret, exirem, ne quis conſpectus fieret aut ſermo, lictoribus*

Cic. ad Att. lib. 8. ep. 3. *præſertim laureatis*. Et alibi, *Age, iam has compedes, faſces*, inquam, *hos laureatos efferre ex Italia quàm moleſtum eſt?* Ipſi equi trahentes

Tertull. de cor. mil. currum triumphalem pariter erant coronati hac laurea, quam Tertullianus militarem vocat. Propertius hæc de ſe alludens ad triumphum.

Propert. lib. 3. eleg. 1.

> *Quò me fama leuat terra ſublimis, & à me*
> *Nata coronatis muſa triumphat equis.*

Et Ouidius,

Ouid. lib. 2. de triſtib.

> *Hic tibi ſi rideat ſuperato victor ab hoſte,*
> *Inq́; coronatis fulgeat altus equis,*

Idem alibi agens de triumpho Druſi Germanici,

Ouid. lib. 4. de triſt.

> *Ergo omnis populus poterit ſpectare triumphos;*
> *Cumq́; ducum titulis oppida capta leget,*
> *Vinclaq́; captiua reges ceruice ferentes*
> *Ante coronatos ire videbit equos.*

Martialis quoque de militibus & equis, vtriſque coronatis,

Martial. lib.

> *Feſta coronatos ludet conuicia miles,*
> *Inter laurigeros cùm comes ibit equos.*

Tertull. de cor. mil. Hos equos Tertullianus vocat publicos, *Viderint*, inquit, *& publici equi cum coronis ſuis. Dominus tuus vbi ſecundum ſcripturam Ieruſalem ingredi voluit, nec aſinum habuit priuatum.* Cæterùm hoc exemplo elephantos coronatos legimus. Huiuſmodi fuit ille apud Taxilam vrbem Indicam, quem incolæ ſoliti erant μυρίζειν ϗ ται-

Philoſtrat. in vita Apollonij. νιῦν, vngere & redimire. Ipſa triumphalium virorum ruſtica inſtrumenta è domini dignitate & amplitudine hoc mutuabantur, vt di-

Plin. lib. 18. cap. 3. cerentur eſſe laureata. vt apud Plinium, *Q.anam ergo tanta vbertatis cauſa erat? Ipſorum tunc manibus imperatorum colebantur agri (vt fas eſt credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore.* Et cùm hi duces rem diuinam faciebant, Deorum ſigna vix vnquam non erant laureata. Silius Italicus de Annibale.

Sil. Ital. lib. 15.

> *Et latus repetens gentis primordia ductor*
> *Feſta coronatis agitabat laurea ſignis,*
> *Pacificans diuos.*

Denique

Denique apud hunc ipſum Silium Italicum ipſe triumphus fingitur laureatus.

Me cinctus lauro perduxit ad aſtra triumphus. *Sil.Ital.lib.15.*

CAPVT VI.

De ijs coronis quæ triumphanti præferebantur. Corona prouinciales. Corona Hethruſca. Aurum coronarium. Aurum negotiatorium.

ALIVD genus triumphalium coronarum eſſe dixi, quæ imperatori triumphaturo à prouincijs mittebantur, & quidem in hoc, vt ipſi hæ coronæ in ipſa triumphi celebritate præferrentur, nempe poſtquam triumphum ei decretum eſſe percrebuerat; aut cùm res eius geſtæ tantæ erant, vt ei iure denegari triumphus non poſſet. Quadringentas Æmylio Paulo, cùm triumpharet, prælatas fuiſſe autor eſt Plutarchus. *Plutarch Æmyl. Paulo.* Qui mos dandi ac mittendi coronas victoribus in Græcia quoque viguit, quamuis ibi nulla fuerit celebritas triumphi. Nempe Plutarchus memorat, Lyſandrum quot dona aut coronas acceperat, multis mittentibus homini potentiſſimo, & quodammodo domino totius Græciæ, miſiſſe Lacedæmonem. *Plutarch. Lyſand.* Memorantur etiam ab alijs ſcriptoribus coronæ ingentis ſanè pretij datæ ducibus Romanis. quarum non pauca exſtant exempla in eclogis legationum apud Polybium, quæ inde lectorem ſumere æquum eſt. Quæ Romanis triumphatoribus mittebantur, Tertulliano ſunt prouinciales. *Sunt*, inquit, *& prouinciales aureæ, imaginum iam, non virorum capita maiora quærentes.* *Tertull de cor. mil.* Vnde conſtat eas fuiſſe grandiores & ponderoſiores. Quod imperatoribus in hoc mitterentur, Gellius diſertim tradit. Quod ijſdem præferrentur in triumpho, Feſtus. *Gell lib 5 ca 6. Feſt. triumphalis.* Fortaſſe ad exemplum earum quæ magiſtratibus præferebantur, quas Hethruſcas dici, Tertullianus eſt autor. *Præferuntur etiam illis* [magiſtratibus] *Hethruſcæ. Hoc vocabulum eſt coronarum, quas gemmis & folijs ex auro quercinis ob Iouem inſignes ad deducendas thenſas cum palmatis togis ſumunt.* Huius Hethruſcæ coronæ mentio eſt apud Plinium, *Et cùm corona*, inquit, *ex auro Hethruſca ſuſtineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat æquè triumphantis, & ſerui fortaſſe coronam ſuſtinentis.* *Plin.lib.33. c.1.* In quibus tamen verbis Hethruſcam Plinius nominare videtur illam quam ſupra vocaui inſignem, quam ſeruus eodem curru vectus ſuſtinebat. Porrò quòd eſſent aureæ & gemmatæ, palam eſt è locis ſupra citatis. Nimirum vt munus non tantùm honore conferetur, ſed & pondere & pretio. Ne, inquam, vt *Lucian. de merc. cond.*

Lucianus ait, corona duntaxat eſſet frondea, *ἵνα μὴ φύλλινος μόνος ὁ στέφανος ᾖ*. Vt inſignis illa à Senatu triumphatori decreta deponebatur apud Iouem, ita hæ prouinciales manebant apud eum cui mittebantur. Id quod ea re addo, quòd proceſſu temporis eò ventum eſt, vt hoc argumentum cultus & officij, detrita gratia muneris, factum ſit tributum; cui & in libertate, quod mirere, fuit auro coronatio nomen, quod nunquam accipiebatur niſi decreto triumpho. Hoc diſcimus è M. Tullio, vbi ob hoc ipſum acriter in-

Cic. in L. Piſonem, orat. 38. uehitur in L. Piſonem. *Mitto*, inquit, *aurum coronarium, quod te diutiſſimè torſit, cùm modò velles, modò nolles. Lex enim generi tui & decerni, & te accipere vetabat, niſi decreto triumpho. In quo tu acceptа tamen & deuorata pecunia Vtinachorum, centum talenta euomere non potera.* Hoc exemplo Diodorus Siculus memorat, Carthagi-

Diodor. Sic lib. 11 bibl. nienſes, omni prope ſpe ſalutis abiecta, præter ingẽtem pecuniam, quæ Geloni daretur, adieciſſe auream coronam Demaratæ cõiugi eius; Quæ corona fuit centum auri talentorum, quod ab eius nomine Demaretanum aurum appellatum eſt. Romæ quidem ſub principibus honeſti vocabuli retenta ſpecies eſt, alia tamen re ſenſim inducta; Vt honeſta principia hominum nequitia ſæpe terminat in honeſto fine. In hanc ſententiam Saluiani hæc extant verba,

Saluian lib 6. *Inſuper etiam ridiculos ipſi nos facimus. Aurum quod pendimus munera vocamus. Dicimus donum eſſe quod pretium eſt, & quidem pretium conditionis duriſſimæ ac miſerrimæ.* Prorſus eâdem ratione hãc rem Saluianus exagitat qua M. Tullius exprobrat Piſoni honora-

Cic. in L. Piſonem, orat. 38. rium. *Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui honorarij? ſiquidem poteſt vi & metu extortum honorarium nominari.* Verùm in Repub. res honeſtiſſima adulterari cœpta, ſub principibus fuit furentis auaritiæ continua miniſtra. Nimirum, ineunte principatu, aut nato principi filio, aut adoptione facta, hoc donum coronatium ſynceræ cuiuſdam gratulationis argumentum Romano Cæſari mittebatur, non quidem indictum ſiue imperatum, ſed iam longa adſuetudine debitum; quandoque etiam ſub peſſimis principibus extortum. Hac ratione quæ res principio tota fuit honoris, proceſſu temporis ceſſit in emolumentum. Quod primò fuerit munus, & ſpontaneæ voluntatis argumentum, diſcimus è Plinio, cuius hæc ſunt verba, *Claudius ſucceſſor eius* [Caij principis]

Plin. lib. 33 c. 3. *cùm de Britannia triumpharet, inter coronas aureas vnam XII. pondo habuit, quam contuliſſet Hiſpania citerior. Alteram IX. quam Gallia comata, ſicut titulus indicauit.* Id quod fiebat priſco, ſcilicet, more, & priuſquam atrox auaritia, & luxus portentoſus rem Romanam inuaſiſſent. Id ipſum palam eſt ex alio loco eiuſdem

Plin. li. 34. c. 6. Plinij, *Ob id*, inquit, *Ælium Thurini ſtatua & corona aurea*:

donauerunt. Hîc verò adnotata eſt quorundam principum, abſtinentia dicam, an abſtinentiæ ſimulatio, an adrogans moderatio? veluti remittentium rem ſibi debitam, quæ capi non potuit, quin extorqueretur. Certè hoc exemplo Hadrianus, *aurum coronarium Italiæ remiſit, in prouincijs minuit; & quidem difficultatibus ærarij ambitioſe ac diligenter expoſitis*; vt donum, videlicet, conſpectius eſſet; & inde gloriam peteret, vbi ſatis vtique ei eſſe debuit ſi vitaret infamiam. Æmulatione, vt credibile eſt, Hadriani *Antoninus Pius aurum coronarium quod adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat, Italicis totum, medium prouincialibus reddidit.* Animoſè quoq; Alexander Seuerus, qui aurum negotiatorium & coronarium Romæ remiſit. Quod autem ſit aurum negotiatorium videtur docere Ammianus Marcellinus his verbis, *Inter quæ indicta ſunt tributorum admodum leuia; coronarium indultum; remiſſa debita multa diuturnitate congeſta.* Vtrumque aurum & negotiatorium & coronarium innuere videtur Plinius his verbis, *Videor iam cernere non ſpolijs prouinciarum, & extorto ſocijs auro, ſed hoſtilibus armis, captorumq́ regum catenis triumphum grauem.* Coronarij meminit Gellius his verbis, *Tribuni decreuerunt, Ædilem ex eo loco iure deiectum quò eum venire cum coronario non decuiſſet. Propterea ne cum populo Ædilis ageret, interceſſerunt.* Vbi coronarium videtur accipi pro corona quam Ædilis capite geſtabat ſicuti ebrius & libidine accenſus. Hîc enim omnia congruunt, nox, meretrix, vis, coniectus lapidum. Aurum coronarium haud dubiè fuit illud quod Petrus legatus Iuſtiniani pactus eſt cum Theodahado, vt cederet vniuerſa Sicilia. Ita enim conuenit, vt Theodahadus Iuſtiniano auream in annos ſingulos trecentarum librarum coronam mitteret. Neque enim tantum auri capiti imperatoris imponi poterat. ſed, videlicet, tributum honeſto coronæ nomine indictum ac velatum fuit. Ad hoc exemplum hoc ipſum aurum coronarium alia quoque epitheta ſortitum eſt, veluti Demaretanum illud de quo ſupra dixi; & Dardanium quod è Dardanis venit, de quo Plinius. Neque verò ſolæ prouinciæ Romanæ hanc, ſiue auream coronam, ſiue aurum coronarium, ſed & ipſi ſocij reges coronam triumphalem mittebant Romam, donum, videlicet, Ioui Capitolino, vt de Philippo rege Macedonum memoriæ proditum eſt.

Spartian. in Hadr.

Capitol. in Anton. Pio.

Lamprid. in Alex. Seu.

Ammian Marcell. lib. 25.

Plin. in Paneg.

Gell. lib. 4. c. 14.

Procop lib 1. de bello Gotth.

Plin. lib. 33. c. 3.

Zonar. lib. 2.

C A P. VII.

Fores virorum triumphalium coronatæ. Diſertorum fores coronatæ palma. Domus Cæſarum laureata. Locus Taciti emendatus. Curia & Flaminum domus laureata. Lauri renouatæ in foribus & in faſcibus.

REDEO ad laurum, quæ non tantùm ipſi triumpho adhibita, ſed in ſequentibus ſæculis hunc tantum triumphi honorem ſignauit. Id quod vſque eò verum eſt, vt ipſas quoque virorum triumphalium fores lauru coronari mos fuerit; tanquam hæc ſpecies fidem faceret, in illis ædibus habitare caput laureatum. Hoc docet Seneca his verbis, ſi modò de priſcis viris triumphalibus, non de principibus loquitur. *Eas quoque domos* [fortuna] *auſa iniuriæ cauſa intrare, in quas per templa aditur; & atram laureatis foribus inducere veſtem.* Qui ſanè mos non ſolùm viguit in victorijs manu partis, ſed & in ipſis ingenij & eloquij certaminibus. Nēpe diſertis, qui ſæpe aduerſarium viciſſent, fores coronabantur palma. Hoc diſco è loco Luciani, vbi malus Rhetor & ſæpe victus, nihilominus palma ſibi fores ornari gloriatur. Vt plurimum, inquit, ſuccumbo, fores tamen viridi coronantur palma. His enim illecebris erga infelices vtor. Ipſorum quidem Romanorum Cæſarum, vt mihi ſupra dictum eſt, domum, cui nomen palatium, non quercu ſolùm, ſed & lauru inſignem fuiſſe conſtat, vt apud Ouidium,

Sen. ad Polyb. cap. 35.

Lucian. rhet. præc.

State Palatinæ laurus, prætextaq́ꝫ quercus
Stet. domus æternos tres habet vna Deos.

Ouid. lib. 4. Faſt. in fi.

Memorat Dio coronam lauream ſuper regia Auguſti, coronam item querceam quæ ſuper regia ſtatueretur Auguſto ab Senatu decreta fuiſſe. Hoc fere ipſum Plinius diſertim tradit, *Laurus*, inquit, *triūphis propriè dicatur, vel gratiſſima domibus ianitrix Cæſarū, Pontificumq́ꝫ. Quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat.* Hic verò emendandus eſt locus Cornelij Taciti, qui poſt detectam coniurationem in Neronem, ſuppliciumque de coniuratoribus ſumptum, memorat fœdas erga illud monſtrum adulationes. *Sed compleri interim*, inquit, *vrbs funeribus, Capitolium victimis. Alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates Deis, ornare lauru donum*, vbi legendum eſt *domum*. Nam in publica lætitia & gratulatione, cuiuſmodi fuit in triumphis, lauru domus ornabantur, vt liquet è loco Plinij proximè citato; & ipſe vberiùs alibi dico. Itaque hoc loco Tacitus hunc morem

ſignauit de quo nunc ago. Ipſa curia & regia, ipſæque adeò Flaminum domus lauro nunquam non aſpiciebantur coronatæ. Ipſæ lauri inibi quot annis renouabantur. *Eodem quoque ingrediente menſe* [Martio] inquit Macrobius, *tam in regia, curiiſq́, atque Flaminum domibus laureæ veteres nouis laureis mutabantur.* De quo more hæc Ouidius, *Macrob. Satur. 1. cap. 12.*

Laurea Flaminibus quæ toto perſtitit anno *Ouid. li. 3. Faſt.*
Tollitur, & frondes ſunt in honore nouæ.
Ianua tunc regis poſita viret arbore Phœbi,
Ante tuas itidem curia priſca fores.
Veſta quoque vt folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.

Sed qua de cauſa lauri renouarentur, non difficile eſt coniectari; Nempe vt eo veluti virtutis præclariſſimo ſymbolo quiſque admoneretur, ne quod in foribus renouabatur in laude areſceret, aut planè vaneſceret. Vt ramus lauri, amiſſa viriditate fit præda ignis, ita virtus cœpta tantùm non continuata excipitur inhoneſto fine. Ideo quomodo virtutem florentem & actuoſam deſignant flores, frondes, folia, corollæ recenti vitore inſignes, ita marceſcentem, languidam & euaneſcentem corona arida. Illam floreſcentem, potiſſimùm è lauro, Græci vocabant κορθάλλω, quòd rami, quos vocant κόρους, florent. Ipſam laurum nominabant κορθαλὶν, vt malo legere in Etymologico quàm κορυθαλὶν, vt ibi corruptè ſcribitur. At huic aridæ ſimilem habet Comas ille Ariſtophanæus, *Etymol. κορθάλη.* *Etymo. δίφρον.*

στέφανον μὲν ἔχων αὖον, δίψῃ δ᾽ ἀπολωλώς. *Ariſtoph. ἱππ.*

coronam quidem habens ſiccam, ſiti verò enectus. Alibi quoque Ariſtophanes dicit; vnguenta diu capiti herere; at flores effloreſcere, & exſiccari. Vbi vocabulo florum indicat ſanè flores coronarios, ipſamque adeò coronam areſcentem & euanidam. Itaque etſi adeptum eſſe coronam præclarum eſt, tamen parum eſt ſi non accuratè id agitur, vt de eius decore nihil quicquam culpa noſtra detrahatur. Id quod monet Ouidius in his verſibus, *Ariſtoph. ἐκκλη-λης.*

Irrita votorum non ſunt præſagia vatum; *Ouid. lib. 3. de Ponto.*
Danda Ioui laurus, dum prior illa viret.

id eſt, interualla inertiæ non debent ſe inſerere vitæ actuoſæ; Quin potiùs laus laude, triumphus triumpho cumulandus eſt. Cæterùm quò decus coronę cōſpectius fuit, hoc dedecus & infamia, ſi amittitur, notabiliora ſunt. Huius dedecoris ſpecimen eſt curſor quidam Olympionicus apud Artemidorum. Is per quietem vidit ſe in ſtadio certare coronatum; atque ita animatum, vt qui ſeſe accingeret ad aliud certamen. Ibi putauit ſibi in corona Olympica, *Artemidor. lib. 5. ſomn. 5.*

velut in pelui, pedes lauari. Quæ coronæ abiectio, ac veluti dedecus fuit argumentum fore vt is in certamine vinceretur Et verò *καταισχύνει τὸν πρότερον στέφανον*, priorem coronam, id eſt, priùs adeptam ſtadij gloriam dedecorauit, & obfuſcauit. Et hac quidem de cauſa laurus quot annis renouabantur non ſolùm pro foribus, ſed & alibi, veluti in faſcibus imperatorum. Vbi Plutarchus dixit *ῥάβδους δαφνηφόρους* faſces laureatos prælatos fuiſſe vtrique duci Lucullo & Pompeio, lictoreſque Pompeij, vt ſupra dixi, è ſuis laureis viridibus dediſſe lictoribus Pompeij, addit, Pompeij amicos id factum accepiſſe pro bono omine. Contra exſiccatæ lauri nihil erant niſi mera omina infelicitatis. Inter cætera prodigia quæ Laocoonti ſacrificanti apparuerunt Q. Calaber ponit areſcentes lauros.

Plutarch. Lucullo.

Q. Calab. ll. 12.

- ἀπαύαντο δὲ δάφναι
παρ νηὸν Φοίβοιο, πάρος θαλεραί περ ἐοῦσαι.

exareſcebantque lauri iuxta Apollinis fanum, quæ antehac floridæ fuerant.

CAPVT VIII.

Priuatorum ianua laureata. Viri triumphalis familiares laureati. Ἀρπῖνοι. Merces laureata. Lauri aſpergo. Nuntij laureati. Caduceus coronatus. Epitheta lauri triumphalis.

CVICVNQVE tandem rei laurus adhibeatur, fauſtitatis & felicitatis nuntia cenſetur. Hinc eſt quod non tantùm principum, ſed & priuatorum ianuas laureis coronari priſcus mos fuit. *Cur die læto*, ait Tertullianus, *non laureis poſtes adumbramus? nec lucernis diem infringimus?* Idem alibi, *Sed & qui nunc ſceleſtarum partium ſocij, aut plauſores quotidie reuelantur, poſt vindemiam parricidarum racematio ſuperſtes, quàm recentiſſimis & ramoſiſſimis laureis poſtes præſtruebant? quàm elatiſſimis & clariſſimis lucernis veſtibula enubilabant?* Item alibi, *Atenim Chriſtianus nec ianuam ſuam laureis infamabit, ſi norit quantos Deos etiam oſtijs diabolus affixerit.* Ipſi quoque familiares primorum laureati in publicum exibant, nempe ineunte anno, & ipſis Kal. Ianuarij, & priſco more, Martij. *Cùm Romani*, inquit Solinus, *initio annum decem menſibus computarent, à Martio auſpicabantur; eiuſq́; die prima de aris Veſtalibus ignem accendebant, mutabantq́; veteribus virides laureas.* Hunc morem in matrona deſcribit Tertullianus, *Morans*, inquit, *Dei ancilla cum laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus ſollennibus regum, incipiente anno, incipiente menſe, nidore*

Tertul. in Apol.

Tertull. de cor. mil.

Solin. cap. 3.

Tertull. lib. 2. ad vx.

thuris agitabitur, & poſt, *procedit de ianua laureata & lucernata, vt de nouo conſiſtorio libidinum publicarum.* Et alibi, *Plures iam inuenies ethnicorum fores ſine lucernis & laureis quàm Chriſtianorum.* Alio item loco, *Accendant igitur quotidie lucernas quibus lux nulla eſt; adfigant poſtibus lauros poſtmodum arſuras, quibus ignes imminent.* Non omitto, hoſce ramos lauri, qui cuique pro foribus ponebantur, Græcis fuiſſe ἀρτῆρες. Vnde veriſimile eſt, hunc quoque morem in Græcia fuiſſe vſurpatum. Ipſæ quoque merces non caruerunt honore lauri; Nimirum, vt emptori nouum mercimonium ſicuti nouo domino feliciter eueniret, aſpergebatur vda lauro. Quem morem deſcribit Ouidius, *Tertull. de idol.* *Etymol. ἀρτῆρες.*

Eſt aqua Mercurij porta vicina Capena *Ouid. li. 5. Faſt.*
Si iuuat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & vrna
Purus ſuffuſa, quam ferat, haurit aquam.
Vda fit hinc laurus; lauro ſparguntur ab vda
Omnia quæ dominos ſunt habitura nouos.

Alibi hanc ipſam lauri aſperginem indicat, vbi inuocat Palem Deam paſtorum.

Certè ego tranſilij poſitas ter in ordine flammas; *Ouid li. 4 Faſt.*
Virgaq́, rorales laurea miſit aquas.

Ipſum pauimentum templi Apollinei hac ipſa lauri aſpergine madidum memoratur.

πτόρθοις ἢ δάφνης *Euripid. Ion. actu 1.*
στεφεοῖ θ' ἱερῶς ἐσόδους φοίβου
καθαρὰς θήσομεν, ὑγραῖς τ' πέδον
ῥανίσι νοτερόν.

Lauri ramis ac ſertis ſacra veſtibula Phœbi pura ponemus; húmidáque aſpergine madidum pauimentum [luſtrabimus.] Et paulò poſt ait, virentes è lauru ſcopas Dei pulpita ſcopere. Ipſi nuntij qui læta afferebant, coronati aſpiciebantur, nempe lauro. Quem morem Plutarchus expreſſit in Pompeio, ad quem cùm aduentantes è Ponto tabellarij lauros poſuiſſent in ſummitatibus lanceę quiſque ſuæ, continuò creditum eſt illos proſpera nuntiare. Thebani autore Xenophonte, parta aduerſus Lacedæmonios pręclara victoria, ſtatim poſt pugnam miſerunt Athenas nuntium coronatum; nempe lauru, cuius facti mentio alicubi fit apud Ariſtidem. Plutarchus memorat, Æſchinem, quòd primus iterum Athenienſibus nuntiaſſet victoriam apud Tamiras, coronatum. Quidam quoque apud Sophoclem nuntius quòd eſt coronatus, lætæ rei nuntius eſſe creditur. *Plutarch. Pom.* *Xenoph. hiſtor. Græc. lib. 6.* *Ariſt. Panath.* *Ariſtid pro Lacd.* *Plutarch. Æſc.*

Sophocl. trachi.

Εὐφημίαν νῦν ἴσχ'· ἐπεὶ καταϛεφῆ
ϛείχονθ' ἐςῶ τιν' ἄνδρα πρὸς χαρὰν λόγων.

Optata loquere. Nam coronatum quemdam virum accedere video aliquid lętum afferentem. Id quod re cōprobatum eſt. Nam is nuntius Deianirę ſtatim nuntiat aduētum Herculis. Ergo aſtutè *Plutarch. Serto.* & ſuo more Sertorius, qui ſuorum ducum cognita victoria, eius quidem nuntium occuluit. Sed ceruam, cuius monitu, ſicuti miſſæ à Diana ſe omnia agere ſimulabat, vt victoriæ nuntiam coronauit. Quòd ſi tales nuntij non eſſent, cùm aduenerant, coronati, enimuero ab ijs, quibus res lætæ nuntiatæ fuerant, coronabantur, vt ille apud Ariſtophanem, qui hæc loquitur,

Ariſtoph. ἱππ.

Εἶτ' ἐϛεφάνουν μ' εὐαγγέλια.

Deinde coronarunt me [ob] bonum nuntium. Sic enim Græci *Ariſtoph. ἱππ.* loquebantur, *ϛεφανοῦν τινὰ εὐαγγέλια, καὶ θύειν εὐαγγέλια.* Nec ſolùm *Plutarch Ageſ.* *Plutarch. theſ.* tales nūtij, ſed & ipſorū caduceus erat coronatus. Hoc diſcimus è Plutarcho, apud quem cùm multi nuntium Theſei eſſent coronaturi, propterea quod is ſaluus redijſſet, ipſe nuntius acceptis coronis, caduceum redimiuit. Hæc de lauru cùm ita ſe habeant, non eſt mirum viros triumphales domi ſeruaſſe laureas ſuas; eaſque ne caneſcerent aut vaneſcerent, renouaſſe hoc eſt, viridibus permutaſſe; vt ijs quotieſcumque res poſceret, in publico vti poſſent. Superioribus addo, laureas haſce triumphales ſub principibus ſępe donatas *Mamertin. in Panegyr.* fuiſſe peculiaribus quibuſdam epithetis, nempe à victorijs ijſque adeò gentibus quæ victæ eſſent ac triumphatæ. *Laurea illa*, inquit, Mamertinus, *deuictis accolentibus Syriam nationibus, & illa Rhætica, & illa Sarmatica te, Maximiane, fecerunt pio gaudio triumphare.* Apud Silium Italicū memoratur Libyca laurus in loco ſupra citato. Denique non mirum eſt, ſi corona laurea, id eſt aurea effigiata in ſpeciem lauri, vſi ſunt ij, qui tumentes vltra mortale ſeſe pretioſo hoc inſigni conſpicuos & venerabiles fecerunt. Quo ingenio *Lucian. adu. ind.* tam præpoſtero præditus fuit Euangelus ille Tarentinus qui Delphos profectus eſt veſte auro inſigni, & ſplendens corona aureis lauri folijs plexa, quæ & ſmaragdis, baccis lauri æqualibus diſtincta erat. Et hæc quidem de corona laurea triumphali dici poſſunt.

CAP. IX.

CAPVT IX.

Cur præ cæteris frondibus laurus triumpho ſignando delecta ſit. Laurus ſterilis ſola eſt triumphalis. Sterilis quæ dicatur. Laurus fructuoſa. αἴσακος. Laurus & myrtus ſociatæ. Laurus Cæſarum cœlo demiſſa. Talia aliquot miracula memorantur.

QVÆRET quiſpiam quid ita inter omnes arbores laurus delecta fuerit nectendis hiſce triumphalibus coronis. Id ipſum olim à magnis viris non fruſtra quæſitum ſcio. Inter hos extat magnus ille, & nuſquam non admirabilis Plinius, quem huius rei plures cauſas minimè referre piguit; credo, vt è multis vna ſaltem vera reperiri poſſit. Is de lauro verba faciens, *Plura*, inquit, *genera huius arboris referuntur. Sed ex omnibus illa quæ ſterilis eſt (id quod maximè miror) triumphalis eſt; eaq́ triumphantes vtuntur. Niſi id à Diuo Auguſto cœperit, vt ex lauru quæ ei miſſa à cœlo minima eſt altitudine, folio criſpo ac breui, inuentu rara.* Hoc dicit Plinius, Coronas triumphales ſub principibus necti ſolitas ex eo genere lauri quæ ſterilis eſt. Sterilem vocat, vt eam diſcernat ab illa, quæ vnà cum myrto annumeratur arboribus fructuoſis. Nam vtriuſque arboris dicuntur eſſe fructus, lauri quidem δαφνίδες, at myrti μύρτα. Atque vt hoc obiter, nec tamen alieno loco dicam, inter vtramque arborem tanta eſt cognatio, vt ramus lauri, ſicut ramus myrti proprio nomine vocetur αἴσακος. Certè vbi quidpiam ſolenne agitur, quam ad rem talium arborum rami adhibentur, vix vnquam fit mentio lauri, quin ei adhæreat myrtus; aut certè viciſſatim ſibi ſuccedunt. Curopalates agens de die palmarum, ait, columnas quæ erant in ea parte ambulationis, quæ à cella imperatoris pertinet vſque ad eccleſiam, indui ſolitas ramis myrti, aut lauri, aut oleæ. Redeo ad Plinium qui tradit, laurum ſterilem fuiſſe coronamentum eorum qui triumpharent. Certè vt ipſe ait, mirabile eſt arborem ſterilem præferri baccatis; quanquam & hæc ſterilis, habuit quoque ſuas baccas, vt in ſequentibus Plinij verbis videbimus; ſed, vt credibile eſt, minores alijs. Id tamen minùs mirum accidet illi qui intelligit dignitatem huius generis lauri, cui quod deeſt in fructu cumulatiùs conceſſum eſt è fauore cœleſti. Et verò admirabile decus ei addidit, vt veriſimile eſt, Auguſtus, cui miſſa traditur è cœlo. Quam rem ipſe Plinius, ne ridicula, fideue maior videri poſſit, paulò poſt memorat, & quidem accuratè his verbis, *Cùm Liuia Druſilla pacta eſſet Cæſari, aquila ex alto*

Plin. lib. 15. c. 3[0].

Pollux lib. 1. cap 10.

Etymol. αἴσακος.

Curopal. de off. Conſt.

ei ſedenti in gremium abiecit gallinam illæſam conſpicui candoris. Gallinam Dio non nominat, ſed λευκὴν ὄρνιθα albam auem. Sequitur
Xiphil. Aug. Plinius. *Ea,* inquit, *gallina tenebat roſtro laureum ramum onuſtum ſuis baccis. Conſeruari alitem, & ſobolem iuſſere aruſpices; ramumq́, eum ſeri, ac rectè cuſtodiri.*. Atque vt hiſce propè incredibilibus, certè mirabilibus addit fides & autoritas, addit, *Quod factum eſt in villa Cæſarum fluuio Tyberi impoſita, iuxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad gallinas; mireq́, ſylua prouenit. Ex ea triumphans poſtea Cæſar laurum in manu tenuit, coronamq́, capite geſſit; ac deinde imperatores Cæſares cuncti. Traditumq́, mos eſt, ramos quos tenuerunt, ſerendi. Et durant ſylua nominibus ſuis diſcreta; fortaſſis ideo mutatis triumphalibus,* id eſt, non deſumptis è vetere laureto, quod in Auētino eſſe diximus, ſed ex hoc nouo; atq; vt ita dicam, Cæſareo, aut etiam cœleſti. Hoc ipſum iiſdem prope verbis tradit Suetonius, cui ſcriptori non facilè fidem dempſeris. Is etiam
Sueton. in Galba. cap. 1. Dio. Ner. in fi. eumque ſequutus Dio addit, nouiſſimo Neronis anno & ſyluam omnem, hoc eſt, *lauretum exaruiſſe radicitus; & quicquid ibi gallinarum erat, interiiſſe.* Hæc, taliaque vt noſtra ætate ſunt inſolita, admirabilia, incredibilia, ita priſcis ſæculis frequenter accidiſſe dicuntur. Et quidem apud Homerum Iupiter mittit aquilam vnguibus tenentem hinnulum ceruæ, quem depoſuit iuxta aram Iouis. Vnde animati Achiui violentiùs irruperunt in Troianos.

Homer. Iliad. θ.

αὐτίκα δ' αἰετὸν ἧκε τελειότατον πετεηνῶν,
νεβρὸν ἔχοντ' ὀνύχεσσι, τέκος ἐλάφοιο ταχείης·
πὰρ δὲ Διὸς βωμῷ περικαλλέϊ κάββαλε νεβρὸν,
ἔνθα πανομφαίῳ Ζηνὶ ῥέζεσκον Ἀχαιοί.
οἱ δ' ὡς οὖν εἴδονθ' ὅ τ' ἄρ' ἐκ Διὸς ἤλυθεν ὄρνις,
μᾶλλον ἐπὶ Τρώεσσι θόρον.

Mox autem aquilam miſit perfectiſſimam volucrum, Hinnulum tenentem vnguibus ſobolem ceruæ velocis. Iuxta autem Iouis altare pulchrum deiecit hinnulum, vbi Panomphæo Ioui ſacrificabant Achiui. Hi autem poſtquam viderunt quòd à Ioue veniſſet auis, magis in Troianos ruebant. Haſtam Amphiarai, qui eſſet
Plutarch. παραλλ. ἑλλην. ϗ ῥωμ. vnus ducum Polynicis, aquila ſuperuolans elatam in ſublime deorſum miſit. Ea ſolo fixa δάφνη ἐγένετο, laurus facta eſt. Cùm Helenæ ſors obtigiſſet vt immolaretur, iamque ad aram perducta eſ-
Plutarch. παραλλ. ἑλλην. ϗ ῥωμ. ſet, aquila ſubito volatu deſcendens correptum gladium detulit ad armenta. Quo miraculo virgo cædi erepta. Simile quiddam Xanthias ille Ariſtophanæus memorat, nempe ſe per quietem vi-
Ariſtop. σφῆκ. diſſe aquilam prægrandem in forum volaſſe. Ibi vnguibus arreptum æneum ſcutum detuliſſe in ſublime. Inter cætera prodigia
Plutarch. Dio. quæ Dionyſio Siciliæ tyranno inſtans à Dione bellum prædice-

bant, fuit aquila quæ rapuit cuidam è ſatellitibus lanceam, eamque in altum elatam miſit deorſum. Cyro reuera proficiſcenti contra regem Armeniæ, at ſpecie eunti in venationem, in agro lepus apparuit, quem aduolans aquila cùm raptum ſuſtuliſſet, & in collem deportatum ambediſſet, id omne Cyro fuit omen victoriæ. Enimuero talibus inuentis antiquitas vſque eò delectabatur, vt his ſiue euentis, ſiue mendacijs autoritas concilietur ab eo quod Strabo narrat in pyramide Rhodopes. Cùm enim hæc mulier lauaretur, aquila alterū calceum è manu ancillæ correptum Memphin deportauit. Ibi in ſublime, & ſupra verticem regis iura dantis euecta, calceum demiſit in gremium eius. Rex & miraculo, & calcei cōcinnitate motus, miſit per vniuerſam Ægyptum qui eam quærerent, cuius eſſet is calceus. Reperta, & in conſpectum eius adducta, vxor ab eo fuit aſſumpta. Denique defunctæ additus eſt inſignis honor ſepulchri. Quippe extructa ei fuit vna illarum pyramidum quæ poſtea ingentem celebritatem ſunt adeptæ. Stephanus autor eſt, Hermochare vrbis Cardiæ conditore ſacrificante, coruum corde rapto, euolaſſe in eum locum vbi ea vrbs condita fuit, ibique illud dimiſiſſe; eaque re id nominis vrbi inditum. Extat & illud de aquila, quę cùm publicus Samiorum conuentus haberetur, publicum annulum raptum demiſit in ſinum ſerui. Iſtis miraculis accedit illud quod de Octauio memorat Dio, ipſum adhuc puerum cùm ruri educaretur, aquilam è manibus rapto pane, in ſublime volaſſe, & redeuntem ei poſtea reddidiſſe. Ancile cœlo delapſum in manus Numæ regis Romani, antiquitùs creditum. Hæc & his ſimilia quæ huc congeri poſſent, vt minuunt admirationem, ita augent fidem & autoritatem eius rei quam Plinius, Xiphilinus, & Suetonius memorant. Itaque cœlo demiſſa frons laurea laurum ſicuti cœleſtem arborem cæteris arboribus, & hoc genus lauri cæteris generibus prætulit. Neque quicquam mirum factum eſt, ſi in triumpho Auguſtus ea vſus eſt. Certè is triumphans & ramum eius manu tenuit, & caput hoc genere lauri redimiri voluit. Quo videlicet, tam nobili exemplo dein omnes Cæſares ex illa ſylua, ſiue laureto triumphales coronas deſumpſerunt, in qua rami in triumpho à prioribus Cæſaribus geſtati inſiti fuerant.

Xenoph. de Inſt. Cy. lib. 2.

Strabo lib. 17.

Steph. περὶ Κα.

In vita Æſopi.

Xiphil. Aug.

Plutarch. Numa.

CAPVT X.

Plura de lauru ſterili. Laurus nuntia lætitiæ. Laurus ſymbolum victoriæ. Manus Apollinis laurigera. Aui laurigeri. Laurus cur ſignet triumphum. Laurus inter inſignia triumphalia. Laurus pacifera. Laurus à ſacerdote manu geſtata.

ETSI in Auguſti exemplo tantum eſt autoritatis, vt ea autoritas inſequentibus Cæſaribus potuerit eſſe pro ratione, tamen ſi rem introſpicere liber, hoc exemplum videbimus non carere ſua ratione. Siquidem hanc laurum Plinius à quibuſdam marem exiſtimatam ait, quòd nihil gignit. Et hoc ipſo, & quòd inuentu rara eſt, quamuis è cœlo non eſſet miſſa, cæteris tamen videretur eſſe præferenda. Et quanquam hinc ſatis cauſę eſt, quapropter hanc lauream Romani Cæſares triumphalem ducerent, tamen quòd & in libertate hæc frons in triumpho cæteris prælata eſt, huius inſtituti rationem altiùs repero, & ad priſca tẽpora retrocedo. Et quando cum Plinio rem inueſtigare cœpi, huic tanto ſcriptori me vſque adhærere iuuat. Et Plinius quidem haudquaquam diuerſus ab cætera antiquitate, laurum ait Romanis *præcipuæ lætitiæ, victoriarumq́; nuntiam eſſe.* Et verò omnium conſenſu laurus eſt præcipuum ſymbolum victorię, præcipuè Romanis, vel iam inde ab ipſo Romulo. Nam is victo Acrone, eiuſque armis ad quercum ſuſpenſis lauru caput redimiuit. Quid ego ſeculum Romuli cito? Apud Virgilium Æneas, qui fuit quadringentis ante Romulum annis, victorem Cloanthum lauro coronat.

Appian. Alex. Liuy. — *Plutarch. Rom.*

Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridiq́; aduelat tempora lauro.

Virgil. lib. 5. Æneid.

Nec tantùm partæ, ſed futurę quoque victorię, laurus prænuntia eſt. Cùm Sylla è bello Mithridatico rediens Tarentum adpuliſſet, ſiliqua viſa eſt habere formam coronæ, cum duobus lemniſcis dependentibus. Id quod Sylla accepit vt omen victoriæ. Et illi qui Pompeio apud Pharſaliam militabant, etſi tunc quidem falſi, tamen vt victoriæ certi tabernacula coronarunt lauro. Si hæc de futura victoria è lauru præſumebantur, quidni hęc ipſa laurus iam partam demonſtret? Ipſe quidem ſic puto, eos qui Herculi ſacrificabant capita lauru ea re coronaſſe, quòd fatebantur eum fuiſſe tot laborum victorem inclytum.

Plutarch. Sylla. — *Appian. Alex. ciu. bell. lib. 2.*

- denſa quod læto venit
Clamore turba frontibus laurum gerens,

Sen. in Herc. fur.

Magniq́ue meritas Herculis laudes canit.

Nullus certè nec priſcis, nec citerioribus ſæculis mos receptior. Verba ſunt Iphis ad Anaxaretem apud Ouidium,

— nitidaq́ incingere lauro. Ouid. lib. 14. Metam.

Vincis enim.

Idem alibi facit victoriam imponentem victoris capiti laurum.

Sic aſſueta tuis ſemper victoria caſtris Ouid lib. 4. de triſt.

Nunc quoque ſe præſtet, notaq́ ſigna petat.

Auſoniumq́ ducem ſolitis circumuolet alis;

Ponat & in nitida laurea ſerta coma.

Apud Propertium manus Apollinis laurigera eſt victrix ac triumphatrix. Ibi enim facit Apollinem animos Auguſto addentem, ne dubitet inire prælium nauale Actiacum.

Tempus adeſt, committe rates; ego temporis autor Propert. lib. 4.

Ducam laurigera Iulia roſtra manu.

Similiter Silius Italicus vocat auos laurigeros, id eſt victores,

— laurigeris decus illud auis. Sil. Ital. lib. 5.

Et Tibullus lauros victrices,

At te victrices lauros Meſſalla gerentem. Tibull. lib. 1. el. 7.

Si laurus victoriam ſignat, neceſſe eſt vt triumphum quoque deſignet, quem ſpectat victoria. Nam ſine victoria nullus eſt triumphus. At victoria ſicuti laurus, eſt Apollinis. Eſt ergo laurus non ſolùm victrix, ſed & triumphatrix, & verè Apollinea. Ouidius,

Quaq́ ibis manibus circumplaudere tuorum, Ouid. lib. 4. de triſt.

Vndique iactato flore tegente vias.

Tempora Phœbea lauro cingentur, Ioq́;

Miles Io magna voce Triumphe canet,

Tibullus triumphalem vocat,

Ipſe triumphali deuinctus tempora lauro, Tibull. lib. 2. eleg. 5.

Dum cumulant aras, ad tua ſacra veni.

& Horatius ad Pollionem,

Inſigne mœſtis præſidium reis, Horat. lib 2. Carm. od. 5.

Et conſulenti Pollio curiæ;

Cui laurus æternos honores

Dalmatico peperit triumpho.

Alibi quoque Horatius victoriam, triumphumq́ue deſignat appellatione lauri, vbi loquitur de virtute,

— regnum & diadema tutum Horat. lib. 2. Carm. od 2.

Deferens vni, propriamq́ laurum,

Quiſquis ingenteis oculo irretorto

Spectat aceruos.

Sub principibus illi quibus inſignia triumphi concedebantur,

faſces, qui veteri more, vt alibi dixi, imperatoribus præferebantur, laureis quoque circumdabant. Palam hoc fit è verbis Taciti, *Ob res*, inquit, *à Quadrato & Corbulone proſperè geſtas laurum faſcibus imperatorijs addi*, euulgatum, ſupple. Tanti Herculeæ hæc laurus fuit quam triumphatricem ſiue triumphalem voco, vt eam ipſi mortalium ſummi vel ipſa morte emere non dubitarint. Horatius,

Tacit. lib. 3. Annal.

Horat. lib. 3. Carm.

Herculis ritu modò dictus, ô plebs
Morte venalem petijſſe laurum
Cæſar Hiſpana repetit penates
Victor ab ora.

Alibi ducem non triumphare dicens, ait eum non geſtare caput ornatum folijs Delijs.

Horat. lib. 4. Carm. od. 3.

-- neq; res bellica Delijs
Ornatum folijs ducem,
Quòd regum tumidas contuderit minas,
Oſtendet Capitolio.

Zonar. Seuero.

Zonaras tradit, Seuero ineunte vrbem Romam, vicos & plateas fuiſſe conſperſas floribus, & coronis laureis. Quæ ſanè fuit quædam ſpecies triumphi, ac proinde publicæ lætitiæ. Atque vt ſupra dixi laureatum ſæpe ſignare victorem, ita ſæpe hac ipſa dictione demonſtratur triumphans, vt apud Prudentium vbi celebrat martyrium Petri & Pauli,

Prudent. peri-Steph. hym. 12.

Vnus vtrumque innouatus anno
Vidit ſuperba morte laureatum.

Plutarch. Cic.

Cùm M. Tullius dixit, *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ*, haud dubiè hoc dixit, Victoria & triumphus iaceant infra magnitudinem eloquentiæ. His accedit; quod, vt Plinius ait, *laurus eſt pacifera*. Vt enim è certamine eſt victoria, ita quoque victoriam pax conſequitur. Cæſar bellorum ciuilium victor, ſumpta lauru, ſedens excelſa ſede vniuerſos arma ponere iubet. Ergo prætenta ſiue porrecta laurus hoſtibus armatis eſt pacifera. Id quod diſcere licet ex Ouidio, qui concordiam non olea, ſed vtique lauro coronat.

Appian. Alex. li. 5. bell. ciu.

Ouid. l. 6. Faſt.

Venit Apollinea longas concordia lauro
Nexa comas, placidi numen opuſq; ducis.

Ouid. lib. 3. de Ponto.

In hanc ſententiam ipſe Ouidius laureæ Cæſaris pacem ineſſe ait,

Præſtat & exulibus pacem tua laurea Cæſar.

Auſon. in XII. Cæſ.

Similiter Auſonius laurea pacem deſignans ait,

Te dominante Tito cingit noua laurea Ianum.

Homerus quoque facit Chryſen ſacerdotem & oratorem Achillis

manu gerentem coronas, ſiue ſerta Apollinis, id eſt, lauros cùm repetit filiam, *Homer. lib. 1. Iliad.*

—— ὁ γὰρ ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν
λυσόμενός τε θύγατρα, φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα,
στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

hic enim venit celeres ad naues Achiuorum, Liberaturuſque filiam ferenſque infinita dona, Coronas habens in manibus longè iaculantis Apollinis. Paulò poſt Agamemnon eum minaciter alloquens ait,

μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον, καὶ στέμμα θεοῖο.

Non vtique tibi proderit ſceptrum & corona Dei.

CAPVT XI.

Laurea id eſt laureata litera. Laureata. Inſignia laureæ. Laureata tabella, ἐπινίκιοι ἐπιστολαί. *Currus laureatus. Laureata multitudo. Laurus grata Apollini. Laurus planta ignita, vel ignigena. Apollo* δαφναῖος. *Daphne virgo, eadem Sofrona. Sobrietas. Liber autor corona laurea. Apollo* δαφνηφόρος.

CVM laurus non tantùm ſit ſymbolum victoriæ ac triumphi, verùm etiam pacis, qua ſublata nihil ſit neque in victoria, neque in triumpho pulchri, non mirum eſt, eam & litteris, & militum lanceis, piliſque addi ſolitam. Hîc moneo, literas laureatas interdum ſignari ſolo nomine laureæ, vt apud Tacitum, *Ipſe* [L. Vitellius] *lauream proſperè geſtæ rei ad fratrem miſit.* Nempe, lauream hîc interpretor literas laureatas; quæ interdum dicuntur laureatæ, non addito, literæ, eodem Tacito autore. *Nec Agricola,* inquit, *proſperitate rerum in vanitatem vſus, expeditionem aut victoriam vocabat victos continuiſſe. Ne laureatis quidem geſta proſecutus eſt.* Aliter vocabantur inſignia laureæ, vt apud Cæſarem, *Pompeius eo prælio Imperator eſt appellatus. Hoc nomen obtinuit; atque ita ſe poſtea ſalutari paſſus eſt. Sed neque in literis quas ſcribere eſt ſolitus, neque in faſcibus inſignia laureæ prætulit.* Dicũtur & laureatæ tabellæ apud Liuium. M. Tullio ſunt *literæ victrices* conuerſa in Latinum ſermonem Græca locutione. Siquidem eædem Græcis ſunt ἐπινίκιοι ἐπιστολαί, vt apud Photium è Theophylacto, eſt & δάφνη ἐπὶ τῇ νίκῃ, laurus ſuper victoria, ſiue poſt victoriam. Sed & eo qui aduerſus Chaganum inſurrexerat Rumi filio interempto, ipſe Chaganus ἐπιστολὴν Μαυρικίῳ τῷ αὐτοκράτορι ἔστειλεν: victoriæ nuntiam Mauricio imperatori epiſtolam miſit. Erat & currus laureatus, nempe ille ipſe qui triumphalis, vt apud Suetonium loquentem

Tacit. li. 3. hiſt.
Tacit. Agric.
Cæſ. lib. 3. de bell. ciu.
Liu lib 35.
Cic. ad Attic. lib 5. ep. 11.
Theophyl. hiſt. ζ.
Xiphil Ner.

Sueton. Aug. de Octauio patre Auguſti, *Videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem cum fulmine, ſceptro, exuuiiſq; Iouis Opt. Max. ac radiata corona ſuper, laureatum currum biſſenis equis candore eximio trahentibus.* His propemodum ſimiles currus fuiſſe ductos in pompa, *Xenoph. de inſtit. Cy. lib. 8.* cùm Cyrus è regia in publicū egrediebatur, memorat Xenophon, nempe currum album Ioui ſacrum, χρυσόζυγον aureo iugo, ἐστεμμένον coronatū. tum Solis currum album, Et hunc quoque coronatum. In publicis quoque gratulationibus multitudo aſpiciebatur laureata, id eſt, circumplaudens illi qui rem proſperè geſſiſſet, ſicuti particeps huius felicitatis. *Vitellio*, inquit Tacitus, *plauſere Populus* *Tacit. li. 2 hiſt.* *cum lauru ac floribus Galbæ imagines circum templa tulit, congeſtis in modum tumuli coronis*, quam quiſque, ſcilicet, capite tuliſſet. Addit Plinius, *laurum eſſe ſpectatiſſimam in monte Parnaſſo. Ideoq; etiam*, inquit, *grata Apollini.* Id quod verum eſſe diſcimus ex Ouidio, vbi loquitur de Daphne & Phœbo,

Ouid. lib 1. Metam.

Oſcula dat ligno; refugit tamen oſcula lignum.
Cui Deus, At quoniam coniux mea non potes eſſe
Arbor eris certè, dixit, mea. ſemper habebunt
Te coma, te cithara, te noſtra Laure pharetra.
Tu ducibus lætis aderis cùm læta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.

Infra videbimus, laurum vocari herbam Parnaſſiam. Virgilius diſertim eam tribuit Phœbo, ſicuti platanm ignitam, ac proinde Apollini gratam, qui quantus quantus eſt, ignis eſt.

Virgil. ecl. 7.

Populus Alcidæ gratiſſima; vitis Iaccho;
Formoſæ myrtus Veneri; ſua laurea Phœbo.

Idem alibi,

Virgil. Cul.

Laurus item Phœbi ſurgens decus.

Imitatus, videlicet, Theocritum,

Theocrit. epigr. 1.

Ταὶ δὲ μελάμφυλλοι δάφναι τὶν Πύθιε Παιάν
Δελφὶς ἐπὶ πέτρα τοῦτό τοι ἀγλάϊσε.

At nigris folijs lauri tibi, ô Pythie Apollo [dicatæ ſunt] Delphica *Ἀνθολ. lib. 1.* enim petra his te ornauit. Hinc eſt quod Poëtæ Apollinem vocāt δαφναῖον veluti proprio epitheto. Apud Ouidium cùm coruus Apollini indicaſſet,

Ouid. lib. 2. Metam.

Cum iuuene Æmonio vidiſſe Coronida;

tunc verò Phœbo, nimirum præ ingenti dolore

Laurea delapſa eſt audito crimine amantis.

Conſtant. Cæſ. lib. 11. cap 3. Hygin fab. 103. Scholiaſt. in Alexiph. Nic. Ouidio aſſentiuntur Conſtantinus Cæſar, Hyginus, Aphthonius, & Scholiaſtes Nicandri. *Apollo*, inquit Hyginus, *Daphnen Pelei fluminis filiam cùm virginem perſequeretur, illa à terra præſidium petit, quæ eam recepit in ſe, & in arborem laurum commutauit. Apollo inde*

inde ramum fregit, & in caput impoſuit. Arbori nomen indidit lauri à nomine virginis. Ipſam quoque virginem nominauit Sophronam, hoc eſt ſobriam. Id quod vaticinio conuenit, cui certè origo ſobrietas eſt. Aliam Tertullianus cauſam profert, qua factum eſt vt hæc arbor ſit Phœbi. *Habes*, inquit, *tragœdiam Cerberi; habes Pindarum atque Callimachum, qui & Apollinem memorat, interfecto Delphico dracone, lauream induiſſe quâ* [l. quaſi] *ſupplicem. Et poſtea, laurea iſta Apollini, vel Libero ſacrata eſt, illi vt Deo telorum, huic vt Deo triumphorum. Sic docet Claudius.* E quo loco diſcimus, Liberum non minùs eſſe autorem coronæ laureæ, quàm ipſum Apollinem. Sed de Libero ipſe paulò ante diſertim fatetur his verbis, *Sed & aliàs Liberũ principem corona planè laurea, in qua ex Indis triumphauit, etiam vulgus agnoſcit, cum dies in illum ſolennes magnam appellat coronam.* Sed vt Liberi quoque in Oriente fuerit hæc corona, certè apud Occidentales obtinuit vt ſit Apollinis, ſiue ob eam cauſam quam Ouidius memorat, ſiue propter eam quam è Claudio Tertullianus affert. Quibus aſſentitur Ælianus. Is enim memorat, Apollinem Pythone ſerpente, qui Delphos occupabat, iaculis interempto, coronatum lauro Tempica; ramoque manu ſumpto, veniſſe Delphos, & oraculum occupauiſſe. Ergo Daphne virgo, quia diu Apollinem vſſit, in laurum conuerſa, exin fuit in perpetua tutela huius numinis. Nam ante eam diem,

Tertull. de cor. mil.

Tertull. de cor. mil.

Ælian. Var. hiſtor. lib. 13.

Nondum laurus erat, longoq́; decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

Ouid. lib. 1. Metam.

Hinc, opinor, vetuſtus mos, quo ſacerdotes Apollinis laurum geſtabãt. Vnde veriſimile eſt, laurum dictam fuiſſe ſacram. Virgilius,

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq́; ſacerdos
Vittis & ſacra redimitus tempora lauro
Occurrit.

Virgil. 3. Ænei.

Certè ipſe Apollo vocatus eſt δαφνηφόρος geſtor laureæ.

CAPVT XII.

Laurus ſumpta pro oraculo Apollinis. Fatidici vates laureati. Conſilium capientes accedebant ad laurum. Latonæ ſacrificantes laureati. Laurus perpetuò viret. Sociatur myrtis, & hyacintho. Lauri vmbra & nitor. Laurus ἀλεξιφάρμακον. Laurus fautrix inſidiarum. Laurus fulmine non icitur.

ITAQVE quòd hæc arbor Apollini tantopere eſt placita, quandoque laurum pro ipſo Apollinis oraculo ſumptam legimus. vt apud Callimachum,

Οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὄρπηξ,
Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον.

Callimach. in principio hym. in Apoll 6.

Quantum iſte Apollinis commotus eſt laureus ramus! Quantum verò totum antrum! Ipſi vatidici vates redimiuntur lauro, vt apud Euripidem Caſſandra,

Euripid. Iphig in Aul. actu 3.

τὰν Κασσάνδραν ἵν᾽ ἀκούω
ῥίπτειν ξανθοὺς πλοκάμους
χλωροκόμῳ στεφάνῳ δάφνας
κοσμηθεῖσαν, ὅταν θεοῦ
μαντόσυνοι πνεύσωσ᾽ ἀνάγκαι.

Vbi fama eſt Caſſandram flauos diffundere crines Viridante ſerto lauri redimitam, quando ipſam omniſcia inſpirant numina. Hæc ipſa Caſſandra apud hunc ipſum Euripidem alloquens Phœbum,

Euripid. troad. actu 2.

– ἄγε σὺ Φοῖβε νῦν
κατὰ σὸν ἐν δάφναις
ἀνάκτορον θυηπολῶ.

Age tu Phœbe nunc tuis inter lauros templis operabor ſacris. Et alibi valedicens Apollinis coronis, cuius ſacerdos erat, ait

Euripid. troad. actu 2

ὦ στέφη τοῦ φιλτάτου μοι θεῶν, ἀγάλματ᾽ εὔια
χαίρετε.

ô ſerta chariſſimi mihi Dei, ô ſacræ imagines valete. Certè qui ſeriò ſuper aliqua re conſulebant, accedebant ad laurum. Silius Italicus facit Scipionem eum qui poſtea fuit Africanus ſuperior, adhuc adoleſcentem, cogitantem de prouincia Hiſpania ſediſſe ſub lauru,

Sil. Ital. lib. 15.

Has lauri reſidens iuuenis viridante ſub vmbra
Ædibus extremis voluebat pectore curas.

Illi quoque qui Latonę matri Apollinis ſacra faciunt, euinciuntur lauro. Ea re apud Ouidium Manto iuſſu Latonę Thebanas mulieres hac fronde redimiri iubet.

Ouid. lib. 2. Metam.

—— Iſmenides ite frequentes,
Et date Latonæ, Latonigeniſq́ duobus
Cum prece thura pia; lauroq́ innectite crinem.
Ore meo Latona iubet. Paretur, & omnes
Thebaides iuſſis ſua tempora frondibus ornant.

Phornut. in Apoll. & Diana. Porrò dicitur grata Apollini διὰ τὸ ἐυεργές τε καὶ ἀειθαλὲς φυτὸν εἶναι, quòd cuiuis operi eſt apta, atque, vt Plinius ait, *perpetuò viret.* *Iſidor. lib. 17.* *Hanc arborem*, inquit Iſidorus, *Græci daphnen vocant, quòd nunquam deponat viriditatem. Inde illa potiùs victores coronantur.* Certè ob hunc virorę̀m & nitorem, myrtis, vt ſupra monui, ſociatur, augendæ, vt credibile eſt, pulchritudini. Theocritus,

Theocrit. in epigr.

Σακὸς δ᾽ εὖ ἱερὸς περιδέδρομε· ἀέναον δὲ
Ῥεῖθρον ἀπὸ σπιλάδων πάντοσε τηλεθάει
Δάφναις καὶ μύρτοισι, καὶ εὐώδει κυπαρίσσῳ.

Ædes autem ſacra pulchrè circumcurrit, & perenne fluentum de ſaxis vndique viret, lauris, & myrtis, & odorata cupreſſu. Iungitur & hyacintho apud Virgilium,

—Phœbo ſua ſemper apud me
Munera ſunt laurus, & ſuaue rubens hyacinthus. Virgil. ecl 3.

Laudaturque vmbra lauri, vt apud Horatium,

Tum ſpiſſa ramis laurea feruidos
Excludet ictus. Horat. lib. 2. Carm. od. 15.

Eius nitorem præcipuè ſignat Ouidius, vbi loquitur de Daphne mutata in laurum,

—remanet nitor vnus in illa. Ouid. lib. 1. Metam.

Laurus quoque creditur eſſe Apollinis, quòd eſt ἀλεξιφάρμακον aduerſus inſidias. Vnde natum prouerbium, δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν laureum fero baculum. ἐν παροιμ. Sed vt laurus cauendis inſidijs eſt peridonea, ita quoque eſt efficax proſperandis. Certè apud Euripidem Oreſtes lauro inumbratus inſidijs opprimit Neoptolemum, videlicet præſcius futuri, ac meditatum eius facinus præueniens.

τῷ δ' ἐκ ξιφήρης ἆρ' ὑφεστήκει λόχος
δάφνῃ σκιασθεὶς· ὧν Κλυταιμνήστρας τόκος εἷς ἦν. Euripid. Androm. actu 5.

Quo in loco gladijs armatæ erant inſidiæ locatæ, è quibus laureatus Clytæmneſtræ filius vnus erat. Addit Plinius, *manu ſatarum, receptarumq́ in domo arborum fulmine non ici laurum*; ſtulta, ſcilicet, nihilominus tamen vulgata credulitate, planeque recepta, vt infra fuſiùs dico.

CAP. XIII.

Apollo edit reſponſa per laurum. Delphici tripodes è lauro. Quo ritu ederentur oracula Delphica. Adytum Apollineum multa fronde vmbratum. Laurus diuinatrix. Vorare laurum, aut veſci lauro, quid. Vates laureati. Iunonis miniſtri laureati. Ædes Apollinis euerritur ramis lauri. Omen capitur è lauro accenſa. Laurus dormientibus addita quid efficiat. Laurus adhibita cantaminibus.

HÆc omnia etſi nituntur teſtimonijs antiquitatis, tamen multò magis ea re laurus videtur Apollini ſacra, quod ipſe Artemid. lib. 4. edit reſponſa per laurum. Eaque re dicitur μαντικώτατος, ac ſi dicas, cap. 69. numen vt ita loquar, vatidiſſimum. Et verò Athenæus vt oſtendat, Athen. lib. 13. quantus ipſe Apollo exſurgat in vltionem illorum qui qualicunque ratione abutuntur lauro ſibi ſacra, tradit Metapontinos

Apollini dedicaſſe æneam laurum. Ex ea lauru cùm vox edita eſſet, Pharſaliam quandam ſaltatricem donatam laurea corona, eaque aurea templo detracta; tunc verò eam mulierem medio foro fuiſſe diſcerptam à vatibus Apollineo furore percitis, nempe propter violatũ numen, hoc eſt, non ſolùm propter ſacrilegium; ſed quòd ea mulier ſacrilegio addidiſſet temeritatem geſtandi ſtemmata eius Dei, cuius ipſa non eſſet ſacerdos. Certè huic numini hæc frons vſque eò dilecta fuit, vt is tripos vnde edebantur oracula Pythica, fuerit è lauro. Id quod diſcimus ex Himerio, vbi Apollinem alloquens inuehitur in Xerxem qui vſque eò audaciæ

Him. μελ. progreſſus eſt, vt ſacris tripodibus ignem inijcere tentarit. Nam ſi Xerxes tripodibus ignem admoturus fuit; vtique fatendum eſt, eos tripodas conſtitiſſe ex ea materia quæ igni obnoxia eſſet. Ea

Phornut. in Apoll. & Dia. erat laurus, quam Phornutus ait eſſe εὐέγκαυστον aduri facilem, & ad purgationes aptam; Ideoque non abſurdè ſacratam eſſe numini puriſſimo & ardentiſſimo. Cæterùm & ipſa Pythia ἐστεφανηφόρει coronata erat, & ipſi tripodes non ſolùm erant laurei, ſed & δάφνῃ

Scholiaſt. Ariſtoph. in Pl. 4. *Niceph. lib. 11. cap. 45.* ἦσαν ἐστεμμένοι lauru erant coronati. Id ipſum diſcimus è Nicephori hiſtoria eccleſiaſtica, vbi memorat, Valenti imperatori defuncto quiſnam in imperio ſucceſſurus eſſet, quoſdam hac ratione ſciſcitatos eſſe Tripode ſcilicet, è lauro facto, verbiſque & euocationibus quibuſdam de more peractis, ad deſtinata peruenerunt. Quippe quibuſdam literis collectis, quæ dicuntur fuiſſe θ, ε, ο, δ, & quibuſdam in tripode machinis eas ordinantibus, futuri imperatoris nomen apparuit. Diſertim quoque Homerus tradit, Apollinem reſpondere è lauro, hoc eſt è tripode laureo.

> Χρείων ἐκ δάφνης γυάλων ὕπο Παρνησοῖο.

Homer. hym. in Apoll. Oracula edens ex lauro ex vallibus Parnaſſi. Et Callimachus in loco ſupra citato,

Callimach. hym. in Apoll. in primo.

> Οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὅρπηξ;
> Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον.

Quantum iſte Apollinis commotus eſt laureus ramus; Quantum verò totum antrum! Quem omnem ritum, quòd vulgo

Scholiaſt Ariſtoph. in Pl. 4. ignorari video, è Scholiaſte Ariſtophanis deſumptum trado. Coronæ ſuper tripode erant poſitæ, quas Pythia capite geſtans vaticinabatur. Erat autem Pythia virgo ſedens ſuper tripode Apollinis diductis cruribus. Ea malum ſpiritum, qui ex inferiori parte reddebatur, per genitales partes recipiebat. Et ſic furoris plena, crinibus ſolutis, & ore deſpumante, ac per omnia furioſos imitata, pronuntiabat verba vaticinijne, an furoris? Hoc fermè ipſum de Sibylla Virgilius tradit,

—magnam cui mentem, animumq;
Delius inſpirat vates, aperitq; futura. Virgil.6.Ænei.

Adde, hanc Pythiam, cùm oraculum ſciſcitantibus reſponſura eſſet, ſolitam fuiſſe bibere è ſacris fluentis; atque illico Deo plenam adeuntibus oraculum edidiſſe. Adde & illud, ſub tripode fuiſſe draconem, qui & ipſe voces edebat. Cæterùm is locus, ſiue illud adytum vnde edebantur illa ſiue oracula, ſiue reſponſa, fuit coronatum, id eſt, multa fronde vmbratum & obſcuratum. Ergo Pythia, ſiue Pythias, apud Æſchylum ſic loquitur, Lucian. Hemo. ſiue de ſect. Lucian. de aſtrol.

ἐγὼ μὲν ἕρπω πρὸς πολυστεφῆ μυχόν. Æſchyl. Eum.

Equidem repo ad bene coronatum antrum. Hæc ſunt illa ipſa quę Ariſtophanes in loco proximè citato vocat *στέμματα*, nempe *φυλλώδη καὶ ποώδη στεφανώματα*, folioſa & herbida coronamenta. Hás ob cauſas laurus dicitur eſſe diuinatrix, vel ſciens futuri; vt Claudianus ait, *venturi praſcia laurus*, & Lycophron Caſſandræ os fatidicum vocat lauriuorum; quaſi qui laurum vorauerit, is futura præſentiat. Heſych. στεφανωμάτων λωτῶν. Claudian. li. 2. de rap. Proſerp.

ἀλλ' ἄσπετον χέασα παμμιγῆ βοὴν
Δαφνηφάγων Φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα,
σφιγγὸς κελαινῆς γῆρυν ἐκμιμουμένη. Lycoph. in prin.

Sed immenſum fundendo confuſumque clamorem, lauriuoro vaticinata eſt ore, Nigræ Sphingis vocem imitata. Eſt ergo laurus *σύμβολον μαντικῆς*. Huc adluſum eſt à Tibullo,

- ſic vſque ſacras innoxia lauros
Veſcar. Tibull.

Tryphiodorus hanc ipſam Caſſandram facit concutientem ſacram laurum, cùm agitaretur mente vaticinatrice,

Τοίη μαντιπόλοιο βολῆς ὑπὸ νύγματι κούρη
Πλαζομένη κραδίην ἱερὴν ἀνεσείετο δάφνην. Tryphiod.

Talis virgo fatidici impetus ſtimulo agitata mentem, concutiebat ſacram laurum. Martianus Capella vocat ramum lauri virgam diuinatricem & coniecturalem. *Delius quoque*, inquit, *vt ramale laureum geſtitat diuinatrice eâdem, coniecturaliq; virga volucres illi, ac fulgurum ictus, ac ipſius meatus cali ſyderumq; monſtrabat.* Apud Euripidem Caſſandra ad diuinam, hoc eſt, vaticinatricem laurum canens, Paridem interfici oportere dixit, Martian. Cap. lib. 1.

εἴθε δ' ὑπὲρ κεφαλὰν ἔβαλεν κακὸν,
ἅ τις τέκεν ποτὲ Πάριν,
πρὶν Ἰδαῖον κατοικίσαι λέπας,
ὅτε νιν παρὰ θεσπεσίῳ δάφνᾳ
βόασε Κασσάνδρα κτανεῖν. Euripid. Androm. actu 1.

Vtinam ſupra caput ieciſſet malum quæ quondam peperit Parim, priuſquam habitaſſet Idæum verticem, quando ipſam apud diuinam laurum Caſſandra clamauit interficiendum. Apud hunc ipſum Euripidem πτόρθοι δάφνης rami lauri collocantur in æde Apollinis.

Euripid. Ion. actu 1.

ἡμεῖς δὲ πόνους, οὓς ἐκ παιδὸς
μοχθοῦμεν ἀεὶ, πτόρθοισι δάφνης,
στέφεσίν θ' ἱεροῖς ἐσόδους Φοίβου
καθαρὰς θήσομεν, ὑγραῖς τε πέδον
ῥανίσι νοτερὸν

Nos autem quibus à puero adſueuimus laboribus, lauri ramis, ac ſacris ſertis veſtibula Phœbi, humidaque pauimentum aſpergine madidum luſtrabimus. Ipſe Apollo, vt alibi dico, eſt μάντις καὶ ποιητὴς, vates & poëta, καὶ κατ' ἀμφότερα ἐξηγητὴς τῆς ἀληθείας, & vtraque ratione interpres veritatis. Apud Ariſtophanem is qui creditur eſſe vates, coronatur lauro.

Ariſtid. π. τῶ παραφθεγ.

Ariſtop. εἰρήνη.

—— καὶ γὰρ οὑτοσὶ
Προσέρχεται δάφνῃ τις ἐστεφανωμένος
Τίς ἄρα ποτ' ἐστίν; Θε. ὡς ἀλαζὼν φαίνεται.
Μάντις τις ἐστιν. Τρ. οὐ μὰ Δί'· ἀλλ' Ἱεροκλέης.

Etenim hic accedit quiſpiam lauro coronatus. Age quis tandem eſt? Th. Vt ſuperbus incedit, Vates aliquis eſt. Tr. Non per Iouem, ſed Hierocles. Non de nihilo Athenæus ex Ariſtarcho obſeruauit, Caribus imperatum fuiſſe vt omnibus coronis abſtinerent, laureis exceptis. Quippe Iunonis miniſtris hæc loco muneris concedebantur. Itaque Cares obtemperantes oraculo, ſublato vſu omnium coronarum, Deæ miniſtris vt laureas geſtarent, permiſerunt. Quo, ſcilicet, permiſſu videbatur illis datum vt futura prænoſcerent ac prædicerent. *Dant illi hoc maieſtatis*, inquit Solinus de lauro, *vt portendat futura*. Apud Euripidem ramis lauri euerritur ædes Apollini ſacra, ſicuti fatidico numini. Vſque eò omnia ibi conſtat fuiſſe laurea.

Athen. lib. 15. & ſeqq.

Solin. cap. 34.

ἄγ' ὦ νεηθαλὲς, ὦ
καλλίστας προπόλευμα δάφνας,
ἃ ταὶ Φοίβου θυμέλαν
σαίρεις, ὑπὸ ναοῖς,
κήπων ἐξ ἀθανάτων.

Age ô virentes ſcopæ, ô pulcherrimæ miniſterium lauri, Quæ ſacra Phœbi pulpita ſcopunt ſub delubris ex hortis immortalium. Apud Virgilium Eurotas fluuius ab Apolline edoctus, ſuas lauros, quibus vmbrantur ſuæ ripæ, multa docet, nempe vt conſulentibus reſpondere poſſint.

Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audijt Eurotas, iuſſitq́; ediſcere lauros,
Ille canit. — *Virgil. ecl. 21 & ibi Seru.*

Quo loco pro *omnia* libentiùs legerim *omina*. Nam omen capitur è lauro. Et verò ſingulas lauros autor panegyrici ad Conſtantinum ait ferre omen tricenûm annorum, in loco quem paulò infra cito. Laurum eſſe ominatricem, vel ex eo intelligitur, quòd eam accendi in ſacris mos fuit, vt, prout crepitaret, de ea re ſuper qua conſuliretur, coniectura fieri poſſet. Hoc liquet ex hiſce verſibus Tibulli,

Vt ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis, — *Tibull. lib. 2. el. 6.*
Omine quo felix, & ſacer annus eat.
At laurus bona ſigna dedit, gaudete coloni,
Diſtendet ſpicis horrea plena Ceres.

Et quidem in ſyluis hanc arborem accendi aiunt non ſine multo ac terribili ſonitu. Lucretius,

Lauricomos vt ſi per montes flamma vagetur. — *Lucret. lib. 6.*
Turbine ventorum comburens impete magno.
Nec res vlla magis quàm Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.

Illi quoque qui de interpretatione ſomniorum ſcripſerunt, *vt Antiphon, Philocrus, & Artemon, & Serapion Aſcalonites, promittunt in libris ſuis, laurum ſi dormienti ad caput poſueris, vera ſomnia eſſe viſurum.* In promptu cauſa eſt, Nimirum, quòd laurus eſt eius Dei, cui reliqui Dij conceſſerunt, vt præter cæteros diuinaret. Statius. — *Fulgent. myth. lib. 1.* — *Cic. lib. 1. quaſt. Tuſcul* — *Stat. li. 3. Theb.*

—— non te cœleſtia fruſtra
Edocuit, lauroq́; ſua dignatus Apollo eſt.

Denique laurus adhibita eſt cantaminibus. Theocritus, — *Theocrit. Phar. eidyll. 2.*

Πᾷ μοι ταὶ δάφναι; φέρε Θέστυλι. πᾷ δὲ τὰ φίλτρα;
Στέψον ταὶ κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ
Ὡς τὸν ἐμοὶ βαρὺν εὖντα φίλον καταδύσομαι ἄνδρα,
ὅς μοι δωδεκαταῖος, ἀφ' ὧ τάλας οὐδέποθ' ἥκει.

Vbi mihi ſunt lauri Theſtyli? vbi verò ſunt philtra? Corona calicem hunc purpurea ouis lana, vt amatorem meum, qui me excruciat, carmine magico perſequar, qui miſer iam totos duodecim dies à me abeſt.

CAP. XIV.

Laurus eſt pudica, oſorq́; Veneris & Bacchi. Laurus comes bonæ valetudinis. Aſpergine lauri quidam expiati à fame. Laurus cur ſignet triumphum. Laurus vnde dicta. Laurus opima. Laurea eſt pacifera. Feſtus emendatur. Laurus eſt ſymbolum victoriæ & imperij. Laurus eſt herba, ſeu vellus Parnaſium.

HISCE tot dotibus & laudibus accedit hæc, quòd laurus eſt pudica, & virginitati potiſſimùm dilecta. Ea re apud Lucianum laurus eſt transfuga Veneris, huiuſque Deæ fugitiua facta, Tibullus eam vocat caſtam, loquens de Apolline,

Lucian. Amor.

Tibull. lib. 3.

Hic iuuenis caſta redimitus tempora lauro
Eſt viſus noſtra ponere ſede pedem.

Illud ipſum ei tribuit doctiſſimus poëta Statius,

Stat. li. 2. Theb.

Centum ibi virgineis vota Calidonides aris
Acteas tibi rite faces, & ab arbore caſta
Nectent purpureas niueo diſcrimine vittas.

Similiter Claudianus hanc arborem, vt virgine prognatam, teſtatur eſſe pudicam.

Claudian. lib. 3. de rap. Proſerp.

Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus virgineos quæ quondam fronde pudica
Vmbrabat thalamos, &c.

Athen. lib. 15.

Et verò vt Veneri, ſic eſt inimica Baccho, vt pote quæ neque conuiuijs, neque vllis compotationibus adhibetur. Nimirum, quia calfacit; & eſt odoris alieni ab nidore ciborum, etſi extra cibos haudquaquam ingrati. Superioribus accedit, quòd laurus eſt comes bonæ valetudinis. Eaque re Kal. Ianuarij populus eam magiſtratibus offerebat, vt etiam ficus aridas. Eamq́ue Romani vocant φυτὸν ἀγαθοῦ πνεύματος, arborem, ſiue plantam boni ſpiritus. Legimus quoque à Brancho vate Mileſios expiatos fuiſſe à fame per aſperginem lauri, dicendo hymnum his verbis, Μέλπετε ὦ παῖδες ἑκάεργον καὶ ἑκάεργαν, Cantate pueri Hecaergum, & Hecaergam. His tot tantiſque dotibus nobilitata frons haud immeritò ſignauit illud quod in rebus humanis maximum eſt & ampliſſimum, nempe victoriam & victoriæ pulcherrimum, nobiliſſimumq́ue partum, triumphum. Martialis ad Domitianum,

Conſtātin. Cæſ. lib. 11. cap. 4.

Clemen. Alex. ſtrom. lib. 5.

Quæ datur ex Dacis laurea tota tua eſt.

Martial. lib. 2. epigr. 2.

Cæterùm huius vocis etymon non abſurdum tradit Iſidorus, qui ait, *laurum dici à verbo laudis. Hac enim*, inquit, *cum laudibus victorum capita coronabantur. Apud antiquos autem laudea nominabatur.*

Iſidor. lib. 17. cap. 7.

batur. Poſtea d, litera ſublata, & ſubrogata r, dicta eſt laurus. Inuenio laurum non ſolùm dici victricem, ſed & opimam, ſcilicet cùm cohoneſtat caput illius ducis qui ſua manu ducem vicit, Statius;

Laureq; inſignis opima
Currus, & egregiis modò formidatus in armis *Stat. lib. 8. Theb.*
Luce palàm fuſus.

Nec Romanis tantùm laurus fuit ſymbolum victoriæ, ſed & hoc ipſum externis quoque gentibus, regibuſque placitum. Certè Plinius memorans quoddam genus lauri cui ſunt plura nomina, addit, inter hæc eſſe eam laurum, quam vocant Stephanon Alexandri. Vt ſit veriſimile hanc quoque frondem ſummo illi regi fuiſſe complacitam, & præcipuo quodam in honore habitam. Plinio aſſentitur Stephanus, qui hanc ſiue laurum, ſiue aliam frondem, ex qua in certaminibus coronabatur Alexander, à quibuſdam ait vocari Alexandram. Sed quòd ea frons eſſet noſtra hæc laurus, è ſequentibus datur intelligi. Addit enim, τινὲς δὲ δαφνίδα αὐτὴν καλοῦσιν· οἱ δὲ χαμαιδάφνην· οἱ δὲ [f. ἐπιφυλλόκαρπον] ἐπιφυλλάκαρπον, ἢ φυλλόκαρπον. Quidam verò Danaen ipſam vocant, quidam χαμαιδάφνην, id eſt humi ſerpentem laurum. Alij racemariam quandam plantam, ſiue ſpinoſam, aut eam cuius omnis fructus eſt in foliis. Cæterùm etſi ea quæ Plinius tradit de nitore & virore lauri vera eſſe probaui, tamen addit Plinius, *Non ideo laurum eſſe, argumentum lætitia, victoriæq;, addiq; militum lanceis piliſq; quòd perpetuò viret, nec quia pacifera eſt. vtroque enim*, inquit, *laureæ præſtat olea, quæ perpetua viriditate nitet; atque vbicunque, & à quibuſcunque prætenditur, accipitur, geſtatur, ibidem, & ab iiſdem pacem peti dariq; demonſtrat.* Videbat Plinius hanc à pleriſque cauſam afferri ingenioſiùs quàm veriùs. Certè hæc vſque eò vulgata exiſtimatio fuit, vt hodieque id ipſum legamus in Feſto. Is, quamuis lecto, vt credibile eſt, Plinio, tamen tanti viri autoritate minimè motus has ipſas, quamuis confutatas rationes, reiectáſque tradere non eſt veritus, fretus, videlicet, autoritate Maſſurij, cuius ſententiam, quòd non tam ad rei fidem, quàm ad pietatem voti pertinet, Plinius in leui habuit. Is Maſſurius ita putabat; Quomodo laurus perpetuò viret, ita optandum vt Reſpub. omni tempore floreat. Is quoque aiebat laurum eſſe paciferam. Atqui tam virore, quàm ſignificatione pacis olea inquit Plinius præſtat laureæ. Ergo inanis quoque hæc ratio. His accedit tertia, quòd, ſcilicet, laurus ſit ſuffimentum cædis hoſtium & purgatio. Id quod nihilo magis quàm ſuperiora Plinio probatur. His Feſtus ſubnectit quartam, nempe quòd *medicamento ſicciſſima ſit*. Quibus in verbis eſt enorme mendum. Tu pro *Feſt, laureati.*

Steph. ἀλεξάνδρεια.

medicamentoſicciſſima lege, *medicamentoſiſſima*, & locum reſtitueris. Quid ergo, inquis, ſuper tota hac re Plinio placet? Agnoſcit laurum eſſe frondem Apollinis; eandemque in monte Parnaſſo ſpectatiſſimam, ac nitidiſſimam prouenire. Ob id Romæ iam inde à priſcis ſæculis fuiſſe in tanta veneratione vt ab ipſis regibus Romanis dona Apollini Delphico miſſa fuerint, nō ſolùm per Titum & Aruntem filios regis, ſed & per L. Iunium Brutum. Quippe is in ea terra Romanam libertatem ſi non inuenit, at ſaltem inde ſumpſit vnde eam fore liberam animo præciperet. Et verò is eam propter cauſam ex reſponſo lauriferam illam tellurē oſculatus eſt.

Liu. lib. 1. *Cùm enim iuuenes*, inquit Liuius, *ad oraculum miſſi ſciſcitati eſſent, ad quem eorum regnum Romanum eſſet venturum, & ex infimo ſpecu vox reddita eſſet, imperium ſummum Romæ habiturum qui ipſorum primus oſculum matri tuliſſet, regiſq́; liberi inter ſe vter prior, cum Romam rediſſet, matri oſculum daret, ſorti permiſiſſent, Brutus aliò ratus ſpectare Pythicam vocem, velut ſi prolapſus cecidiſſet, terram oſculo contigit, ſcilicet, quòd ea communis mater omnium mortalium eſſet.* Id quod euentu intellectum eſt fuiſſe argumētum, ſiue pignus

Liu. lib. 16. inibi futuri imperij, vbi illud fore Brutus animo, ac deſtinatione præcepiſſet. Idem Liuius memorat, poſt victum Aſdrubalem, legationem Delphos miſſam fuiſſe, *ad donum ex præda Annibalis portandum*; nempe ſignum grati animi ob victoriam contra eum partam. Porrò hanc frondem ingenti conſenſu antiquitas Apolli-

In panegyr. ni ſacrauit, ſicuti Deo victoriarum ac triumphorum. *Vidiſti enim*, credo, *Conſtantine*, ait quidam, *Apollinem tuum, comitante victoria tibi laureas offerentem, quæ tricenûm ſingulæ ferunt omen annorum.* Et Liuius poſt traditam originem ludorum Apollinarium, ait,

Liu. lib. 25. *Hæc eſt origo ludorum Apollinarium victoriæ, non valetudinis ergo, vt plerique rentur, votorum.* Et Plinius tradit, hac fronde victores

Plin. lib. 15. cap. 30. Delphis coronari, vt triumphantes Romæ. Ipſe Apollo cantu certaturus cum Pane redimitur lauro Parnaſſide, vt victrice pulcherrima & ſua.

Ouid. lib. 11. Metamorph.

Ille caput flauum lauro Parnaſſide vinctus
Verrit humum Tyrio ſaturata murice palla,
Diſtinctamq́; lyram gemmis, & dentibus Indis
Suſtinet à læua: tenuit manus altera plectrum.

Pindarus de Appolline verba faciens, & de lauro, hanc vocat herbam Parnaſiam.

Pindar Pythi. od. 8.

Ξενάρκειον ἔδεκτο Κίῤ-
ῥαθεν ἐστεφανωμένον
υἱὸν ποίᾳ Παρνασίᾳ
Δωριεῖ τ' κώμῳ.

filium Xenarcis excepit è Cirrha coronatum herba Parnaſia, Doricoque hymno. Quod ad exemplum eruditè Statius vocauit vellera Parnaſia,

Vatem cultu Parnaſia, monſtrant
Vellera. — *Stat. lib. 4. Theb.*

CAP. XV.

Quilibet victor, quamlibet incruentus, eſt laureatus. Apollo rex diadematus. Laurus geſtata vice diadematis. Perſtringitur Scholiaſtes Apollonij Rhodij. Laurus fulmine non icitur. Naturalis quædam vis lauri. Laurus infeſta dæmonibus.

QVomodo Apollo lyra cantuque victor lauru redimitur, ita non ſolùm ij qui hoſtium ſanguine victoriam pepererunt, ſed & quiſquis Rempub. à peſtilentibus ciuibus vindicauit, huic caput dicitur eſſe laureatum, vt apud Martianum Capellam loquentem de M. Tullio *Alter verò quem Conſularis purpura, & coniurationis extinctæ laurea redimiebat, &c.* Nempe triumphator non immeritò rex dici poteſt, quomodo vbique poëtæ Apollinem hac ipſa de cauſa vocant regem, & ſtatuarum artifices eum faciunt diadematum. Certè ſtatim vt Latona Apollinem ac Dianã peperit ei obſtetricata Pallas, pueris ſuſceptis, Apollinem coronauit. Cæterùm quicquid tot votis ac periculis expetitur, poſitum eſt in victoria. Hæc & regnum haud longo diſtant interuallo. Ideo laurus geſtata eſt vice diadematis non ſolùm à principibus Romanis, quorum capita in numiſmatibus priùs fuerunt laureata quàm radiata, ſed & à priſcis illis regibus Romanis. Id diſcimus è Dionyſio Halicarnaſſæo, qui ait, Romulum in pompa vltimum perrexiſſe, veſte indutum purpurea, caput verò coronatum lauro, atque vt regiam dignitatem ſeruaret, quadriiugo curru inuectum. Ergo vetuſtiſſimo more laurea geſtata eſt ab regibus, quomodo à ſacrificantibus. Et hîc quidem mihi obiter præſtringendus eſt Scholiaſtes Apollonij Rhodij, ille qui inter omnes ſcholiaſtas palmam obtinere dicitur. Memorat Apollonius, poſt victum à Polluce Amycum, ſtragémque Bebrycum, Argonautas rem diuinam feciſſe redimitos lauro. Non poëticè, inquit Scholiaſtes, poëta finxit laurum, ſed verè inibi eſt laurus procera, vt Androetas & Tenedius aiunt. Quid tibi, Scholiaſtes, complacitum eſt nugari, & praua interpretatione obſcurare morem antiquiſſimum & pulcherrimum? Annon & verius & pronius, & præclarius fuit dicere, inſignes illos, & apud omnem

Martian. Cap. lib. 5. *Plin. lib. 34. c. 8.* *Ariſtid. μαρτυρ. Ἀθην.* *Dionyſ. Halic lib. 2. antiq.* *Apollon. Rhod. lib. 2. & ibi Scholiaſt.*

poſteritatem celeberrimos heroas ſedulò egiſſe Apollini gratias ob partam de ferociſſimo rege gēteque victoriam? Ideo, inquam, ſacrificantes vſurpaſſe frondem huic numini dilectam & ſacram, more iam tum apud omnes gentes receptiſſimo? atque adeò ea fronde operuiſſe funes nauis Argo? Quòd autem Apollini ſacrum fieret, ipſe Apollonius eodem loco tradit.

κλεῖον δὲ Θεραπναῖον Διὸς υἷα.

Inuocabant autem Therapnæum Iouis filium. Redeo ad rem, & aio, laurum eſſe antiquiſſimum geſtamen victorum, ac proinde regum ac tyrannorum. In hanc ſententiam Athenæus memorat, Tharſi fuiſſe tyrannum, ſecta Epicureum, nomine Lyſiam. Hunc ciues crearunt Stephanophorū, hoc eſt, eum magiſtratū, cui ius eſt coronæ geſtandæ. Is hoc magiſtratu nunquam ſe abdicauit, ipſo habitu tyrannidem oſtentans. Nam indutui habebat tunicam, purpuream diſtinctam albo, eoque ſumptuoſo paludamento. Laconicis quoque albis ſoleis inſignem ſe fecerat; ſed potiſſimùm laurea corona redimitus incedebat. Nempe nouo huic domino laurea corona fuit inſigne regium; eumque demonſtrabat, qui eſſet victor publici ſeruitij. Denique quod Cæſari diadema Antonius obtulit, dicitur fuiſſe contextum è ramis lauri. Diadema dixi, hoc eſt, inſigne regium; quia ſic à rerum ſcriptoribus vocatur, potiſſimùm à M. Tullio, *Niſi fortè*, inquit, *eos qui diadema impoſuerint, conſeruandos, eos qui nomen regis ſuſtulerunt, deſerendos putatis.* Nempe M. Tullius, vt Antonij factum atrocius, ac libertati infenſius eſſe demonſtraret, diadematis inuidioſiſſimum, in libera ciuitate & odioſiſſimum nomen vſurpauit, non ſolùm in loco proximè citato, ſed & antea. *Diadema oſtendis. Gemitus toto foro. Vnde diadema? Non enim abiectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum & cogitatum ſcelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi. Ille cum plauſu reijciebat.* Quod autem hîc quidem M. Tullius coronam lauream, illam dico priſcam diſtinguat à diademate, his verbis oſtendit. *Sedebat in roſtris collega tuus amictus toga purpurea in ſella aurea coronatus*, nempe & more priſco, atque adeò è S.C. quo licuit Cæſari auream coronam geſtare. Et quidem ſtatuæ eiuſdem Cæſaris impoſita fuit corona laurea, præligata faſcia candida, vt hinc homines intelligerent Cæſarem eſſe regem. Ibi, ſcilicet, laurea victoriam, diadema regnum victoriæ fœtum demōſtrabat. Non his contentus Plinius aliam rationem affert præcipui illius honoris qui habetur laureæ. Hanc quoque, ſi fide niteretur, non minimam diceres. Neque enim in terris tantùm apud homines, verùm & in ſolidamento cœli apud Deos immortales tantus lauro honor eſt, vt hanc arborem vnam ex omnibus manu ſatis, do-

Athen. lib. 5.

Cic. Philip. 10.

Cic. Philip. 2. orat. 45.

Appian. Alex. lib. 1. bel. ciu.

meſticiſque fulmine non iciat ſummus Iupiter. Quæ quamlibet ſuperſtitioſa perſuaſio vſque eò quorumdam mentibus adhæſit, vt, vel ipſo Plinio autore, *Tiberius Cæſar, cœlo tonante, lauro coronari ſolitus ſit.* Idipſum à veteribus memoratum tradit Iſidorus. Etſi hoc non ſolùm ſuperſtitione, verùm etiam ratione factum credi poteſt, propter ingenium huius frondis, quod tale eſt, vt naturali quadam vi iuuet eam rem cui adheret, & quidem aduerſus fulgura. Qua de cauſa antiquitus ramis lauri operiebantur vaſa vini, ne inde vinum corrumperetur. Quid, quod dæmonibus laurus eſt infeſta? Certè vbi laurus eſt, inde dæmonas diffugere aiunt. Præcipuas lauri laudes, quas recenſui, vltima hac excepta, Tibullus ſenis verſibus eleganter complexus eſt.

Iſidor. lib. 17. cap 7.

Conſtantin. lib. 7. cap. 11.

Conſtantin. Caſ. lib 11. cap. 3.

Tibull lib. 2. eleg. 6.

Tu procul euentura vides, tibi deditus augur,
Scis bene quid fati prouida cantet auis.
Tuq́, regis fortes, per te præſentit haruſpex.
Lubrica ſignauit cùm Deus exta notis.
Te duce Romanos nunquam fruſtrata Sibylla eſt,
Abdita quæ ſenis fata canit pedibus.

Et hæc quidem de laurea triumphantium corona dici poſſunt, quæ vna honore ac dignitate ipſas Olympicas ſuperauit.

Sueton. Aug. de Octauio patre Augusti, *Videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem cum fulmine, ſceptro, exuuiſq; Iouis Opt. Max. ac radiata corona ſuper, laureatum currum biſſenis equis candore eximio trahentibus.* His propemodum ſimiles currus fuiſſe ductos in pompa,
Xenoph. de inſtit. Cy. lib. 8. cùm Cyrus è regia in publicū egrediebatur, memorat Xenophon, nempe currum album Ioui ſacrum, χρυσόζυγον aureo iugo, ἐστεμμένον coronatū. tum Solis currum album, Et hunc quoque coronatum. In publicis quoque gratulationibus multitudo aſpiciebatur laureata, id eſt, circumplaudens illi qui rem proſperè geſſiſſet, ſicuti particeps huius felicitatis. *Vitellio,* inquit Tacitus, *plauſere Populus*
Tacit. li. 2. hiſt. *cum lauru ac floribus Galba imagines circum templa tulit, congeſtis in modum tumuli coronis,* quam quiſque, ſcilicet, capite tuliſſet. Addit Plinius, *laurum eſſe ſpectatiſſimam in monte Parnaſſo. Ideoq; etiam,* inquit, *grata Apollini.* Id quod verum eſſe diſcimus ex Ouidio,
Ouid. lib. 1. Metam. vbi loquitur de Daphne & Phœbo,

Oſcula dat ligno; refugit tamen oſcula lignum.
Cui Deus, At quoniam coniux mea non potes eſſe
Arbor eris certè, dixit, mea. ſemper habebunt
Te coma, te citharæ, te noſtræ Laure pharetræ.
Tu ducibus lætis aderis cùm læta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.

Infra videbimus, laurum vocari herbam Parnaſſiam. Virgilius diſertim eam tribuit Phœbo, ſicuti platanm ignitam, ac proinde Apollini gratam, qui quantus quantus eſt, ignis eſt.

Virgil. ecl. 7.
Populus Alcidæ gratiſſima; vitis Iaccho;
Formoſæ myrtus Veneri; ſua laurea Phœbo.

Idem alibi,

Virgil. Cul.
Laurus item Phœbi ſurgens decus.

Imitatus, videlicet, Theocritum,

Theocrit. epigr. 1.
Ταὶ δὲ μελάμφυλλοι δάφναι τὶν Πύθιε Παιάν
Δελφὶς ἐπεὶ πέτρα τοῦτό τοι ἀγλάισεν.

Ἀνθολ. lib. 1. At nigris folijs lauri tibi, ô Pythie Apollo [dicatæ ſunt] Delphica enim petra his te ornauit. Hinc eſt quod Poëtæ Apollinem vocāt δαφναῖον veluti proprio epitheto. Apud Ouidium cùm coruus Apollini indicaſſet,

Ouid. lib. 2. Metam.
Cum iuuene Æmonio vidiſſe Coronida;

tunc verò Phœbo, nimirum præ ingenti dolore

Laurea delapſa eſt audito crimine amantis.

Conſtant. Cæſ. lib. 11. cap. 3. Hygin fab. 103. Scholiaſt. in Alexiph. Nic. Ouidio aſſentiuntur Conſtantinus Cæſar, Hyginus, Aphthonius, & Scholiaſtes Nicandri. *Apollo,* inquit Hyginus, *Daphnen Pelei fluminis filiam cùm virginem perſequeretur, illa à terra præſidium petit, quæ eam recepit in ſe, & in arborem laurum commutauit. Apollo*

inde

inde ramum fregit, & in caput impoſuit. Arbori nomen indidit lauri à nomine virginis. Ipſam quoque virginem nominauit Sophronam, hoc eſt ſobriam. Id quod vaticinio conuenit, cui certè origo ſobrietas eſt. Aliam Tertullianus cauſam profert, qua factum eſt vt hæc arbor ſit Phœbi. *Habes*, inquit, *tragœdiam Cerberi; habes Pindarum atque Callimachum, qui & Apollinem memorat, interfecto Delphico dracone, lauream induiſſe quâ* [l. quaſi] *ſupplicem. Et poſtea, laurea iſta Apollini, vel Libero ſacrata eſt, illi vt Deo telorum, huic vt Deo triumphorum. Sic docet Claudius.* E᾿ quo loco diſcimus, Liberum non minùs eſſe autorem coronæ laureæ, quàm ipſum Apollinem. Sed de Libero ipſe paulò ante diſertim fatetur his verbis, *Sed & aliâs Liberũ principem coronæ planè laureæ, in qua ex Indis triumphauit, etiam vulgus agnoſcit, cùm dies in illum ſolennes magnam appellat coronam.* Sed vt Liberi quoque in Oriente fuerit hæc corona, certè apud Occidentales obtinuit vt ſit Apollinis, ſiue ob eam cauſam quam Ouidius memorat, ſiue propter eam quam è Claudio Tertullianus affert. Quibus aſſentitur Ælianus. Is enim memorat, Apollinem Pythone ſerpente, qui Delphos occupabat, iaculis interempto, coronatum lauro Tempica; ramoque manu ſumpto, veniſſe Delphos, & oraculum occupauiſſe. Ergo Daphne virgo, quia diu Apollinem vſſit, in laurum conuerſa, exin fuit in perpetua tutela huius numinis. Nam ante eam diem,

Tertull. de cor. mil.

Tertull. de cor. mil.

Ælian. Var. hiſtor lib. 13.

Nondum laurus erat, longoq; decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus. *Ouid. lib. 1. Metam.*

Hinc, opinor, vetuſtus mos, quo ſacerdotes Apollinis laurum geſtabãt. Vnde veriſimile eſt, laurum dictam fuiſſe ſacram. Virgilius,

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; ſacerdos
Vittis & ſacra redimitus tempora lauro *Virgil. 3. Æneid.*
Occurrit.

Certè ipſe Apollo vocatus eſt δαφνηφόρος geſtor laureæ.

CAPVT XII.

Laurus ſumpta pro oraculo Apollinis. Fatidici vates laureati. Conſilium capientes accedebant ad laurum. Latonæ ſacrificantes laureati. Laurus perpetuò viret. Sociatur myrtis, & hyacintho. Lauri vmbra & nitor. Laurus ἀλεξιφάρμακον. Laurus fautrix inſidiarum. Laurus fulmine non icitur.

ITAQVE quòd hæc arbor Apollini tantoperè eſt placita, quandoque laurum pro ipſo Apollinis oraculo ſumptam legimus. vt apud Callimachum,

Οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὄρπηξ, *Callimach. in principio hym.*
Οἷα δ᾿ ὅλον τὸ μέλαθρον. *in Apoll 6.*

Quantum iſte Apollinis commotus eſt laureus ramus! Quantum verò totum antrum! Ipſi vatidici vates redimiuntur lauro, vt apud Euripidem Caſſandra,

Euripid. Iphig in Aul. actu 3.

τὰν Κασάνδραν ἵν' ἀκούω
ῥίπτειν ξανθοὺς πλοκάμους
χλωροκόμῳ στεφάνῳ δάφνας
κοσμηθεῖσαν, ὅταν θεοῦ
μαντόσυνοι πνεύσωσ' ἀνάγκαι.

Vbi fama eſt Caſſandram flauos diffundere crines Viridante ſerto lauri redimitam, quando ipſam omniſcia inſpirant numina. Hæc ipſa Caſſandra apud hunc ipſum Euripidem alloquens Phœbum,

Euripid. troad. actu 2.

– ἄγε σὺ Φοῖβε νῦν
κατὰ σὸν ἐν δάφναις
ἀνάκτορον θυηπολῶ.

Age tu Phœbe nunc tuis inter lauros templis operabor ſacris. Et alibi valedicens Apollinis coronis, cuius ſacerdos erat, ait

Euripid. troad. actu 2

ὦ στέφη τοῦ φιλτάτου μοι θεῶν, ἀγάλματ' εὔια
χαίρετε.

ô ſerta chariſſimi mihi Dei, ô ſacræ imagines valete. Certè qui ſeriò ſuper aliqua re conſulebant, accedebant ad laurum. Silius Italicus facit Scipionem eum qui poſtea fuit Africanus ſuperior, adhuc adoleſcentem, cogitantem de prouincia Hiſpania ſediſſe ſub lauru,

Sil. Ital. lib. 15.

Has lauri reſidens iuuenis viridante ſub vmbra
Ædibus extremis voluebat pectore curas.

Illi quoque qui Latonę matri Apollinis ſacra faciunt, euinciuntur lauro. Ea re apud Ouidium Manto iuſſu Latonę Thebanas mulieres hac fronde redimiri iubet.

Ouid. lib. 2. Metam.

—— Iſmenides ite frequentes,
Et date Latonæ, Latonigeniſq; duobus
Cum prece thura pia; lauroq; innectite crinem.
Ore meo Latona iubet. Paretur, & omnes
Thebaides iuſſis ſua tempora frondibus ornant.

Phornut. in Apoll. & Diana. Iſidor. lib. 17.

Porrò dicitur grata Apollini διὰ τὸ εὐεργές τε καὶ ἀειθαλὲς φυτὸν εἶναι, quòd cuiuis operi eſt apta, atque, vt Plinius ait, *perpetuò viret. Hanc arborem*, inquit Iſidorus, *Græci daphnen vocant, quòd nunquam deponat viriditatem. Inde illa potiùs victores coronantur.* Certè ob hunc viror ę m & nitorem, myrtis, vt ſupra monui, ſociatur, augendæ, vt credibile eſt, pulchritudini. Theocritus,

Theocrit. in epigr.

Σακὸς δ' εὖ ἱερὸς περιδέδρομε· ἀέναον δὲ
ῥεῖθρον ἀπὸ σπιλάδων πάντοσε τηλεθάει
Δάφναις καὶ μύρτοισι, καὶ εὐώδει κυπαρίσσῳ.

Ædes autem ſacra pulchrè circumcurrit, & perenne fluentum de ſaxis vndique viret, lauris, & myrtis, & odorata cupreſſu. Iungitur & hyacintho apud Virgilium,

——Phœbo ſua ſemper apud me
Munera ſunt lauri, & ſuaue rubens hyacinthus. *Virgil. ecl. 3.*

Laudaturque vmbra lauri, vt apud Horatium,

Tum ſpiſſa ramis laurea feruidos
Excludet ictus. *Horat. lib. 2. Carm. od. 15.*

Eius nitorem præcipuè ſignat Ouidius, vbi loquitur de Daphne mutata in laurum,

——remanet nitor vnus in illa. *Ouid. lib. 1. Metam.*

Laurus quoque creditur eſſe Apollinis, quòd eſt ἀλεξιφάρμακον aduerſus inſidias. Vnde natum prouerbium, δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν laureum fero baculum. *ἐν παροιμ.* Sed vt laurus cauendis inſidijs eſt peridonea, ita quoque eſt efficax proſperandis. Certè apud Euripidem Oreſtes lauro inumbratus inſidijs opprimit Neoptolemum, videlicet præſcius futuri, ac meditatum eius facinus præueniens.

τῷ δ' ἐκ ξιφήρης ἄρ' ὑφεςήκει λόχος
δάφνῃ σκιασθεὶς· ὧν Κλυταιμνήςρας τόκος εἷς ἦν. *Euripid. Androm. actu 5.*

Quo in loco gladijs armatæ erant inſidiæ locatæ, è quibus laureatus Clytæmneſtræ filius vnus erat. Addit Plinius, *manu ſatarum, receptarumq; in domo arborum fulmine non ici laurum*; ſtulta, ſcilicet, nihilominus tamen vulgata credulitate, planeque recepta, vt infra fuſiùs dico.

CAP. XIII.

Apollo edit reſponſa per laurum. Delphici tripodes è lauro. Quo ritu ederentur oracula Delphica. Adytum Apollineum multa fronde vmbratum. Laurus diuinatrix. Vorare laurum, aut veſci lauro, quid. Vates laureati. Iunonis miniſtri laureati. Ædes Apollinis euerritur ramis lauri. Omen capitur è lauro accenſa. Laurus dormientibus addita quid efficiat. Laurus adhibita cantaminibus.

HÆc omnia etſi nituntur teſtimonijs antiquitatis, tamen multò magis ea re laurus videtur Apollini ſacra, quod ipſe edit reſponſa per laurum. *Artemid. lib. 4. cap. 69.* Eaque re dicitur μαντικώτατος, ac ſi dicas, numen vt ita loquar, vatidiſſimum. Et verò Athenæus vt oſtendat, *Athen. lib. 13.* quantus ipſe Apollo exſurgat in vltionem illorum qui qualicunque ratione abutuntur lauro ſibi ſacra, tradit Metapontinos

Apollini dedicaſſe æneam laurum. Ex ea lauru cùm vox edita eſſet, Pharſaliam quandam ſaltatricem donatam laurea corona, eaque aurea templo detracta; tunc verò eam mulierem medio foro fuiſſe diſcerptam à vatibus Apollineo furore percitis, nempe propter violatū numen, hoc eſt, non ſolùm propter ſacrilegium; ſed quòd ea mulier ſacrilegio addidiſſet temeritatem geſtandi ſtemmata eius Dei, cuius ipſa non eſſet ſacerdos. Certè huic numini hæc frons vſque eò dilecta fuit, vt is tripos vnde edebantur oracula Pythica, fuerit è lauro. Id quod diſcimus ex Himerio, vbi Apollinem alloquens inuehitur in Xerxem qui vſque eò audaciæ

Him. μελ. progreſſus eſt, vt ſacris tripodibus ignem inijcere tentarit. Nam ſi Xerxes tripodibus ignem admoturus fuit; vtique fatendum eſt, eos tripodas conſtitiſſe ex ea materia quæ igni obnoxia eſſet. Ea

Phornut. in Apoll. & Dia. erat laurus, quam Phornutus ait eſſe εὐέγκαυστον aduri facilem, & ad purgariones aptam; Ideoque non abſurdè ſacratam eſſe numini puriſſimo & ardentiſſimo. Cæterùm & ipſa Pythia ἐστεφανηφόρει coronata erat, & ipſi tripodes non ſolùm erant laurei, ſed & δάφνῃ

Scholiaſt. Ariſtoph. in Pl. 4. ἦσαν ἐστεμμένοι lauru erant coronati. Id ipſum diſcimus è Nicephori hiſtoria eccleſiaſtica, vbi memorat, Valenti imperatori defuncto

Niceph. lib. 11. cap. 45. quiſnam in imperio ſucceſſurus eſſet, quoſdam hac ratione ſciſcitatos eſſe Tripode ſcilicet, è lauro facto, verbiſque & euocationibus quibuſdam de more peractis, ad deſtinata peruenerunt. Quippe quibuſdam literis collectis, quæ dicuntur fuiſſe θ, ε, ο, δ, & quibuſdam in tripode machinis eas ordinantibus, futuri imperatotis nomen apparuit. Diſertim quoque Homerus tradit, Apollinem reſpondere è lauro, hoc eſt è tripode laureo.

> Χρείων ἐκ δάφνης γυάλων ὕπο Παρνησοῖο.

Homer. hym. in Apoll. Oracula edens ex lauro ex vallibus Parnaſſi. Et Callimachus in loco ſupra citato,

Callimach. hym. in Apoll. in primo.

> Οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὅρπηξ;
> Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον.

Quantum iſte Apollinis commotus eſt laureus ramus; Quan-

Scholiaſt Ariſtoph. in Pl. 4. tum verò totum antrum! Quem omnem ritum, quòd vulgo ignorari video, è Scholiaſte Ariſtophanis deſumptum trado. Coronæ ſuper tripode erant poſitæ, quas Pythia capite geſtans vaticinabatur. Erat autem Pythia virgo ſedens ſuper tripode Apollinis diductis cruribus. Ea malum ſpiritum, qui ex inferiori parte reddebatur, per genitales partes recipiebat. Et ſic furoris plena, crinibus ſolutis, & ore deſpumante, ac per omnia furioſos imitata, pronuntiabat verba vaticinijne, an furoris? Hoc fermè ipſum de Sibylla Virgilius tradit,

——magnam cui mentem animumq́; — *Virgil.6.Ænei.*

Delius inſpirat vates, aperitq́; futura.

Adde, hanc Pythiam, cùm oraculum ſciſcitantibus reſponſura eſſet, ſolitam fuiſſe bibere è ſacris fluentis; atque illico Deo plenam adeuntibus oraculum edidiſſe. Adde & illud, ſub tripode fuiſſe draconem, qui & ipſe voces edebat. Cæterùm is locus, ſiue illud adytum vnde edebantur illa ſiue oracula, ſiue reſponſa, fuit coronatum, id eſt, multa fronde vmbratum & obſcuratum. Ergo Pythia, ſiue Pythias, apud Æſchylum ſic loquitur, *Lucian. Hemo. ſiue de ſect.* *Lucian. de aſtrol.*

ἐγὼ μὲν ἕρπω πρὸς πολυστεφῆ μυχόν. — *Æſchyl. Eum.*

Equidem repo ad bene coronatum antrum. Hæc ſunt illa ipſa quę Ariſtophanes in loco proximè citato vocat στέμματα, nempe φυλλώδη καὶ ποώδη στεφανώματα, folioſa & herbida coronamenta. Hás ob cauſas laurus dicitur eſſe diuinatrix, vel ſciens futuri; vt Claudianus ait, *venturi praſcia laurus*, & Lycophron Caſſandræ os fatidicum vocat lauriuorum; quaſi qui laurum vorauerit, is futura præſentiat. *Heſych. στεφανωμάτων λωτῶν.* *Claudian. li. 2. de rap. Proſerp.*

ἀλλ' ἄσπετον χέασα παμμιγῆ βολὼ
Δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα,
σφιγγὸς κελαινῆς γῆρυν ἐκμιμουμένη. — *Lycoph. in prin.*

Sed immenſum fundendo confuſumque clamorem, lauriuoro vaticinata eſt ore, Nigræ Sphingis vocem imitata. Eſt ergo laurus σύμβολον μαντικῆς. Huc adluſum eſt à Tibullo,

- ſic vſque ſacras innoxia lauros — *Tibull.*

Veſcar.

Tryphiodorus hanc ipſam Caſſandram facit concutientem ſacram laurum, cùm agitaretur mente vaticinatrice,

Τοίη μαντιπόλοιο βολῆς ὑπὸ νύγματι κούρη
Πλαζομένη κραδίην ἱερὴν ἀνεσείετο δάφνην. — *Tryphiod.*

Talis virgo fatidici impetus ſtimulo agitata mentem, concutiebat ſacram laurum. Martianus Capella vocat ramum lauri virgam diuinatricem & coniecturalem. *Delius quoque*, inquit, *vt ramale laureum geſtitat diuinatrice eadem, coniecturaliq́; virga volucres illi, ac fulgurum iactus, ac ipſius meatus cæli ſyderumq́; monſtrabat.* Apud Euripidem Caſſandra ad diuinam, hoc eſt, vaticinatricem laurum canens, Paridem interfici oportere dixit, *Martian. Cap. lib. 1.*

εἴθε δ' ὑπὲρ κεφαλᾶς ἔβαλεν κακὸν,
ἅ τις τέκεν ποτὲ Πάριν,
πρὶν Ἰδαῖον κατοικίσαι λέπας,
ὅτε νιν παρὰ θεσπεσίῳ δάφνᾳ
βόασε Κασσάνδρα κτανεῖν. — *Euripid. Androm. actu 2.*

Vtinam ſupra caput ieciſſet malum quæ quondam peperit Parim, priuſquam habitaſſet Idæum verticem, quando ipſam apud diuinam laurum Caſſandra clamauit interficiendum. Apud hunc ipſum Euripidem πτόρθοι δάφνης rami lauri collocantur in æde Apollinis.

Euripid. Ion. actu 1.

> ἡμεῖς ἢ πόνους, οὓς ἐκ παιδὸς
> μοχθοῦμεν ἀεὶ, πτόρθοισι δάφνης,
> στέφεσί θ᾽ ἱεροῖς ἐσόδους Φοίβου
> καθαρὰς θήσομεν, ὑγραῖς τε πέδον
> ῥανίσι νοτερόν·

Nos autem quibus à puero adſueuimus laboribus, lauri ramis, ac ſacris ſertis veſtibula Phœbi, humidaque pauimentu in aſpergine madidum luſtrabimus. Ipſe Apollo, vt alibi dico, eſt μάντις καὶ ποιητὴς, vates & poëta, καὶ κατ᾽ ἀμφότερα ἐξηγητὴς τῆς ἀληθείας, & vtraque ratione interpres veritatis. Apud Ariſtophanem is qui creditur eſſe vates, coronatur lauro.

Ariſtid. π. τοῦ παραφθέγ.

Ariſtop. εἰρήνῃ.

> —— καὶ γὰρ οὑτοσὶ
> Προσέρχεταί δαφνῃ τις ἐστεφανωμένος
> Τίς ἄρα ποτ᾽ ἐστιν; Θε. ὡς ἀλαζὼν φαίνεται.
> Μάντις τίς ἐστιν. Τρ. οὐ μὰ Δί᾽· ἀλλ᾽ ἱεροκλέης.

Etenim hic accedit quiſpiam lauro coronatus. Age quis tandem eſt? Th. Vt ſuperbus incedit, Vates aliquis eſt. Tr. Non per Iouem, ſed Hierocles. Non de nihilo Athenæus ex Ariſtarcho obſeruauit, Caribus imperatum fuiſſe vt omnibus coronis abſtinerent, laureis exceptis. Quippe Iunonis miniſtris hæc loco muneris concedebantur. Itaque Cares obtemperantes oraculo, ſublato vſu omnium coronarum, Deæ miniſtris vt laureas geſtarent, permiſerunt. Quo, ſcilicet, permiſſu videbatur illis datum vt futura prænoſcerent ac prædicerent. *Dant illi hoc maieſtatis*, inquit Solinus de lauro, *vt portendat futura.* Apud Euripidem ramis lauri euerritur ædes Apollini ſacra, ſicuti fatidico numini. Vſque eò omnia ibi conſtat fuiſſe laurea.

Athen. lib. 15. & ſeqq.

Solin. cap. 34.

> ἄγ᾽ ὦ νεηθαλὲς, ὦ
> καλλίστας προπόλευμα δάφνας,
> ἃ τὰν Φοίβου θυμέλαν
> σαίρεις, ὑπὸ ναοῖς,
> κήπων ἐξ ἀθανάτων.

Age ô virentes ſcopæ, ô pulcherrimæ miniſterium lauri, Quæ ſacra Phœbi pulpita ſcopunt ſub delubris ex hortis immortalium. Apud Virgilium Eurotas fluuius ab Apolline edoctus, ſuas lauros, quibus vmbrantur ſuæ ripæ, multa docet, nempe vt conſulentibus reſpondere poſſint.

Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audijt Eurotas, iuſſitq́; ediſcere lauros,
Ille canit. — Virgil. ecl. 21 & ibi Seru.

Quo loco pro *omnia* libentiùs legerim *omina*. Nam omen capitur è lauro. Et verò ſingulas lauros autor panegytici ad Conſtantinum ait ferre omen tricenûm annorum, in loco quem paulò infra cito. Laurum eſſe ominatricem, vel ex eo intelligitur, quòd eam accendi in ſacris mos fuit, vt, prout crepitaret, de ea re ſuper qua conſulitur, coniectura fieri poſſet. Hoc liquet ex hiſce verſibus Tibulli,

Vt ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis, — Tibull. lib. 2 el. 6.
Omine quo felix, & ſacer annus eat.
At laurus bona ſigna dedit, gaudete coloni,
Diſtendet ſpicis horrea plena Ceres.

Et quidem in ſyluis hanc arborem accendi aiunt non ſine multo ac terribili ſonitu. Lucretius,

Lauricomos vt ſi per montes flamma vagetur — Lucret. lib. 6.
Turbine ventorum comburens impete magno.
Nec res vlla magis quàm Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.

Illi quoque qui de interpretatione ſomniorum ſcripſerunt, *vt Antiphon, Philocrus, & Artemon, & Serapion Aſcalonites, promittunt in libris ſuis, laurum ſi dormienti ad caput poſueris, vera ſomnia eſſe viſurum.* In promptu cauſa eſt, Nimirum, quòd laurus eſt eius Dei, cui reliqui Dij conceſſerunt, vt præter cæteros diuinaret. Statius. — Fulgent. myth. lib. 1. — Cic. lib. 1. quæſt. Tuſcul. — Stat. li. 3. Theb.

—— non te cœleſtia fruſtra
Edocuit, lauroq́; ſua dignatus Apollo eſt.

Denique laurus adhibita eſt cantaminibus. Theocritus, — Theocrit. Pharm. idyll. 2.

Πᾷ μοι ταὶ δάφναι; φέρε Θέϛυλι. πᾷ δὲ τὰ φίλτρα;
Στέψον ταὶ κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ
Ὡς τὸν ἐμοὶ βαρὺν εὖντα φίλον καταδύσομαι ἄνδρα,
ὅς μοι δωδεκαταῖος, ἀφ' ὧ τάλας οὐδέποθ' ἥκει.

Vbi mihi ſunt lauri Theſtyli? vbi verò ſunt philtra? Corona calicem hunc purpurea ouis lana, vt amatorem meum, qui me excruciat, carmine magico perſequar, qui miſer iam totos duodecim dies à me abeſt.

CAP. XIV.

Laurus eſt pudica, oſorq́; Veneris & Bacchi. Laurus comes bonæ valetudinis. Aſpergine lauri quidam expiati à fame. Laurus cur ſignet triumphum. Laurus vnde dicta. Laurus opima. Laurea eſt pacifera. Feſtus emendatur. Laurus eſt ſymbolum victoriæ & imperij. Laurus eſt herba, ſeu vellus Parnaſium.

HISCE tot dotibus & laudibus accedit hæc, quòd laurus eſt pudica, & virginitati potiſſimùm dilecta. Ea re apud Lucianum laurus eſt transfuga Veneris, huiuſque Deæ fugitiua facta, Tibullus eam vocat caſtam, loquens de Apolline, *[Lucian. Amor.]*

[Tibull. lib. 3.]
Hic iuuenis caſta redimitus tempora lauro
Eſt viſus noſtra ponere ſede pedem.

Illud ipſum ei tribuit doctiſſimus poëta Statius,

[Stat. li. 2. Theb.]
Centum ibi virgineis vota Calidonides aris
Acteas tibi ritè faces, & ab arbore caſta
Nectent purpureas niueo diſcrimine vittas.

Similiter Claudianus hanc arborem, vt virgine prognatam, teſtatur eſſe pudicam.

[Claudian. lib. 3. de rap. Proſerp.]
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus virgineos quæ quondam fronde pudica
Vmbrabat thalamos, &c.

[Athen. lib. 15.] Et verò vt Veneri, ſic eſt inimica Baccho, vt pote quæ neque conuiuijs, neque vllis compotationibus adhibetur. Nimirum, quia calfacit; & eſt odoris alieni ab nidore ciborum, etſi extra cibos haudquaquam ingrati. Superioribus accedit, quòd laurus eſt comes bonæ valetudinis. *[Conſtãtin. Cæſ. lib. 11. cap. 4.]* Eaque re Kal. Ianuarij populus eam magiſtratibus offerebat, vt etiam ficus aridas. Eamque Romani vocant φυτὸν ἀγαθοῦ πνεύματος, arborem, ſiue plantam boni ſpiritus. Legimus quoque à Brancho vate Mileſios expiatos fuiſſe à fame per aſperginem lauri, dicendo hymnum his verbis, Μέλπετε ὦ παῖδες ἑκάεργον καὶ ἑκάεργαν; Cantate pueri Hecaergum, & Hecaergam. His tot tantiſque dotibus nobilitata frons haud immeritò ſignauit illud quod in rebus humanis maximum eſt & ampliſſimum, nempe victoriam & victoriæ pulcherrimum, nobiliſſimumque partum, triumphum. Martialis ad Domitianum, *[Clemen. Alex. ſtrom. lib. 5.]*

[Martial. lib. 2. epigr. 2.]
Quæ datur ex Dacis laurea tota tua eſt.

Cæterùm huius vocis etymon non abſurdum tradit Iſidorus, qui ait, *laurum dici à verbo laudis. Hac enim*, inquit, *cum laudibus victorum capita coronabantur. Apud antiquos autem laudea nominabatur.* *[Iſidor. lib. 17. cap. 7.]*

batur. Poſtea d, litera ſublata, & ſubrogata r, dicta eſt laurus. Inuenio laurum non ſolùm dici victricem, ſed & opimam, ſcilicet cùm cohoneſtat caput illius ducis qui ſua manu ducem vicit, Statius;

Laurog, inſignis opima
Currus, & egregiis modò formidatus in armis Stat. lib. 8. Theb.
Luce palàm fuſus.

Nec Romanis tantùm laurus fuit ſymbolum victoriæ, ſed & hoc ipſum externis quoque gentibus, regibuſque placitum. Certè Plinius memorans quoddam genus lauri cui ſunt plura nomina, addit, inter hæc eſſe eam laurum, quam vocant Stephanon Alexandri. Vt ſit veriſimile hanc quoque frondem ſummo illi regi fuiſſe complacitam, & præcipuo quodam in honore habitam. Plinio aſſentitur Stephanus, qui hanc ſiue laurum, ſiue aliam frondem, ex qua in certaminibus coronabatur Alexander, à quibuſdam ait vocari Alexandram. Sed quòd ea frons eſſet noſtra hæc laurus, è ſequentibus datur intelligi. Addit enim, τινὲς δὲ δανάην αὐτὴν καλοῦσιν· οἱ δὲ χαμαιδάφνην· οἱ δὲ [f. ἐπιφυλλόκαρπον] ἐπιφυλλάκαρπον, ἢ φυλλόκαρπον. Steph. ἀλεξάνδρεια.
Quidam verò Danaen ipſam vocant, quidam χαμαιδάφνην, id eſt humi ſerpentem laurum. Alij racemariam quandam plantam, ſiue ſpinoſam, aut eam cuius omnis fructus eſt in foliis. Cæterùm etſi ea quæ Plinius tradit de nitore & virore lauri vera eſſe probaui, tamen addit Plinius, *Non ideo laurum eſſe, argumentum lætitiæ, victoriæq, addig, militum lanceis piliſq, quòd perpetuò viret, nec quia pacifera eſt. vtroque enim*, inquit, *laureæ præſtat olea, quæ perpetua viriditate nitet; atque vbicunque, & à quibuſcunque prætenditur, accipitur, geſtatur, ibidem, & ab iiſdem pacem peti dariq, demonſtrat.* Videbat Plinius hanc à pleriſque cauſam afferri ingenioſiùs quàm veriùs. Certè hæc vſque eò vulgata exiſtimatio fuit, vt hodieque id ipſum legamus in Feſto. Is, quamuis lecto, vt credibile eſt, Plinio, tamen tanti viri autoritate minimè motus has ipſas, quamuis confutatas rationes, reiectáſque tradere non eſt veritus, fretus, videlicet, autoritate Maſſurij, cuius ſententiam, quòd non tam ad rei fidem, quàm ad pietatem voti pertinet, Plinius in leui habuit. Is Maſſurius ita putabat, Quomodo laurus perpetuò viret, ita optandum vt Reſpub. omni tempore floreat. Is quoque aiebat laurum eſſe paciferam. Atqui tam virore, quàm ſignificatione pacis olea inquit Plinius præſtat laureæ. Ergo inanis quoque hæc ratio. His accedit tertia, quòd, ſcilicet, laurus ſit ſuffimentum cædis hoſtium & purgatio. Id quod nihilo magis quàm ſuperiora Plinio probatur. His Feſtus ſubnectit quartam, nempe quòd *medicamento ſicciſſima ſit*. Quibus in verbis eſt enorme mendum. Tu pro Feſt, laureati.

medicamentoſiccißima lege, *medicamentoſißima*, & locum reſtitueris. Quid ergo, inquis, ſuper tota hac re Plinio placet? Agnoſcit laurum eſſe frondem Apollinis; eandemque in monte Parnaſſo ſpectatiſſimam, ac nitidiſſimam prouenire. Ob id Romæ iam inde à priſcis ſæculis fuiſſe in tanta veneratione vt ab ipſis regibus Romanis dona Apollini Delphico miſſa fuerint, nõ ſolùm per Titum & Aruntem filios regis, ſed & per L. Iunium Brutum. Quippe is in ea terra Romanam libertatem ſi non inuenit, at ſaltem inde ſumpſit vnde eam fore liberam animo præciperet. Et verò is eam propter cauſam ex reſponſo lauriferam illam tellurẽ oſculatus eſt.

Liu. lib. 1. *Cùm enim iuuenes*, inquit Liuius, *ad oraculum miſſi ſciſcitati eſſent, ad quem eorum regnum Romanum eſſet venturum, & ex infimo ſpecu vox reddita eſſet, imperium ſummum Romæ habiturum qui ipſorum primus oſculum matri tuliſſet, regiſq; liberi inter ſe vter prior, cum Romam rediſſet, matri oſculum daret, ſorti permiſiſſent, Brutus aliò ratus ſpectare Pythicam vocem, velut ſi prolapſus cecidiſſet, terram oſculo contigit, ſcilicet, quòd ea communis mater omnium mortalium eſſet.* Id quod euentu intellectum eſt fuiſſe argumẽtum, ſiue pignus inibi futuri imperij, vbi illud fore Brutus animo, ac deſtinatione

Liu. lib. 26. præcepiſſet. Idem Liuius memorat, poſt victum Aſdrubalem, legationem Delphos miſſam fuiſſe, *ad donum ex præda Annibalis portandum*; nempe ſignum grati animi ob victoriam contra eum partam. Porrò hanc frondem ingenti conſenſu antiquitas Apollini ſacrauit, ſicuti Deo victoriarum ac triumphorum.

In panegyr. *Vidiſti enim*, credo, *Conſtantine*, ait quidam, *Apollinem tuum, comitante victoria tibi laureas offerentem, quæ tricenûm ſingulæ ferunt omen annorum.* Et Liuius poſt traditam originem ludorum Apollinarium, ait,

Liu. lib. 25. *Hæc eſt origo ludorum Apollinarium victoriæ, non valetudinis ergo, vt plerique rentur, votorum.* Et Plinius tradit, hac frondẽ victores

Plin. lib. 15. cap. 30. Delphis coronari, vt triumphantes Romæ. Ipſe Apollo cantu certaturus cum Pane redimitur lauro Parnaſſide, vt victrice pulcherrima & ſua.

Ouid. lib. 11. Metamorph

Ille caput flauum lauro Parnaſſide vinctus
Verrit humum Tyrio ſaturata murice palla,
Diſtinctamq; lyram gemmis, & dentibus Indis
Suſtinet à læua: tenuit manus altera plectrum.

Pindarus de Appolline verba faciens, & de lauro, hanc vocat herbam Parnaſiam.

Pindar Pythi. od. 8.

Ξενάρκειον ἔδεκτο Κίῤ-
ῥαθεν ἐστεφανωμένον
υἱὸν ποίᾳ Παρνασίᾳ
Δωριεῖ τε κώμῳ.

filium Xenarcis excepit è Cirrha coronatum herba Parnaſia, Doricoque hymno. Quod ad exemplum eruditè Statius vocauit vellera Parnaſia,

Vatem cultu Parnaſia, monſtrant
Vellera. Stat. lib. 4. Theb.

CAP. XV.

Quilibet victor, quamlibet incruentus, eſt laureatus. Apollo rex diadematus. Laurus geſtata vice diadematis. Perſtringitur Scholiaſtes Apollonij Rhodij. Laurus fulmine non icitur. Naturalis quædam vis lauri. Laurus infeſta dæmonibus.

QVomodo Apollo lyra cantuque victor lauru redimitur, ita non ſolùm ij qui hoſtium ſanguine victoriam pepererunt, ſed & quiſquis Rempub. à peſtilentibus ciuibus vindicauit, huic caput dicitur eſſe laureatum, vt apud Martianum Capellam loquentem de M. Tullio *Alter verò quem Conſularis purpura, & coniurationis extinctæ laurea redimiebat, &c.* Nempe triumphator non immeritò rex dici poteſt, quomodo vbique poëtæ Apollinem hac ipſa de cauſa vocant regem, & ſtatuarum artifices eum faciunt diadematum. Certè ſtatim vt Latona Apollinem ac Dianã peperit ei obſtetricata Pallas, pueris ſuſceptis, Apollinem coronauit. Cæterùm quicquid tot votis ac periculis expetitur, poſitum eſt in victoria. Hæc & regnum haud longo diſtant interuallo. Ideo laurus geſtata eſt vice diadematis non ſolùm à principibus Romanis, quorum capita in numiſmatibus priùs fuerunt laureata quàm radiata, ſed & à priſcis illis regibus Romanis. Id diſcimus è Dionyſio Halicarnaſſæo, qui ait, Romulum in pompa vltimum perrexiſſe, veſte indutum purpurea, caput verò coronatum lauro, atque vt regiam dignitatem ſeruaret, quadriiugo curru inuectum. Ergo vetuſtiſſimo more laurea geſtata eſt ab regibus, quomodo à ſacrificantibus. Et hîc quidem mihi obiter præſtringendus eſt Scholiaſtes Apollonij Rhodij, ille qui inter omnes ſcholiaſtas palmam obtinere dicitur. Memorat Apollonius, poſt victum à Polluce Amycum, ſtragémque Bebrycum, Argonautas rem diuinam feciſſe redimitos lauro. Non poëticè, inquit Scholiaſtes, poëta finxit laurum, ſed verè inibi eſt laurus procera, vt Androetas & Tenedius aiunt. Quid tibi, Scholiaſtes, complacitum eſt nugari, & praua interpretatione obſcurare morem antiquiſſimum & pulcherrimum? Annon & verius & pronius, & præclarius fuit dicere, inſignes illos, & apud omnem

Martian. Cap. lib. 5.
Plin. lib. 34. c. 8.
Ariſtid. μαρτυρ. Ἀθηνᾶ.
Dionyſ. Halic lib. 2. antiq.
Apollon. Rhod. lib. 2. & ibi Scholiaſt.

poſteritatem celeberrimos heroas ſedulò egiſſe Apollini gratias ob partam de ferociſſimo rege gẽteque victoriam? Ideo, inquam, ſacrificantes vſurpaſſe frondem huic numini dilectam & ſacram, more iam tum apud omnes gentes receptiſſimo? atque adeò ea fronde operuiſſe funes nauis Argo? Quòd autem Apollini ſacrum fieret, ipſe Apollonius eodem loco tradit.

κλεῖον δ᾽ Θεραπναῖον Διὸς υἷα·

Inuocabant autem Therapnæum Iouis filium. Redeo ad rem, & aio, laurum eſſe antiquiſſimum geſtamen victorum, ac proinde re-
Athen. lib. 5. gum ac tyrannorum. In hanc ſententiam Athenæus memorat, Tharſi fuiſſe tyrannum, ſecta Epicureum, nomine Lyſiam, Hunc ciues crearunt Stephanophorũ, hoc eſt, eum magiſtratũ, cui ius eſt coronæ geſtandæ. Is hoc magiſtratu nunquam ſe abdicauit, ipſo habitu tyrannidem oſtentans. Nam indutui habebat tunicam, purpuream diſtinctam albo, eoque ſumptuoſo paludamento. Laconicis quoque albis ſoleis inſignem ſe fecerat; ſed potiſſimùm laurea corona redimitus incedebat. Nempe nouo huic domino laurea corona fuit inſigne regium; eumque demonſtrabat, qui eſſet victor publici ſeruitij. Denique quòd Cæſari diadema Antonius obtulit, dicitur fuiſſe contextum è ramis lauri. Diadema dixi, hoc eſt, inſigne regium; quia ſic à rerum ſcriptoribus vocatur, po-
Cic. Philip. 10. tiſſimùm à M. Tullio, *Niſi fortè*, inquit, *eos qui diadema impoſuerint, conſeruandos, eos qui nomen regis ſuſtulerunt, deſerendos putatis.* Nempe M. Tullius, vt Antonij factum atrocius, ac libertati infenſius eſſe demonſtraret, diadematis inuidioſiſſimum, in libera ciuitate & odioſiſſimum nomen vſurpauit, non ſolùm in loco
Cic. Philip. 2. orat. 45. proximè citato, ſed & antea. *Diadema oſtendis. Gemitus toto foro. Vnde diadema? Non enim abiectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum & cogitatum ſcelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi. Ille cum plauſu reijciebat.* Quod autem hîc quidem M. Tullius coronam lauream, illam dico priſcam diſtinguat à diademate, his verbis oſtendit. *Sedebat in roſtris collega tuus amictus toga purpurea in ſella aurea coronatus*, nempe & more priſco, atque adeò è S. C.
Appian. Alex. lib. 1. bel. ciu. quo licuit Cæſari auream coronam geſtare. Et quidem ſtatuæ eiuſdem Cæſaris impoſita fuit corona laurea, præligata faſcia candida, vt hinc homines intelligerent Cæſarem eſſe regem. Ibi, ſcilicet, laurea victoriam, diadema regnum victoriæ fœtum demõſtrabat. Non his contentus Plinius aliam rationem affert præcipui illius honoris qui habetur laureæ. Hanc quoque, ſi fide niteretur, non minimam diceres. Neque enim in terris tantùm apud homines, verùm & in ſolidamento cœli apud Deos immortales tantus lauro honor eſt, vt hanc arborem vnam ex omnibus manu ſatis, do-

meſticiſque fulmine non iciat ſummus Iupiter. Quæ quamlibet ſuperſtitioſa perſuaſio vſque eò quorumdam mentibus adhæſit, vt, vel ipſo Plinio autore, *Tiberius Cæſar, cœlo tonante, lauro coronari ſolitus ſit.* Idipſum à veteribus memoratum tradit Iſidorus. *Iſidor. lib. 17. cap. 7.* Etſi hoc non ſolùm ſuperſtitione, verùm etiam ratione factum credi poteſt, propter ingenium huius frondis, quod tale eſt, vt naturali quadam vi iuuet eam rem cui adheret, & quidem aduerſus fulgura. *Conſtantin. lib. 7. cap. 11.* Qua de cauſa antiquitus ramis lauri operiebantur vaſa vini, ne inde vinum corrumperetur. Quid, quod dæmonibus laurus eſt infeſta? Certè vbi laurus eſt, inde dæmonas diffugere aiunt. *Conſtantin. Caſ. lib 11. cap. 3.* Precipuas lauri laudes, quas recenſui, vltima hac excepta, Tibullus ſenis verſibus eleganter complexus eſt.

Tibull lib. 2. eleg. 6.

Tu procul euentura vides, tibi deditus augur,
Scis bene quid fati prouida cantet auis.
Tuq́ue regis ſortes, per te præſentit haruſpex.
Lubrica ſignauit cùm Deus exta notis.
Te duce Romanos nunquam fruſtrata Sibylla eſt,
Abdita quæ ſenis fata canit pedibus.

Et hæc quidem de laurea triumphantium corona dici poſſunt, quæ vna honore ac dignitate ipſas Olympicas ſuperauit.

CAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

DE CORONIS LIBER NONVS; QVI EST DE CORONIS AC DIAdematibus regum, aliarúmque ſummarum poteſtatum.

CAPVT PRIMVM.

Coronæ, hoc eſt inſignia regum & regulorum, ſiue diademata. Quædam aliæ appellationes quibus diademata demonſtrantur. Diadematum duo genera. Corona hiſtrionica. Aes coronarium. Hiſtrionum corona è cotino. Tæniolæ meretricularum. Galea capillorum.

HVc vſque hanc ſuſceptam à me curam continui intra eas coronas quas initio dixi, & in contextu operis oſtendi eſſe indices hilaritatis & lætitiæ, quarum multa demonſtratum eſt eſſe genera. Hinc ad eas perrexi quæ ſunt comites pietatis, eiuſque cultus, quem Deo tribui mos eſt. Has ſecutæ ſunt illæ, quibus ingenij & doctrinæ, in primis eloquentiæ, tum etiam morum optimorum decora demonſtrantur. His proximæ ſunt coronæ virtutis, hoc eſt, ſtrenuitatis eius, quæ aut in bellicis exercitamentis, aut in veris certaminibus mortali manu præſtari poteſt. Harum ductu ad illas peruentum eſt, quæ ſunt indices victoriæ. Cæterùm quòd victoria eſt decretum ſummi numinis, quo illi rerum ſumma aufertur, huic traditur, ſi mihi conficiendum eſt ſpatium quod decurro, conſequens eſt, vt de iis dicam, quæ obtinent vltimum locum definitionis. Has dixi quandoque magni, quandoque ſummi faſtigij eſſe inſigne luculentum. Ni-

mirum, hæ illæ ſunt, quas hodie per excellentiam, ac veluti proprio vocabulo coronas dicimus, hoc eſt, inſignia regum aut regulorum, eorumque adeò omnium quorum non ſolùm in multitudine, ſed & inter opulentiores & potentiores eminent opes & potentia. Nam vt quiſque ſublimiùs, aut humiliùs incedit, ita hæc aut illa corona demonſtratur. Hinc illa in his quoque coronis multa diuerſitas materiæ & formæ. Porrò has vóco coronas antiquitate duce, cui, videlicet, & ipſa regum diademata ſæpe ſunt coronæ. Virgilius,

Regaleſq; accenſa comas, accenſa coronam. *Virgil. 7. Æneid.*
Inſignem gemmis

Et alibi,

Ipſe oratores ad me, regniq; coronam. *Virgil. 8 Æneid.*
Cum ſceptro miſit. mandatque inſignia Tarchon.

Infra videbimus his quoque coronis inditum fuiſſe nomen ςέμματα, διαδήματα, βασίλεια. Cæterùm has ſiue coronas, ſiue ſtemmata, ſiue βασίλεια, ſiue diademata conſtat fuiſſe duorum generum. Nam quædam erant regiorum capitum perpetua geſtamina. Alterum genus fuit illarum coronarum, quæ regium quoque caput euinciebant, ſed in ſolenni pompa, inſigni die, re inluſtri, loco celeberrimo & conſpectiſſimo. Vt quicquid huius eſt palam fiat, profero diadema priſcum. Hoc deſcripto & effigiato, exequar omnes illas coronas quæ in ſpeciem diadematis inuentæ ſunt demonſtrandis & ſignandis capitibus illorum ad quos aut ſumma rerum perueniſſet, aut qui ad horum opes, potentiam, dignitatem quàm proximè accederent. Has quidem non abſurde minora diademata, aut minores humilioreſue coronas dixeris. Harum veluti pediſſequę ſunt illæ quæ talium coronarum imitamenta erant, nempe hiſtrionicæ, quæ regias coronas forma repræſentabant, non materia. Vt enim diademata regum ſunt aurea, ita hiſtrionũ ſunt ænea. Illudque æs vnde conficiuntur, vocatur coronarium, fuitque pars æris tenuiſſimi Cyprij Plinio autore *In Cyprio* [ære], inquit Plinius, *coronarium & regulare eſt vtrumque ductile. Coronarium tenuatur in laminas. taurorumq; felle tinctũ ſpeciem auri in coronis hiſtrionum præbet.* Alibi de hoc ipſo ære, Ocyſſimè verò contrahit coronarium æruginem, reciſamentis in acetum additis. Ergo inter ἐπιβλήματα indumenta [hiſtrionica] connumerantur πάρα, χελύπρα, μίτρα, πῖλος, nullum non capitis tegmen. Iſtis redimiebantur illi hiſtrionici Atrides, Agamemnones, Vlyſſes, taléſque, Nēpe, quales fuerũt Geretotheodori illi Ariſtophanæi, imitãtes Geretotheodorũ, quique tyrannos in theatris effigiant, gerẽtes diademata & ſceptra. Quanquam & hiſtrionibus quandoque coronæ datæ ſunt.

Or. in hieroglyph.
Plutarch. π. Ισιδ. κ̀ Οσίρ.
Plin lib 33. cap. 9 & lib. 34 cap. 8. & cap 11.
Pollux lib. 4. cap. 18.
Lucian. de ſaltat.
Etymol. γεροντοθεοδόρος.
Plutarch. π. τ̃ ὑπὸ τ̃ θείου βραδ. τιμ. & περὶ τ. παραγγ.
Plutarch. Lyſand.

non ex auro effigiato, vt hæ de quibus ago, ſed vt Olympicæ è cotino, cuiuſmodi Fauonium ædilem plebis Romæ in ſpectaculis exhibuiſſe Plutarchus eſt autor. In comœdiis quoque lenones, aut lenæ matres meretricularum tæniola aliqua purpurea caput euinciebant imitatrice veræ tæniæ. Senior item dux in theatro geſtabat galeam capillorum, id eſt, non ferream, ſed è capillis factam tegentem caput. Nam τὸ στεφάνην duobus apud Pollucem locis galeam interpretari malo, quàm coronam, vt paulò infra in παρίσκῳ, παγχρύσῳ, ac τῷ ἀχυρίῳ. Idē duci ſeruo dat ſpirā, quæ eſt pars mundi muliebris, capillorum rufforum. Ibidem ἡ παχεῖα γραῦς quamlibet craſſa anus habet ταινίδιον τὰς τρίχας περιλαμβάνον tæniolam capillos circumuoluentem, qua, ſcilicet, puellæ caput euinciunt. Et hæc quidem de hiſtrionicis coronis, diadematibus, tæniis, mitris mihi obiter dicta ſint. Nunc redeo ad opus inſtitutum, hoc eſt, ad regias coronas ac diademata, de quibus priuſquam ago, altiùs mihi quædam repetenda intelligo.

Plutarch. Cat. iun. Pollux lib 4. cap. 19.

CAP. II.

Regis appellatio in terris fuit primum ſummæ dignitatis nomen. Origo regni quæ. Antiquitùs qui aliqua præclara dote omnibus antiſtarent reges lecti. Regni excellentia. Liber inuentor inſignis regij.

Regis appellationem fuiſſe in terris ſummæ dignitatis poteſtatiſque nomen ſcriptores vno conſenſu tradunt. Quippe *natura commenta eſt regem*, inquit Seneca. *Quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus, quarum regi ampliſſimum cubile eſt, medioq́ ac tutiſſimo loco.* Itaque nihil quicquam dici poteſt auguſtius regio nomine, quod fuit primum, & antiquiſſimum præmium virtutis. Silius Italicus de Scipione & populis Lybiæ.

Salluſt. in proœm. coniur. Iuſtin. in principio. lib. 1. Sen. lib. 1. de clem. cap. 19.

Concordes regem appellant, regemq́ ſalutant.
Scilicet, hunc ſummum norunt virtutis honorem.

Sil Ital. lib. 16.

Sed quia ſapientia inter homines eſt loco ſummi numinis, non mirum eſt ſi *aureo ſeculo*, vt ait Seneca, *penes ſapientes fuit regnum.* Nam ecquis eſt ille tanta audacia qui ſapienti ſe in regimine cæterorum præponere audeat? Enimuero innocentioribus ſæculis, ac recente rerum natura ad faſtigium tantæ maieſtatis haudquaquam per malas artes itum. Spectata virtus vnicum fuit ad regnum iter. Hinc illa primorum regum veneratio, quæ fuit è ſola admiratione ſapientiæ; cui comes aderat ingenita bonitas, quæ pura illa pectora poſſidebat. Hac de cauſa omnes gentes, vt de Perſis traditum, *ſuos reges colebant inter Deos.* Cur cen-

Sen. ep. 91.

Q. Curt. lib. 8.

Cur cenſes? Nimirum, quia maieſtatem imperij expetiebantur
eſſe tutelam publicæ ſalutis; & quia publicæ, etiam ſingulorum.
Verum ergo eſt, è ſapientia & bonitate ortam eſſe admirationem,
ex admiratione venerationem; Hincillud ſummum ius, omnimo-
da, inquam, poteſtas & autoritas nixa iudicijs vniuerſorum, obſe- *Philoſtrat. vita*
quijs prudentiorum, miniſterijs potiorum. Et hæc quidem apud *Apoll.*
omnes gentes eſt origo regni, rei inter homines maximæ & pul- *Diodor. Sic. lib.*
cherrimæ. Certè Diodorus Siculus autor eſt apud Æthiopas ad *4. antiq.*
optimum quemque regnum deferri; adde pulcheirimum & pu- *Stob. π. νόμ.*
gnaciſſimum. Sed quòd nulla propemodum gens eſt quæ non *ϰ ἐθ.*
aliqua præcipua dote nitatur, proceſſu temporis hæc aut illa virtus
in eligendo rege potiſſimùm ſpectari cœpta. Alij formam, vt dixi, *Steph. ϰαθαι.*
præ cæteris dotibus ſuſpexerunt. Itaque apud Cathęnam vrbem *Strabo lib. 15.*
Indicam, Stephano & Strabone autoribus, vſque eò conſurgunt
in admirationem pulchritudinis, vt regem eligant eum qui ſit *Strabo lib. 17.*
pulcherrimus. Alitemij Libyes eum qui pernicitate cæteris præ- *Stob. π. νόμ.*
ſtet, euehunt ad regium culmen. Æthiopes, credo, alij quàm *ϰ ἐθ.*
quos paulò ante nominaui, regem faciunt illum, qui præter for-
mam, peritia paſcendi, robore, opibus eminet. Minos ſenſu & *Etymol. ἐπτά-*
iudicio vſque eò valuit, vt non ſolùm inter homines regnarit, ve- *ϛει.*
rùm etiam apud inferos factus ſit iudex & vindex animarum no-
xiarum. Atreus, quòd noua & mira de ſolis ortu & occaſu tradi- *Lucian. de aſtr.*
dit, apud Argos regnum adeptus eſt. Gordij eum eligunt regem, *ἐν παρεϛιμ.*
qui ſit craſſiſſimus, hoc eſt, vt ipſe puto, robuſtiſſimus. Perſæ
regnum deferunt ad eum qui *legum diſciplinam, ſcientiamq́; perce-*
perit; & qui ſit proceriſſimus. Vnde natum illud Ageſilai, Qua re *Cic. li. 1. de diu.*
ille me maior eſt, ſi non iuſtior ac temperantior eſt? nempe con- *Plutarch. ἀ-*
ſtituens regiam dignitatem non in proceritate corporis, ſed in *ποφθ. βασιλ.*
magnitudine virtutis. Idem apud Syrracos obſeruatum; qui præ- *ϰ στρατ.*
ter proceritatem, illum ſuſpiciebant, regemque creabant, cui ca- *ἐν παρεϛιμ.*
put eſſet longiſſimum. Incolæ inſulæ Taprobanæ regnum illi de- *Martian. Cap.*
ferunt, qui ſit mitior, grauior, & abſque prole. Ab aliis eliguntur *l.b. 6.*
opulentiores, vt qui cæterorum inopiam ſuis opibus ſubleuare *Diodor. Sic. lib.*
poſſunt. A' quibuſdam vni viri fortes in regnum adſumuntur, vt *4. antiq.*
qui animum inducunt, non alium quàm qui bello bonus ſit, eſſe
dignum ſummo loco. Certè Strabo firmat, apud Medos regem *Strabo lib. 11.*
eligi τὸν ἀνδρειότατον, eum qui ſit fortiſſimus. Regem hîc dico, non
imperatorem, aut dominum. Neque enim regnum ſignat ſerui-
tutem gentium; ſed ſi non omnimodam libertatem, at eam con-
ditionem quæ aut eſt libertati proxima, aut ipſa libertate potior.
Quod ſanè diſcrimen intellexit autor horum verſuum, loquens de
Illyriorum regione.

Marcian. Heracl. perieg.

καί τινα μὲν αὐτῶν βασιλικαῖς ἐξουσίαις
ὑπήκοα εἶναι, τινὰ δὲ καὶ μοναρχίαις.
ἃ δ' αὐτονομεῖσθαι.

Et quædam ipſorum regijs poteſtatibus obedientia eſſe. Quædam verò & monarchiis. Quædam eſſe ſui iuris. E' quibus verbis diſcimus diſtingui monarchiam à regno. Nempe monarcha is eſt qui vi ſummum locum adeptus eſt. Rex qui vniuerſorum iudicijs in eum locum adſumptus eſt. Vndecunque regnum ſit, fatendum eſt, regem eſſe in ſummo culmine, præfectum regendis hominibus. Cuius excellentiæ mortalium oculis repræſentandæ, quò venerabilior ſit, inuentus eſt cultus exterior, nempe cæteris auguſtior. Huius cultus non minima pars eſt regius veſtitus. De quo non eſt ſuſceptæ curæ quicquam dicere, niſi de corona, & diademate, quod eſt proprium regij capitis inſigne, inuentum, vt Plinius eſt autor, à Libero patre. *Emere, inquit, ac vendere inſtituit Liber pater. Idem diadema regum inſigne, & triumphum inuenit.*

Plin. lib. 7. c. 56.

CAPVT III.

Diadema quid. Et ſignat & eſt vinculum. Diadema fuit è materia lintea plectili, plicatili. Locus Strabonis reſtitutus. Diadema fuit faſcia candida.

REGIAM coronam Græci, & Græcorum imitatione noſtri diadema vocarunt; quod quidem nihil aliud fuiſſe conſtat niſi vinculum, dictum παρὰ τὸ διαδεῖν à nectendo, ligando, ſiue obligando, ac ſi dicas κεφαλοδέσμιον, vinculum capitis, ſiue κρήδεμνον τὸ τὴν κεφαλὴν δεσμεῦον, corona, vel vitta caput vinciens. Hoc ipſum ſignarunt noſtri nomine vinculi. Seneca,

Sen. in Troade.

Ego eſſe quicquam ſceptra, niſi vano putem
Fulgore tectum nomen? & falſo comam
Vinclo decentem?

Falſum vinclum vocat non falsò ita nominatum, quaſi nullo vinculo coërceri aut cohiberi poſſit omnimoda illa regia poteſtas. Non ergo, inquit, vt videtur, vinclum eſt, ſed imitamentum vinculi. Enimuero materia diadematis, vt ſupra de coronis dixi, fuit ſutilis, plectilis, plicatilis. Ne multa; fuit pannus, faſcia, linteum. Mileſia vxor Mithridatis ſic vocat diadema, cùm coacta eſt eo ſibi fauces frangere. Lacerato, inquit Plutarchus, capitis diademate, illud circumpoſuit collo, ſeque ſuſpendit. Statim autem fracto, ô impurate, inquit, panne, ne ad hoc quidem mihi vtilis eris?

Plutarch. Lucullo.

Cùm quædam anus Antigonum beatum eſſe prædicaret, ô mater,
inquit is, ſi ſcires quot, eorumque maximorum malorum [cauſa] *Stob. π. ψόγ.*
ſit hic pannus, diadema oſtendens, non certè ſuper fimo poſitum *κ τυράν.*
auferas. *Rex etiam ille ſubtilis iudicij, quem ferunt*, inquit Vale- *Valer. Max lib.*
rius Maximus, *traditum ſibi diadema priuſquam capiti imponeret,* *7. cap. 2.*
retentum diu conſideraſſe, ac dixiſſe, ô nobilem magis, quàm felicem
pannum; quem ſiquis penitus cognoſcat, quàm multis ſollicitudini-
bus & periculis, & miſerijs ſit refertus, ne humi quidem iacentem *Plutarch. εἰ*
tollere vellet. Hunc regem Plutarchus nominat, nempe, Seleu- *πρεσβ. πολιτ.*
cum, pauloque aliter hæc verba recitat. Si multi, inquit, ſcirent,
ſcribere tantùm tot epiſtolas & legere quàm operoſum eſt, pro-
iectum diadema ne auferant quidem. Zonaras memorat, mortua *Zonar. Cleop.*
Cleopatra, è duabus ancillis quæ cum ipſa fuerant, alteram fuiſſe
repertam componentem & complicantem diadema dominæ de- *Steph. βύβλ.*
functæ. Stephanus tradit diadema Iſidis Ægyptiæ fuiſſe bybli-
num, hoc eſt papyraceum, ſiue canabaceum. E quibus locis liquet *Iuſtin. lib. 15.*
materiam diadematis fuiſſe tenuem, & ligando aptam. Tale
diadema geſtauit Magnus Alexander. Is enim cùm Lyſimachum
deſiliens equo haſtæ cuſpide in fronte ita vulneraſſet, vt ſanguis
aliter claudi non poſſet, diadema ſibi demptum alligandi vulneris
cauſa capiti eius impoſuit; nimirum, vt ait Appianus Alexandri-
nus, defectu faſciæ. Diodorus Siculus memorat, hunc ipſum *Appian. Alex.*
Alexandrum vnà cum amicis periculosè nauigaſſe, ac dum per *in Syr.*
anfractus quoſdam difficiles, multoque ramorum nexu implici- *Diodor. Sic lib.*
tos cœptum iter pergit, diadema à ramis ſupernè pendentibus *17. Bibl.*
eſſe retentum, deinde in aquam cecidiſſe. Tunc è remigibus
vnum adnatantem, quò receptum tutiùs ferret, capiti ſuo impo-
ſuiſſe, eoque habitu ad nauem regiam reuerſum. Cuius rei, etſi
obiter, meminit quoque Appianus Alexandrinus. Illud potiſſi-
mùm adnotauit, diadema Alexandri à vento deiectum ſepulchro
adhæſiſſe cuiuſdam regis Ægyptij. Porrò materia linea & leuis
non ſolùm plicabatur, & à vento auferebatur, ſed & facilè lace-
rabatur. Seleucus Callinicus, amiſſo exercitu, fugæ ſeſe manda-
uit, *σπαράξας τὸ διάδημα*, lacerato diademate. Diadema regium *Plutarch. περὶ*
deridens Dio Chryſoſtomus, Siquis alius, inquit, caput illæſum *ἀδολεσχ.*
faſcijs obligaret, omnibus eſſet ludificatui. Regibus tamen id *Dio Chryſoſt.*
honeſtum putant. Et multa hominum millia pro eo linteolo *ora. 66. de glor.*
mortem oppetierunt. Rectè Dio, qui diadema enuntiat vt
rem per ſe contemptibilem; ſiquidem linum terram ſignificat. *Hieron ad Fa-*
Quod eſt interpretamentum Hieronymi in caput octauum *biol, de veſtitu*
Exodi, vbi *primum ſacerdotis veſtimentum, quod eſt lineum, ter-* *ſacerd.*

ram ſignificare ait. Tali quadam faſcia in prælijs vſos eſſe Maſ- *Strabo lib. 11.* ſagetas Strabo tradit; cuius verba hîc refero, vt demendo quod in ijs eſt, lector iudicet Τόξοις δὲ χρῶνται καὶ μαχαίραις, καὶ θώραξι, καὶ σαγάρεσι χαλκαῖς, ζῶναι δὲ αὐτοῖς εἰσι χρυσαῖ, καὶ διαδήματα ἐν ταῖς μάχαις. vbi pro ταῖς μάχαις, quæ eſt vetus lectio, interpres legit μαχαίραις. Vertit enim, diademata in gladijs. At gladiorum hoc ipſo loco iam facta mentio hanc lectionem excludit. Neque etiam putandum eſt, Strabonem, cùm totius corporis & armorum quæ cuique parti conueniunt, genus deſcriberet, omiſiſſe caput, præcipuam hominis partem. Ergo pro μαχαίραις noua dictione, reſtituo μάχαις excluſam; neque quicquam in veteri textu mutandum puto. Nempe, veriſimile eſt hîc diademata accipi pro galeis, aut certè faſcijs ita compactis, vt capiti aduerſus ingruentes ictus munimento eſſe poſſent. Cæterùm diadema vt plurimùm, conſtat fuiſſe coloris candidi, vt ex his Plinij *Plin. lib. 8. c. 21.* verbis de baſiliſco loquentis colligi poteſt. *Cyrenaica hunc generat prouincia, duodecim, non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, vt quodam diademate inſignem.* Et ali- *Plin. lib. 11. c. 16.* bi loquens de rege apum, *in fronte macula quodam diademate* *Apul. Metam. lib. 10.* *candicans.* & Apuleius, *diadema candida caput ſtringebat*. Itaque meritò dicimus, diadema fuiſſe faſciam candidam. Valerius Maximus de Pompeio, *Cui candida faſcia crus alligatum habenti* *Val. Max. lib. 6. cap. 2.* *Fauonius, Non refert*, inquit, *qua in parte corporis ſit diadema; exigui panni cauillatione regias eius vires exprobrans.* Id ipſum tradit Ammianus Marcellinus his verbis, *Quodq́ aliquandiu te-* *Ammi. Marcell. lib. 17.* *gendi vlceris cauſa deformi faſciola candida crus colligarat. Quorum alterum factitare vt diſſolutum; alterum vt nouarum rerum cupidum aſſerebant. Nihil intereſſe oblatrantes argumento ſubfrigido quam partem corporis redimeret, regiæ maieſtatis inſigni, in eum virum, quo nec fortior, nec cautior quiſquam patria fuit.* Sed vt in Pompeio tantæ potentiæ homine illa faſcia fuit inuidioſa, ac ſi is Romæ regnum affectaret, ita vni è Metellis ſine hac *Plutarch. M. Coriol.* inuidia dedit cognomen diademâti, Plutarcho autore. Nam διαδηματον eum vocarunt, quòd diu propter vulnus fronte cinctus inceſſerat. *Sueton. Iul.* *Statuæ Cæſaris quidam è turba impoſitam coronam lauream candida faſcia præligauit. Ibi Tribuni plebis coronæ faſciam detrahi, hominemq́ in vincula duci iuſſerunt.* Nimirum lauream vetus triumphalium geſtamen, atque adeò ipſi S. C. decretam relinquebant. At quòd faſcia candida erat inſigne regij & nominis & faſtigij, id verò vt libertati inimicum ferre nullo pacto potuerunt. id certè Romæ vel auditu erat intolerabile. Ipſe Cæ-

ſat id ita accepit, & accipi voluit; ſiquidem vniuerſorum oculis proponere illam faſciam, nihil aliud fuit, quam ferre ſe regem. *Pollux lib. 8.* Aliter ſe res habebat Athenis, vbi regum imitatione ij magiſtratus quibus nomen νομοφύλακες, legum cuſtodes ἐστεφάνωντο στροφίῳ λευκῷ. coronantur ſtrophio, vel faſcia alba. Diadema Silius Italicus vocat albantem vittam, de Maſſaniſſa loquens, *Sil. Ital. lib. 6.*

—— cinguntur tempora vitta
Albente, ac lateri de more adſtringitur enſis.

CAPVT IV.

Diadema non album. Diadema nota regiæ frontis, inſigne regium, capitis, comarum. βασίλεια. Panno ſeu faſciæ addita myrrha. Diadema à regibus perpetuò geſtatum. Diadema ſignat regnum. Locus Lucretij illuſtratus. Diadema ſumptum pro regio indutu.

NON de nihilo dixi diadema vt plurimum eſſe candidam faſciam; quia eam aliquando fuiſſe conſtat coloris purpurei, melinique, id eſt, flaui, lutei, flammei. *Athen. lib. 6.* Huius coloris fuit diadema Ortygis cuiuſdam, qui occupata Erythris tyrannide, tale capitis inſigne geſtaſſe dicitur. In diademate potiſſimùm coloris ratio habetur, qui cùm ſit conſpicuus, diadema quandoque dicitur nota regiæ frontis. *Sen. in Thyeſte.*

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color, non frontis nota regiæ,
Non auro nitida trabes.

Sæpe dicitur inſigne regium, σῆμα βασιλέως, κεφαλῆς κόσμος, ἢ γοῦν στέφανος, ἢ βασιλέως σύμβολον. *Heſych. διάδημα.* Sic apud Q. Curtium, *magnum onus ſuſtines capite regium inſigne.* *Q. Curt. lib. 7.* Et alibi de Beſſo proditore Darij, *At illi ſimulatione omiſſa, circumſiſtunt eum, & fruſtra repugnantem vinciunt, direpto ex capite regni inſigni.* *Liu. lib. 35.* Sed & Liuio diadema eſt regij capitis inſigne. *Quod vnus,* inquit, *nomen regium, & præcipuum capitis inſigne gerat, omnes fratres regnent.* *Liu. lib. 17.* Et alibi de Philippo, *eò magis etiam quòd populariter dempto capitis inſigni, purpura, atque alio regio habitu æquauerat cæteris ſe in ſpeciem, quo nihil gratius eſt ciuitatibus liberis.* Dicitur quoque inſigne comarum. Apud Statium alter fratrum exiſtimans fratrem à ſe proſtratum iam inibi eſſe vt animam exhalet, vult donari & inſigniri ſceptro ac diademate, vt morienti fratri hæc inſuper acerbitas accedat. Ergo ait,

Huc aliquis properè ſceptrum, atque inſigne comarum *Stat. l. 11. Theb.*
Dum videt.

Plutarch. π. τ̃ Ἀλεξ. τύχ. ἢ ἀρετ. πολιτ.
Sophocl. Elect. & ibi Scholiaſt.

Græci nomine βασίλεια complectebátur omnem habitum regium, nempe decus diadematis, & robur ſceptri, & flammam excellẽtis purpuræ. Hæc, ſcilicet, propriè demonſtrant regem; quomodo ille apud Sophoclem pædagogus ait, principem cognoſci ex habitu principali.

—— πρέπει γὰρ ὡς τύραννος εἰσορᾶν.

nam cultu externo regium quiddam præ ſe fert. Quam interpretationem ſubijcit mihi Scholiaſtes, cuius hæc ſunt verba στοχάζεται ἐκ τῆς στολῆς καὶ τῶν βασιλείων, coniectura fit è veſte, ac regijs, ſcilicet, inſignibus. Cæterùm quòd hæc inſignia regia, ſiue diademata conſtabant è panno, lino, materia, vt iam dixi, plectile, flexile, plicatile, dicebantur euincire caput, aut capiti circumponi. *Simul diademate caput Tiridatis euinxit*, inquit Tacitus. Et de Attalo Plutarchus, βασιλεὺς ἀνηγορεύθη διαδησάμενος rex renuntiatus eſt diademate euinctus. Et paulo poſt ait, fratrem Eumenis, poſtquam hunc nuntiatum eſt viuere, poſuiſſe diadema. Quod apud Græcos diadema circumponi diceretur, idem quoque Plutarchus docet. Nam cùm Eumenes inſidijs petitus exiſtimaretur interijſſe, eaque de re fama Pergamum vſque perueniſſet, Ἄτταλος ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ περιθέμενος τὸ διάδημα, καὶ τὴν γυναῖκα γήμας ἐβασίλευσε. Attalus frater eius circumpoſito diademate, nempe capiti, & ducta eius vxore regnauit. Huic regiæ faſcię quædam acceſſerunt voluptati ſeruientia, teſte Athenæo, qui loquens de diademate ait, Illud quod reges Perſarum ſuis capitibus imponunt, minimè inficiari, eos hinc quoque quod ſibi volupe eſſet, captaſſe. Ergo panno, ſeu faſciæ addebatur vnguentum è myrrha, & odore illo quem Labyzon vocant, qui ipſa myrrha eſt odoratior & pretioſior. Et hoc quidem diadema è linea leuique materia contextum à regibus perpetuò geſtatum conſtat. Hoc diſcimus è pluribus locis antiquitatis.

Tacit. lib. 15. Annal.
Plutarch. π. φιλαδελφ.
Plutarch. ἀπερθ. βασ. καὶ ςρατηγ.
Athen. lib. 12.

Et verò Plutarchus tradit, Leonidam ducem Lacedæmonium à Perſis confoſſum penetraſſe vſque ad Xerxem, eique diadema abſtuliſſe. Eodem Plutarcho autore, Perſes fugiens, lacerata, ne agnoſceretur, purpura, τὸ διάδημα διὰ χειρῶν εἶχεν diadema in manibus habebat. Apud eundem legimus, Tigranem fugientem detractum capiti diadema filio ſuo dediſſe. Hunc non auſum fuiſſe capiti ſuo diadema imponere, ſed fidiſſimo è pueris ſeruandum dediſſe. Hunc fortè captum perductum fuiſſe ad Lucullum. Hac ratione vnà cum cæteris captiuis diadema veniſſe in poteſtatem ducis Romani. Cùm Gallus pompam, & quotidianum regis comitatum deſcribit, vtitur his verbis, τὴν ἐφεστρίδα, τὸ διάδημα, τοὺς προπέμποντας, τοὺς ἑπομένους ſagulum, diadema, anteambulationes, ſectatores. Adeſt & alius Luciani locus, vbi fictitius ille rex ait,

Plutarch. παράλλ.
Plutarch. Æmyl. Paulo.
Plutarch. Lucullo.
Lucian. ſomn. ſeu Gal.
Lucian. nauig. ſeu vota.

ſe conſerta cum rege Perſarum manu, caput ei abſcidiſſe, ac detracto illi diademate, ſe iam regem eſſe, atque ſicuti talem adorari ab omnibus. Cæterùm quia diadema perpetuò geſtabatur, vocabatur diadema perpetuum, vt apud Victorem de Conſtantino, ***habitum***, inquit, ***regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate.*** Quomodo neque calceolus, inquit Plutarchus, liberat à podagra, neque anulus à reduuia, ſic nec diadema à dolore capitis quamuis, ſcilicet, perpetuò geſtetur. Eodem Plutarcho autore cùm Antiochus errans in venatione noctem tranſegiſſet in quodam tugurio, poſtridie mane aduentu ſatellitum, & allata purpura ac diademate, quiſnam eſſet apparuit. E quibus omnibus locis, aliiſque qui his addi poſſent, manifeſtum eſt, diadema à priſcis regibus perpetuò fuiſſe geſtatum, ſicut inſigne regis. ***Quod Diogeni & Antiſtheni pera & baculus***, inquit Apuleius, ***hoc regibus diadema, imperatoribus paludamentum, Pontificibus galerum, auguribus lituus.*** Hinc ſenſim factum eſt, vt diadema ſignificarit regnum. Ex Alexandri vocibus, inquit Plutarchus, ſi demas diadema, & Ammonem, & nobilitatem, id eſt, ſi è dictis eius eximas perpetuam oſtentationem regni, & diuinæ proſapiæ, te Socratem, aut Platonem, aut Pythagoram audire exiſtimabis. Et infra ait, hunc ipſum Alexandrum non prætuliſſe fortunam ſapientiæ, neque purpuram & diadema, id eſt, regnum non pluris æſtimaſſe quàm peram & centunculum. Eodem ſenſu cùm Lucretius ait, inſigne regij capitis, hoc eſt, diadema lugere cruentum ſub pedibus vulgi, ſignat regiam dignitatem & maieſtatem à multitudine fœdatam ac proſtratam eſſe. Cùm enim inſigne regium ſit album, atrociſſimum facinus eſt, hunc alborem cruentari.

Victor in Conſtantin.
Plutarch. πε. εὐϑυμ.
Plutarch. ἀποφθ. βασ. ϰ̀ ϛρατηγ.
Apul. apol. 1.
Plutarch. περὶ τ̃ Ἀλεξάν. τύχ.

Ergo regibus occiſis, ſubuerſa iacebat
Priſtina maieſtas ſoliorum, & ſceptra ſuperba;
Et capitis ſummi præclarum inſigne cruentum
Sub pedibus vulgi magnum lugebat honorem.
Nam cupidè conculcatur nimis ante metutum.

Lucret. lib. 5.

Quem locum Statius eſt imitatus.

Indue quod madidum tabo diadema cruentis
Vnguibus arripui.

Stat. lib. 1. Theb.

Et alibi, *——nec tela, nec ignes*
Obſtiterint, quin auſa luas, noſtriſq; ſub armis
Captiuo moribundus humum diademate pulſes.

Stat. li. 2. Theb.

Alibi idem Statius vocat diadema periurum, id eſt regnum periurio adeptum, vbi Polynices loquitur deflens Tydea.

Nec iam ſortitus veteres, regniq; nocentis
Periurum diadema peto,

Stat. li. 9. Theb.

Alio item hic loco ipſe Statius diademata vocat regna.

Stat. li. 1. Sylu. *Viue Mida gazis, & Lydo ditior auro,*
Troica, & Euphratæ ſupra diademata felix.

Cùm Darius vnà cum imperio remiſiſſet Hebræis omnia iura imperij; ac pro tanto munere non aliud quàm gentis amicitiam, fœduſque poſtularet, hoc inſuper addidit; vt in publicis, ſollennibuſque votis mentio fieret coronæ Perſicæ, id eſt regni & imperij ſui. Plutarchus accuſans diſcordiam fratrum Antiochi & *Plutarch. περὶ φιλαδελφ.* Seleuci, ait eos impleſſe Aſiam calamitatibus, dum mutuis ſæuiſque cupiditatibus ambiunt purpuram & diadema. Ergo quiſquis *Polyb. ecl. leg.* diadema geſtabat, is regia poteſtate præditus exiſtimabatur. Athenæus tradit, Myrrhinem Samiam meretricem fuiſſe regi Demetrio *Athen. lib. 14.* omnium fortunarum conſortem, vno excepto diademate, hoc eſt, vna excepta rerum ſumma, quam ipſe vni ſibi ſepoſuerat. De talibus propemodum mulieribus, quæ eſſent tibicinæ & ſaltatri- *Plutarch. ἐρωτ.* ces, loquens Plutarchus, veluti de Ariſtoniſa, Oenanthe, Agathoclea, ait eas aſcendiſſe ſupra diademata. Semiramim etiam quod petijt à Nino impetraſſe, nempe vt ſederet regia ſede diademata, & negotijs regni intenta. Modeſtiùs, & animoſiùs Cornelia *Plutarch. Tiber. & Gracc.* Gracchorum mater, quæ cùm Ptolemæus rex ambiens eius nuptias polliceretur ei conſortium diadematis, eam conditionem *Plutarch. Tib. & Grac.* conſtanter repudiauit. Cùm Tiberius Gracchus populi autoritatem augeret, Senatus minueret, Pompeius ſtetit, dixitque ſe Tiberio vicinum eſſe, & hinc ſcire, Eudemum quendam Pergamenum è regiis inſignijs dediſſe ei diadema & purpuram, vt illi qui Romæ regnaturus eſſet. Citerioribus ſæculis diadema interdum videtur fuiſſe vſurpatum pro indutu regio, aut imperatorio. Et hoc quidem ſenſu hanc dictionem credo legi in Curopalate, *Curopal. de offi. Constantin.* cuius hæc ſunt verba; ὅτι χωρῦ ὁ βασιλεὺς τὸ στέμμα φορεῖ, ἕτερόν τι ἔνδυμα οὐ φορεῖ, εἰ μὴ τὸν σάκκον, καὶ τὸ διάδημα. Cùm igitur rex ſtemma fert, alium aliquem indutum non fert, niſi ſagum & diadema. Quibus in verbis manifeſtum eſt, diadema ſumi pro veſte imperatoria, cuiuſmodi eſt aut paludamentum, aut laticlauium. Eadem propemodum repetuntur infra, ἐνδύεται, inquit, ἐπάνω τοῦ σάκκου καὶ τοῦ διαδήματος μανδύαν χρυσοῦν. Induitur ſuper ſago & diademate penulam auream. Sed hoc potiſſimùm verum eſſe probo è ſcriptore vitæ Æſopi, qui tradit, Nectenabò regem Ægyptium exce- *In vita Æſopi.* piſſe Æſopum ab rege Babylonico ad ſe miſſum, αὐτὸς, inquit, ἐρέαν ἀνεδύσατο, καὶ διάδημα, καὶ διάλιθον κίδαριν, ipſe eream, hoc eſt laneum veſtimentum induit, & diadema, & gemmatam cidarin. Si cidaris fuit inſigne capitis, reſtat vt diadema fuerit inter cæteras tunicas, quibus Rex amiciri voluit, nempe ſuperpoſitum τῷ

ἐρέῳ

ἐςίν. Suidas confundit diadema cùm indumento, & indumentum cum corona regia. Διάδημα, inquit, τὸ βασιλικὸν ἔνδυμα. τάχα δὲ τὸ ἔνδυμα τὸ ςέμμα. Diadema, regium indumentum. fortè etiam indumentum, [eſt] ſtemma. *Suid. διάδημα*

CAPVT V.

Cur diadema ſit candidum. Candor quid ſignet. Magiſtratus albati. Alba veſtis ingenuorum propria. Sacerdotes in albis veſtibus. Candidæ veſti conuenit corona.

DIXI diadema eſſe faſciam candidam, lineam, plectilem, textilem, euincientem caput regis. Id quid ita inuentum fuerit, facilis eſt coniectura. Candidum fuit, quòd ea eſt nota coloris albi, vt omnium ſit optimus idem & vtiliſſimus; *quòd ex eo plurimi fiunt; neque hic ex alio*, vt ait Columella. Candor eſt argumentum ſpectatæ innocentiæ, quam rex in alijs fruſtra deſiderat; ſi non eam ipſe præſtat, & quidem luculentam. Cur putas regnum, vt eſt, dici rem inter mortales pulcherrimam? Non tantùm propter imperium & potentiam; ſed præcipuè propter iuſtitiam & fidem, quarum vtraque vna innocentiæ appellatione continetur. Huius in principe Deus acer exactor eſt, & quidem rigidæ & inflexibilis. Id quod ego aliàs hoc epigrammate id egi vt complecterer, alloquens regnantem. *Columel. lib. 7. cap. 2.*

Cui ſublime caput gemmis redimitur & auro,
Qui ſceptro populos, imperioq́; regis.
Verus & magnis virtutibus imbue pectus,
Lux tibi ſit pietas, lex tibi iuſtitia.
Hæ tibi ſint artes, hæc ſint inſignia regni.
Aureus hinc rutila, gemmeus hinc radia.
Ferrea diſpuleris, reuocaueris aurea ſecla,
Et plane præſens Iupiter alter eris.
Conſurgent lauri flaua cum fronde Mineruæ,
Fama, Horæ, Charites hinc tibi ſerta dabunt.

Itaque vel ſolo candore priſci diadematis rex monetur, vt magis innocentiæ fidat quàm opibus. Sibi gubernacula tractanti non alios admoueat remiges, quàm illos qui eâdem innocentia niueſcunt. τὰ λευκὰ, inquiunt, καὶ καθαρά. Quæ alba ſunt, eadem ſunt pura. Certè Græcis veſtitus purus eſt albus. Plutarchi ſunt verba loquentis de populo Romano, ἐθεῶντο καθαραῖς ἐσθῆσι κεκοσμημένοι, ſpectabant, vt Apuleij verbis vtar, *veſtium candore puro luminoſi.* *Schol. Æſch. in Perſ.* *Plutarch. Æm. Paulo.*

Quomodò candor regibus conuenit, ita quoque illorum proprius eſt, qui regum vices agunt, cuiuſmodi ſunt primores regni, & magiſtratus. Nectenabò Rex Ægypti, cognito aduentu Æſopi, *In vita Æſopi.* qui miſſu regis Babyloniæ ipſum adibat, iuſſit omnes magiſtratus ſumere veſtes albas. Ipſe laneam induit. Poſtero die ipſe candido, amicos purpureo amicimine conſpicuos eſſe voluit. Albus veſtitus in rege erat argumentum ingenuitatis. Purpureus in amicis fuit index nobilitatis. Certè ipſe apud animum meum ſic ſtatuò, illam mutationem coloris, quæ poſtridie facta eſt, ſignaſſe coëuntes ingenuitatem & nobilitatem. Huc adde, candorem eſſe argumentum felicitatis, & candida dici proſpera & felicia, *In frag. Salluſt.* vt in hoc loco Salluſtij. *Qui benignitate & clementia imperium temperauêre, his læta & candida omnia viſa.* Athenienſium iudicum veſtes fuiſſe candidas, colligo ex hoc loco Ariſtophanis,

ὅταν ἔχητε χλανίδα λευκὴν, τότε μάλισ' οὕτω δίκην
Ariſtoph. ὄρνι. Δώσετ' ἡμῖν πᾶσι τοῖς ὄρνισι καταλελιμμένοι.

Cùm habueritis veſtem albam, tunc maximè ſic pœnas dabitis nobis auibus abſumpti. Platæenſes quoque magiſtratus non alio *Plutarch. Ariſtide.* vtebantur indutu quàm albo. Romæ veſtitum magiſtratuum vrbanorum album fuiſſe conſtat. Martialis,

Viuat & vrbanis albus in officijs.

Martial. lib. 4. Nec tantùm magiſtratus, ſed & omnes ordines die feſto & omni apparatu ornatuque viſendo, ludoſque ſpectantes, tum in comeſſationibus & conuiuijs erant in albis veſtibus, vt diſcimus è loco Plutarchi quem paulò ante memoraui, & ex his verſibus Martialis,

Spectabat modò ſolus inter omneis
Martial. lib. 4. *Nigris munus Horatius lacernis,*
Cum plebs, & minor ordo, maximuſque,
Sancta cum duce candidus ſederet.

M. Tullius acerbè exprobrat Vatinio homini truci, & immania *Cic. in Vat. orat. 34.* agitanti veſtitum pullum, qui debuit eſſe albus. *Quis vnquam,* inquit, *cœnauit atratus?* Et paulò poſt, *Quis vnquam* [p. deeſſe niſi] *in luctu domeſtico, quis* [& hîc p. deeſſe, niſi] *in funere familiari cœnauit cum toga pulla? cui de balneis exeunti præter te toga pulla vnquam data eſt? cum tot hominum millia accumberent; cum ipſe epuli dominus Q. Arius albatus eſſet, tu in templum Caſtoris te cum C. Fidulo atrato, cæteriſque tuis furijs funeſtum intuliſti. Quis tum non ingemuit?* Denique alba veſtis propria fuit ingenuorum; vt liquet ex hoc loco Achillis Tatij, vbi loquitur de ſeruo aut captiuo qui ſe ingenuum mentiebatur; hic venit in conſpectum, inquit, veſtrum,

pro vinculis amictus alba veſte, & in ordine liberorum ſtetit iſte captiuus. Primores quoque Indos aiunt vti veſte candida, & ſindonibus candidis. Albas item veſtes, ſi Artemidoro credimus, non alij geſtabant quàm ſacerdotes. Tale fuit Phæcaſium Athenienſium & Alexandrinorum ſacerdotum. Amphiaraum Statius facit niueum. *Achil.Tat.li 8.* *Strabo lib.15.* *Artemid. lib.2. cap 3.* *Appian. Alex. lib.5.bel.ciu.*

Ipſe habitu niueus, niuei dant colla iugales. *Stat.Theb.li 6.*
Concolor eſt albis & caſſis & infula criſtis.

Sed & illi viginti quatuór ſeniores qui in Apocalypſi deſcribuntur coronati aureis coronis, ſunt circumamicti veſtimentis albis, nempe priſco more. Nam candidæ veſti corona conuenit. Et ferè hæc duo coniuncta legimus. Sic apud Plutarchum Zeuxippus iens ad rem ſacram στέφανον καὶ λευκὸν ἱμάτιον λαβὼν corona & albo indumento ſumptis, per forum perductus eſt ad ædem ſacram. Palladem ac Dianam oraculum Delphicum vocauit λευκὰς κόρας, albas puellas, quaſi is color Deabus virginibus ſit conuenientiſſimus. Hæc, inquit, mihi curæ erunt, & albis puellis, hoc eſt, Mineruæ ac Dianæ. Phintys Pythagorica vult mulierem caſtam amiciri veſtimentis μετρίοις καὶ λευκοχρωμάτοις modeſtis, & albi coloris. Quæ ſunt ipſiſſima verba Apollinis, qui candida quoque veſte ſuos myſtas amiciri gaudet. *Apocal.cap 4.* *Plutarch. περὶ ... ἐν παρεργ.* *Stob. γαμ. παραγγ.*

Delius hic longè candenti veſte ſacerdos *Val. Flacc.lib. 3. Arg.*
Occurrit, ramoq; vocat.

Socrates, cùm ſibi inſtaret fatalis dies, in carcere diſſerens cum Critone, dixit mulierem quandam ſingulari forma ſibi in ſomnis viſam λευκὰ ἱμάτια ἔχουσαν albatam; ac ſi dicat, Deam fuiſſe, atque adeò ipſam Palladem. E ſuperioribus diſcimus, reges plerunque geſtaſſe diadema candidum, quibuſdam exceptis, in quibus fuerunt Perſici qui vtebantur purpureo. Q. Curtius Alexandrum memorat degeneraſſe in mores Perſicos. cui rei, præter cætera, argumento hoc eſt, quòd *purpureum diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Summa hæc eſt, diadema exigere in rege non fucum, ſed candorem; non virtutem adumbratam, ſed veram; non ſordes, ſed puritatem. *Catena*, inquit Hieronymus, *ſordes & coma non ſunt diadematis ſigna, ſed fletus.* *Plato in Crit.* *Q. Curt.lib.6.* *Hieron epp.lib. 1.epp.55.*

CAPVT. VI.

Linea materia in diademate quid ſignet. Cur diadema dicatur euincire caput regis. Diadema geſtatum à ſummis ducibus. Aliud diadema geſtatum ſollennibus diebus. Corona vſurpata à ſummis mortalium, quæ tamen propriè non fuit diadema. Stemma.

DIADEMA eſt linea materia, ac ferè tranſlucida, quia nihil factu facilius eſt, quàm regis ingenium, quamlibet occultum & abſtruſum, introſpicere, & quidem è moribus. Verè Seneca,

Perlucet omne regiæ vitium domus.

Sen. in Agamem. Errat rex ſi ſe ignorari putat. Ipſi imponere leuiſſimus & improbiſſimus quiſque poteſt. Nunquam ipſe vniuerſis. Cæterùm diadema dicitur euincire caput regis, ne, ſcilicet, moueatur ac varier. Nam ſub tali capite neceſſe eſt membra labare, titubare, vacillare. Tanti eſt regi eſſe capite adſtricto, hoc eſt, perpetuò geſtare ſanum, vt ille ait, ſinciput. Nam quomodo ebrietati compeſcendæ dixi inuenta fuiſſe in conuiuijs prima illa vincula, quibus poſtea fuit nomen coronis & quidem nexis è folijs, floribus, frondibus adſtringentibus, ita diadema inuentum eſt adſtringendo capiti regis, ne fluitet, ne furat, præcepſque detur. Enimuero ſi quiſquam alius, ſe rex totum arctare, ſuos affectus conſtringere debet intra eos limites quos huic faſtigio conſtituunt hinc ratio, hinc virtus. Hanc ſibi ſummam licentiam, hoc ſibi tutiſſimum præſidium, non aliud ſibi, ſuoque nomini decus eſſe putet. Extra hanc licentiam nihil ſibi licere animum inducat. Et hæc quidem de priſco diademate, quod non putandum eſt fuiſſe rem temerariam, inutilem & otioſam, ſed veriſſimam indicem illorum quæ dixi. Cæterùm etſi diadema eſt inſigne regium, tamen & à ſummis ducibus, cùm exercitui præeſſent, geſtatum conſtat, quamuis non eſſent reges. Certè Plutarchus, Ariſtide Mileſio autore, tradit Fabium Maximum, poſt amiſſos trecentos milites quos duxerat aduerſus Annibalem, accepto lethali vulnere, in ipſum Annibalem vehementi curſu concitatum, ei ablato diademate, ibidem oppetiiſſe. Sed næ ego hunc Ariſtidem habeo pro Græculo nugatore, qui contra fidem hiſtoriæ auſus ſit rem vanam obtrudere pro vera. Videndus eſt Liuius, qui ex fide rem omnem tradit, id præcipuè qua ratione perierint trecenti Fabij, ſi de his iſte Mileſius loquitur. Nam, vnus ille Fabius ſapiens cunctator veriùs quàm acer pugnator, qui ſæpe Anni-

Plutarch. in parall.

Liu. lib. 2.

bali pectus pulſauit, nuſquam legitur hoc facinus feciſſe aduerſus Annibalem, neque is eſt qui duxit trecentos Fabios aduerſus Pœnum. Quòd ſi hoc verè traderetur, dicendum eſſet hoc fuiſſe ſingulare in ducibus Carthaginienſibus, vt ſe regio diademate inſignes facerent. Equidem potiùs adhæreo exemplo quod ante hoc, nullo interuallo memorat idem Plutarchus. Ait enim, Leonidam cum trecentis miſſum ad Thermopylas à Lacedæmonijs. Ibi cùm conſpexiſſet Perſas licentiùs agere, dixiſſe ſuis; Sic prandete vt qui ſitis apud inferos cœnaturi. Tum impetu in barbaros facto, penetraſſe vſque ad Xerxem, eique diadema abſtuliſſe. Quo loci Xerxes deſcribitur non ſolùm vt magnus Rex Perſarum, ſed vt ſummus dux ingentis exercitus. Credo hoc diadema fuiſſe illam quam olim Curopalates ait vocatam fuiſſe *ζώνην στρατιωτικὴν δηλοῦσαν τιμήν.* Zonam militarem indicem honoris. ego libenter addiderim, *ἡγεμονικὴν*, ducalem, ſeu ducis propriam. Aliud fuit diadema, quod non ſemper, & vbique geſtabatur, ſed tantùm ſollennibus diebus, & quoties rex vndique ſua maieſtate circumfuſus ſe in publico non ſolùm aſpiciendum, ſed & colendum præbebat. Hoc diadema Martiano Capellæ eſt *ſceptriferum*, tanquam non inſigniat caput regis, niſi cùm rex totus fulget inſignibus regijs, præcipuè ſceptro,

——quippe potiſſimus
Nectis ſceptrifero ſub diademate
Omnigenûm genitor regna mouens Deûm.

Et hoc quidem diadema texebatur è pretioſiſſima quaque materia. Ouidius,

Barbara iam capti poſcant inſignia reges,
Textaq́ fortuna diuitiora ſua.

Itaque elegantes Euſebius ait, Deum Chriſto dediſſe nomen, *γέρας δ᾽ αὐτῷ τίμιον παντὸς πολὺ μεῖζον βασιλικοῦ διαδήματος*, ſicuti præmium pretioſum, multo maius omni pretioſo diademate. Priſcum illud religabatur in occipitio, caputque geſtantis euinciebat. At hoc non tam caput rediniebat, quàm capiti imponebatur, aut circumponebatur, etiam apud Priſcos, qui ita loquebantur, imponere, vel circumponere diadema. *Ἄπαλος ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐπιθέμενος τὸ διάδημα*, &c. Sæpe geſtores regij diadematis, in ſolennibus, non quidem diadema, ſed coronæ genus aliquod geſtabant effigiatæ in quamlibet ſpeciem, pro arbitrio geſtoris. Hoc docet Curopalates in his verbis, vbi loquitur de imperatore. *φορεῖ δὲ ἐπὶ κεφαλῆς τὸ δοκοῦν αὐτῷ φόρεμα, ἤτοι, ἢ χρυσαντίκας ἢ τετράφυλλον, ἢ τι ἕτερον ὅμοιον τούτῳ.* Quæ verba audeo firmare eſſe corrupta, & pro

Plutarch. ibid.
Curopal. de offi. Conſtant.
Martian. Cap. lib. 9.
Ouid. lib. 3. de Ponto.
Euſeb. lib. 1.
Plutarch. ἀποφθ. βασιλ. καὶ στρατ.
Curopal. de off. Conſt.

ἴων, ἢ κρινωνία, legendum ἴον, ἢ κρίνον, & ſic vertendum eſſe hunc locum. Fert autem [Imperator] in capite quod videtur ſibi geſtamen, violam, aut lilium, aut quadrifolium, aut quidpiam aliud huiuſmodi. Alibi idem Curopalates ait, Imperatores vnà cum dominis diſcedere & redire in palatium pedibus στεφηφορεύοντας, hoc eſt coronatos hoc genere coronæ, quod verè non eſſet diadema imperatorium, ſed ornamentum capitis rotundatum, & effictum vt dixi, in ſpeciem coronæ arbitrio ipſius. Alibi etiam cùm deſcribit Imperatorem & coniugem ſedentes apud menſam & conuiuantes ait eos eſſe στεφηφορεῦντας, non diadematos, ſed coronatos. Diadema illud operoſum, inſigne regiæ maieſtatis etſi, vt dixi, coronæ quoque nomine demonſtrabatur, tamen ei etiam indebant nomen, ſtemma. Hoc ſenſu locutus eſt Curopalates ijs in locis in quibus diſtinguit coronam à ſtemmate. E quibus profero illum in quo loquitur de reginis & Imperatricibus, ἡ δὲ μὲν οὖν προεστεμμένη καὶ μήτηρ τοῦ ἀναγορευομένου φοροῦσα τὸ ἑαυτῆς στέμμα, ἡ δὲ νέα βασιλὶς φοροῦσα στέφανον. Ea quæ ante coronata fuit, nempe renuntiati imperatoris mater fert ipſa quoque inſigne ſuum. Noua autem regina coronam geſtat. Et infra ait, εἰ καί τινες λέγουσιν ὅτι ἐπὶ τῆς ἁγίας τραπέζης κεῖται τὸ στέμμα τοῦ βασιλέως· ἀλλ' οὐκ ἔστι τοῦτο. Etſi dicunt ſuper ſancta menſa poſitum eſſe inſigne regis, non tamen ita eſt. ἐντὸς δὲ τοῦ ἁγίου βήματος κρατούμενον ὑπὸ διακόνων τὰς ἱερὰς φορούντων στολὰς ἄγεται ἐπὶ τὸν ἄμβωνα. ſed intus in ſancto ſolio continetur, & à diaconis geſtantibus ſacras veſtes affertur ad ſuggeſtum. Et hoc quidem citerioribus ſæculis fuit στέμμα. Nam antea, & quidem multis ſæculis

Etymol. εἰρεσιώνη.

præter ea quæ de ſtemmate dixi, alibique dicam, Attici vocabant στέμματα τὰ ἔρια, hoc eſt, infulas laneas. Quippe orta Athenis ſterilitate, ex oraculo hoc perficiebatur tanquam ſupplicatio. Hîc addam locum Martiani Capellæ, vbi loquitur de coronis

Martian. Cap. lib. 2.

Deorum, quæ ipſi ſunt ſtemmata. *Quaſq; librorum notas*, inquit, *Athanaſia conſpiciens, quibuſdam eminentibus ſaxis iuſſit aſcribi, atque intra ſpecum per Ægyptiorum adyta collocari. eademq; ſaxa [ſtellas appellant] deorum ſtemmata precepit continere.* De hoc diademate infra dico vberiùs.

CAPVT VII.

Diadematis & coronæ promiſcuæ voces. Corona poëtica. Diadema & corona diſcriminantur. De diademate quod Antonius Cæſari obtulit. Lamina aurea gemmata eſt pars diadematis. Ornatus, opeſq; diadematis plerumque fuerunt munus gentium & populorum. Interdum regum inter ſe.

DIxi de priſco diademate lineo, niueo, ſimplici, quod quidem poſtea nec reiectum, nec obliteratum fuit, ſed coronæ ſociatum, vſque eò vt hodierno die coronæ ac diadematis ſignificatus coëant. Ea re ipſe poſthac vtramque vocem vſurpabô, prout hæc aut illa mihi ſeſe promptior obtulerit. Quidni id mihi licere putem, cùm diadematis maieſtatē, & coronę pulchritudines vno, eodemque texto contineri videamus? Non item neſcio, nomine diadematis non tantùm regij capitis inſigne demonſtrari, ſed & quamlibet coronam, ne illa quidem excepta qua Poëtæ redimiuntur. Certè Æſchines ait, ante regiam porticum vſque ad ſua tempora conſpectam eſſe, æream ſtatuam Pindari ſedentis, habentiſque veſtem, & lyram, & diadema, & in genibus complicatum libellum. Quis neget hoc loco διάδημα eſſe coronam, non notam regiæ frontis? Hæc tamen vox perrarò inuenitur in hoc ſignificatu. Nam alibi conſtat vtramque dictionem ſignare diuerſas capitis notas, vt in hoc operis contextu ſæpe dicendum eſt. Id quod vel ex eo Plutarchi loco manifeſtum eſt, in quo is memorat, Lupercalibus Antonium Conſulem Cęſari obtuliſſe diadema corona lauri circumuolutum. Id eſt, tortilis laurus, quam vocat coronam, implexa fuit diademate, quæ erat alba faſcia, priſco & recepto apud reges more. Id quod D. Brutus, is qui fuit vnus proditorum & percuſſorum Cæſaris, hoc ipſo nomine ſignauit. Cum enim Cæſar animo fluctuaret iret, an non iret in Senatū, dixit ei Brutus, eo die Senatū decreturū, vt omniū prouinciarum, quæ ſunt extra Italiam ipſe rex renuntietur, ἢ φορεῖν διάδημα, ac ferat diadema. Itaq; vel hac ſola ſpecie Antonius Cæſarē renuntiabat, ſi laurū inſpicias triumphatorem imperij Romani, ſi diadema, regem. Idque populus ita accepit. Cùm enim Cæſar id diadematis genus reijceret, id factum vniuerſorum plauſus eſt conſecutus. Id quod cùm bis accidiſſet, eoque experimento Cæſari compertum eſſet, populo Romano inuiſam eſſe mentionem regis, coronam in Capitolium ferri iuſſit, priſco, ſcilicet, vſitatoque more triumphantium. Quo facto id egit vt fidem faceret ſe contentum triumpho abſtinere regno. Cæterùm ſupra dixi, apud quoſdam reges, in his Perſicos, ſolenne fuiſſe vt ſtatis quibuſdam diebus capite geſtarent diadema

Æſchin. ep. 4.

Plutarch. Iul. Cæſ. & in Ant.

Plutarch. Iul. Cæſ.

regium. E' quo more ſenſim nata eſt auguſta illa ſpecies huius texti, qualis hodieque aſpicitur. Priſca illa faſcia linea nullo artificio operoſa, nullis opibus tumida, nullo accerſito lumine coruſca, ſed ſolo candore conſpicua fuit. Cui tamen ſimplicitati hærebat multa maieſtas. Nunc è faſcia linea, ſeu linteolo facta eſt lamina aurea, & quidem gemmata; quę eſt prima pars diadematis, illa quę propriè caput euincit. Et primo quidem dicimus hanc laminam eſſe auream, hoc eſt, è materia tam ſolida, tam tenace ac durattice, vt ei tutò affigi poſſint additamenta pretioſiſſima. Id quod ſumma ratione factum eſſe, & hîc dicemus, & alibi nobis dicendum eſt. Et verò hæc additamenta ſunt tam lucida, vt in ipſis ſtellis nihil propè ſit luminoſius. Quiſquis hæc intentiùs aſpicit, poteſt conijcere in ipſo prope mundi clypeo quotquot ſunt miris fulgoribus variata cælamina. Vſque eò omnia ibi ſunt rara, taliaque vt

Strabo lib. 15. ſoli reges ea poſſideant. Hoc omne Strabo ſcriptor eloquentiſſimus vocat κόσμον λιθοκόλλητον ornatum lapillis incruſtatum, qui in regio capite non eſt luxus, ſed decus, multo ſecus quàm in femi-

Tertull. de habitu mul. na, in qua Tertullianus haud magis probat aurum & lapillos, quàm flotales coronas, quas infensè inſectatur. At lumina lapillorum

Lucian. de domo. quibus regum diademata variantur, vt cœlum aſtris, magnifico vſui repetta ſunt. Siquid in rebus humanis par eſt eſſe gemmatum, illud certè diadema eſt. Ibi enim lapilli qui illuſtrant frontem regis, fidem faciunt, quàm nulla aut nubes, aut labes ipſi inſidere debeat index ac teſtis mentis contaminatæ. Eaque re ſerenitas videtur eſſe propria dos regij capitis; quæ hominum languentes animos, & ſub nubilo mœſtitiæ detentos diuina quadam lætitia perfundat. Hinc titulus ſereniſſimi, qui hodie peruenit ad quoſdam quorum dignitas, & opulentia longo interuallo diſtat ab apice regio. Ne multa; Etſi agnoſco, antiquiſſimum regij capitis geſtamen fuiſſe diadema illud quotidianum, de quo dixi, tamen hoc firmo, Illos ipſos priſcos reges talis diadematis geſtores, cùm quorundam dierum ſolennitates peragerentur, ſeſe inſignes feciſſe corona aurea & gemmata, cui quoque nomen inditum diadema. Imò ſequutis tẽporibus hoc vnũ verè fuiſſe diadema, è ſupradictis & ex ijs quæ infra exequar, liquidò conſtat. Quem morem eſſe

Zonar. Tarqui. antiquiſſimum, docet Tarquinius, qui auream coronam tunc geſtauit cùm manu tenuit ſceptrum, & ſedit eburnea ſede, hoc eſt, cùm ſe populo oſtendit circumdatum inſignibus regijs, quibus

Artemid. lib. 1. cap. 79. adde πορφύραν καὶ παραπομπὴν, purpuram & comitatum, vt ait Artemidotus. Et verò hoc nomine coronæ, faſciæ, diadematis prin-

Artemid. lib. 2. cap. 18. cipatum ſignari, alibi hic ipſe Artemidorus docet his verbis, τῶν γὰρ ἀρχήν τινα περιαγγελεῖ, ἐν τῇ λύσει αὐτῶν στέφανος, ἢ στρόφιον, ἢ διαδήματος.

huic

huic quidem principatum prædicit in quo opus habebit corona, aut faſcia, aut diademate. Alibi etiam deſcribens regia inſignia, coronam æquat diademati. Oportet, inquit, eum qui habet purpuram, omnino coronam vel diadema habere, & multos aſſeclas & cuſtodes. Quibus ex verbis perſpicuum eſt, coronam euincientem caput regis ei eſſe pro diademate, atque adeò ipſum diadema. Alibi hic ipſe regium apparatum dicit eſſe diadema, ſceptrum & purpuram. Atque hæc quidem omnia antiquitus plerunque erant munera gentium & populorum, qualia Halicarnaſſæus memorat miſſa Hetruſcorum allata fuiſſe ad Tarquinium, vt eſſent σύμβολα τῆς ἡγεμονίας, ſigna, ſiue inſignia ducatus & imperij, quibus ea gens colebat ſuos reges. Hæc Halicarnaſſæus dicit fuiſſe coronam auream, & ſellam eburneam, & ſceptrum habens aquilam in capite. Et paulò poſt de Tarquinio loquens addit, Et coronam auream ferebat, & purpurea veſte amiciebatur. In ſequentibus quoque docet auream coronam propriè fuiſſe inſigne regij capitis, quale dixi eſſe diadema. Hic, inquit, ornatus manſit apud eos qui poſt ipſum fuerunt in regio principatu, etiam poſt eiectos reges, annuis conſulibus, extra coronam, & veſtem pictam. Quæ vltima verba docent, coronam & veſtem verſicolorem fuiſſe inſignia regia; eaque re dempta fuiſſe conſulibus, cùm cætera ſummę poteſtatis argumenta penes eos manſiſſent; Nempe, ne regibus exactis, nihilominus regnum manſiſſe dici poſſet, & pro vno duo reges Romæ conſpicerentur. Enimuero Brutus ille libertatis autor in illa ſua concione quæ extat apud Halicarnaſſæum, Cùm, inquit, inſignia regum multa ſint, ſi quæ in his, vt nimia, inuidioſa ſunt, partim minuite, partim auferte, ſceptra inquam, & aureas coronas. Non ergo mirum ſi Curopalates tradit, illam coronam quæ fuit eadem cum diademate, dictam fuiſſe στέμμα, hoc eſt, βλαττίον μετὰ λίθων καὶ μαργάρων, textile, ſiue laminam auream cum lapillis & margaritis. Itaque hæc corona nequaquam materia, ſed ſola vtique forma aliquantùm diſtat ab hodierno diademate. Hoc, vt ſupra dixi, quia totum eſt aureum ac gemmarum, capiti imponitur. At illud Conſtātinopolitanum pone frontem colligabatur, quà cerebrum eſt, hoc ferè vno retento è priſco diademate, & primæuo huius dictionis ſignificatu. Cæterùm vt regibus tales coronæ mittebantur, ita ipſi reges quandoque ſummos duces & imperatores, etiam externos, hac tanta, taliq́ue munerum dignitate cohoneſtabant. Hoc exemplo Appianus Alexandrinus memorat Lucullum fuiſſe cultum à Machare filio Mithridatis. Refert quoque Zozimus, rancidos illos Romanos iuſſu Alarichi Attalum præfectum vrbi in auguſta ſede locaſſe, coronaque cinxiſſe, videlicet, aurea. Quid,

Artemid. lib. 2. cap. 3.

Artemid. lib. 2. cap. 31.

Dionyſ. Halic. lib. 3 Antiq.

Halicar. lib. 4. antiq.

Curopal. de off. Conſtant.

Zoſim. lib. 6.

quod hæ aureæ coronæ tam regum propriæ fuerũt, vt ſe ipſi reges hoc munere inuicem colerẽt? Cyaxares inter ea munera quę Cyro miſit, voluit eſſe coronam regiam auream diſtinctam pretioſiſſimis lapillis. Virgilius inter ea dona quę Æneas Didoni ab ſe ferri iubet, recenſet regium cultum, nempe

Zonar. Cyro.

Virgil. lib. 1. Æneid.

——ſceptrum Ilione quod geſſerat olim
Maxima natarum Priami, colloq́; monile
Baccatum, & duplicem gemmis, auroq́; coronam.

id eſt, in ea corona auro intertextæ erant gemmæ. Iſque eius coronæ erat duplex contextus, vnus aureus, alter gemmeus, ſed vterque ita mixtus & compactus, vt vnus eſſet. Ea re tales coronæ dicebantur fulgere auro & gemmis. Varro in Eumenidibus, *Coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit luce locum afficiens.*

Non. affici ma lis. & ſupparũ.

CAPVT VIII.

Munerum magnitudo quibus quædam gentes coluerunt reges ſuos. Corona in pompis oſtentatæ. Orientalium regum pompæ. Coronæ ingentis pretij. Magnitudo earum opum quæ aliquando tranſuectæ ſunt in triumpho Romano. Coronæ ex margaritis. Pretium quarundam coronarum quæ regibus datæ.

VIx credibilia ſunt illa quæ de harum coronarum numero & pretio memorantur. Memorantur tamen, & quidem accuratè ne dictis fides non adſit. Tantus in hac quoque parte priſcorũ regum ſpectatus eſt luxus, dico an magnificentia? His quidem põpis paginas implet Athenæus, dum ſpectandam exhibet neſcio dementiam, an opulẽtiam Antiochi Epiphanis, Ptolemæi, Antiochi Epimanis qui in quadam pompa id egit vt ſuperaret Paulum Conſulem Romanum. Quippe ibi conſpecta ſunt tria millia Cilicum habentium aureas coronas; præter equites Piſæos mille, & alios tres mille, quorum plures erant χρυσοφάλαροι ϗ χρυσοστέφανοι, aureis in galea criſtis, & aureis coronis. Alij autem ἀργυροφάλαροι habentes galearum criſtas argenteas. Erant & octingenti ephebi aureis coronis. E' talibus narrationibus hoc diſcimus, totas prouincias, & vrbium ac municipiorum primores id egiſſe vt ſuos reges magnis, pretioſiſque muneribus venerarentur. In his fuiſſe coronas vel diademata, potiſſima & præclariſſima regum inſignia. Has in põpis, ad quas fiebat ingens hominum concurſus, exhibitas fuiſſe vt eximia ſpectacula, oſtentandis opibus & potentiæ. Ex hac tot diuitiarum oſtentatione in hominum animis ingens oriebatur regij culminis admiratio, veneratio, fortè & metus. Hinc quoque

Athen lib. 5.

In frag. Polyb.

Indicæ illæ pompæ à Strabone memoratæ, in quibus aſpiciuntur ingentes lebetes, crateres, menſę, ſellæ, pocula, labra ſingula magnam partem ſmaragdis, beryllis, carbunculis incruſtata, præter veſtes aliaque. Qui mos non ſolùm apud gentes orientales, ſed & in occidēte, vt veriſimile eſt, plurimùm inualuit. Certè idem Strabo memorat, Lucerium Aruernum patrem Bitti, illius qui ſtetit contra Maximum & Domitium duces Romanos, tantis opibus, tantaque lautitia floruiſſe, vt curru vectus per campum nummos aureos & argenteos diſpergeret quos ſectantes colligerent. Etſi ipſe quidem hoc factum ad veſaniam potiùs quàm ad magnificentiam refero. In illis orientalium regum pompis tantū opum vectatum cōſtat, vt quicquid hoc ſæculo aſpicitur aut pretio magnum, aut artificio ratum, aut viſu admirabile, præ eo quod priſca illa magnificentia ſpectandum exhibuit, exile ſit. Tantum, tamque immenſum ibi fuit auri pondus, & quidem non ſcripti, aut in nomina & rationes relati, ſed ſpectati; non, vt Claudianus ait, in ponderibus fuluis, & laminis informibus, quales dicuntur aduehi à prouincijs auriferis; non in aureis, vt Virgilius ait, ſaxis; ſed certè auri effigiati à peritiſſimis artificibus in ſpeciem clypeorum, craterum, armorum, vaſorum, tripodum, torquium, coronarum. Ex his coronis Athenæus vnam exhibet cubitorum ſexdecim; alteram altitudinis bicubitalis. Eodem Athenæo autore corona conflata ex aureis decies mille poſita fuit ſuper ſella Ptolemæi regis. Sed vt hęc magna fuerint, nunquam tamen æquarunt magnificentiam Romanam. In funere Syllę Appianus Alexandrinus tradit fuiſſe tranſlatas coronas aureas plus bis mille, dona ciuitatium, amicorum, ducumque qui ſub ipſo militauerāt; ſuper illas quę ſepulchro eius iniectę fuerunt, quarū ne dici quidem luxus poteſt. Hîc quoque facultas mihi eſſet memorādi immenſas illas opes triumphorum Romanorum, ſi non verſarer in re cognitiſſima. Id mihi, vt ſpecimen cęterorum, dixiſſe ſuffecerit. In triumpho Pompeij, quem Plinius vocat triumphū luxuriæ, tranſuectum fuiſſe alueum gemmeum latum pedes tres, longum pedes quatuor. Inibi fuiſſe lunam auream pondo XXX. lectos tricliniares tres; vaſa abacorum ex auro & gemmis nouem; ſigna aurea tria, Mineruæ, Martis, Apollinis. Quę omnia, quamuis maxima & pretioſiſſima, tamen aſſurgunt illis quæ ſequuntur. Ibi conſpectę fuerunt coronæ triginta tres ex margaritis; mons aureus & quadratus cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis. Quæ omnia fuerunt circumdata vite aurea. Acceſſit muſæum ex margaritis, in cuius faſtigio fuit horologium; denique imago Cn. Pompeij è margaritis. Quorum omnium nihil, ſcilicet, Romæ natum.

Strabo lib. 15.

Athen. lib. 5.

Appian. Alex. lib. 1. bel. ciu.

Plin. lib 37 ca. 2.

Sed hic erat congeſtus è regibus, & prouincijs illis, è quibus conſtabat magnitudo Romana; eâdem prope illa ratione qua reges Orientales colebantur & cumulabantur muneribus ab illis qui regnabantur. Memorat Athenæus, ludis publicis Ptolemæum primum donatum fuiſſe viginti coronis; & Berenicem tribus & viginti, quæ aduectæ ſunt ſuper aureis currubus. Vt vel hinc quoque earum pondus & magnitudinem æſtimare liceat. In his vnam ait fuiſſe cubitorum ſex; tum alias totidem, totque cubitorum. Sex item alias quatuor cubitorum, quæ columnis affixæ ſunt. Id verò aurum coronarium dici meritò potuit, quale illud de quo dixi. Vſque eò illis ſæculis auro fuit inluſum, cùm eius reperiretur tanta copia, vt ipſis quoque regibus vile eſſe cœperit, & vt vile in plures diſperſum. Hoc exemplo Alexander iam mutatus in Perſam à præconibus proclamari iuſſit, Alexandrum Ammonis filium tribus aureorum millibus coronare, hoc eſt, coronam dare. quo genere loquutionis Græci ſatis frequenter vtuntur. Polybius; κυρωθείσης δὲ τῆς ἐλευθερίας τοῖς γερραίοις, ἐστεφάνωσαν παραχρῆμα τὸν Ἀντίοχον τὸν βασιλέα πεντακοσίοις ἀργυρίου ταλάντοις. At libertate confirmata præmijs coronauerunt extemplo Antiochum regem quingentis argenti talentis, id eſt regi dono dederunt quingenta argenti talenta.

Athen lib. 11.

Polyb. fragm.

CAP. IX.

Corona geſtamen principum Romanorum. Hæc corona fuit gemmata. Auri dignitas ſpectatur in corona. Inibi aurum quid ſignet: Aurum Ioue prognatum. Regis virtus qualis eſſe debeat. Lamina aurea in diademate quid ſignificet. De raritate auri. Inſignia aurea lamina.

EX his coronis quaſdam reges, ipſique principes Romani capite geſtarunt, non quidem ſicuti diademata, & inſignia regij capitis, ſed eadem illa ratione qua vſurpabantur à cæteris mortalibus. Caligulam Suetonius tradit, *per eum pontem, quo Baias & Puteolanas moles coniunxit, vltro citroq́ commeaſſe biduo continenti. Primo die phalerato equo; inſignem quoque aurea corona, & cethra, & gladio, aureaq́ chlamyde.* Idem ſcriptor eadem prope de Domitiano. *In ſtadio,* inquit, *curſu etiam virginis certamini præſedit crepidatus, purpureaq́ amictus toga, Germanicam capite geſtans coronam auream cum effigie Iouis ac Iunonis, Mineruaq́, aſſidentibus Diali ſacerdote, & collegio Flauialium pari habitu, niſi quod illorum coronis inerat & ipſius imago.* Quibus è verbis colligimus, hasce coronas

Sueton. Calig.

Sueton. Domitiano cap. 4.

præ ſe tuliſſe peculiare inſigne eius quod quiſque princeps præ- *Dio Commo.*
clarè feciſſet. vnde illud epithetum, Germanicam. Commodus
quoque coronam ex auro & Indicis lapillis factam geſtauit, præ-
ter caduceum qualem Mercurius ferr. Ammianus Marcellinus *Ammian Mar cell. lib. 23.*
autor eſt, Saracenarum gentium *regulos ſupplices, ac genibus nixos*
obtuliſſe Iuliano coronam ex auro, tanquam mundi, nationumq́; ſua-
rum dominum adorarent. Etſi verius eſt, hanc coronam fuiſſe
inſigne regij capitis, hoc eſt, diadema. Porrò quod hæ coronæ,
quæ non eſſent diademata, fuerint gemmatæ, ac lapillis diſtinctæ
pretioſiſſimis, ex ijs locis, quæ ſupra citaui, & è ſequentibus di- *Herodian. li. 5.*
ſcere licet. Et quidem de Baſſiano hæc memorat Herodianus,
ipſum ornaſſe caput corona diſtincta colore lapillorum pretio-
ſorum. Id quod non fuit diadema, ſed ſimpliciter corona, qualem
ſupra deſcripſi. Harum tot lapillorum honoribus diſtinctarum
coronarum meminit Claudianus in his ad Stilichonem prope
gemmeis verſibus, *Claudian. de laud. Stilich. lib. 2.*

> *Quin & Sidonias chlamydes, & cingula baccis*
> *Aſpera, gemmataſq́; togas, virideſq́; ſmaragdis*
> *Loricas, galeaſq́; renidenteis hyacinthis,*
> *Geſtatoſq́; patri capulis radiantibus enſes;*
> *Et vario lapidum diſtinctas igne coronas*
> *Diuidis ex æquo; ne non auguſta ſuppellex,*
> *Ornatuſq́; pares geminis heredibus eſſent.*

Cæterùm has coronas tanti pretij, tamq́ue ſpecioſas dixi factas
eſſe ex auro. Et hæc, ſcilicet, eſt antiquiſſima auri dignitas vt ho-
neſtarit capita non tantùm ſummatum poteſtatum, ſed & cuiuſ-
libet, qui modò aliqua inſigni dote cenſeretur. Vſque eò, vt cum
Lucretio loquar, *aurum in ſummum ſucceſſit honorem.* aurum, in- *Lucret. lib. 5.*
quam, illud quod noſtris erat putatum, hoc eſt, nulla permixtionis
iniuria pallidum, quale dicitur fuiſſe colophonium. Sic enim *ἐν παρειμ.*
Herodotus aurum optimum vocat. Nempe ex huius metalli
ſynceritate coronæ fiebant, vt earum geſtores admonerentur
eius puritatis, quam conſcientiæ, Deo, vniuerſis præſtare *Plato in Crat.*
debent. Adnotauit Socrates apud Platonem, aureum illud
primæuumq́ue genus nequaquam ex auro natum, ſed ex auri
præſtantia ita nominatum, quòd fuit bonum & præclarum.
Denique hoc ipſum metallum electum eſt diademati com-
pingendo, vt ex huius materiæ immortalitate ſciri poſſit,
quantum venerationis regiæ maieſtati præſtari æquum ſit. Altera *In carmin.*
auri dos eſt, vt contra omnem vim ſit incorruptum. κεῖνον οὐ σὴς, οὐδὲ *Sappho.*
κὶς δάπτει. Illum non tinea, neque vermis conſumit. ἰὸν οὐ παραδέχεται, *Philo περὶ τῶν*
rubiginem non recipit. Accedit difficultas eruendi huius metalli, *δεκ. λογ.*

quæ admonet regem, vt anquirat & acquirat eas virtutes, quas omnes admirentur, vt minimè faciles, ſed operoſas, multo, inquam, labore, multo vſu, pari felicitate partas; in quarum, ſicuti regiarum & principalium venerationem omnes aliæ conſurgant; quæ ſua magnitudine ſolitum excedant, ſua raritate concilient ſibi admirationem hominum. Denique regias virtutes oportet eſſe tales, vt eas omnes mortales libenter fateantur nonniſi longis ætatum interuallis inueniri. Neque enim in rege quiſquam ſanus ſuſpicit opes, quæ plerunque ſunt inuidioſæ; non potentiam, vnde metus in vniuerſos; non abundantiam voluptatum, quæ vt animum debilitant, ita corpus eneruant. Sed vtique regia maieſtas tota confit è regijs virtutibus, propemodum vt è pluribus auri micis conflatur lamina illa coronaria, & ὄβρυζος χρυσὸς aurum verè purum, verè etiam πολύευκτος multis votis expetitum. Laminam dixi, hoc eſt, metallum attenuatum, & malleo extentum. Hinc quoque rex intelligit, non tam ſua intereſſe quantum poſſideat auri, quàm quanta moderatione auro vtatur. Illi parum auri ſatis eſt, cuius virtus auro imperat. Non tam rex opus habet auro, quàm Reſpublica rege aureo. Porrò quòd aurum eſt rarum, ea re eſt hominum æſtimatione pretioſum. Hercule tam rarum, vt tempora ſignentur, quibus donaria templorum propter defectum huius metalli fuerant ænea. Apud Platonem Critias deſcribens priſca tempora, ait ſacra peracta fuiſſe ſine auro & argento, quorum nullus erat vſus. Cùm Lacedæmonij Apollinis Amyclæi faciem inaurare decreuiſſent, nec aurum in Græcia reperiretur, monitu oraculi hoc metallum à Crœſo Lydio mutuati ſunt. Et verò Xenophon ait, fuiſſe tempus, quo apud Lacedæmonios quiſque ſedulò cauebat, ne aurum poſſidere videretur. Certè ſi apud quempiam inuentus fuiſſet nummus aureus aut argenteus, is morte multabatur. Hiero quoque Syracuſius, etſi eius ſæculi opulentia à rerum ſcriptoribus validè commendatur, vt tripodem & victoriam ex auro ἀπύρου, quo in Pæonia terram deaurari teſtis eſt Ariſtoteles, faceret, coactus eſt mittere ad Architelem Corinthium, à quo emit. Et inſuper velut auctarium, quantum plena manus capere poſſet, accepit. Neptunum Lyſippus æneum, & pauperem fecit, quòd ea tempeſtate apud Corinthios aurum fuit nullum. Ariſtide autore, quidã qui fuerat inter miniſtros regios, quòd aurũ detulerat in Peloponneſum, cõmuni Athenienſium decreto habitus eſt hoſtis publicus, & infamis. Nec ipſe tantùm, ſed & poſteri eius. Addito, vt qui hunc interfecerit, huic id factum impune ſit. Tradit Plinius Romæ *non fuiſſe aurum niſi admodum exiguum longo tempore. Certè cùm à Gallis, capta vrbe, pax emeretur, non plus quàm*

Xenoph. de inſt. Cy. lib. 1.

Plato in Crit.

Athen. lib. 6.

Zenoph. in re pub. Laced.

Athen. ibid.

Stob. π. νόμ. κ̀ ἐθ.

Ariſtot. de admir. audit.

Lucian. Iup. trag.

Ariſtid. Panathen. 21. & in Themiſt.

Plin. lib. 33.

mille pondo effici potuere. Quæ fuit priſca illa Romana paupertas fortis & generoſa. Cuius argumentum pluribus ſæculis fuit, quod populus Rom. Simpulo & Catino ſacrificabat. Vt aurum commendatur ob raritatem, ita regi inhoneſtum eſt, quicquam in ipſo conſpici non ſingulare, rarum, regium; ne geſtamen ipſo geſtore ſit excellentius. *Apul. apol.1.* Quiſquis aurum geſtat, inquit Artemidorus, hunc oportet eſſe planè ἀπόβλεπτον, ſpectabilem, ſuſpiciendum & venerabilem. *Artemid. lib.1. cap.79.* Non poteſt abſcondi, quem ſplendor auri reuelat. Hac item lamina regis frons euincitur, ne quid externi dedecoris inſinuet ſe pudori eius. Quippe hunc in rege par eſt eſſe altum, tenerum, ſollicitum, acrem cuſtodem probitatis, verum teſtem innocentiæ; cuius purpura per omnes corporis partes diffuſa totum regem validiùs honeſtat quàm prætexta, laticlauium, palmata veſtis ac triumphalis. Hinc ipſius ſpecies interior redditur purior, exterior auguſtior. Omnia eius membra hinc niteſcũt, fiuntque conſimilia fronti in improbos ſeueræ, in probos placidæ, in calamitoſos remiſſæ, non fictæ, ſed exporrectæ, non imbecillæ, ſed forti. Cæterùm in lamina, vnà cùm illis quæ è lamina emergunt, inſculpta ſunt inſignia coronarum, ſeu diadematum. Græcis ſunt *παράσημα*. Ex iſtis vnum quodque numen habet ſuum proprium & ſingulare. Hæc inſignia ſunt peculiares quædam notæ, in texto diadematis conſpicuæ, ſicuti perpetuæ teſtes illius inuſitatæ virtutis, quæ te regem, aut illos quibus prognatus es, euexit ad iſthuc faſtigij. Quippe nullum diadema, ſiue regia corona non eſt *πολυμνήμων*, multa geſtori memorans, multa illum monens, quædam laudans, quædam exprobrans, cuiuſmodi vocitata eſt corona Dionyſij. Ad hunc contemplatum tam fidelem, tamque ſalutarem reges voco, eoſque omnes qui ſunt loco regum. *Nicephor.l.10.* Si tædet præceptorum, ſi ad mentionem ſtudiorum eſtis nauſeatores, ſaltem inſpicite in veſtra diademata. Exquirite quid ſit illud quod diademate demonſtratur. In exiguo monumento deprehendetis maxima documenta. Inuenietis quî factum ſit, vt inſideatis culmen rerum. Diſcetis quænam ſint partes illius quem Deus locauit in ſtatione tam excelſa. Hîc agnoſcetis gloriam maiorum veſtrorum. Intelligetis vnde vobis ſint comparata ſuffragia, ſtudia, obſequia, conſenſus vniuerſorum. Cùm vos natura alijs pares gignat, mirabile eſt, vnum te, quiſquis es qui regnas, inter tot hominum millia lectum eſſe, diuina, inquam, manu ſepoſitum, vt vnus ab alijs ſuſpiciare, colare, ac prope dixerim, adorere vt numen. Nimirum, hoc ideo fit, vt vnus mortalis inter innumerabiles exiſtas, cuius cura cæteri nitantur; taliſque ſis vniuerſis qualem te ſibi quiſque, qualem tu tibi Deum optas. Hos monitus verè

quæ admonet regem, vt anquirat & acquirat eas virtutes, quas omnes admirentur, vt minime faciles, ſed operoſas, multo, inquam, labore, multo vſu, pari felicitate partas; in quarum, ſicuti regiarum & principalium venerationem omnes aliæ conſurgant; quæ ſua magnitudine ſolitum excedant, ſua raritate concilient ſibi admirationem hominum. Denique regias virtutes oportet eſſe tales, vt eas omnes mortales libenter fateantur nonniſi longis ætatum interuallis inueniri. Neque enim in rege quiſquam ſanus ſuſpicit opes, quæ plerunque ſunt inuidioſæ; non potentiam, vnde metus in vniuerſos; non abundantiam voluptatum, quæ vt animum debilitant, ita corpus eneruant. Sed vtique regia maieſtas tota conſit è regijs virtutibus, propemodum vt è pluribus auri micis conflatur lamina illa coronaria, & ὄβρυζος χρυσὸς aurum verè

Xenoph. de inſt. Cy. lib. 1.

purum, verè etiam πολύευκτος multis votis expetitum. Laminam dixi, hoc eſt, metallum attenuatum, & malleo extentum. Hinc quoque rex intelligit, non tam ſua intereſſe quantum poſſideat auri, quàm quanta moderatione auro vtatur. Illi parum auri ſatis eſt, cuius virtus auro imperat. Non tam rex opus habet auro, quàm Reſpublica rege aureo. Porrò quòd aurum eſt rarum, ea re eſt hominum æſtimatione pretioſum. Hercule tam rarum, vt tempora ſignentur, quibus donaria templorum propter defectum huius

Plato in Crit.

metalli fuerant ænea. Apud Platonem Critias deſcribens priſca tempora, ait ſacra peracta fuiſſe ſine auro & argento, quorum

Athen. lib. 6.

nullus erat vſus. Cùm Lacedæmonij Apollinis Amyclæi faciem inaurare decreuiſſent, nec aurum in Græcia reperiretur, monitu

Zenoph. in repub. Laced. Athen. ibid. Stob. π. νόμ. καὶ ἐθ.

oraculi hoc metallum à Crœſo Lydio mutuati ſunt. Et verò Xenophon ait, fuiſſe tempus, quo apud Lacedæmonios quiſque ſedulò cauebat, ne aurum poſſidere videretur. Certè ſi apud quempiam inuentus fuiſſet nummus aureus aut argenteus, is morte mulctabatur. Hiero quoque Syracuſius, etſi eius ſæculi opulentia à rerum ſcriptoribus validè commendatur, vt tripodem & victo-

Ariſtot. de admir. audit.

riam ex auro ἀπύρῳ, quo in Pæonia terram deaurari teſtis eſt Ariſtoteles, faceret, coactus eſt mittere ad Architelem Corinthium, à quo emit. Et inſuper velut auctarium, quantum plena manus ca-

Lucian. Iup. trag. Ariſtid. Panathen. 21. & in Themiſt.

pere poſſet, accepit. Neptunum Lyſippus æneum, & pauperem fecit, quòd ea tempeſtate apud Corinthios aurum fuit nullum. Ariſtide autore, quidā qui fuerat inter miniſtros regios, quòd aurū detulerat in Peloponneſum, cōmuni Athenienſium decreto habitus eſt hoſtis publicus, & infamis. Nec ipſe tantùm, ſed & poſteri eius. Addito, vt qui hunc interfecerit, huic id factum impune ſit.

Plin. lib. 33.

Tradit Plinius Romæ *non fuiſſe aurum niſi admodum exiguum longo tempore. Certè cùm à Gallis, capta vrbe, pax emeretur, non plus quàm*

mille pondo effici potuere. Quæ fuit priſca illa Romana paupertas fortis & generoſa. Cuius argumentum pluribus ſæculis fuit, quod populus Rom. Simpulo & Catino ſacrificabat. Vt aurum commendatur ob raritatem, ita regi inhoneſtum eſt, quicquam in ipſo conſpici non ſingulare, rarum, regium; ne geſtamen ipſo geſtore ſit excellentius. Quiſquis aurum geſtat, inquit Artemidorus, hunc oportet eſſe planè ἀπόβλεπτον, ſpectabilem, ſuſpiciendum & venerabilem. Non poteſt abſcondi, quem ſplendor auri reuelat. Hac item lamina regis frons euincitur, ne quid externi dedecoris inſinuet ſe pudori eius. Quippe hunc in rege par eſt eſſe altum, tenerum, ſollicitum, acrem cuſtodem probitatis, verum teſtem innocentiæ; cuius purpura per omnes corporis partes diffuſa totum regem validiùs honeſtat quàm prætexta, laticlauium, palmata veſtis ac triumphalis. Hinc ipſius ſpecies interior redditur purior, exterior auguſtior. Omnia eius membra hinc niteſcũt, fiuntque conſimilia fronti in improbos ſeueræ, in probos placidæ, in calamitoſos remiſſæ, non fictæ, ſed exporrectæ, non imbecillæ, ſed forti. Cæterùm in lamina, vnà cùm illis quæ è lamina emergunt, inſculpta ſunt inſignia coronarum, ſeu diadematum. Græcis ſunt παράσημα. Ex iſtis vnum quodque numen habet ſuum proprium & ſingulare. Hæc inſignia ſunt peculiares quædam notæ, in texto diadematis conſpicuæ, ſicuti perpetuæ teſtes illius inuſitatæ virtutis, quæ te regem, aut illos quibus prognatus es, euexit ad illhuc faſtigij. Quippe nullum diadema, ſiue regia corona non eſt πολυμνήμων, multa geſtori memorans, multa illum monens, quædam laudans, quædam exprobrans, cuiuſmodi vocitata eſt corona Dionyſij. Ad hunc contemplatum tam fidelem, tamque ſalutarem reges voco, eoſque omnes qui ſunt loco regum. Si rædet præceptorum, ſi ad mentionem ſtudiorum eſtis nauſeatores, ſaltem inſpicite in veſtra diademata. Exquirite quid ſit illud quod diademate demonſtratur. In exiguo monumento deprehendetis maxima documenta. Inuenietis quî factum ſit, vt inſideatis culmen rerum. Diſcetis quænam ſint partes illius quem Deus locauit in ſtatione tam excelſa. Hîc agnoſcetis gloriam maiorum veſtrorum. Intelligetis vnde vobis ſint comparata ſuffragia, ſtudia, obſequia, conſenſus vniuerſorum. Cùm vos natura alijs pares gignat, mirabile eſt, vnum te, quiſquis es qui regnas, inter tot hominum millia lectum eſſe, diuina, inquam, manu ſepoſitum, vt vnus ab alijs ſuſpiciare, colare, ac prope dixerim, adorere vt numen. Nimirum, hoc ideo fit, vt vnus mortalis inter innumerabiles exiſtas, cuius cura cæteri nitantur; taliſque ſis vniuerſis qualem te ſibi quiſque, qualem tu tibi Deum optas. Hos monitus verè

Apul. apol. 1.

Artemid. lib. 1. cap. 79.

Nicephor. l. 10.

aureos aureum diadema ſuggerit. Tum lumen lapillorum ſuadet lumen vitæ. Deniq; omnis generis gemmæ gẽmeos mores. De his inſigniis aliquid vberiùs dicam. Id quod priuſquam exequor, moneo, Non ſemper mortalium ſummos geſtaſſe regias coronas, vel diademata, qualia ſupra deſcripſi, ſed quandoque vſurpaſſe alia capitis inſignia, prout ſuaſit aut cupido nouitatis, aut luxus regius, aut faſtidium. Ad hoc exemplum Curopalates memorat, Cõſtantinopolitanos imperatores vnà cum prætexta geſtaſſe tiaram. Id quod obſcurè & confusè ſcriptum. Hoc tantùm diſertim addit, eos capiti circumpoſuiſſe σχήματα διάφορα geſtamina diuerſa; in his illam quam vocat προπολυχίαν, modò elatius Iuſtinianæum. Quorum ſingulorũ formas, inquit, non eſt huius loci ſingillatim enumerare. Imò ſi feciſſet, nos verò ipſi multam gratiam haberemus. Ibi interpres ait προπολυχίαν eſſe capitium ſigno προπολυφόρῳ ornatum. Iuſtinianæum interpretatur preſſius, & quaſi doctorale.

Curopal. de offic. Conſtant.

CAPVT X.

Peculiaria inſignia coronarum. Corona turrita. Corona quam Vulcanus iuſſu Iouis impoſuit virgini. Inſigne coronæ Nemeſis, Iunonis & Iunonum. Coronæ exploratoriæ. Inſigne coronæ Iunonis Corinthiæ. Aliud inſigne coronæ Iunoniæ. Inſignia earum coronarum quas triumphator dabat ſuis militibus. Inſigne Germanicæ Domitiani coronæ. Inſigne Flauialium coronarum.

E coronis nulla eſt cuius ſiue materia, ſiue forma, ſiue præcipua eius nota non quidpiam ſingulare demonſtret, vt ſuis locis dixi. Cui rei exemplum reſumo quaſdam è militaribus. Et quidem inſigne coronæ caſtrenſis, hoc eſt, peculiarem notam, eam quæ caſtrenſem diſcriminabat à cæteris, dixi eſſe vallum ex auro. Nimirum, vallus effigiatus hocloquebatur, ea corona donatum fuiſſe illum qui vallum ſeu vallos conſcendiſſet & expugnaſſet. Pinnæ muri in rotunditate laminæ coronariæ palam firmabant geſtorem talis coronæ primum omnium obſeſſæ vrbis murum aſcendiſſe. Roſtra nauium ibidem effigiata teſtabantur, claſſiarium tali corona donatum primum inijſſe nauem hoſtium. Equeſtri quoque coronæ dixi aliquid inditum quo virtus equitis luculenter demonſtratur. Ad harum exemplum pleræque ex alijs præ ſe tulerunt ſuum inſigne, præcipuam, inquam, & illuſtrem notam, qua cuiuſque virtus in omnium conſpectu viſenda proponebatur. Mater Deûm geſtat coronam turritam ſeu turriferam, quòd prima turres vrbibus dedit. Hinc eius epithetum, πυργοφόρος.

Syneſ. ep. 3. & Albric. de imag. Deor.

Hæc eſt

Hęc eſt illa Rhea, illa Iouis, Iunonis, Neptuni mater, Saturni vxor, inſignis πυργωτῷ στεφάνῳ turrita corona, quòd vrbes initio ſuper montibus poſitæ ſunt, vt loco munitiſſimo, & cœlo ſynceriſſimo. Aut quòd ipſa eſt autor ſiue dux primę, & ἀρχέτυπε mundi ſubſtantiæ. Vnde miror, quid ita interpres Phornuti πυργωτὸν στέφανον verterit igneam coronam, niſi fortè legit πυρωτὸν. Heſiodus deſcribens illud malum, quod Vulcanus iuſſu Iouis ſub ſpecie virginis fabricatus eſt, præter ſerta & coronas floreas imponit illi coronam auream. *Phornut. in Rhea.*

ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνην χρυσέην κεφαλῆφιν ἔθηκε,
τὴν αὐτὸς ποίησε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις,
Ἀσκήσας παλάμῃσι χαριζόμενος Διὶ πατρί. *Heſiod. Theog.*

Circumque caput ei coronam auream poſuit, Quam ipſe fecerat inclytus Vulcanus, Elaborans manibus, gratificans Ioui patri. In hac corona dicit cælata fuiſſe multa artificioſa ex ijs animantibus quæ terra, marique continentur.

τῇ δ᾽ ἐνὶ δαίδαλα πολλὰ τετεύχατο, θαῦμα ἰδέσθαι,
Κνώδαλ᾽ ὅσ᾽ ἤπειρος πολλὰ τρέφει, ἠδὲ θάλασσα.
Τῶν ὅ γε πολλ᾽ ἐνέθηκε· χάρις δ᾽ ἀπελάμπετο πολλὴ
Θαυμασίη, ζωοῖσιν ἐοικότα φωνήεσσιν.

In hac artificioſa multa cælata erant, mira viſu animantia quæcunque continens multa alit, atque mare. Ex illis hic multa indidit, gratia verò reſplendebat multa, mirabilis, animantibus ſimilia vocalibus. In hoc, videlicet, Iupiter fœminam, animatum opus illiciendis, & vlciſcendis viris fabrefieri voluit, eique ſpecioſiſſimam coronam imponi, quæ corona conſtans è recentibus floribus calyptram eius circumplecteretur. Sed enim illius coronę pulchritudo conſiſtebat, inquit, in illa animalium diuerſitate ac multitudine, quam ambitus, ſiue rotunditas laminæ repræſentabat. Id quod ſigni ſat erat, nihil neque mari neque terra contineri quod non feminæ imperio ſubiecerit magnus Iupiter vt reginæ. Itaque illa cælatura verè dici potuit inſigne coronæ tam nobilis quæ à magno numine iuſſu ſummi numinis facta eſſet. Ea corona vt nihil ornatius, ita nihil ſignificantius, nihil repræſentandæ terrenæ, marinæque ſupellectili accommodatius fingi potuit. Nempe in ea lamina ſculptum aſpiciebatur omne pecudum genus,

——— viteq; volantum *Virgil. lib. 6. Æneid.*
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.

Dixi quoque, in corona Nemeſis fuiſſe ceruos, & ſigilla victoriæ. Quod totum verè dici potuit inſigne illius coronæ. Nam cerui, animalia fugacia, ſignarunt fugientes Perſas. Sigilla victoriæ robur & felicitatem vniuerſæ Græciæ. Iunonem antiquitas faciebat lunatam, hoc eſt, gerentem lunam in diademate. Ibi effigiata luna *Albric. de Deor. imag. in Iun.*

verè dici potuit inſigne coronæ Iunoniæ, ſiue diadematis quod vnà cum capite nubes operiebant. Neque verò hæc tantùm Iuno Iouis & ſoror & coniux fuit lunata, verùm & aliæ Iunones, Iunonis pellices, cuiuſmodi eſt Alcmena.

Stat. lib. 6. Thebaid.

——paruoq; Alcmena ſuperbit
Hercule, tergemina crinem circumdata luna.

id eſt, è lamina coronæ Iunoniæ ſexies emergebat effigies lunæ. Inachim quoque Ouidius lunatam facit,

Ouid. lib. 9. Metam.

——inerant lunaria fronti
Cornua cum ſpicis nitido flauentibus auro.
Et regale decus.

Dicebam quoque illam Deam, quocunque eam nomine vocari fas fuerit, quæ Apuleium è bruto humanæ maieſtati reddidit, ab ipſo ornari ea corona, quam ipſe vocat multiformem; vt credibile eſt propter diuerſitatem earum rerum quæ inibi inſculptę fuerant. (Apul. lib. 11. Metam.) In huius coronæ rotunditate fuit ſpeculi, ſeu potiùs lunaris luminis imago. Id quod verè dixeris præcipuum inſigne eius coronæ, quo repræſentabatur illa tanta vis eius Deæ, quæ beſtiam homine commutare potuit. In mitra ſummi Pontificis fuit lamina. In ea lamina, vt infra dico, fuit inſcriptum nomen quod eſt ſupra omne nomen. (Clem. Alex. Stromat. li. 5.) Quis vltra dubitet hanc inſcriptionem fuiſſe inſigne illius mitræ? Annon in capite, inquit Philo eſt πέταλον χρυσοῦ καθαρόν, lamina aurea pura, ἔχον ἐκτύπωμα σφραγῖδος habens effigiem ſigilli, ἁγίασμα κυρίῳ, purificationem domino? (Philo π. ἀποιx.) Hic ipſe ſcriptor alibi ait, hanc laminam fuiſſe auream, & fabrefactam ſicuti coronam, habentem quatuor ſculpturas eius nominis quod illis tantùm fas eſt audire qui habent aures & linguam ſapientia purgatam. (Philo π. β. Μωσ.) Adeſt & illa corona qua Caligula donauit comites, & participes victoriæ. (Sueton. in Calig.) Huic nouo generi coronarum nouum quoque nomen inditum. Cùm enim eſſent diſtinctæ ſolis ac lunæ, ſyderumque ſpecie, vocatæ ſunt exploratoriæ. Ipſe quidem puto, effigiatum ſolem, lunam, cætera ſydera fuiſſe peculiaria inſignia talium coronarum. Eas item, vt meus fert animus exploratorias Caligula vocauit, quòd vt cæleſti ſyderum fulgore omnia explorantur, ita illa tanta ſpecie is teſtabatur, ſibi quidem eſſe exploratam, hoc eſt, ſatis ſuperque ſpectatam virtutem illorum, quos talibus coronis honeſtaſſet. Pauſanias eſt autor, in Corintho apud Mycenas, Deæ Iunonis ſignum in ſolio ſedere eximia magnitudine ex auro & ebore, opus Polycleti. (Pauſan. lib. 2.) Capiti huius ſigni corona impoſita eſt, quæ Gratias & Horas artificioſè factas habet. Quidni dicam, illas & Gratias & Horas eſſe inſigne illius coronæ? Alia quoque ſpecie Iunonis coronam effigiatam inuenio apud Martianum Capellam. *Ipſa verò* (Martian. Cap. lib. 1.)

[Iuno] *tecto capite, lacteo quodam galumnate prænitebat. Cui gemmis inſitum diadema pretioſis. Nam neque Scythidis vireta, nec Ceraniorum vibrãs, fulguranſq; lumen, nec fluctîcolor hyacinthi credebatur abeſſe profunditas. Sed totum illud ſertum capitis fulgurantis Thaumantias obtuliſſe regina cœlitum ferebatur.* Tales coronas imitatione Dearum ſumpſerunt ſplendidæ mulieres, quibuſque curæ eſt, vt cœleſti quodam fulgeant ornatu. Zonaras tradit, triumphantes militibus largiri ſolitos coronas aureas & argenteas, in quibus præclara illorum facinora, quibus dabantur, inſculpta erant. Nempe, inſigne coronæ apertè teſtabatur quodnam eſſet iudicium illius qui munus mitteret, de eo cui mittebatur. Supra quoque in Germanica Domitiani corona dixi fuiſſe effigiem Iouis ac Iunonis, Mineruæque, ſicuti potiorum, fortiorumque numinum, quæque adeò rei Romanæ præſiderent, perinde ac ſi is ea corona profiteretur, ſe & magnitudinem imperij, ſeque ipſum Ioui acceptum referre. Niſi fortè ex ingenio illius monſtri quiſpiam ſuſpicari malit, illum animo tam dirum facinus concepiſſe, vt ſe eo cultu illis numinibus æquaret. In coronis Flauialium dixi fuiſſe imaginem huius ipſius Domitiani, vt rerum domini. Hæc illa ſunt quæ ipſe voco inſignia coronarum; quæ quamuis non animata, ſed effigiata, hoc demonſtrant ac declarant quod imagine tam viuace repræſentatur. Mihi nunc lubet quærere quodnam ſit inſigne regij diadematis. Illæ quidam coronæ, de quibus dixi, ita concinnantur, vt ſint veluti illuſtres tabulæ, ſiue nitidiſſima ſpecula, in quibus intueri licet qua virtute præclariſſimus quiſque ciuis potiſſimùm eniteat. Quidni hoc loco exquiramus, quibus laudibus cenſeatur ille omnium dignitatum apex, quem regium dicimus? *Lucian. amor.* *Zona. Camillo.*

CAPVT XI.

De forma laminæ. De gemmis quæ ſunt in lamina diadematis. Prudentij locus fortè emaculatus, certè explicatus. Quid in lamina aurum, quid item lapilli ſignificent. Excellentia lapillorum. Ad regem monitio.

REGII diadematis lamina, vt ſupra de corona dixi, eſt forma circulari, &, quomodo cæteræ naturæ perfectiones, corrotundata. Hanc laminam Græci vocant πέταλον, vt apertè colligimus è Philonis & Clementis Alexandrini locis, ſupra citatis vbi deſcribitur inſigne capitis Pontificij Nomen enim quod eſt inſcriptum ἐν πετάλῳ in lamina, dignum fuit habitum quod eſſet ſuper omnem principatum & poteſtatem. In hac laminæ rotunditate, hoc eſt, in illo toto diadematis circuitu, qui capiti proximus caput euincit; *Clem. Alex. Stromat. lib. 5.*

Ezech. cap. 28. & Apoc. 21. Refert Hieron. ad Fabiol. de veſt. ſacerd. Martian. Cap. lib. 1.

aſpiciuntur duodecim fulgurantes lapilli, vt in hoc ipſo, de quo loquimur, Pontificio. In ſingulis lapidibus duodecim tribuum ſculpta erant nomina. *Hos lapides*, inquit Hieronymus, *in diademate principis Tyri, & in Apocalypſi Ioannis legimus. de quibus extruitur cœleſtis Hieruſalem, & ſub horũ nominibus & ſpecie virtutum vel ordo, vel diuerſitas indicatur.* Vide Martianũ Capellam pingentem coronam Iunonis non penicillo, ſed his verbis, *Erat illi in circulum ducta fulgens corona, quæ duodecim flammis ignitorum lapidum fulgorabat. Quippe tres fuerant à fronte gemmæ, Lychnis, aſtrites, & ceraunos, quæ eius effigiem reuerendam à cognitione conſpicientium vibrantes radiorum fulgoribus occulebant. Quarum alia cancri cerebro, leonis oculis altera, Geminorũ frõte aſſumpta tertia dicebatur.* Deinde pergit enumerare alios lapides quos in hanc coronam Ver & Autumnus contuliſſe dicebatur. Denique addit, *Poſterior autem pars coronæ hydatide adamãte, & criſtallo lapidibus alligabatur. Hos enim hyems vndoſa genuerat.* Cæterùm huius rotũditatis quarta tantùm pars aſpicienti eſt aduerſa. Et in hac quidẽ aſpectui propoſitę ſunt gemmæ tres; in quibus eſt illa quæ in hoc hemiſpherio media eſt, eximij ſplendoris, etſi omnes æqualiter coruſcare exiſtimantur. Hanc voco primam partem laminæ, quia prima ſeſe offert aſpectui. Prudentius in diademate agnoſcit tres haſce gemmas; non quòd ibi ſolæ ſint, ſed quòd primæ oculos feriunt.

Prudent. peri-ſteph.

Tu tribus gemmis diadema pulchrum.
Offeres Chriſto genitrix piorum.
Tarraco, intexit cui Fructuoſus.
Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ ſtrophio illigatum eſt. [puto ſic legendum, Nomine hoc gemma eſt ſtrophio illigata.]
Emicant iuxta lapides gemelli.
Ardet & ſplendor parilis duorum
Igne coruſco.

Vbi ſutile vinclum eſt gemma laminæ aſſuta, quà diadema clauditur & ſubnectitur ſicuti fibula. Cuiuſmodi eſt Virgilianum illud,

Virgil. 1. Ænei.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Quæ Virgilio eſt fibula aurea in veſte, Prudentio in diademate eſt gemmea, eaque media. Cùm ergo diademati aſſuantur tot opes, non mirum eſt diademata vocari diuitia texta, hoc eſt ditata pretioſiſſimis lapillis, vt apud Ouidium,

Ouid. lib. 3. de Ponto.

Barbara iam capti poſcant inſignia reges,
Textaq; fortuna diuitiora ſua.

Sunt ergo iſti laminæ lapilli globuli quidam ſtellantes, quorum igneis luminibus totũ diadema perfunditur accenſa inter ſociatos, diſpoſitoſque lapillos æmulatione. Nempe ibi certatim nitores

fluctuant, rubores coruſcant, virores gemmant, colores ſcintillant, illi præcipuè quatuor, quorum diuerſitates anni tempeſtatibus aſſimilantur. Et quidem *praſinus*, inquit Caſſiodorus, *virenti verno, Venetus nubilæ hyemi, roſeus æſtati flammee, albus pruinoſo autumno dicatur.* His comites adſunt illi qui fiunt ex horum promicante miſtura, quæ oculos leniter compunctos iucundè paſcit; eoſque illo ipſo momento, eodem ictu fruſtratur, ſollicitat, hilarat. Hæc eſt illa excellens forma, ille opulentus & operoſus ornatus aurei illius vinculi, ſtrophij, bracteæ, laminæ; vnde regium caput aureſcit, frons gemmaſcit, rex totus niteſcit & floreſcit; cuiuſmòdi Virgilius facit Auguſtum,

Caſſiod. Var. lib. 3. ep. 51.

——geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumq́; aperitur vertice ſydus.

Virgil. 8. Æneid.

Atque hæc quidem omnia nihil ſunt niſi imitamenta naturæ. Lapilli inſeruntur auro, quòd huic metallo plerunque connaſcuntur, vt de beryllo & de ſmaragdo traditum. Vterque enim ἐν τοῖς τοῦ χρυσοῦ μετάλλοις ἐγγίνεται in aureis metallis innaſcitur. Aurum lapillis adhærere docet Plato, quaſi inde efflorescentem ramum: Auro ſignificatur culmen regium; lapillis regiæ virtutes. Aërei præcipuè coloris lapilli honeſtando diademati eliguntur, vt ſe rex euehat ſuper ea quæ terreſtria ſunt & humilia, & caput inſerat cœlo, propemodum vt omni mortalitate maior, & ſublimior: Pudeat eum hærere in ijs quibus cætera mortalitas detinetur. Siquidem hæc loca quæ incolimus, aliud ſunt nihil niſi maculæ, ſordes, ac tenebræ, è quibus eſt emergendum illi, cuius exemplo; cæteris eſt contendendum ad illam puritatem quę cœlo eſt affinis. Hoc, inquam, ſignant gemmæ coloris aërei, quales ſacra hiſtoria adnotauit fuiſſe duos illos lapillos, qui honeſtabant veſtem ſummi Pontificis, nempe ſmaragdos, tum illos duodecim quos is geſtabat circa pectus. Tales propemodum fuerunt illæ gemmæ quibus Curopalates adnotauit, Manuelem & Ioannem Aſanios donatos fuiſſe à Catacuzeno imperatore, cùm Sebaſtocratorum dignitate honeſtati ſunt. Huc ergo pertinet ſublimis illa gratia diadematis, illa, prope dixerim, inacceſſa, viſenda, inuitatrix regiæ coronæ pulchritudo; illæ tot gemmeæ dotes, quarum minima acceſſio aurum eſt, illæ vix alibi ſurgentes flammulæ, tot ſtellulę, tot luminum aſpergines, tot veri, tot dubij & ancipites, tot rediuiui in ſua varietate colores, nunc ſyderum, nunc diluculi, nunc auroræ, nunc ſurgentis, nunc meridiani, nunc ſeſe condentis ſolis imitatores ſe vicibus excipientes, ita mutabiles vt ſe oculis priuſquam ſatient, ſubducent, eodem inquam momento naſcentes & vaneſcentes, roſeos, croceos, purpureos

Strabo lib. 16.
Plato in Timæo.
Plato in Phæd.
Philo π. β. Moy.
Curopal. de off. Conſtant.

igniculos in proximum ſpargentes, naturæ gratiſſima ſpectacula, in ſpectaculis miracula, quæ oculos quamlibet ſegnes, in ſe cupidiſſimè conuertunt. Hinc rex hoc diſcere debes, hanc tantam naturæ maieſtatem coactam in locum tam anguſtum eſſe luculentiſſimum ſpecimen maieſtatis tuæ, quę tibi conficitur è virtutibus ita iugiter contextis, vt vna videatur. Vna tamen plures oſtendat. Quod autem hi lapilli ſignent regias virtutes, non aliunde ſciri poteſt luculentiùs quàm è verbis Ezechielis prophetæ, quæ hîc adſcribere, mihi viſum eſt magnum operę pretium. *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens, Fili hominis ſume lamentationem ſuper regem Tyri, & dic ei, Sic dicit Dominus Deus, Tu es omnibus numeris abſolutum exemplar, plenus ſapientia, conſummata pulchritudine. In delicijs hortorum Dei fuiſti. omnis lapis pretioſus vmbraculum tuum, ſardius, topaſius, adamas, hyacinthus, onyx, iaſpis, ſapphirus, carbunculus, ſmaragdus & aurum, &c.* Et paulò poſt, *in medio lapidum ignitorum deambulaſti.* Equidem ſic puto, prophetæ pretioſum vmbraculum lapillorum eſſe coronam regiam, qua regnantis, ſcilicet, caput vmbratur. Itaque vt inſignia tantæ potentiæ regem faciunt eminentiorem vniuerſis, ita virtutes eæ, quæ conueniunt in tantam amplitudinem, eum vniuerſis debent facere ſanctiorem & auguſtiorem. ô quanta deformitas eſt capitis illius quod huic tanto geſtamini impar deprehenditur! Scitè Athenæus & verè, Fieri, inquit, non poteſt vt caput cuiuſlibet homunculi cingatur diademate amplo ac diuino. Vt virtus in quolibet, etiam tenuiſſimo, deſideratur, abs te, rex, nemo non exigit ingentia animi bona. Vt cœleſtia lumina temperant vniuerſum orbem, ita regię virtutes iſtam adminiſtrationem tuam. Vt cœleſtes pulchritudines iſtis lapillis repræſentantur, ita tuum eſt, longè lateque tectorem imperij virtutibus oſtentare. Vt ſupra dixi, fulgore coronæ Ariadnææ Theſea eductum è labyrintho, ita lux tuæ mentis omnem errorum ac miſeriarum caliginem ex hominum cœtu diſpellat neceſſe eſt. Hoc aſſequere, ſi hominibus præeris non vt homo, ſed vt lex. Ita tamen vt te hominem eſſe nunquam obliuiſcaris. Hac ratione Reſpublica in tuum ſinum confugiſſe dicetur vt eam foueas, non cecidiſſe ſub tuis pedibus vt eam premas. Enimuero in hoc potiſſimùm hę regiæ virtutes conſiſtunt, vt rex priùs exemplo doceat, quàm vi cogat. Secum cenſoriè, cum alijs placidiſſimè agat. Tantum oderit eſſe dominus, quantum affectat eſſe pater. Quo maior eſt, hoc ſit caſtior; quò eminentior, hoc beneficentior; quò potentior eò temperatior. Non ſe tantùm cogitet, imò ſe minimùm. ſibi pręponat vniuerſos; ita pertimeſcat ſuſurros præſentium, vt potiſſimùm vereatur

Ezechiel. c. 28.

Athen. lib 15.

German. in Commen. phænom. Ar. Hygin. Aſtron. lib 2. in Cor.

iudicia ſerę poſteritatis. Quantum poſſit, polleatque nunquam experiatur nocendo, ſed iuuando. Vno fortiſſimo vinculo conſtringat regium apicem, ſecuritatem ſuam, & ſtudia populorum, ſua, ſcilicet, innocentia. Vt in diademate nihil eſt ſordidum, abiectum, vile, ita ipſe nihil admittat quod regijs virtutibus admoueri nefas ſit. Fidem faciat, ſummas virtutes omnia poſſe in ſummo faſtigio. Huc referat vſum tot cognatorum lapillorum, totque ignium ſcintillantium, vt lumen ſuę mentis ſibi & vniuerſis illuceat. Id quoque ſciat, laminam diadematis eſſe forma circulari, hoc eſt perfecta, vt intelligat non ſibi licere quicquam tentare quod non idem feliciter impleri poſſit. Nec item ſibi ſatis eſſe velle honeſta, niſi perficiat. Fœda ſunt in rege documenta voluntatis inualidæ. Prudenter, & ſuo more Caſſiodorus, *Non decet principem loqui quod non videatur poſſe compleri.* *Caſſiod. Var.*

CAP. XI.

Coma laminę. Maiorum memoria colitur in poſteris. Mos geſtandi diademata à maioribus parta. Coma regię laminę eſt imitatrix quercea frondis & corona ciuicę. Vigilantia & prouidentia ſunt regię virtutes.

INTER inſignia diadematis non ſolùm illa pono quæ inſculpuntur laminæ, verùm etiam floreſcentem & comantem illam ſpeciem quę è lamina emergit, eique ſuperadditur. Id quod nihil aliud eſt niſi imitamentum querceæ coronæ, hoc eſt ciuicæ. Imitamentum, inquam. Nam querceæ ſiue ciuicę decus non egrediebatur perſonam. At hodie illud nequaquam eſt ſolùm decus illius cuius virtute partum eſt, ſed & liberorum, familiæ, gentis, ac veluti per manus traditur longæ poſteritati. Sic ſolent homines. Quæ maiores pepererunt, ea ſibi ipſi vindicant, non prædia tantùm, non ceteras opes, ſed & ipſa inſignia dignitatum, & ambitioſos titulos, imagines, nomen, gloriam, protegendis, ſcilicet, opibus, intendendæ, propagandæ, æternandæ potentiæ. Id quod fauori poſterorum non magis dari puto, quàm honori illius qui meruit vt poſteros haberet, vt & in poſteris coli poſſet. Id quod diuina æquitas ita, ſcilicet, ſtatuit, ut eminente virtute homines, quos, dum viuunt, liuor plerumque habet ludificatui, debito honore fraudentur. Nam quotuſquiſque, etſi memoriam apud poſteros meritus vir, non ab ſua ætate aut ignoratur, aut ridetur, aut contemnitur? Vbinam ille eſt optimè de genere hominum meritus, cui non hoc noceat quod viuit? Vbi liuorem latere

putas, niſi ſub vmbra virtutis? Et quidem hodiernę malignitati pudor eſt ſocordia, modeſtia ignauia, fortitudo temeritas, nullo ſui reſpectu ſeruire commodis vniuerſorum, ea verò ſumma dementia; Profiteri probitatem lingua, geſtis, moribus, eſſe omnium hominum inſulſiſſimum. Ergo, inquis, ſic abit indonata, imò contempta & inriſa virtus, hanc dico quæ nondum eſt ſubducta oculis, & in media luce verſatur? Propemodum. Neque enim hodie, vt quidam ait, licet ſperare meliora. Philoſophanti omnes Dij ſunt irati. Hæc eſt illa ætas qua diuinus Plato ferrum argento, æs auro commixtum eſſe dixit. Cùm mortale genus eſt ſpei profligatiſſimæ. Quod ſi nulla æquitas humana reſpiceret, prope eſſet vt faterer, non tanti eſſe virtutem, ad quam eundum eſt per iter tam confragoſum; cuius denique

Syneſ. ep. 102. pauculis mutatis.

Plato lib. 8. de Repub.

Epigr. lib. 4.

—— penitus fellitus, amarans:

Ora ſapor nil dulce tuo ſinit eſſe palato.

Ad te ergo ô diuina æquitas omnium præmiorum diſpenſatrix, tuumque ſub patrocinium confugit quantum eſt hominum qui militant in caſtris virtutis, quibus æra ſubducuntur à malignis quæſtoribus, ſtipendiorum interceptoribus; quorum nequitia fit, vt quantum eſt laborioſa, tantundem ſtrenuis ſit ſterilis & infructuoſa militia. Tuum eſt tuos milites, atque adeò tuos tam exercitos contubernales ſeruare iudicijs & honori poſteritatis; cuius certa ſpes fouet hîc tam malè intellectos, peiùs æſtimatos, peſſimè acceptos. Poſteritatem cùm dixi, non tantùm vniuerſos dixi, ſed potiſſimùm liberos, nepotes, minores, quos diuina bonitas in hoc videtur ſeruare, vt in his ea cumulatè rependantur, quæ prioribus iniquè ſunt erepta. Nam liberi, ſi patrum veſtigijs inſiſtunt, ſunt certiſſima loca huius memoriæ tam nobilis, tam amabilis & venerabilis. Magnæ virtutis proprium eſt, non cohiberi intra vnum tramitem, ſed extendi, & procedere. Nulla ergo inuidia, imò ſumma æquitas eſt, poſteros præ ſe ferre inſignia eius virtutis, quę illos, quibus prognati ſunt, nobilitauit, ne in ipſis eadem virtus, expunctis ſuæ præſtantiæ notis, deteratur & expungatur. Quibus retentis, eâdem ipſa cenſetur renouari, inſtaurari, æternari, & quidem per nobiliſſimos traduces. Abſurdum eſt, inquit Ariſtoteles, res poſterorum nihil ad ſuos maiores pertinere. Hæc intima cauſa eſt, quapropter mihi quidem non improbatur mos iamdiu receptus geſtandi coronas & diademata à maioribus parta, vt nobiliſſima ſigna eminentiſſimæ virtutis. Quæ, ſcilicet, aſſerunt poſteros in honorem illorum qui ipſis iſta reliquerunt. Nec tamen hinc ſe iſti nimiùm circumſpicere debent. Nempe homines intelligunt hæc ſæpiſſimè eſſe dubia, fallacia, mendacia virtutis argumenta.

Ariſtot. lib. 1. eth. c. 10.

Certiores

Certiores quædam ſunt vindiciæ aſſerendæ veræ prolis, nempe magna & præclara, & frequentia experimenta patriæ, & auitæ virtutis,

——perit omnis in illo
Nobilitas, cuius laus eſt in origine ſola, *Lucan. in Paneg. ad Piſonē.*
Felix qui tantis animum natalibus æquas.
Et partem tituli, non ſummam ponis in illis.

Itaque vt quercea fronde victoriam ſignari dixi, eaque quæ victoriæ ſunt indiuidua, triumphum & felicitatem, ita hæc ipſa frons attexta laminæ diadematis hæc tanta bona efficaciùs ac luculētiùs demonſtrat. Frons Iouis regem admonet, ipſum eſſe in terris id quod Iupiter eſt in cœlo, Ergo ſicuti regnum eſt negotium, vt ait Hippodamus, θεομίμητον Deo ſimile, ſiue imitatione diuinitatis inſtitutum, ita rex eſt viſibile quoddam, præſens inquam, ac ſalutare numen, cæteris maius, ſublimius, fortius, atque adeò & ſanctius & auguſtius. Vt Deus eſt mens mundi, ita rex eſt anima regni. Querceam coronam vnus ille adipiſcebatur qui ciuem in prælio ſeruaſſet. Rex geſtor querceæ hinc docetur, ſummæ curæ vnicum eſſe finem, ſalutem vniuerſorum. Salus publica in hoc conſiſtit, vt omnes clades, omneſque peſtes auertantur à publicis, priuatiſque ceruicibus. Huc ſcilicet, regē impellit charitas amorque Reipub. Hinc progignuntur duæ virtutes iſti tam arduæ ſtationi neceſſariæ, Vigilantia & Prouidentia. Vigilantia eſt propria Iouis à quo ſunt reges. Hic enim alijs dormientibus ſolus vigilat.

Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος. *Homer. Iliad. β.*

Iouem non cœperat dulcis ſomnus, id eſt, Iupiter non ſolùm fuit inſomnis, ſed & peruigil. Prouidentia, ſi vt poëtę Iouem faciunt εὐρύοπα latè videntem, ita rex ad ſuam curam maximè pertinere arbitrabitur, omnia ſcire tam longinqua quàm proxima, tam imminentia quàm præſentia, tam occulta quàm patentia. Denique ſuadeo regi vt priſcum Ianum imitetur, qui *geminam faciem prætulit, vt quæ ante, quæq; poſt tergum eſſent, intueretur.* Habeat regij culminis indiuiduas comites Anteuortam & Poſtuortam. Hinc cenſebitur dignus qui iſta geſtet quercea folia felici germinatu luxuriantia, ac ſpecioſo diſpoſitu renidentia, eademque vmbrantia regiæ frontis vinculum, quæ hodie eſt aurea lamina.

Heſiod. Θεογον.

Macrob. lib. 1. Sat. cap. 7.

CAPVT XII.

De margaritis quæ inſeruntur alijs opibus laminæ. Pro quercea fronde laminæ alia inſignia ſuperponuntur. Alia decora laminæ quid ſignent. Acumina alijs laminæ ornamentis inſerta.

QVÒD aurificum arte tantus eſt regię coronæ decor, vt alternæ inter quercea folia candicent margaritæ, ea quoque eſt regi ſeria admonitio. Vt quercus eſt index ingentis victoriæ, ita margaritæ ſignant opes, eamque temporum felicitatem quam victoria peperit. Hanc ſi princeps præſtiterit, ipſe omnium laudum, Reſpub. omnis felicitatis cumulum adepta fuerit. Non deſunt reges qui pro folijs quercinis aliud inſigne adſtruunt laminæ illi coronariæ. Neque enim in lamina tantùm ſculpuntur inſignia diadematis, ſed & adduntur ſuperiori oræ laminæ. Hîc quoque inſigne voco illud, quo vna quæque res ab alia diſcriminatur. Hoc docent verba M. Tullij, vbi loquitur de luminibus orationis, *Sunt*, inquit, *ſimilia illis quæ in amplo ornatu ſcenæ aut fori appellantur inſignia, non quòd ſola ornent, ſed quòd excellant. Eadem ratio eſt horum quæ ſunt orationis lumina, & quodammodo inſignia.* Et verò non ſolùm in ſcuto Chriſtianiſſimi regis domini noſtri clementiſſimi fulgent cœleſtia lilia, quod eſt inſigne regum & regni Gallici, ſed ſcuto ſuperadditur auguſtum illud diadema, quod eſt ſingulare & proprium familiæ multis nominibus auguſtæ. Lamina huius diadematis non ſolùm tota ſcintillat coruſcamine pretioſiſſimorũ lapillorum, ſed è ſuperiori eius ora vndique conſurgunt lilia ſupra fulgorem puriſſimi auri candentia. De lilij dotibus & excellentia non repeto illa quæ ſuperiùs mihi dicta ſunt. Hoc tantùm dico, in vniuerſo cenſu Floræ nihil eſſe nobilius, purius, pretioſius hoc flore. Lilijs omnis ille ſuperior ambitus regiæ faſciæ ditatur, vt è crebritate diuini floris & nobilitas tanti regis, & Gallici nominis maieſtas intelligi poſſit. Anglici reges in vtraque extremitate laminæ, tum in ipſa eius medietate collocant crucem, luculentum inſigne Chriſtianæ pietatis. Hoc inſigne veriſimile eſt eſſe imitamentum illius quod Phocas geſtaſſe dicitur. In illo enim medium, eundemque eminentiſſimum locum diadematis crux occupat. In diademate regis Granatę eminent granata, credo, indicandę vbertati quæ eius ſoli propria eſt. Alij alia decora ſuis coronis inſerunt, quorum frequenti aſpectu admonentur eius decoris quod in ſua familia inlibatum ſeruare debent. Nemo, opinor dubitat, illa lilia,

Cic. in orat.

crucem, granata eſſe inſignia horum diadematum. Enimuero vt cithara diuerſitate ſoni blanditur auribus, ita diadema vária luce nobiliſſimorum inſignium oculos detinet; vt hic tam opulentus aſpectus penetret penetrale regis, eique identidem ſuggerat, Memento qui ſis; quantum debeas Deo, Reipub. nomini maiorum, tibi, familiæ, poſteriſque tuis. Vt talis contuitus implet quidem oculos, ſed non ſatiat, ita virtus regis erigit homines, fateor, in admirationem ſui; nihilominus tamen vſque dimittit cupidos identidem videndi eius, quem auidiſſimè vidiſſe, nihil eſt aliud, quàm priori auiditate inuitare nouam. His accedit, quòd multiplice & artifice textura, miſtura, diſpoſitu auri, germinãtibus folijs, erumpentibus frondibus, conſtipatis tot vnionibus, tot lapillis & margaritis ſuper lamina diadematis condecoratur ſublimis ille vertex, cui non ſolùm concedunt, ſed & adſurgunt omnia faſtigia dignitatum. Hinc quoque ſignatur conſenſus vniuerſorum in obſequia illius, qui omnium commodo inuentus eſt. Nempe è collatis ſingulorum non tantùm ſuffragijs, ſed ſtudijs & opibus conficitur & conſurgit illa ſublimitas diadematis pulchritudine ſpectabilis, opere & artificio mirabilis, pretij inæſtimabilis. Quidam ſupra illam laminæ ſeriem inſigniis coronę inſerunt quædam acumina, ſiue apices acuminatos, interdum nudos, interdum vnione, aut tribus vnionibus cumulatos. Hos ego apices, ſiue acumina puto eſſe imitamenta radiorum, quibus priſca regum diademata fulſerunt. De his dico capite ſequenti.

CAPVT XIII.

Radij diadematis duodecim. Martianus Capella emendatus. Lux ſolis radiata. ἀκτινοβολία. Radios, capiti decus, vnde principes Romani ſumpſerint. Corona ſtellata tributa Cæſari. Gloria in Catholicis eccleſijs quid. Romanorum principum quis primus caput diademate euinxerit. Alij Romani principes geſtores diadematis. Error Seueri Sulpitij. Magni Hetruriæ Ducis diadema eſt radiatum.

CORONAM ſiue diadema radiatum dixi fuiſſe geſtamen priſcorum regum. Hi enim vt ſe facerent auguſtiores, caput quiſque ſuum cùm non poſſet ipſa cœleſti luce, at eius imitamẽtis, & effigie radiorum inſigniuit. Iſti radij emicant ex aurea lamina, quæ ſicuti faſcia circumplectitur caput regis. Cæterùm hos radios fuiſſe duodecim Virgilius tradit de rege Latino loquens in his verſibus,

Virgil. lib. 12. Æneid.

—— ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru; cui tempora circum
Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt,
Solis aui ſpecimen.

Artemid. lib 4. cap. 55.

Hoc ipſum alij firmant. Et quidem Artemidorus refert ſomnium cuiuſdam, qui ſibi videbatur ſol eſſe factus, putabatque ſe per forum incedere conſpicuum vndecim radijs. Hic, inquit, exercitui impoſitus, in eoque imperio tranſactis vndecim menſibus, obijt, quòd perfectum radiorum numerum non habebat. Id ipſum tradit Martianus Capella de ſole hæc canens,

Martian. Cap. lib. 2.

Nonne hæc principio geminum tu dans tetrachordon, [lego, *tundens tetr.* i. pulſans lyram quatuor fidium]
Solem te Latium vocitat, quòd ſolus honore
Poſt patrem ſis lucis apex, radijſq; ſacratum
Bis ſenis perhibent caput aurea lumina ferre,
Quòd totidem menſes, totidem quòd conficis horas.

Sen. in Oed.

Hieron ad Fabiol. de veſt. ſacerd.

Bis ſenos eſſe oportuit ea re quòd ſol, cuius iſti radij ſpeciem referunt, vt ait Seneca, *Bis ſena ſigna curſu vario regit*, & nunquam non in aliquo horum ſignorum, ſicuti in propria ſede conſiſtit. His affine illud eſt quod tradũt priſci theologi, qui duodecim lapides additos veſtimento ſacerdotis interpretati ſunt vel Zodiacum circulum, vel duodecim menſes. Cæterùm lux ſolis proprio epitheto dicitur radiata, vt apud Dracontium.

Dracont. de opif. V. dier.

Veſpere nocturno hac radiata luce rubentem
Purpureis abſcondit aquis, redditq; diurna
Depoſitum natura ſuum ſub nocte ſepultum,
Mane reſurgentem de fluctibus orbe recepto.

Plutarc. περὶ ἤχου. ἀπόδ.

Plaut. Stichon.

Hanc radiationem Græci vocant ἀκτινοβολίαν. Noſtris caput ſolis eſt radioſum. Plautus,

Poſtquam me miſiſti ad portum cum lucu ſimul
Commodum radioſus eſſe ſol cœperat ex mari.

Martian. Cap. lib. 1.

Hæc ſolis tela Martianus Capella deſcribit his verbis, *Solis anguſtum caput radiis perfuſum, circumactumq; flammantibus, velut auratam cæſariem rutili verticis imitatur. Hinc quoque ſagittarius; hinc quoque vulnificus, quòd poſſit radiorum iaculis iſta penetrare.* Et alibi, *Interea tractus aëreos iam Phœbus exierat, cum ſubitò vitta crinalis immutari in radios; laurusq; quam dextra retinebat, in lampadem mundani ſplendoris accenditur.* Hanc ſolis maieſtatem phœnix auis repræſentare dicitur; nempe cuius alæ mixtæ ſunt auro & purpura; at collum & caput reſtantur ſolem dominum. Quippe coronatur pulchro circulo, qui circulus eſt coronamentum ſolis. Hanc ipſam tam admirabilem diuini capitis formam, totumque

adeò ſolem effingit Prudentius, vbi ait, ſolem à gentibus factum eſſe Deum, quòd mundum flammanti lumine conuenuſtat.

Hoc ſydus currum, rapidaſq́; agitare quadrigas
Commenti, & capitis radios, & verbera dextra,
Et frenos, phaleraſq́, & equorum pectora anhela
Æris inaurati, vel marmoris, aut orichalci
Juſſerunt nitido fulgere polita metallo. — *Prudent. lib. 1. contra Symmach.*

Neque verò ſol tantùm, ſed & cætera numina, & numinum imitatione principes Romani hoc cœleſte capitis decus aſſumpſerũt. Id, videlicet, à C. Iulio Cæſare deſumptum videtur, cuius ſimulachrum, vt ab Auguſto eius ſucceſſore traditum eſt, *criniti ſyderis, quod in regione cœli per ſeptem dies apparuerat, inſigni in foro conſecratum eſt.* Hinc eſt quod corona ſtellata ei tributa eſt, id eſt, conſtans è ſtellis. Silius Italicus, — *Plin. lib. 2. c. 25.*

——— ille Deûm gens — *Sil. Ital. lib. 13.*
Stelligerum attollens apicem Troianus Iulo
Cæſar auo.

fortè imitatione Lycophronis qui Iouem vocat Cretæ imperatorem ſtellatum.

——αἰχμάλωτον ἤμπρευσαν πόριν — *Lycoph. Caſſ.*
Ἐν ταυρομόρφῳ τράμπιδος τυπώματι
Σαραπίαν Δικταῖον εἰς ἀνάκτορεν
Δάμαρτα Κρήτης ἀστέρῳ στρατηλάτῃ.

captiuam traxerũt iuuencam in tauriformi nauigij typo Sarapiam Dictæum in regium ſtellato Cretæ imperatori. Scio quoſdam ex interpretibus legere ἀστείῳ, quod faciunt nomen proprium. Id quod quia mihi parum probatur, retineo veterem lectionem. Cæterùm hanc radiationem, ſicuti expreſſam diuini capitis ſimilitudinem maximi viri, quibus videlicet, decreta fuit, libenter vſurparunt; vt videre licet in illo fictitio & adulatorio decreto quod eſt apud Lucianum his ferè verbis, His de cauſis omnibus viſum eſt, curiæ, plebi, magiſtratibus tributim, plebeijs ſingulatim, communiter vniuerſis aureum ſtatuere Timonem iuxta Palladem in arce, fulmen dextera tenentem, radijs tempora ambientibus. vtq; ſeptem aureis coronis coronetur; hæque coronæ hodie in Dionyſijs per tragœdos nouos promulgentur. Vbi videmus, radios diſtingui à coronis, id eſt, diadema radiatum ab ijs coronis quæ viris de Repub. optimè meritis dabantur loco præmij. Inuenio tamen & coronas radijs ſociatas, hoc eſt, radios immixtos reliquo decori coronarum; vt liquet ex his oraculi verſibus, quos idem Lucianus refert. — *Lucian. Tim.*

Πέρσαις, Ἀρμενίους τε θοῷ ὑπὸ δουρὶ δαμάσας, — *Lucian. Alex. ſeu Pſeudom.*

Νικήσεις Ῥώμην, καὶ Θύμβρειδος ἀγλαὸν ὕδωρ,
Στέμμα φέρων κροτάφοισι μεμιγμένον ἀκτίνεσσιν.

Parthis, Armeniiſq citato Marte ſubactis, Vrbem Romam repetes & claras Tybridis vndas, Vertice ſertum gerens radijs mixtum. Porrò quoties radiata corona princeps fulgebat, diuinitati quodammodo inſertus credebatur. Plinij hæc ſunt verba, *Horum vnum ſi præſtitiſſet alius, illi iamdudum radiatum caput, & media inter Deos ſedes auro ſtaret, aut ebore.* Tali ſe corona ornatum, vt diuino quodam miraculo memorat Apuleius; eamque deſcribit his verbis, *Ad manum dextram gerebam flammis adultam facem, & caput decorè corona cinxerat, palmæ candidæ folijs in modum radiorum proſiſtentibus. Sed ad inſtar ſolis exornatus,* &c. Huiuſmodi corona Tertullianus ait, Chriſtum meritò vti potuiſſe, ſi caduci honores ei fuiſſent cordi. *Quis enim magis his vſus fuiſſet quàm Dei filius? Quales & quanti eum faſces producerent, qualis purpura de humeris eius floreret; quale aurum de capite radiaret, niſi gloriam ſæculi alienam & ſibi, & ſuis iudicaſſet?* Sed quem honorem Chriſtus, dum hîc ageret, repudiauit, eo maximè Chriſtiana pietas Deum & ſeruatorem ſuum cœlo receptum hodieque honeſtat. Nam & Chriſti caput, eorumque Chriſti militum qui inter decora cœli relati ſunt, aurea luce, permixto, ſcilicet, radiorum fulgore circumfuſum, cui nomen Gloriæ, in Catholicis eccleſijs viſendum proponitur. Credo, vt hinc admoneamur ſalutaris illius, & aurulentæ lucis, quam radiat Chriſtiana ſanctitas, ſicuti iubar ſub ortu ſolis. Et hæc non immeritò gloriæ corona dici poteſt. Qua videmus honeſtatas eas imperij Romani prouincias, quæ ſingillatim enumerantur & pinguntur in eo libro cui nomen, Notitia imperij. De hac corona Apoſtolus Petrus, referente locum Hieronymo, hæc ait, *Vt cùm apparuerit princeps paſtorum, percipiatis immarceſſibilem gloriæ coronam.* Et hoc eſt forſitan illud diadema quo Sophonias propheta donat angelos. Cæterùm tantæ ſublimitatis corona videtur fuiſſe ſupra excellentiam cuiuſlibet diadematis. Enimuero principes Romani, illi ipſi qui diu contempſerunt diadema, στεφάνῳ ἀκτινωτῷ radiata ſiue abſidata corona inſigniri voluerunt. Nam quia diadema regem demonſtrabat, cenſebant non eſſe notam idoneam ſignando faſtigio Romano; ne ſpecies principatus conuerteretur in formam regni. *Cùm parum abfuiſſet vt Caligula diadema ſumeret, admonitus eſt, principum & regum ſe exceſſiſſe faſtigium.* Nempe Romani principis maieſtas extabat ſuper omnia regna. In quarta regione vrbis Romæ *coloſſus fuit altus pedes centum duos ſemis. Habet in capite radia numero ſeptem, ſingula pedum viginti duorum ſemis.* Si hanc radiatam coronam

Plin. in Paneg.

Apul. lib. 11. Metam.

Tertull. lib. de idolol.

Hieron. epp. lib. 2. ep. 11. P. Petri. cap. 5. Clem. Alex. Stromat. lib. 5.

Philo πρεσβ. πρ. Γαι.

Sueton. Calig. cap. 22.

Poſt notit. imp. reg. 4.

eximas, diutiſſimè omni diadematum genere Romani principes abſtinuerunt, contenti laurea, vt hodieque eorum capita in numiſmatibus aureis, argenteis, æreis laureata aſpiciuntur, non diademata. Primus Aurelianus, fatiſcente imperio, & ab illo tam excelſo faſtigio vertente ſe in formam regni, & quidem vndique lacerati, apud Romanos *diadema capiti innexuit; gemmiſq́, & aurata omni veſte, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus videbatur, vſus eſt.* Hinc intelligimus, illos qui virtute, opibus, potentia florent, etſi non ſunt ſuorum inſignium contemptores, non tamen talium eſſe tam acres cupitores, vt illi ſunt degeneres. Nempe iſti quod re non habent, eius ſpecie mirificè adficiuntur. Defecti opibus, deſerti à virtute, derelicti à vero ſplendore toti ſunt in oſtentandis magnificis titulis, & nominibus non ſuis. Huius Aureliani factum inſequentes principes imitati diadema geſtarunt, vt de Conſtantino memorat Victor. *Is enim habitum regium gemmis, & caput, vt ſupra dixi, perpetuo diademate exornauit.* Idem prope de Iuliano refert Ammianus Marcellinus. *Is*, inquit, *ambitioſo diademate vtebatur, lapidum fulgore diſtincto. cum inter exordia principatus aſſumpta vili corona, qua circumdatus erat, Xyſtarchæ ſimilis eſſet purpurato.* Et quidem Aurelianum huius noui moris autorem fuiſſe, vſque eò verum eſt, vt Victori minimè demant fidem ea quæ ab alijs ſcriptoribus traduntur. Neque enim ſatis mirari poſſum quî factum ſit vt Seuerus Sulpitius ſcriptor tam nitidus, tamque accuratus in ſacra hiſtoria hæc de Veſpaſiano ſcripſerit, *Cum Hieroſolymam obſideret, ſumit imperium; &, vt mos eſt, diademate capiti impoſito, Imperator ab exercitu conſalutatus, Titum filium Cæſarem facit.* Eodem errore implicitum video Philoſtratum: qui inducens Apollonium Tyanæum alloquentem ipſum Veſpaſianum, ac diſſuadentem ne libertatem reddat populo Romano, ſed ipſe imperare pergat, ac confutantem ſententiam Dionis & Euphratis, ait, Quem heri imperatorem ab vrbibus hoc ipſo in templo coronatum, & iura populis dantem omnes viderunt, hodie videant per præconem edicere ſe velle, omiſſo imperio, reddere ſe otio, ac vitæ priuatæ? Credo vtrumque non priſcum Romanum morem ſpectaſſe, ſed eum, qui ſua ætate apud principes Romanos iam receptus eſſet, geſtandi, ſcilicet, diadematis, quomodo apud omnes reges. Quod tamen non verum fuit in Veſpaſiano; qui ſi fuiſſet nouo & inuſitato more diadematus, non hoc vtique vt inſigne prætérijſſent Suetonius, Tacitus, Dio, Xiphilinus, alij. Neque item moueor eo quod de Tito memorat Suetonius: *In ipſum*, inquit, *nata ſuſpitio eſt, quaſi deſciſcere à patre, orientiſq́*

Victor. in Aurel.

Victor in Conſtant.

Ammian. Marcell. lib. 21.

Seuer. Sulp. ſac. hiſt. lib. 2.

Philoſtr. vita Apoll.

Sueton. Tito, cap. 5.

regnum ſibi vendicare tentaſſet. Quam ſuſpitionem auxit, poſtquam Alexandriam petens, in conſecrando apud Memphim boue Api, diadema geſtauit. Quippe hinc quoque intelligimus id à Tito vſurpatum more non Romano. Sed cauſam huius facti addit ipſe Suetonius, *De more ſiquidem, rituq́; priſcæ religionis. Sed non deerant qui ſecus interpretarentur.* Id eſt, Titus priſco ſacrificantium ritu rem ſacram coronatus peregit. Id quod malignitas rumorum ſecus interpretabatur. Neque enim ipſum more ſacrificantium aiebant eſſe coronatum, ſed potiùs more regum diademate euinctum. Ne illud quidem obſtat quod de Heliogabalo Lampridius tradit, *qui voluit vti diademate gemmato*, nempe in publico, *quò pulchrior fieret; & magis ad feminarum vultum aptus; quo & vſus eſt domi.* E quibus verbis colligere licet, Heliogabalum vſurpaſſe rem nouam & inuſitatam, qui diadema & in publico, atque adeò domi geſtaret. Etſi & hîc, & alijs in locis quæ ſupra citaui diadema accipi poteſt pro corona, quod fuiſſe geſtamen principum à diademate diſtinctum vbertim dixi. Diadumenus quidem ita dictus eſt, non quòd aureo diademate caput euinciret, ſed quòd eum natura diademâtum fecerat. Habuit enim diadema *in ſpeciem nerui ſagittarij, tenue quidem, ſed ita forte, vt rumpi non potuerit.* Itaque fidei rerum conſentaneum eſt, priſcos Romanos principes, vt ſunt in numiſmatibus, quercea corona euinctos, vt Auguſtum; ſæpe laureatos, ſæpe fuiſſe radiatos; Denique nonniſi poſt Aurelianum diadematos. Laureas coronas hodierni principes retinuerunt. Radiatam, quod ſciam, vix hodie quiſquam vſurpat, extra vnum magnum Hethruriæ ducem, cuius magnificentiſſimi maiores, eminentes opes, & excellens potentia tali diademate, hac tanta cœleſtis nobilitatis nota luculentiſſimè repræſentatur. Quippe Pij V. Pontificis Max. primò conceſſu, mox & manu Coſmus radiatum hoc diadema accepit.

Lamprid. in Anton. Heliog.

CAP. XIV.

Sol eſt rex. Rex aſſimilatur ſoli. Rex eſt progenies ſolis. Sol eſt Ioue prognatus. Cur rex geſtet caput radiatum. Solis propria eſt bonitas & ſalus.

NVNC exequar proprios ſignificatus huius tam arctæ cognationis quæ regi eſt cum ſole, tum eius coronæ quam radiatam voco. Primùm aio, non potuiſſe Virgilium efficaciùs exprimere cœleſte genus regum, hoc eſt, originem regiæ dignitatis, quàm ſi ſub perſona Latini regis, reges faceret nepotes ſolis, qui

non

non ſolum rex eſt, ſed & ipſe Iouis ſatu, qui eſt rex regum, prognatus eſt. Solem eſſe regem, diſertim poëtæ profitentur. Sophocles,

> τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα
> αἰδεῖσθ' ἄνακτος ἡλίου.

Sophocl. Oed. tyr.

ſaltem omnia depaſcentem flammam veremini regis ſolis. Atque adeò ſapientiæ profeſſores firmant, ideo ſolem eſſe magnũ regem quod diem regit, quæ eſt media pars vniuerſi, ſicut luna & aſtra noċti præſunt, quæ eſt altera. Eadem ferè ratione qua illi ipſi aiunt, cœlum non abs re dici regem ſenſibilium. Fuit adnotatum, quemdam regem Perſarum donatum fuiſſe nomine ſolis, ea re quòd rex erat. Hoc autor etymologici. Sed Plutarchus id cuiuſmodi ſit, docet. Ait enim, Cyrum à priſco Cyro nomen ſumpſiſſe. Illi priſco Cyro nomen fuiſſe ab ſole. At Perſæ, inquit, Cyrum vocant eum qui nobis eſt ſol. Doctè & verè Æſopus ille priſca ſapientia inclytus. Is exceptus eſt à Nectenabò Ægyptio rege ea ſpecie qua excipiuntur legati magnorum regum. Nam rex regali paludamento amictus, & citari gemmato caput honeſtatus, tum primorum flore circumſeptus ſederat ſolio ſublimi. Ibi Æſopum rex his verbis eſt affatus, cui me incedenti, eoſque qui circa me ſunt, adſimilas? Te quidem, reſpondit Æſopus, ſoli verno, hos autem ſpicis pretioſis. Quo dicto rex vſque eò delectatus perhibetur, vt hominem admiratione, doniſque proſecutus ſit. Nimirum prudens rex tunc demum ſeverè eſſe regem agnouit, cùm homo ſapiens palam profeſſus eſt, in ipſo eſſe inſtar ſolis, quem nemo negat eſſe regem, ſi modò ſol, qui cæteris hominibus eſt πανὸς ſpectator, regi ſit καὶ ἀρχηγέτης, & dux & auſpex. Hoc Æſopi reſponſum propemodum ſimile eſt ſomnio Ioſephi. Is enim per quietem vidit ſolem & lunam, & vndecim aſtra procumbere ante ſe. Ibi Iacob pater, Num ego, inquit, & mater tua & fratres inibi ſumus vt te adoremus? Nam ſe patrem interpretatus eſt non ſolùm in domo & familia ſua, ſed & infinita poſteritate eſſe ſolem, vxorem ſuam lunam, vndecim filios, aſtra. Vſque eò magnificè, etſi verè, de ſe ſuiſque ſenſit magnus ille & γενάρχης, & πατριάρχης, & ἐθνάρχης. Cæterùm ſi ſol eſt rex, & pater aut auus regis, tum ſe rex vtrumque eſſe agnoſcit, & ſolis progeniẽ & regem; nempe ſolem ſole, regem rege editum. Qua nobilitate nulla verior, prærogatiua nulla maior, dignitate nulla excelſior,

> ἐκ γὰρ μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
> ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπιχθόνιοι βασιλῆες.

Phronut. in Apoll & Dia ſũt verſ. Heſiod.

E' muſis enim & longe iaculãte Apolline viri vates ſunt terreſtres reges. In hanc ſentẽtiam Plutarchus memorat Demoſthenis præclaram vocem. Superuentu Philoxeni vnius è præfectis claſſis Ale-

Etymol. *Philo π. κόσμ.* *Philo. π. τῆς εἰς τὰ προπαιδ. συν.* *Plutarch. Artax.* *In vita Æſopi.* *Ariſtid.*

xandri, aduertit Demoſthenes populum Athenienſem perculſum. Tunc enim fortè de auxilijs contra Alexandrum mittendis agebatur. Quid facient, inquit Demoſthenes, ſi viderint ſolem, qui non queunt contra lucernã oculos tollere? Nempe regem Alexandrũ vocauit ſolem, Philoxenum præfectum, lucernã. Quòd autem ſol Ioue ſit prognatus, hinc fides, quòd & ipſe Iupiter dicitur autor lucis. Vnde in carminibus Salij & Lucetium vocant, & Cretenſes Δία. vnde noſtris dies eſt lux. Si rex eſt ab ſole, nequaquã eductus eſt è tenebris, ſed ex ipſiſſimo fonte lucis. Siue, quod æquè verum eſt, regij culminis origo refertur ad Iouem autorem, quo patre natus eſt Apollo, qui & ſol, & auus regis eſt. At in filio & nepote noſcitatur imago patris & aui primùm è lineamentis oris, mox ex ingenio & moribus. Meritò ergo Virgilius Latino regi tribuit caput radiatum, hoc eſt, perſimile capiti cœleſti vnde eiectatur tantum luminis, & cœleſtium radiorum. Cæterùm vt radij quos innumerabiles diuina maieſtas eiectat ſicuti ἀρχέτυπος αὐγὴ primarius & originalis ſplẽdor, nõ propriè ſunt illi ſenſibiles ac viſibiles, ſed νοηταὶ ἀκτῖνες ij qui ſola mente comprehenduntur, ita è capite eius qui geſtet hanc coronam, debet emicare, prudentia, iuſtitia, conſtantia, cæteræque regiæ dotes, quarum ſalutari aſpergine humanũ genus recreari poſſit. Hîc aduertendum, ſupremæ corporis parti ſignatè naturam impreſſiſſe intimas & extimas notas aurei illius ſyderis, quod, vt quidã ait, *radiantibus oculis luſtrat æthera album.* Nempe quòd caput totius hominis dotes repræſentat; & quòd vnus ſol cãdore globi, maieſtate luminis, ingenti vi numinis antecedit cætera ſydera. Huc accedit, quod ſolis & lucis propria eſt bonitas. Certè ſolis radij dicuntur eſſe ſalutares, non vrunt, ſed fouent. Æſchylus

Plutarch. ἀπ. φθεγ.

Macrob. lib. 1 Saturn. cap. 16.

καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου σωτηρίους.

Æſchyl. ixi.

vocamus, vel inuocamus radios ſolis ſalutares. Autore Varrone, *religioſè Græci, cùm lumen affertur, ſolent dicere,* φῶς ἀγαθὸν, lux bona. Itaq; ſi rex, vt eſt ſole prognatus, ita eſt ſoli ſimilis, auitas ac domeſticas dotes huius incitamẽto ſimilitudinis æmulatur. Si ſol ea loca quæ luſtrat, ſalutaria facit, aſpectu regis vt ſyderis benefici, omnia recreari æquũ eſt. Si, inquã, præcipua dos ſolis bonitas eſt, hæc ipſa in rege eminere debet. At quid eſt bonitas? nihil aliud quã bona voluntas, bona conſciẽtia, quã labefactare non poſſint proſpera, aduerſa, voluptas, calamitas. De quibus infra ago vberiùs.

Varro. lib. 5. de ling. lat.

CAP. XV.

Ab effectibus ſolis omnis regiorum munium ratio petitur.

QVando Rex eſt nepos ſolis, omni ope anniti debet, vt optimis rebus aſſerat hãc tantã ſuæ dignitatis curæque nobilitatẽ. Sol ita dicitur quòd ſolus talis tantúſque eſt, Rex quoq; qui vnus talis

tantuſq; eſt, ſolus regnare debet, nec ad conſortiũ regni admittere malas libidines. Si hac ratione ſolus regnabit, nulla res minuet aut obſcurabit gloriã eius. Nemo itẽ veniet in cõſortiũ ſuæ ſũmæ laudis, qua vna omnes omniũ mortaliũ laudes continẽtur. Pro re tamẽ ſol mutat nomina. Nã cùm eſt in hemiſphærio cœleſti dicitur Apollo; cùm in inferiori Dionyſius, qui idẽ eſt Liber pater, Ita rex dicitur parẽs, rector, cenſor, diſpẽſator dux & imperator, iudex. Porrò ſol duobus nominibus cenſetur ſolis & Apollinis, quia diuerſis effectibus eſt ingens, etſi vnus idémque. Ea re cõmunis ædes vtriq; dicata fuit, quòd vterque coaleſcit ſicuti vnus. Hunc ergo, cùm cẽſetur nomine Apollinis, dici volunt ὡς ἀπολύοντα ἡμᾶς τῶν νόσων, vt illũ qui morbis nos liberat. Qua appellatione rex docetur, ſe inuẽtum eſſe remedio vniuerſorum. Nam regis eſt, omnem peſtem & calamitatem auertere à capite & fortunis hominum. Socrates apud Platonem ait, vnum ſolem penetrando & calefaciendo rebus omnibus præeſſe, hoc eſt, ſolis vi animari cœlum, ſolem eſſe in mundo id quod cor eſt in animali, ſiue, vt imitator Platonis dixit, ſol eſt in mundo id quod ratiocinatio eſt in homine. Ergo rex ſi tu quoque ſol es, ſi inter tot millia vnus is es qui indicaris hoc nomine, extrue animo altitudinem excellentiámque virtutum. Hinc vegeta illos quorum commodis & ſaluti inuentus es. tuo ſpiritu anima molem imperij tui per ſe deſidem & inertem. Radij ſolis dicuntur ſeſe diffundere in hominum mentes, & illas perpurgare. Eaſdem ſi vehementiùs incenderint, omnium rerum conſcias reddere, atque adeò futuri præſcias. *Aiuntq́; Sibyllas crebro hoc ardore tor[illegible]tes multa prædicere.* Autore Varrone *Epicharmus de mente humana hoc dicit, Iſthic eſt de ſole ſumptus ignis. Idem ſolem adſerit.* Hinc diſcit, rex ab ſe, qui ſit ſole prognatus, exigi mẽtem præ cæteris mortalibus puram & ſynceram, hoc eſt ſolutam omni terreſtri contagione. Ex ea promendum eſſe omne conſilium vitæ, & regimen rerum. Verè Orpheus vocat ſolem εὐβουλῆα, antiſtitem & præſtitem boni conſilij. Quid tali conſilio regi magis eſt neceſſarium? Denique ipſius Orphei hoc ſolis encomiũ extat, ἥλιε παντογενέτωρ, κόσμου πνεῦμα, κόσμου δύναμις, κόσμου φῶς. Sol omnipotens, ſpiritus mundi, mundi vis, mundi lumen. Quid in vniuerſo regno rege potentius? Annon & ipſe eſt ſpiritus regni, annon eius & vis & lumen? Sunt qui Apollinem dici volunt ἀπὸ τοῦ ἀπολλύναι, à perdẽdo & conſumendo, tanquam à contrario ſenſu, pernicie, videlicet, ſalutari. Et verò ſol ſuperfluum humorem, qui rerum corruptor eſt, vndecunque collectum, veluti pabulũ largitur huic ætheri. Hinc iugis hæc, ac perpetua rerum ſeries. Ita rex in arcano maieſtatis ſuæ quædam putat ac reſcindit, non ſolùm vt ſit locus melioribus, ſed

Heracl. Pōt.

Plato lib. 12. de leg.

Phornut in Apoll. & Dia Plato in Crat.

Plato in Crat.

Philo τις ὁ τ̃ θει. κλη- ἐστ.

Ammian. in Marcell. lib. 21.

Varro lib. 4. de ling. lat.

Macrob. lib. 1. Sat. cap. 23.

vt hinc quoque meliora alantur & procedant. Vſque eò & ipſa ſuperflua regi cedunt in emolumẽtum. Apollo, id eſt ſol, à poëtis dicitur ἑκήβολος, καὶ ἑκηβελέτης: longè iaculans, eumque vocarunt eadem ſignificatione ἰήιον iaculatorem, nẽpe vulnificum. Rex fidem facit ſe eſſe nepotem ſolis, cùm in improbos, vbicunque tandem latent, iuſtæ vltionis tela contorquet. Sol eſt lumen omnituẽs. Eaq; re dicitur πανεπόπτης & βασιλεύς, quaſi πανταλεύς ὁ πάντα λεύσσων, καὶ πάντα προνοῶν, omnia videns & præuidens, & hinc puto manaſſe epithetum quod illi antiquitus tributum. Nam Plinio autore *vocitatus eſt elector*. Certè qui omnia videt, omnia ſcit, qui omnia ſcit, optima & optimos eligit, Dicitur & δήλιος καὶ φαναῖος, καὶ αἰγλήεις, ὡς ἀναφαίνων πάντα, πάντα εὐσύνοπτα ποιῶν, omnia ſimul viſibilia faciẽs. Hinc eſt quòd Apharantes, gens Libyca, ei orienti maledicãt, ὡς πολλὰ κακὰ φήναντι, vt illi qui reuelat multa mala. Rex omnia reſcire debet, prouidentia, inquam, mentis, & vi aſpectus vibratioris ea peruidere non ſolùm quæ ſunt in circumſpectu, ſed ipſa occulta, abdita, longinqua. Vt ſol omnia videt, ita nos ipſius beneficio illa omnia quæ in aſpectum cadunt, cernimus. Quòd non in tenebris cæcutimus, quod præſidio bonarum artium ingeniis lumen admouetur, id omne regij muneris eſt. Vt omnia cadũt ſub aſpectum ſolis, ita ipſe omniũ oculis ſubiectus, omnium iudiciis obnoxius, omnium ſermonibus expoſitus eſt. Nihil quicquam rex eorum quæ ad ſe pertinent, ſperet fore clam. Siquis næuus in ipſo eſt, cõtinuò aduertitur, nedum vt occulere poſſit ſordes & fœditates. Nulla latibula amplitudinẽ regij nominis excipere poſſunt. Palàm ambulet neceſſe eſt, ac regia via, hoc eſt, ſua. Putet ſibi illud dici, ἐν ἄλῳ διαγάζεις, in ſphera ſolis lates. Verùm enimuero non eò quod ipſe omnia, omneſque videt, ſeſe otiosè cuilibet otioſo ſpectandum præbet. Quin, oculos acriùs & audaciùs intuentium præſtringit & hebetat. Improbam curioſitatem arcana regni non admittunt. Sol omnis labis eſt intolerans, vt regia maieſtas omnis impuritatis. Surgente ſole nubila vaneſcunt. Si tu, rex, in edito poſitus facem virtutis præfers vniuerſis continuò improbitas profligabitur, quantum eſt ſordiũ euerretur, omnis cæcitas, omnis caligo diſcutietur. Tuum eſt radios ſolis imitari. Hi inſerunt ſe ſordibus, nec tamen inquinantur. Sic tu, rex, ne dubita curas tuas demittere vel in infima. Inde ſurget tibi & pulcherrimus & altiſſimus honor. Vbicunq; rex eſt, purus & impollutus eſt. Ab ſe, hoc eſt, è loco limpidiſſimo, vt ſol πανταχῇ ἵησι τὴν ἀκτῖνα, in omnes partes icit radium ſuum vel ipſa remotiſſima & ignotiſſima cumulat beneficiis ſuis. Sol nunquam hoc diſpicit, an ſit illud quod aſpicit, dignum infuſione ſuæ lucis. Rex nullo niſi ſui reſpectu perenniter obit munus ſuum. Sibi ipſe

Etymol. ἰήϊε.

Etymol βασιλεὺς

Plin. lib. 37. cap. 2. Phornut. Apoll. & Dia.

Stob. περ. νομ. καὶ ἐθ.

Plato lib. 6. de rep.

ἐν πε. ξείμ.

eſt merces,quam tamen,& quidem cumulatiſſimam,reperit in ſua beneficentia, exemplo Æſculapij, qui & ipſe ſole editus eſt. Hic enim dignos & indignos refocillat nullo intuitu præmij,quia in ſe reperit omnia præmia. Itaq; dicimus quomodo ſolis lumē eſt gratuitum, ita regi nihil eſſe propoſitum extra vnam benignitatem ſuam. Solē Dores vocabant ἄλιον, κτ᾽ τὸ ἀλίζειν εἰς ταυτὸ τοὺς ἀνθρώπους, quòd homines in vnum, eundemq; locum congregat. Hæc propriè eſt regia facultas,vt homines lingua,moribus, inſtitutis,religione diſſitos in vnum veluti corpus cogat: eos reddat ſimiles & conglobatos,& inſuperabiles. Sol deficiens , ſubfuſcus , ſubluridus generi mortalium portendit omne genus malorum . Regia maieſtas vitijs obſcurata aut deformata eſt merum conceptaculum earum cladium quæ integras gētes populantur. Præſentia ſolis delet omnia lumina. Atque adeò ſolem , aiunt , vnà cum aſtris ſiquis in ſomnis viderit,eſſe rem ominis infauſti. Neque enim ipſe vnus lucere cenſetur, ſed vnà cum alijs : non ducere videtur , ſed duci vt cæcus , aut circumduci vt erro , & ludibrium veriùs quàm ductor. Contra,ſi circumfuſus eſt aſtris,ſolus tamen lucet,ſi exſtat, ſi præit, ſomnianti omnia fauſta ſpondet . Eadem ratione præſentiæ regis omnia dignitatum culmina aſſurgunt. Ergo rex eminet inter primores; eos autoritate regit, exemplo firmat, minis deterret,pœnis coërcet. Si non facit,tum verò non aulico ſplēdore ſtipatus,incedit,ſed veriùs vt bellua circumducitur oſtentui: abigitur vt præda ab aulicis prædonibus. Enimuero ſicuti ſol ſtellas eas,quarum motibus ac potentiæ obnoxij ſumus, interno motu ciet, ita primores gentis nihil ſunt, niſi quà volente rege tales ſunt. Vt diſcedente ſole perit ſyderibus decor: ita ſine rege omnis perit proceribus & magiſtratib⁹ autoritas:regnum eſt corpus ſine lumine; omnia confuſioni relinquuntur. Solis beneficio tempora diſtinguimus:hoc eſt,diem,hebdomadam,mēſem nominamus: Quæ ſine ſole nulla eſſent. Quippe nō alio nomine tēporis immēſitas demonſtrari poteſt, quàm hac voce. Hodie, quod eſt verum nomen ſæculi,iugi perennitate comprehendetis omnia tempora. Itaque ſolis beneficium eſt quòd temporum ſpecificaenumeratio vſibus noſtris eſt inuenta : quòd nunc dies promitur, nunc ſe condit,dum ipſe has partes illuſtrat,has opacat,vtrumque ſalutariter. Rex vi ſapientiæ & prouidentiæ ſuæ ipſa momenta & opportunitates habet in ſua manu. Scit vbi ſubſiſtendum: quò procedendū: quid arripiendum:quid differendum, quid reijciēdum:quibus ſeſe aperiat, quibus claudat. In omni re ſeruat modum , ſymmetriam, æqualitatem & iuſtitiam imitatricem vicium ſolis. Eius domo,adminiſtratione, regno nihil eſt neque diſtinctius neque ordinatius:

Iul. ep. ad Iambl.

Artemidor. lib. 4. cap. 79.

Philo. ἀρ. φυγ.

HHh iij

dum conſultò hos extollit, illos deprimit, his eſt ſeuerior, his mitior, nunc vtitur manu larga, nunc cōtractiore, prout res poſtulat. Sol non ſolùm eſt irrequietus, verùm etiā ἀκάμας indefeſſus, etſi incitatione ingenti & motu inexhauſto voluit ſæcula. Atque adeò in illo motu perpetuo ſemper eſt ſui ſimilis, nihil agit præcipitanter, ſed nunc intenſiùs, nunc remiſſiùs, ſemper prouidēter, ſemper ſalutariter. Nempe, tam vehementi incitationi ineſt illud omne temperamentum quo vniuerſa æqualiter librantur, feliciter augētur, vtiliter minuuntur, conſultò etiam nudantur, vt floridiùs conueſtiantur. Id quod inde eſt, quod etſi ſol indeſinenter fertur, non tamen incitato impetu rectus fertur, neque it contrarius cœlo, ſed viis obliquis, & quibuſdam flexibus omnia ita calefacit, vt humectet, ita circumuoluit, vt erigat, ita implicat, vt ordinet, ita conſumit vt ferueat & recreet. Eadem ratione rex in illa ſtatione poſitus ſemper agit, ſed animo ſedato, nunquam quieſcit, nec tamen laſſatur, occaſiones ita rapit, vt vbique vitet conſilium præceps & inconſultum. Contraria contrariis conciliat, vbique præſtat harmoniam recti altricem, vniuerſi ſeruatricem, illi perſimilem qua ſol ſydera non cogit, ſed regit. Ita opportunitatibus viam aperit, vt eâdem neceſſitates excludat, flexu opportuno vitat ingruētia mala, rem peragit antequam eum cœpiſſe putes: Non aliter incipit, quàm ſi certus eſt exitus, nullis rapidis affectibus effertur, non peſtilente adulatione deprauatur. Certè Homerica illa aurea catena, *Plato in Thaeteto.* Platone interprete, nihil eſt aliud quàm ſol. Nam quādiu in mundo eſt motus, quamdiu ſol circumagit ſe, omnia verè exiſtunt, tam terreſtria, quàm cœleſtia. Ideo ἥλιον dici volunt ſicuti περὶ τὴν γῆν ἀεὶ εἱλεῖν ἰόντα. quod curſu ſuo circa terram ſemper voluitur. Quippe ſi ſol ſubſiſteret ſicuti vinctus ac detentus, neceſſe eſſet, omnia ſus déque ferri. Ita ſtante ac vigente ſumma poteſtate, omnia regni membra coaleſcunt, omnia ſtant, vigent, æternantur. Sol nunquam repentinus adeſt, non inſperatus aut inexpectatus aduenit, ſed habet anteambulonem puniceum quemdam ac rutilantē purpuræ fulgorem. Atque ſi hoc eſſet nec ſubitum aduentum, nec ſubitum eius diſceſſum ferre poſſemus. Sic regiæ virtutes debuc- *Xenoph. memorab. lib. 4* cinant adeſſe regiam maieſtatem. Hæ, ſicut illi qui magiſtratibus præeunt ſubmouent quicquid indignum eſt quod regi occurrat. Nec rex æquis oculis improbos, nec improbi regem niſi trepidātibus præcordiis aſpiciunt. Sol circuitu ſuo annum claudit, numero ſcilicet, dierum ita confecto, vt ad eius ſummam æquitatem nō punctum addi, non demi queat. Regalis curæ etſi momenta ignorari fas eſt, tādem tamen ſalutaris exitus eſt. Denique regi ſingulis diebus, nedū ſingulis annis, omnis regiæ adminiſtrationis ratio ad amuſſim cōſtat. Sol ſata poſtquā diu fouit, denique euocat, eóque

dicitur & frugū ſator, & fœcūditatis largitor. Rex ſua ſumma cura indit virtutem animis. Salutari virtutis imbre irrigati animi multo publico, multo ſingulorum cōmodo ſeſe produnt. Solis tepore ſata, & enata germina accipiunt incrementa Cura regia, vt patria charitate pueritia alitur in ſpem publicæ felicitatis. Hæc ſunt illa Reipub. germina quæ beneficio principis ad frugem perducūtur. Certè bonus rex dicitur parēs illorū omnium qui ip ſo rege naſcūtur. Vſque eò verus parens, vt ſicuti rex eſt ſolis progenies, ita patres liberos ſuos mares ſi quando iis abblandiuntur, vt ſi ſint filij regis ſoleāt vocare ſuos ſoles, nempe, ſe quidē genitos, ſed beneficio regis, qui ipſis nō alio loco eſt quàm quo ſol eſt vniuerſis. Fruges & fructus ſol demū percoquit. Beneficia regis nunquā ſunt immatura, nunquā intempeſtiua, aut imperfecta. Quicquid inde eſt, omni ex parte conſummatū eſt. Vt ſolis calor non vrit impēſiùs, ne ſata perdat, ſed eſt φῶς ἥμερον, καὶ αὐτὸς ὁ ἥλιος τῶν θεῶν πρᾳότατός τε καὶ φιλανθρωπότατος, lux manſueta, & ipſe ſol Deorum mitiſſimus, & humani generis amantiſſimus, Ita regia poteſtas non eſt inuenta hominum perniciei, ſed ſaluti. Nihilominus tamen quædā gentes Æthiopicæ à vehemētiori ſole vſtæ audent ortus & occaſus huius ſyderis diris proſequi. Id quod p[illegible]eruè, iniquè, impiè faciunt. Nā ſi vruntur, ſi ſol eſt exitialis ipſis, agriſq́; ipſorū culpa fit, qui ibi ſedes poſuerunt, vbi hoc ſydus eſt ardentiſſimum. De ſe inquam non de ſydere & numine querantur, quos *extenta plagarum*

Quatuor in medio dirimit plaga ſolis iniqui.

Hinc rex diſcit, nunquā ſe debere palam facere, quàm vehemēter, & quàm latè nocere poſſit, ne omniū odiis & imprecationibus petatur, ne è ſuis vrbibus & prouinciis meras faciat ſolitudines. Nos quoque, audax curioſitas inuocatos non debet propellere propiùs regem, ne inde non foueamur, ſed vramur. Maledictis quoque abſtinere æquū eſt tum in aſtra etſi aliqua aëris intēperie lædimur ne

immortalia mortali ſermone notemus;

tum in reges, ſiquid ab ipſorum moribus & ingenio excidit implacidū. Tu quoque rex, ne homines contriſta, ſed lętifica vt ſol alter. Quippe Græcis ſol non ſolùm eſt ἥλιος ſed & αἰγαίων ſplendens, nō tantùm παρὰ τὸ αἴγλη lumē, neque item ſolùm ἀπὸ τοῦ ταῖς ἀκτῖσιν ἀΐσσειν, quòd radiis mouet & concitat, verùm etiam ἀπὸ τοῦ γάω quod eſt γαυριῶ exulto, vel hilaritate perfundor. μεστὸς γὰρ ὁ ἥλιος ἡδονῆς, nam ſol eſt plenus hilaritatis, eiuſq́; lumine omnia colluſtrātur, quomodo vnius regis bonitate omnia recreātur. Multis ergo nominibꝰ ſol eſt admirabile oculis ſpectaculū. Ita regiā maieſtatē quaqua viſas, nihil ibi aduertes, cuiꝰ nō debeas eſſe admirator & cultor. Sol teſte Platone ποικίλλει ἰὼν τὰ γιγνόμενα ἐκ τῆς γῆς, ſuo curſu variè effingit eaque terra progignit. Eadē ratione ſub bono rege omnia nō ſolū ſūt ſana, verū

Artemid. lib. 2. cap. 36.

Plato in Tim.

Ariſtid. εἰς τὸ φρ. τοῦ ἀσκλ.

Solin. cap. 34.

Plin lib. 5. cap. 8.

Virgil. 7. Æneid.

Lucretius lib. 5.

Etymol. αἰγαίων.

Achill. Tat. lib. 5.

Plato in Crat.

etiam pulchreſcunt, aureſcunt, valeſcunt. Sol oritur ſceleratis ac pijs, vſque eò eſt & æquus & cõmunis. Rex omnium ſaluti eſt innetus, probis quidem tuendis, improbis ad frugem corrigẽdis. Sol ſua curricula cõficiens intra ſpatia zodiaci, nec inde egrediẽs nunc hanc, nunc illam perluſtrat cœli plagam. Ibi veluti curru inter planetas vehitur medius. Planetis muſica quadã menſura fœnerat lumen ſuum. Hinc eum noſtri vocarunt *cœliſpicem*. Rex in hac veluti reciproca, recuruata, anniuerſaria, & continua peregrinatione ſemper eſt auriga, ſemper rector, ſemper largitor. Nullo aſpectu mouetur, nulla nouitate terretur, nulla rerũ mole auertitur ab effectis prouidentiæ ſuæ, in ſua maieſtate ſapiens, in ſua ſapientia magnus, in ſua magnitudine felix. Vbicunq; eſt vſque durat ſui ſimilis. Itaque ſol omnia aſtra adit, & quidẽ ſingulis annis, Quomodo ſapiẽs rex, quoad eius fieri poteſt, quot annis hanc aut illam prouinciam luſtrat, vt afflictorũ queſtus excipere, hiſq; ſolatia adhibere, ſiquid vſpiam luxatum eſt, reponere, fluxa continere, deſperata reſtituere, omnia & omnes beare poſſit. Sol nullius preces, ac ne vllius quidem præſtigia moratur vt ſurgat. Statim lucet, ſtatim ab vniuerſis ſalutatur. Tu Rex ne morare plauſus hominum, ne ſalutationes, ne laudes & præconia quibus ad benefaciendum exciteris. Siquid agis, ſponte age, noli eſſe cunctator ac dilator. Obuia benignitate præueni vota hominũ. Nec minùs quàm ſol vniuerſorum amoribus, honoribus, laudibus excipiere. Priſcos inuenio ſolis vocabulo ſignaſſe libertatẽ. Id quod regem ſeriò monet, vt ab ſe libero liberos homines regnari malit, quàm vt ſeruos domitari, affligi, proteri. Vt ſol ſemper eſt iuuenis (certè Perſæ eum vocabãt κῦριν adoleſcentulũ) & permanet in ætate inueſtis, ἀείπαιδος ἡλικίαν ἔχει, hoc eſt ἀγήρως ἀεὶ καὶ νέος ὤν, nunquã ſeneſcit, ſed ſẽper eſt vegetus, ita rex eſt in perpetua poſſeſſione ſanitatis, & virium inſuperabiliũ, ſi modò rex eſſe pergit, mẽte, prouiſu, cura. Inuenio tamen ſoli tribui tres ætates. Nam *primo aſpectu*, inquit, Capella, *eſt ſicuti puer & renidẽs, & renitẽs. Inceſſu medio eſt iuuenis anhelus. In fine ſenex apparet occiduus*. *Et prima* quidẽ ætatis gratia præ ſe fert comitatẽ, quam in ipſo aditu rex præſtare debet, ne adeuntes ſola maieſtate deterreat, ſed morib⁹ placidis ſupplices inuitet. At in tractatione rerũ & robur animi, & iuueniles vires promere debet, quę negotijs, & ſuſtinendæ rerum moli pares ſint. Denique cùm ſuper quaque re quid facto opus ſit, decernẽdum eſt, tunc verò ei ſenilis prudentia expedienda eſt. Non omitto, antiquitatem poſuiſſe draconem inter præcipua ſymbola ſolis. Dicitur enim ἀπὸ τοῦ δέρκειν à videndo. Nam natura peruigili, & accerrima oculorum acie huius tanti ſyderis vigilantiam imitatur. Ea re illi aſſignata eſt cuſtodia ædium, adytorum, oraculorum, theſaurorum, heroũ infantiæ,

Clem. Alex. lib. 5. Strom.

In reg. xi. orb. ro in notit. imp.

Stob. ἐπ. ἀρχ. μδ.

Etymol. ἀκμή.

Plutar. b. πε. τῶν ἐν δελφ.

Martian. Cap. lib. 1.

tiæ, vt de Hercule traditũ, ac poſtea de Nerone quãuis fabuloſum, denique cuiuſlibet rei quæ eſſet digna tutela diuina. Certè qui cuſtodiebant corpus Cleomenis crucifixi viderunt ingentem draconem capiti eius circumuolutum, ac tegentem vultum eius, ne ab ſarcophagis auibus deformaretur. Hæc vigilantia draconis repræſentat peruigilem curam illius, cuius cura vniuerſi nituntur. Vt tamen hanc curam & vigilantiam felix conſequatur euentus, draconi quoque robur aſſignatur. Cuius rei ſymbolum eſt Erechtheus ille ſemihomo & ſemidraco. Nam quà homo, prudentia, quà draco eſt, robur ſignatur, quo deſtituta prudentia eſt inualida. Vtraque dote principem cenſeri oporte. Huc adde, quod draconi vis quædam vaticinij aſſignatur, teſte illo agno quem Ægyptij humana voce vſum, & cuidam regi futura prædixiſſe aiunt, cùm in capite haberet draconem alatum. Id quod haud dubiè ſignat prudentiam, quæ regi eſt loco vaticinij, quo poëtæ præ cæteris numinibus donant Apollinem, id eſt, Solem, cui, præter Iouem, Cererem, Proſerpinam, Hecatem, Æſculapium, rex eſt ſacer. Draconi addo accipitrem, quem Ægyptij ſapientes fecerunt quoque ſymbolum ſolis, vt dominum viſus & aſpectus. Id quod regem docet, quantum inſtar in ipſo vno ſit, qui vſque eò videndi facultate præditus eſt, vt eam ijs quos adſumit in conſortium curarum, largiri poſſit.

Plutarch Ageſil & Cleom.

Demoſth. in orat. funeb.

ἐν πταεσμ.

Artemid. lib. 2. cap 13.

Or hieroglyph.

CAP. XVI.

Corona ſolis emicat duodecim radijs qui ijdem ſunt lapides. Hi radij exeunt in ſublime. Demonſtrant primores. Lorica ſolis. Quo capitis inſigni vſi ſint principes Romani. Deſcribitur laurea principum Romanorum. Radiata principum Romanorum. Diadema ex vnionibus.

EX his perſpicuè patet quàm non temerè Virgilius Latinum regem faciat nepotem ſolis, quomodo alij poëtæ alios reges. Hinc quoque reges diſcunt, qualia ſint tam excelſæ originis argumenta. Quiſquis in ſublime euectus es hoc ſedulò cura vt tibi caput ſit radiatum, & pectus luminoſum. Ad hanc luminis excellentiam ſi retuleris genus tuum, rex tibi verò ſtemma eſt omnium longè antiquiſſimum & nobiliſſimum. Porrò dicimus, ſolis coronam totam emicare duodecim radijs. Qui numerus eſt ſymbolum perfectionis, teſte Zodiaco, qui totidem luciđiſſimis eſt conſpicuus aſtris, teſte abſoluto ſolis circuitu qui conſtat è duodecim mẽſibus, teſtibus horis quarũ hic eſt, & quidem duplicatus numerus. Certè hic numerus apud ſapientiſſimum Moſem tanti

Val Flacc. li 6. Argon.

Philo π. φυγ. & π. ἀθλ. κ̀ ἐπιτιμ.

fuit, vt vniuerſum populum diſtribuerit in duodecim tribus; & propoſitionis panes duodecim conſtituerit; denique duodecim ſculptos lapides ſacerdotali veſti indiderit. Hac ergo ſpecie Virgilius ſolem orientem donat.

Virgil. in epigr.

Sol inſigne caput radiorum ardente corona
Promit ab æquoreis Tethyos ortus aquis.

Occidenti & feſſo eandem coronam horę demunt, apud Statium,

Stat. li. 3. Theb.

—— rapidis occurrunt paſſibus horę,
Frenaq́; & aurata textum ſublime corona
Diripiunt.

Albric. de Deor. imag. in Apoll. ſiue ſole.

Quidam hos non vtique radios vocant, ſed lapides pretioſos. Sint ſanè tales, dummodo is ſit cuiuſque lapidis fulgor, vt ab ſeſe eiectet radium. Hac ratione vtrumque erunt, & lapides & radij. Nec intereſt vnde hi radij exeant, an è lapillis pretioſis, qui & ipſi ſunt fœtus ſolis, an è vitta crinali qua Apollo fulgere dicitur. In ſublime exeunt hi radij, quòd hæc eſt natura ignis, vt ſurſum feratur. Panduntur, quòd radios eſſe aiunt comas ſyderis. Vſque eò hi radij ſunt inſignia ſolis, vt ſine his ſol nullus ſit. Rex quoque ſine inſignijs auitis nullus eſt. Atque adeò ſi mente caligat, ſi tenebricoſus eſt, non cœleſtes radios eiectare dicitur, ſed emitere ab ſe ſpinas, & quidem ferales, quales Ægyptij porci geſtare dicuntur. Aut, ſi mauis, ſi quos radios malus rex circa caput oſtẽtat, hi dicentur eſſe ſimiles ijs ſagittis quas Æthiopes pugnaturi circumponunt capitibus ſuis in orbem ἀκτινηδὸν ſicuti radios, aut in morem radiorum. Talibus radijs, ſiue ſagittis radiatis non recreantur homines, ſed perduntur. Itaque caue rex ne pro radijs ſalutaribus ſagittas ferales iaculeris. Caue ne pro rege radiato aſpiciare draco iubatus, aſpectu rauido, & faucibus aridis expectans cui aliquam labem affles, quem impuriſſimo saniei vomitu contingas, quem dente peſtilente inſeces, quem miſerrima morte proſternas. Vide ne, prætereito Hercule, reperiaris hydra. Dici quoque non abſurdè poteſt, hiſce radijs demonſtrari primores, nempe ſimiles eius, cuius beneficio tales ſunt. Cùm Nectenabò impenſius interrogaret Æſopum, Cui me ſimilem putas? Is perſeueranter reſpondit, Te quidem ſoli; hos qui te circumſiſtunt, radijs. Vt enim ſine radijs ſol ne intelligi quidem poteſt, ita falsò is aſſumit regium nomen, qui non ſtipatus incedit adiutoribus regni: vt ne gubernator quidem vllus eſt qui non vtitur manibus, & adiutrice remigum opera. Et hac quidem forma eſt corona ſolis, quam rex ideo geſtat, vt è ſolo eius aſpectu admoneatur officij ſui. Id quod Prudentius pauculis verſibus complexus eſt.

Theon in Arati dioſem.

Strabo lib. 17.

Lucian. de ſaltat.

Prudent. cõtra Symmach. li. 2.

—— caput auguſtum diademate cinxit,

Appellans patrem patriæ, populi atque Senatus
Rectorem, qui militiæ ſit ductor, & idem
Dictator, Cenſorq́ bonus, morumq́ magiſter,
Tutor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum.

Soli præter hoſce duodecim radios qui emicant ex eius corona, tribuitur lorica totidem ſplendoribus illuſtris.

—— ſol auricomus vergentibus horis
Multifidum iubar & biſſeno ſydere textam
Loricam induitur.

Valer. Flacc. li. 4. Argon.

Hinc quoque rex diſcit, capitis radiati hoc eſt cœleſtis falsò dici membra illa quæ non in pari luce verſantur. Tale documentum eloquentiſſimus Mamertinus hinc promit Maximiano, loquens de hac corona radiata quæ principis Romani caput circumplectebatur, cæteroque habitu principali. *Neque enim*, inquit, *ſpecie tenus ac nomine fortuna imperij conſideranda eſt. Trabeæ veſtræ triumphales, & faſces conſulares, & ſellæ curules, & hæc obſequiorum ſtipatio & fulgur, & illa lux diuinum verticem claro orbe complectens veſtrorum ſunt ornamēta meritorum, pulcherrima quidem & auguſtiſſima*, &c. Merita diſertim nominat, vt oſtendat, diadema non eſſe donum fortunæ, ſed præclariſſimum munus virtutis. Hoc ſenſu Horatius ſociauit regnum & diadema.

Mamertin in panegyr. ad Maximian.

—— regnum & diadema tutum.
Deferens vni, propriamq́ laurum.

Horat. lib. 2. Carm. od. 2.

Diadema cùm dico, omne principalis, aut regij capitis inſigne dico. Nam & ipſi principes Romani ante geſtationem diadematis, quæ in Aureliano cœpit, modò vſi ſunt laurea, modò corona radiata, modo quercea, hoc eſt, ciuica, modo diademate priſcorum regum, aucto tamen ac variato. Et quidem Auguſtum ſolum in numiſmatibus quercea euinctum video. Pleroſque laurea delectatos; laurea, inquam, nullius interpoſitu rei circumpoſita capillis, & poſt occipitium religata, & quidem duplici, continuaque ſerie foliorum: cui diſtinctis ſpatijs inſeruntur baccæ, fructus lauri. Interdum duplex is ordo conſtat è ſolis folijs, nullis baccis. Quandoque lauri non continua ſerie caput ambiunt, ſed folijs per terniones diſpoſitis inſeruntur baccæ: ſæpe pro baccis lapilli aut vniones. In quibuſdam numiſmatibus lauri folia non ordinantur per terniones, ſed per duerniones. Singuli duerniones diſcriminantur incruſtatione gemmarum. Interdum duobus ordinibus lauri, qui caput euinciunt, inditus eſt ordo baccatum, aut vnionum, qui vtrique foliorum ordini vſque eo perpetuus comes eſt, vt nihilominus vterque hinc ab altero diſcretus aſpiciatur. Plerunque in ſummitate foliorum, hoc eſt, in vertice capitis aſpi-

ciuntur tria folia; etſi duplici tantùm non triplici foliorum ſerie caput circumdatur. Nonnunquam pro tertio, eoque medio & eminentiſſimo folio aſpicitur gemma. Interdum vnica ſeries lauri, eaque media vtrinque comitem habet ſeriem vnionum. Semel, ni fallor, aduerti, poſteriori capitis parti lauream impoſitam, nempe in numiſmate M. Aurelij Flauij. Et his quidem rationibus principes Romanos laurea vſos inuenio. Radiata è Romanis principibus primum Caligulam vſum video. nempe cùm id ageret vt ſibi adſciſceret famam diuinitatis, ſeque, vt alibi dico, non ſolùm heroibus æquaret, ſed & ipſis maioribus numinibus, Mercurio, Marti, Apollini, quorum geſtamina & inſignia vſurpabat, στεφάνοις μὲν ἀκτινοειδέσι τὴν κεφαλὴν ἀναδούμενος, coronis radios imitantibus caput euinctus. In huius lamina, ſiue ambitu aſpiciuntur ſtellæ tres, & ſupra frontem ſemicirculus lunaris. E ſola ſpecie huius coronæ ſatis apparet eam eſſe ex illarum genere, quas ipſe, vt ſupra dixi, exploratorias vocauit. Radiata quoque aſpicitur in numiſmate Traiani, hoc vno ab cæteris diſcriminata, quòd ſub radijs inſerta ſunt humilia quædam acumina, ſiue alij radioli cuſpidatim inſerti fiſſuris apertis, & acuminatis, veluti ijs ita infixi, vt eas fulciant. Hæc quoque corona conſpicua eſt ſuper caſſide M. Aurelij, Valerij Probi. Ibi ramuli lauri baccati inſerti ſunt radijs. Habet inſuper hoc inſigne & ſingulare; nempe diadema ex vnionibus; cuius initium eſt in fronte laminæ. Inde ambit apices radiorum & laurorum vſque ad poſteriorem partem laminæ, cui inſertum denique ex ea pone occipitium dependet. Vt in radiata Caligulæ dixi eſſe ſtellas tres, ita in radiata Cari & Carini, multorumque inſequentium principum laminæ inſerti aſpiciuntur lapilli. In radiata Theodoſiorum vtrinque lamina eſt margine eminentiori; habetque in fronte gemmam inſignem. Huic radiatæ noua res addita. Nam ſuperiori parti laminæ inhæret perpetua ſeries vnionum. Iam dixi, galeæ aut caſſidi imponi radiatam. Id quod vſurparunt Zeno Iſauricus, & Fridericus Ahenobarbus. Et hæc quidem de laurea & radiata corona principum Romanorum dici poſſunt. Nam quali diademate vſi ſint ij, qui exemplo Aureliani regium inſigne ſumpſerunt, ſuo loco dicam.

Philo πρεσβ. πρὸς Γαι.

CAP. XVII.

De aureis ramulis qui exeunt è lamina diadematis. Hi ramuli quid ſignent. Regis excellentia deſcribitur. Plura de ramulis & apſidibus, & corona abſidata. Vnde mos deriuatus claudendi diademata his ramulis. De tiara regum Perſicorum. Regium diadema cur claudatur.

IN regio diademate aſpiciuntur aurei ramuli ſurgentes è lamina non quidem recto meatu, ſed ſingulari quadam forma. Primò panduntur in latitudinem. Mox leniter euecti ſenſim coronam efferunt in celſiſſimum acumen. Nempe, vndequaque quodammodo circinati, ac vergentes in ſe, denique coëunt in apicem, qui cumulatur ea re, quæ inter inſignia coronæ meritò numerari poteſt. Et verò in apice diadematis imperialis eſt illa ſphæra qua mūdus effigiari ſolet, in Gallici, lilium candens, in Pontificij, crux. Cæterùm hi rami, ſeu ferulæ, ſiue ſurculi, ſiue apſides, ſeu virgulę altiùs conſurgūnt, ſua coitione in faſtigium conuoluuntur, & quibuſdam locis neſcio quid turgiduli & eminentis repræſentant. Hinc conficitur omnis illa ſpecies quæ omnem diadematis ſummitatem acuminat, ambit, claudit. Id quod euidenti argumento eſt, regis excellentiam nullo auctu creſcere, nulla vi externa ingruente labefactari, nullis neque opum, neque virium additamentis auctiorem & auguſtiorem fieri poſſe. Regem, quà patet regnum ſuum, ſat ſuperque habere, quo ſe munitiſſimū lætetur aduerſus omnia molimina. Enimuerò vt in terris nihil eſt deſcriptius, luculentius, opulentius tali diademate, ita nihil nec dici, nec fingi poteſt maius, munitius, ſanctius regia dignitate. Hæc ſua vi nixa excedit omne humanum faſtigium; vni diuinitati aſſurgit, ſe ad vnicum hoc exemplar format; huius vnius ſimilitudinem reddit in terris. Rex in terris eſt Deus viſibilis, inter innumerabiles vnus, inter magnos ingens, inter eminentes altiſſimus. Talis tamen tantuſque quotidie terit ſemitam mortis. Quo monitu is diſcere debet, ſe inuentum ſubleuandæ cæteræ mortalitati; ideo eſſe validum vt feſſis rebus ſubueniat, agatque curam rerum humanarum ſicuti vnus hominum, etſi per omnia ſui iuris. Neque enim rex vllis niſi pietatis virtutiſque vinculis adſtringitur. Qua & libertate & poteſtate monetur vt omnia ſapientia regat, omnia ſua potentia firmet, inſtar ſummi opificis regni ſummam moderetur. In hoc vnum Deus regiam dignitatem ſuæ ſimilem eſſe voluit, hoc eſt, ſummam & perfectam, omnia rerum momenta in-

ſua poteſtate habentem, vna ſe nixam, in vna ſe abundè inuenientem quicquid extra ipſam expeti poteſt. Hoc ergo illud eſt quod ſignat diadema clauſum ea ratione quam demonſtraui. Hoc loco moneo, hoſce ramulos, ſiue apſidas, quæ à lamina incipientes pertingunt verticem diadematis, illudque ex omni parte claudunt, in diademate Imperatorum Conſtantinopolis, interdum fuiſſe *Curopal. de off. Conſtant.* quatuor, interdum duas. Has vocabant καμάρας μικρὰς ἔμπροσθεν τε καὶ ὄπισθεν, καὶ ἐκ πλαγίων apſidas paruas ante & pone atque ad latera. Quatuor, inquam, ſunt, ſi is qui deſignatur imperator eſt filius imperatoris. Si gener, ante ſolùm. Id quod docet, plus eſſe dignitatis in pluribus abſidibus, ſeu ramulis, quàm in vno, aut in paucioribus. Hodie quidem è numero talium apſidum diademati dignitas accedit, tãquam illud quod pluribus apſidibus clauditur, ſit munitius & firmius illo cuius faſtigium vnica apſide nititur, per cæteras partes apertum & meabile. His adde, quòd illæ eminentię, quæ illos ramos aut apſidas reddunt turgidiores, ſunt veluti nexus, ſeu nodi, quibus rotunditas coronæ ſolidatur; cuiuſ-*Cicero de Orat.* modi fuerunt illi priſcarum coronarum tori, de quibus agit M. Tullius deſcribens oratorem temperatum & æqualem, in loco ſupra à me citato. Equidem, vt dixi, hoſce toros in coronis fuiſſe credo quaſdam particulas in ambitu coronæ collectiores, ac rigidiuſculas, propemodum cuiuſmodi ſunt in tauro tori. Porrò *Zonar. in Dau.* ſuperior hæc omnis regiæ coronæ forma minimè eſt nuperum & nouitium inuentum. Zonara autore, diadema regis Ammonitæ aureum, diſtinctum lapillis pretioſis tam in ambitu, quàm in ſuperioribus laminis, ſeu ramulis quibus tegebatur, venit in poteſtatem Dauidis, qui eo poſtea diebus ſolennibus vſus eſt. Certè cùm liceat ijs quos hodie vocamus Duces ac principes, & caput, & ſcutum ſuorum inſignium, ſiue armorum contegere coronis, eaſque inumbrare folijs, diadema hiſce ramulis ſupernè obductũ ſolis regibus eſt ſepoſitum. Hoc ipſum video vocari diadema imperiale. Credo, quòd ab imperatoribus hac forma frequenter vſurpatum fuit, potiſſimùm Græcis. Qui mos haud dubiè à Conſtantinopolitanis ad noſtros eſt deriuatus. Inuenio tamen Flauium Valerium Conſtantinum Conſtantini filium, Conſtantij nepotem, antequam principes Romani Conſtantinopolim migrarent, hoc diademate in ſuo numiſmate inſignem. Etſi ea veriùs eſt galea vnionibus & lapillis ornata; ita tamen effigiata, vt præ ſe ferat ſpeciem hodierni diadematis, quale eſt à me deſcriptum. Hoc diademate, vt ita dicam, galeato, ſiue galea diademata, cuius in apice ex vnionibus crux eſt, vſi ſunt alij inſequentibus ætatibus. Flauius Baſiliſcus, in catalogo eorum qui primi in Oriente impe-

rarunt, tali ferè diademate euinctus aſpicitur. Ibi laminam quæ caput ambit, vniones occupant; quibus in medijs, tum in vtraque extremitate eſt gemma. E' lamina vndique conſurgunt bracteæ, quas ſupernè claudit alter ambitus vnionum. Hinc perſpicuum eſt, hoc diadema regij illius quod hodie in vſu eſt, ſpeciem præ ſe ferre. Tali ferè diademate Anthemium & Anicium Iuſtinianum inſignitos video. Eſt enim vtrumque compactum ex vnionibus in verticem artificioſè concumulatis. Iuſtiniani diadema aduerto eſſe ſingulare. Nam fronti hæret ſeries vnionum, quæ ſuſtinet tiaram, ſiue cidarim tegentem totum caput. Hæc conſtat è duodecim bracteis, quarum quæ mediç ſunt, coëunt ſenæ ſenis aduerſæ, vnaquæque forma ſemicirculi. Has altera vnionum ſeries ſupernè claudit. Phocas quoque noua tunc, & nunc inuſitata ſpecie diadematis eſt inſignis. Totum hoc diadema eſt compactum è lamina lata continua, quæ totum caput ambit ac tegit; cuius meditullium eſt conſpicuum lapide inſigni magnitudine. Lapis honeſtatur cruce. Heraclius geſtat diadema hodierno regio haudquaquam abſimile. Nam è lamina exeunt radioli. Sed introrſus aſpicitur duplex ſeries foliorum, in quorum apicibus ſunt vniones. Demum, intra hunc ambitum in ſublime ſurgit tiara, cuius volumina circinantur, ac tenuantur in apicem. Ipſe apex emittitur veluti in metam. Frequens in Græcia fuit vſus illius diadematis, quod totum conſtat ex vnionibus. Nempe, tam lamina, quàm ramuli qui exeunt è lamina, quorum in apice crux eſt, id, inquam, omne compingitur ex vnionibus. Vnicuique imperio ac regno peculiaris fuit forma diadematis. Omnia tamen talia ſunt, qualia mirando nunquam ſatiamur. Huc conſpirant aurum, vniones, lapilli, ipſius diadematis circulatis, perfecta, diuina ſpecies. Nec ſine euidente ratione traditum eſt, reges Perſarum id potiſſimùm egiſſe, vt vnus rex geſtaret tiaram rectam; cùm id liceret mortalium nemini, propoſita ei qui ſecus faceret, pœna mortis. Nempe, formam tiaræ recti voluerunt eſſe argumentum ſummç, hoc eſt, regiç poteſtatis. Plutarchus memorans qua ratione Antonius agitaret vt filios quos è Cleopatra ſuſceperat, non ſolùm reges, ſed & regum reges faceret, ait eum vni ex illis, cui Alexandro nomen, dediſſe veſtem Medicam, addita tiara & citari recta. Quippe huic Alexandro dederat Armeniam, Mediam, & Parthica. Vt Armeniæ regi, geſtandam dedit citarim; vt Mediç & Perſidis, tiaram. Xenophon quoque ait Cyrum ſtipatum aulica pompa è portis prodiiſſe curru vectum, cum tiara recta, & chlamyde purpurea. Apud eundem Xenophontem Tiſaphernes Clearcho dixit, vni regi licere geſtare tiaram rectam. Apud omnes

Dion. Chryſoſt. orat. 14.

Plutarch. Ant.

Xenoph. de inſt. Cyr. lib. 8.

Xenoph. de exped. Cy. lib. 2.

Xenoph. hiſt. Græc.lib.2. ferè gentes quædam ſunt quæ vnis regibus ſeponuntur. Huiuſmodi illud eſt quod idem Xenophon tradidit, Cyrum duos Xerxis filios neci dediſſe, quòd cùm ei occurriſſent, manus intra [vox eſt Perſica, quæ ſignat quiddam, quo manus continebatur ne quid agere poſſet] coren non continuiſſent. Cæterùm qua de cauſa, id actum ſit, vt ſoli reges apud Perſas tiaram geſtarent rectam, diſcimus è Dione Chryſoſtomo, qui ſanè hinc docet, omnem regis curam in eo conſumi oportere, vt ipſe eum animum prodat, quem omnes præ cæteris omnibus experiantur eſſe rectum. His accedit quòd diadema ijs quos dixi, ramulis, bracteis & circulis vndique clauditur. Hinc quoque præter ea quæ mihi dicta ſunt, rex intelligit, omnes ſuas opes in ſe vno ſitas eſſe. Intra ſe, inquam, claudi ſuam, ſuorumque omnium ſpem, incolumitatem, ſalutem. In hac, videlicet, parte, quantum licet per ſortem humanam, Deo eſt quàm ſimillimus. Enimuero τοσοῦτο κρατοῦν δύναμιν ἔχει θεοῦ tantum poſſe quantum rex poteſt, habet vim Dei. Quotieſcunque rex & ſe, & ſuos, & ſua omnia ſibi commiſſa videt, intelligit ab ſe exigi, vt huic tanto culmini addat magnitudinem animi, ſua perſona reddatur par dignitati; vt ipſe pariter, ſit omnibus idem. Huc vt perueniat, primum imperium exerceat in ſe. Nam fruſtra alios ſe ſperat in ſua poteſtate habiturum is, qui ſe non habet. Sibi ergo rex primùm imperare diſcat, hoc eſt, affectibus, ſenſibuſque ſuis. Diſcat ſeruire ſibi, hoc eſt, pudori, dignitati, famæ. Hac habena refrænet impetus inconſultos rege indignos. Qui neminem timet, ſe ſaltem ipſe vereatur; ſeipſo accuſatore & iudice frequenter cauſam dicat. Non tamen ſuadeo vt ſemper in luto hæreat, ac nunquam ſe euoluat; ſed vt ſe ipſe idemtidem & impigrè excitet; ſe ipſe animoſè corripiat; correptum emendet. Hac ratione ipſe innocentior & expeditior hanc eandem operam alijs præſtabit; ſibi ipſi aliqua ſeueriùs negabit quæ in alios cumulatiora conferet. Cæterùm ſuperior ille ambitus diadematis complectitur ſpatium quod cærulei cuiuſdam coloris opacitate interfuſum nihil demonſtrat niſi aërem. Hinc quoque rex docetur, ſe ab lineo diademate perueniſſe ad cæruleum, id eſt à terrenis ad excelſa & cœleſtia.

Dion. Chryſoſt. orat. 14.

Artemid. lib. 2. cap. 38.

CAP. XVIII.

CAPVT XVIII.

Qua ratione claudatur hodiernum diadema imperiale. Diadema Caroli Magni. Hodiernum diadema imperiale eſt lunatum & bicorne. Auguſti appellatio vnde ſit, & quid ſignet.

Etsi ex coronæ ſiue diademata quæ clauſa exhibentur, hodie vocantur coronæ imperiales, tamen verum eſt, imperiale, ſiue Auguſtale diadema hodiernum alia ratione claudi, diuerſamque eſſe huius & aliorum diadematum ſummitatem. Nam ſuperior regij diadematis ambitus qui ramulis, vel bracteis vna ſerie vndiq; coaleſcentibus clauditur, in imperiali medius finditur. Qua ſpecie nullum, quod ſciam, apud principes Romanos inuenitur, Quippe quæ diademata apud ipſos clauſa aſpiciuntur, vna ſerie vnionum, aut continuo tractu aureæ bracteæ gemmatæque continentur. Si quid in coronæ medietate eſt, vt in coronis Græcorum imperatorum, ea eſt bractea aurea & gemmata, quæ pertingit crucem eam quæ eſt locata in faſtigio diadematis. Primus, quod vſque adhuc ſciam, Carolus Magnus lata lamina gemmata, medium diadema inſigniuit, cætera diadematis parte in orbem clauſa, & in ſpeciem ſemicirculi corrotundata. Hoc genere diadematis diutiſſimè vſi ſunt Cęſares & imperatores occidentis, quorum ſedes primò Gallia, deinde Germania fuit. At hodierno die imperiale diadema, vna excepta lamina, illa quæ ſuſtinet diadema, quæq; caput ambit, ſcinditur in duas partes. Nã è lamina, hoc eſt, ex ima eius parte ſenſim fit diuiduũ, ſenſim pateſcit interuallo euidentiori; vſque eò vt & vnius eiuſdẽ diadematis duo aſpiciantur culmina. Denique, manifeſtũ eſt, ipſum diadema vbi panditur in latitudinem lunaris cornibus obliquari; poſſeque dici bicorne, hoc eſt, proximè accedẽs, atque adeò referens ſpeciem lunę corniculantis. Hac forma ſupra dixi Fulgentium exhibere Polymniam diadematam. Eſt ergo in hodierno imperiali diademate corniculata lunæ ſinuatio, criſpato & gemmato introrſus ſupercilio. Hanc diadematis formam deſcribit Pontificale Romanum his verbis, Corona imperialis habet ſub ſe mitram in modum ferè Epiſcopalis mitræ; humiliorem tamen, magis apertam, & minùs acutam. Eſtque eius apertura à fronte, nõ ab aure. Et ſemicirculum habet per ipſam aperturam aureum, in cuius ſummitate crux paruula eminet. Eam tiaram aliç coronæ nõ habent. Porrò vnde hæc ſpecies deſumpta ſit, non eſt dictu pronum. Ego, donec aliquis & ingenioſius & verius aliquid expromat, puto illud interuallum, quam Pontificale vocat aperturam, *Pontif. Rom. de tripl. imper. cor.*

KKkk

vtrinque referre ſpeciem & ſimilitudinem lunæ. Certè hodie plerunque ita pingitur, vt ille ſemicirculus repræſentet lunam creſcétem. Hoc autem nihil aliud eſſe dico niſi imitamentum Perſici diadematis, quod lunatum fuiſſe conſtat. *Eſt enim luna Perſarum*, ait Q. Curtius. Adde ſymbolum aut inſigne, aut omen & vaticinium, ſicuti ſol Græcorum. At vnde Perſæ hoc inſtitutum mutuati ſint, nec dicere ſuppeditat, niſi dicamus ab Iunone. Hæc enim, vt dixi, geſtat coronam, in cuius rotunditate eſt imago globi lunaris. Nec ſum neſcius, vulgo credi, creſcentis lunæ effigiem accipi pro fauſto omine creſcentis imperij, quod amplificari cupimus donec totum impleat orbem. Hæc ſunt pia ſingulorum, ſollennia vniuerſorum, magnifica regnantium vota. Hoc ipſum palam profitetur inſigne imperatoris Turcarum. Cùm enim is ſpe deuoraſſet imperium orbis terratū, huius rei typum conſtituit creſcentis lunę amplexus. Certè eius qui nunc regnat, maiores ita animatos fuiſſe conſtat, vt minui crederent quod non in dies Chriſtiano ſanguine irroraretur augereturque imperium. Huic voto affine illud Caroli quinti. Neque enim ſolùm pertinuit ad columnas Herculis, ſed vtique illam immenſi vaſtitatem penetrauit Oceani. Vſque eò intra illum tantæ celebritatis terminum non potuerūt ſiſti ſpes eius; qui tamen concluſit res geſtas Herculis, quicum huic imperatori de magnitudine rerum geſtarum fuit æmulatio. Cæterùm & reges & imperatores ita animum inducunt, ſe dici auguſtos ab auctu, vel augēdo, ſcilicet, imperio. Id quod vulgo tradi, & exiſtimari video. Sed ipſe malo adhærere Suetonio, quo autore *loca religioſa, & in quibus auguratò quid conſecratur, auguſta dicuntur*. Addit quidem Suetonius hęc verba, *ab auctu*. Sed hoc vt dubium, ac de quo parū conſtat, ipſe parum firmat, ponitq; inter dubia & non recepta. Id quod è ſequentibus palàm fit; *vel*, inquit, *ab auium geſtu, guſtuve*. Sicut etiam Ennius docet, ſcribens, *auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt*. Feſtus quoque tradit, auguſtum locum ſic dici ab auium geſtu, id eſt, quia ab auibus ſignificatus eſt; ſiue ab auium guſtatu, quia aues paſtæ id ratum fecere. Sed has meritò nugas dixeris præ eo quod tradit Epitome Liuij, Plinius, Cæcilius, Cenſorinus, Caſſiodorus, Nempe Cęſarem leges protuliſſe aiunt, iudices ordinaſſe, prouincias diſpoſuiſſe. Ideoque cognominatum Auguſtum; ac ſi dicant, ob tales, tantaſq; res geſtas cognomen ei fuiſſe additum re ſanctum, vocis vſurpatione ſingulare, remunerationis officio vnicum. Neque verò vocibus imperitæ multitudinis ei primò acclamatum eſt Auguſtus, ſed, Hercule, iudicio ordinis ampliſſimi tantum diuini prope honoris ei habitū. Ex hoc fonte auguſti appellatio manauit ad inſequentes imperatores, prorſus maior

Q. Cur. lib. 4.

Sueton. Aug.

Feſt. Auguſtus.

Plin. Paneg.
Epit. Liu.
Cenſor. cap. 21.
Caſſiod. in chron.

quàm Cæſaris, vt Zoſimus adnotauit. Ergo mortaliũ ſummis non tam eſt optandum vt ditionem augeant, quàm vt cupiditates minuant. Meminiſſe debent Africani poſterioris, qui ſolenni precationi non addidit vota augendæ rei Romanæ, ſed ſeruandæ. *Satis*, inquit, *bonæ ac magnæ ſunt. Itaque precor* [Deos] *vt eas perpetuò incolumes ſeruent.* Hanc ipſam votorum verecundiam exigo ab regibus & imperatore, ne tam imperium amplificare velint, quàm illud circumſcribere finibus tutiſſimis, & munire præſidijs firmiſſimis. Diuturnũ illud imperium eſt quod viget interna cõcordia. Quæ gens introrſus munita eſt, extrorſus impenetrabilis eſt. Hoc eſt ſingulare ſpecimen ſapientis principis, non appetere plura, niſi quatenus ſua reddere poteſt firmiora. Auguſtus ille formator imperij Romani conſilium cœpit non de amplificando imperio, ſed de coërcendo intra terminos; ne, videlicet, ſua magnitudine laborans, id quod in ſequente ætate accidit, in ſeſe rueret. Satis illi opũ & firmitatis eſt qui ſummæ curæ addit ſummam æquitatem. Vix vnquam regum clades ſunt ab inopia & imbecillitate. Auaritia, rapinæ, libidines, animus ingratus, hęc ſunt quæ & reges profligãt, & regna euertunt. Hinc intelligit imperator ſe non ideo dici auguſtũ vt ditione fiat auctior, ſed veriùs regnũ ſuum vt legibus fundatum morum & militiæ diſciplina, ciuiliſque concordia ſtabiliat. Nam corniculans luna, cuius totum diadema ſpeciem refert, quid ſignificet, infra dico. Zoſim. tir ſi. lib. 6. Val. Max lib. 4 cap. 1. Tacit. lib. 1. an.

CAPVT XIX.

Luna eſt pura & incorrupta. Non eſt Dea, ſed Deus. Solis & lunæ paritas. Lunæ quædam epitheta. Luna eſt confinium diuinorum & caducorum. Luna lux eſt genitalis & fœcunda. Plenilunium parturientibus propitium. Ab effectibus lunæ plura ſumuntur documenta imperatori neceſſaria. Imperatoriæ appellationis vera origo. Luna eſt terra, ſed ætherea. Quò minus aſpicitur à ſole hoc eſt tenebroſior. Luna tenebras colorat. Lunæ acceſſu & receſſu corpora augentur & minuuntur.

NON quod lunam vt fœmineum, imbelle, inerſque ſymbolum, ac ſole minus ſibi adſignati, ægrè ferat imperator. Primùm quicquid de ſole ac rege dixi, id omne imperatori expetit vt regi. Quippe ad culmen imperatorium nonniſi per regiam magnitudinem aſcendi poteſt. Adde quod priſci ſapientes exiſtimarunt, lunam eſſe ἄχραντον καὶ ἁγνὸν ἴσον ὅμοιον τῷ ἡλίῳ, incorruptam, & puritate æqualem ſoli. His accedit parilitas ſexus. Neque enim Dea eſt, ſed Deus. *Apud Carrenos qui lunam famineo nomine putauerat nuncupandam, is mulieribus erat veluti mancipatus. At* Phornu. in dia. Spartian. in Carac.

verò qui marem Deum eſſe credebant, is credebatur dominari vxori, nec vllas pati muliebres inſidias. Unde quamuis Ægyptij, vel Græci eo genere quo fæminam hominem, etiam lunam Deam dicant, myſticè tamen Deum dicunt. Itaque Ægyptij quoque, teſte Plutarcho, huic ſyderi vtrumque ſexum tribuunt; putantque habere φυσιν ἀρσενόθηλυν naturam, marifæminam. Id ipſum tradit apud Platonem Ariſtophanes. Strabo ait, Mileſijs ſolem & lunam ſimiles ac pares eſſe, quòd ab his aëris temperies proficiſcitur. Æſchylus lunę aſſignat primum locum inter aſtra, eamque vocat aſtrum vetuſtiſſimum, noctis oculum. Stephano autore Æthiopes Ἀέτιων eandem faciunt cum luna, dicique volunt; vt Callimachus ait, παρὰ τὸ αἴθειν ab ardendo, vrendo, fulgendo, tanquam hæc non vni ſoli conueniant. Hæc de cauſa Statius poëta doctiſſimus lunam vocauit igneam.

Plutarch. περὶ Ἰσιδ. καὶ Ὀσιρ.
Plato in ſymp.
Strabo lib. 14.
Æſchyl. ἑπτ. ἐπὶ Θήβ.
Steph. αἰθιό-πιον.

Stat. li. 8. Theb.

> *Tempus erat iunctos cùm iam ſoror ignea Phœbi*
> *Sentit equos.*

igneam non tantùm luculenter, ſed & propriè dixit; cùm & ipſa adepta ſit cognomen φωσφόρος lucifera, quòd & ipſa lumen emittit, & circumiecta illuminat. Indidem eſt cognomen Dictinæ, quòd vim ſui luminis diffundat per vniuerſam terram. Hinc quoque dicta eſt σελαεννεοάεια, ὅτι σέλας νέον τε ἕνον ἔχει ἀεὶ, quod lumen nouum & vetus ſemper habet. Non ergo temerè eam Virgilius vocat aſtrorum decus. Portò lunam faciunt venatricem, quòd nunquam deficit, ſiue dum ſolem perſequitur, ſiue dum à ſole recedit. Id quod documento eſt, in quamcunque curam Imperator incumbat, id quicquid eſt, imperatoria alacritate feliciter prȩſtari. Denique luna dicitur confinium ætheris & aëris, ac veluti quoddam internodium diuinorum & caducorum. Hinc quoque docemur, eſſe in manu optimi imperatoris, diuinam maieſtatem generi mortalium conciliare ſtabilienda pietate, & ita adminiſtrando imperio, vt non ab homine, ſed ab numine regi videatur. Hac ratione quicquid lunæ eſt ſubiectum, ſimile redditur ijs quæ ſunt ſupra lunam, hoc eſt, incommixtum malis, purum, ſyncerum. Quomodo in lunari effectu vis vniuerſæ naturæ proditur, ita imperiali culmine, tamque ſublimi regimine quicquid pertinet ad ſalutem vniuerſi imperij continetur. Cæterùm propter æqualitatem ſolis & lunæ vtrique ſimul Athenienſes rem diuinam faciebant, impetrandæ ſoboli. Atque adeò cùm lunæ lux ſit genitalis & fœcunda, & humectans, propitia quoque eſt genituris animalium vt naſcantur & plãtarum vt germinent. Eâdem ratione tua ſumma virtus, imperator, fœcundandæ vniuerſæ imperij tui ditioni idonea eſt; vſque eò, vt quęcunque poſteritas naſcitura eſt,

Phornut. Dia.
Plato in Crat.
Virgil. 9. Ænei.
Etymo. τριτοπάτορες.
Plutarch. περὶ Ἰσιδ. καὶ Ὀσιρ.

te agnoſcat ſicuti parentem, vt ſupra de rege dixi. Porrò vt plenilunium eſt parturientibus propitium, ita principis potentia, vel cùm maxima eſt, inuenta eſt progignendæ felicitati publicæ. Vt luna fulgens ea quæ concepta ſunt alit & fœcundat, quomodo & quandoque interimit, ita imperator quicquid in imperio ſuo ita conceptum eſt, vt ſalutare eſſe poſſit, auget; eâdem ratione qua quicquid deprehenditur eſſe noxium, perdit. Vt lunam alia aſtra inuocant, vt inquam, hæc noctiluca ſimulatque extulit candidum iubar, radianti face minora ducit aſtra, quæ vnam ipſam ſuſpiciũt, ita Imperator, principes ac primores, denique omne conſortium ſummæ curæ Cæſareis auſpicijs, & imperatoria prouidentia rebus agendis admonuet. Nullus horum niſi imperatoria autoritate vigere poteſt. Illud quoque ſibi imperator idemtidem ſubijcit, ſui culminis proprium eſſe ducatum, & hoc vocabulum eſſe partum militiæ, & alumnum caſtrorum. Et primò quidem hæc vox nihil aliud demonſtrauit quàm hunc quem dico, ducatum, hoc eſt, munus nixum induſtria, duritia, vigilantia, fortitudine. Quibus virtutibus tam arduis, tam exercitis, effectricibus publicæ tranquillitatis denique æquum fuit proponi præmium cumulatiſſimum, ſi præmium dici debet ea quæ eſt cura, ſiue onus regendi cuncta. Præclarum eſt defungi hoc aut illo publico munere, quis negat? At ceſſant omnia munia, ſi non priùs præſtitum eſt vt Reſpub. ſtet, valeat, floreat. Per quem hoc aſſequuntur homines, qui ſuis exſudatis laboribus, virtute & felicitate quietem rebus peperit, hunc antiquitas Romana nuncupauit imperatorem: & hanc appellationem verſo rerum ſtatu, ſupra omnes appellationes extulit: Denique huius ſummam dignitatem conſenſus vniuerſorum omnium dignitatum procreatricem fecit. quanquam & ipſi Romani principes, ipſi, inquam, imperatores non putabant ſe tales, donec hoc quoque cognomen ipſi magnitudine rerum geſtarum, vt ſummum decus, ſibi peperiſſent. Certè Traianus cùm Tigrim traieciſſet, & Cteſiphontem vrbem recepiſſet, αὐτοκράτωρ ἐπονομάσθη, imperatoris cognomentum adeptus eſt, priſco, ſcilicet, more, & ſicut vnus veterum ducum. Marcus item Antonius illo ipſo priſco more decimùm imperator eſt appellatus. Hæc fuerunt præclariſſimorum hominum iudicia, quæ nunquam decipiuntur vbi res loquitur, facta apparent, merita exſtant. Eſt ergo imperator & partus, & alumnus virtutis, & quidem militaris; cuius finis eſt publica ſecuritas. Quæ ſtatio exigit ab ipſo omnes virtutes; in his nullam mediocrem, nullam non viuidam, feruentem, excellentem. In his virtutibus potiſſimùm aduerti debet conſtantia, ne degeneret ab ſuis principijs, ſed qui armis rem reſtituit, eandem

Plutarch. κε- φάλ. καταχ.

Phornut. Dia.

Ariſtid. in Panath.

Xiphil. Traiano.

Xiphil. M. Anton.

ſapientia firmare pergar. Luna philoſophis eſt quidem terra, ſed aërea. Imperator etſi humano patre, humana matre natus eſt, ita tamen fungitur vice hominis, vt in ipſo diuinitas emineat, hoc eſt, virtus, diuinum germen. Nam ope virtutis qui origine eſt homo, factis apparet numen. Quò minùs luna aſpicitur à ſole, hoc eſt tenebroſior; quò magis eius aſpectu gaudet, hoc eſt lucidior & candidior. Quò longiùs imperator recedit à præſcripto diuinæ legis, hoc eſt diſſimilior Dei, cuius vices quaqua patet imperium, agit; hoc eſt gentibus infeſtior & inuiſior. Quò magis id agit vt ſe ſuaque Deo probet, hoc vniuerſos conſtat eſſe feliciores. Vt lunæ ea eſt vis vt ipſam atritatem dealbet, denſiſſimamque caliginem coloret. Ita Imperator perenni prouidentia, quæ quandoque fuit triſtiſſima, lætam reddit faciem rerum; bellum pace, ſterilitatem fœcunditate, pericula ſecuritate mutat. Tum obſcuras facinoroſorum artes lumine diuinæ mentis irradians ſollerter deprehendit vt opprimat. Nullum terreſtre aut aquatile corpus acceſſu lunaris luminis non augetur, receſſu non decreſcit. Eadem eſt ratio imperatoriæ virtutis, à qua quicquid regitur tempeſtiuis incrementis lætatur. Quicquid ipſi hominum improbitate ſubducitur, malè perit.

CAPVT XX.

Luna Græcis eſt μλώις. Eſt confinium vitæ & mortis. Luna habet quatuor hebdomadas. Luna è quo veſtigio diſceſſit eôdem redit. Luna vehiculo iungitur mulus. Lunæ triplex nomen. Nouilunium. Plena luna tumeſcit Oceanus. Defectus lunæ gentibus terrorem incutit. Magicis artibus luna detrahitur cœlo. Luna operatur ratione ſine vlla vi. Luna eſt ἄρτεμις. Somnium de amplexibus lunæ. De Endymione quædam. Luna toti hemiſphærio æqualiter illuceſcit. Mos Romanæ nobilitatis ferendi lunulas in calceis. Vicariatus imperij.

Etymol. μλὼς. LVNAM quidam vocant μλώιν, ὅτι μετεμβύης εἰς ἄκρον τῆς σελλώνς πληρεῦται ὁ μλώ, quoniam diminuta ad ſummum luna, impletur menſis. Vt ſol annum curſu, ita luna menſes è quibus cõſtat annus, ſuis circuitionibus conficit. Quo plura imperator ſuis affectibus demit, hoc glorioſiùs implet munia ſua. Lunam aiunt mortalibus eſſe confinium vitæ & mortis. In vno imperatore eſt omne inſtar aut ſalutis, aut perniciei, eius quæ pertinet ad vniuerſos. Luna habet quatuor hebdomadas, veluti quatuor ætates. Primæ quidem,

nempe cùm diuidua eſt, proprius eſt humor, veluti naſcentis & prima incrementa recipientis. Alterius iam tumidioris proprius eſt calor, iam, ſcilicet, eius adoleſcente luce è patentiori aſpectu ſolis, & imminente plenilunio. Quo peracto, ac iam decreſcente lunaris luminis circulo, tertia fit ſiccior, vt ab ortu remotior; mox maiori diſpendio tenuior. Hanc denique ſequitur caua, eademque quarta, lumine iam deficiente frigidior, & proxima deliquio. Ad imperatoriam ſapientiam maximè pertinet, tempora diſcriminare; hoc eſt, rerum naſcentium germina diligenter fouere; in adultioribus ſedulò elaborare; promotis, ac prope perfectis non immoderatiùs geſtire: nunquam licentiùs agere: ſed omnium rerum proponere ſibi vltimam neceſſitatem: ſic ſtatuere, Nihil eſſe ſub cœlo quod non tandem denaſcatur ac vaneſcat, ſi non accurſu priſtinæ virtutis idemtidem renaſcitur, recentatur, vegetatur: veluti luna, ſimulatque defecit, ignes recolligendo pulchrior apparet ac vegetior. Quippe hæ ſunt vices rerum inconſtantes, fateor, ſi anguſtos temporum circuitus conſideremus: At ſi maieſtatem naturæ, ſi eius in menſtruis curriculis miracula, ſi vim virtutis omnium reſtaurattricis attendimus, inueniemus eas eſſe ſtatas, inuiolabiles, immutabiles, perpetuas, atque adeò in perpetua inæqualitate perpetuo æquales. Imperator non vna ſemper, eademque ratione res hominum adminiſtrat. Diſcernit rationes imperij naſcentis à pubeſcente ac floreſcente: item floreſcentis à ſeneſcente. Luna è quo veſtigio profecta eſt, eôdem redit: quo momento finit, illo ipſo luci redditur. In hoc rerum humanarum æſtu, propter caſuum varietates, propter tot ac tam crebras rerum viciſſitudines imperatoria virtus ici aliquando poteſt. At perfici ne ſeſe renouet & colligat, & iuueneſcat, id verò minimè poteſt. In Lunæ carpento ſubiugis eſt mulus, cui non è ſuo genere genus eſt, nam equo creatur. Quo ſymbolo fides fit, lunam non ſua ſed aliena, hoc eſt, ſolis luce lucere. Imperator ita animum inducere debet, ab ſe nihil quicquam, niſi autore Deo aut incipi aut perfici poſſe. Quicquid illud eſt quod ſuis votis conſonum eſt, eſſe gratuitum munus diuinæ bonitatis. Lunari ſyderi aſſignatur triplex nomen, numenque, Nam in cœlo eſt Luna, in ſyluis Diana, apud inferos Proſerpina. Imperatori omnes imperij partes, nulla excepta, ita demandatæ ſunt, vt in ſingulis ipſum æquum ſit apparere præſens, & ſalutare numen, cuius vi omnia regantur. Nouilunium rebus agendis cenſetur initium auſpicatiſſimum; iſque dies Hebræis erat feſtus. Imperatori etiam atque etiam videndũ quo quamque rem omine agere inſtituat. At nullum omen eſt verius & auſpicatius pietate &

Plin. lib. 8. c. 54.

prudentia. Ergo litet his victimis. Hæ ei aues haud dubiè addicer. Plena luna tumeſcit Oceanus. Plerunque fit, vt valida imperia inhient alienis, conterminarum, inquam, gentium iniurijs laſciuiãt; cùm tamen Dei permiſſu ea re exoriantur, vt in ipſis ſit fida tutela gentium. Defectus lunæ multis mortalibus haud immeritò terrorem incutit. Tunc verè deſperationi affinis terror hominum mentes occupat, cùm imperator diſcedit à Deo, ſeque vitijs merſat. Statim vt imperatoriæ facis lumen obſcuratur, quid cuiquam vltra ſperandum? imò quid non deſperandum? Quædam maga his verbis gloriatur, ſe lunæ imaginem cælo detrahere poſſe.

Petr. Arb. Satyr. 58.

—— luna deſcendit imago
Carminibus deducta meis; trepiduſq́ furentes
Flectere Phœbus equos, reuoluto cogitur orbe.

Hinc imperatori exiſtimandum relinquitur, nihil quicquam ſibi adulatione eſſe peſtilentius. Vt maga lunæ, ita adulatio verbis venenatis principi obſtrepere audet; eique omne decus, omnemque dignitatem eripere. Cui ſi tu, ſumme hominum, fortiter & animosè reſtiteris, in irritum abibunt conatus eius. Enimuero adulatores itidem vt magas mentiri palam eſt. Et has ne impune quidem id, quo falſiſſimè glorientur, conari conſtat. Teſtis Aglaonice filia Igemonis, quæ aſtrologiæ ſciens, præuiſo lunæ defectu, promiſit ab ſe, lunam cœlo deductam iri. Nec longum tulit. Nam ſtatim amiſſo quodam è ſuis, multiſque miſerijs conflictata, graues audaciæ pœnas dedit. Vnde vetus illud in eos qui

Schol. Apoll. Rhodij lib. 4.

merito ſuo multis malis excipiuntur, ὅτι τὴν σελήνην κατασπᾷ, quòd lunam detrahit. Eadem ratione ſi tu imperator, non tranſilieris fines pietatis, te nemo concutere, te nemo loco dimouere poterit. Si is es qui eſſe debes, tum tu conſtanter age; ſperne minas hoſtium; ne metue coniurationes improborum. Nemo te impune laceſſet. Luna ratione operatur, abſque vlla vi; eiuſque opera manant à ſapientia, cùm effectus ſolis ſint à vi & robore. Ideoque fabulantur Herculem ſoli, Mercurium lunæ adhærentem vnà

Plutarch. περὶ Ισ. καὶ Οσιρ.

cum ipſis omnia luſtrare. Imperatori vi vti non aliter licet quàm ſi priùs ratione expertus ſit. Si hæc compeſcendæ improbitati parum efficax eſt, parumque felix, tum verò quod ratione inſtituerit ne dubitet vi peragere. Lunam Græci vocant ἄρτεμιν ἀπὸ τοῦ

Phornut. Apoll. & Dia.

ἀρτεμέας ποιεῖν, hoc eſt, ὑγιεῖς ab eo quod facit ſanos. Principi homines quòd viuunt, quòd valent, quòd ipſos viuere iuuat, acceptum ferunt. Siquis per quietem putarit ſe lunæ amplexibus illigari,

Artemid. lib. 1. cap. 83.

autore Artemidoro, hoc ipſi vtile ſomnium eſt. In his ſunt naucleri, gubernatores, mercatores, peregrini & errones. Quibus adnumerantur illi qui in cœleſtium contemplatione verſantur.

Ratiò

Ratio eſt, quod ſine ope lunæ ſpeculationes conſiſtere non poſſunt. Atque adeò ſunt qui, ijs reiectis quæ de Endymione poëtæ mendaciter narrant, aiunt eum omnium mortalium primum adieciſſe animum ad eam philoſophiæ partem quæ verſatur in *μετεώροις*. Huius tam nobilis egregiique ſtudij opportunitates accipiebat à lunæ motibus & luce, cuius circuitiones & numeros inuenit, dum noctes huic contemplationi impendit ſomno abſtinens, quem interdiu capiebat. Certè huius tanti beneficij ipſe ſe lunæ debitorem profeſſus eſt. Si imperator vigilante cura, & ad cœleſtem facem ſuam omnem adminiſtrationem explorauerit, præclariſſimis experimentis comperiet, non ſibi temerè aſſignatum eſſe hoc lunæ ſimulachrum, quo non aliud eſt ſui muneris ſignificantius. Atque hæc quidem etſi vera ſunt, non tamen alia reijcio quæ de hoc ipſo Endymione, quanquam fabuloſa, poëtæ tradunt. Cùm enim luna eſſet in complexu Endymionis in monte, cui nomen Aſelina, ſiue Latmon, cætera loca fuerunt obſcurata. Id quod lunæ meritò imputari potuit. Hinc Imperator omneſque adeò principes etiam atque etiam monētur nūquam ipſos vni alicui ita pronos eſſe oportere, vt ſe ſubducant alijs. Nempe ex hoc contemptu eſt iuſtus dolor, alienatio, odia, turbamenta. Itaque, vt luna toti hemiſphærio æqualiter illuceſcit, ita imperatoris eſt ſumma æquitate agere, omnes mortales pari beneuolentia complecti, nuſquam lethales tenebras offundere; ſed omnia ſuo ſalutari lumine conueſtire. Sic putet, ſe, ſi degit in contubernio virtutis vndique & vbique ſummis veriſque laudibus efferri. Si venit in complexum voluptatis, ibi eſſe vbi fœdis compedibus detinetur, in loco, ſcilicet, anguſto, turpi, & latebroſo, vbi conſpici cuilibet infimæ ſortis homini, nedum imperatori ſummum dedecus eſt. Cæterùm, Plutarcho autore, nobiliſſimus quiſque Romanorum lunulas ferebat in calceis. Id quod ipſe ait geſtantes admonere immortalitatis animæ, aut certè humanarum vicium & inconſtantiæ, ac proinde modeſtiæ. Hæc tibi, imperator, vehemens admonitio eſt, ne cuiquam temporariæ felicitati nimis confidas; ſed modeſtè agas, vt qui momento ex iſto tanto faſtigio in ima deijci potes. Sic ergo habe & imperator, & quiſquis vices imperatoris alicubi agis, tibi, ſi nunquam virtutem deſerueris, imperium fore firmum. Id quod quàm verum ſit, haud certiùs explorare potes quàm ex affectibus obedientium. Si places, ſi volentibus, ſi lætis imperas, nulla te vis concutiet. Si es implacidus, & immanſuetus, in lubrico te eſſe puta. Si vi tantùm imperium obtines, maiori vi tibi extorqueri poteſt; ac precariò imperas. Si iuſtitiam colis, ſi quantus ſis magnis beneficijs intelligitur, tum

Scholiaſt. Apoll. Rhod. lib. 4.

Etymol. ἀσέλινα.

Scholiaſt. Apoll. Rhod. lib. 4.

Plutarch. κε-φάλ. κατηχ. ῥωμ.

verò quia regnas in animis hominum, omnia quæcunque tui poſſident tua eſſe ſcito. Hodie, quod aduertendum, priſtina illa imperatoria poteſtas ſi non penitùs contracta eſt intra fines Germaniæ, ſaltem non ferè longiùs excurrit quàm in Italiam, & in conlimitia Galliæ, in quibus ipſis eſt admodum retuſa & hebetata, propter nimiùm frequenter conceſſos iſtos imperij vicariatus perpetuos. quos quò pertinuiſſe dicam, niſi ad minuendum, dehoneſtandum, lacerandum imperium? Gratiæ paucorum, videlicet, dati ſunt, ex qua planè orta eſt pernicies imperij. Nam quid aliud eſt agere alicubi perpetuum vicarium imperij, quàm in propria ditione iactare ſe Auguſtulum vix vllo reſpectu Auguſti? Hinc, inquam, magnum validumque imperium, aut ſaltem paruæ magni imperij reliquiæ traductæ ſunt ad prouincialia dominia, quæ plerunque popularibus deprehenduntur eſſe intolerabilia. Nam ipſa imperatoris ditio, autoritas, poteſtas, hodie eſt vmbra nomenque imperij, non imperium.

CAP. XXI.

De bractea quæ ambit ſuperiorem partem diadematis imperialis. De mundi effigie quæ eſt in ſummitate huius diadematis.

IN imperiali diademate aſpicitur bractea aurea & gemmata, incipiens à media lamina, quà tegit mediam frontem, vndeque incipit ambire vacuum illud diadematis interuallum, quod in ſpeciem lunæ ſinuari dixi. Hæc bractea deſinit in aliam laminæ partem quæ eſt in occipitio media. Ita fit, vt habeat ad latera vtrumque cornu, quæ ſunt culmina diadematis, vnum dextrorſum, aliud ſiniſtrorſum. Summitas huius bracteæ ſuſtinet globum effigiem mundi. Id quod haud dubiè inuentum eſt repræſentandę maieſtati imperatoriæ. Mundus eſt omnium parens. Nam ad eum prima cuiuſque rei origo perducitur. Ita quantum eſt hominum qui viuunt ſub tutela imperatoris, quòd ſecurè, quòd feliciter agunt, imperatorio numini acceptum referunt. Mundus eſt vnus. Vnius imperatoris nutu omnia adminiſtrantur. Vnus tantum nomen poſſidet; vnus tale faſtigium inſidet. Mundus omnium rerum ordinem vnus citcumagit. Imperator in ſingulis imperij partibus præſtat omnium rerum prouidam diſpoſitionem, eam, cuius vi omnia pulchreſcunt, hoc eſt, ordinem. Vt mundus ſine illo ſummo opifice ſtare non poteſt, ita ſine hoc tanto ductore, ſine hoc capite omnia machinæ imperialis membra nutant. Mundus, diuinum opificium, in ſingulis ſui partibus ſubinde

mutatur; nec vlla vſpiam eſt quæ diu eadem maneat. Imperatoriæ prudentiæ eſt pro re mutare conſilia, rationeſque tantæ curæ, prout expedit. Neque enim id eſt leuitatis, ſed ſapientiæ. Mundo, quòd in ſe omnia ornamenta continet, nihil eſt ornatius. Imperatoria virtute nihil ſpectabilius, quia nihil quoque mortalitati eſt conducibilius. Mundi præceps velocitas à nullo mortali oculo, quamlibet acerrimo aduerti poteſt, niſi demum conuolutis rerum vicibus. In imperatoria maieſtate repoſita ſunt arcana illa ſanctiora, è quibus eſt in omnia regimen. Hæc tamen cuiuſmodi ſint, non prius palàm eſt, quàm fuerint ſua bonitate cognita, & ita ad res collata, vt ſatis conſtet, nihil melius eligi potuiſſe. Nempe, lætitia proſperi euentus metuſ præuertit; felicitas adeſt ſæpius inexpectata. Quicquid in hominis notitiam cadere poteſt mundus ſua magnitudine complectitur. Humana, pia, ſubiectis conuenientiſſima exiſtimatio hæc eſt, Vigilem imperatoris oculum, diuinamque mentem nihil eorum fugere quibus ſumma cura continetur. Mundum ſapientię cultores firmant eſſe σφαιροειδῆ rotundum. Cui rotunditati nihil officiunt illæ quæ aſpectui noſtro ſunt inæqualitates, hoc eſt, tum depreſſa in conualles & abyſſos, vaſto præcipites hiatu, tum in ardua aſpectu iuga, aliaque in admirabiles altitudines euecta loca. Quam, ſcilicet, inæqualitatem deterit magnitudo mundanæ molis, quæ vbique teres, vbique æqualis, ſuique ſimilis eſt. Etſi quædam in rerum adminiſtratione frequenter occurrunt quæ ingenijs ægris, ieiunis & querulis præbent occaſionem inconſultarum vocum, ratione tamen ſuſcepta eſſe, denique fatendum eſt. Quippe omnium rerum cauſæ rationeſque librantur in trutina cenſoriæ mentis. Omnia excoquuntur, perpoliuntur & conſummantur in illa ſumma ac generali notitia imperij, cuius ſedes eſt in pectore tanti principis; nempe loco tam excelſo poſita, vt nihil tam altè lateat quod ſe illi ſubtrahere poſſit. Hæc eſt altiſſima illa ſpecula, vnde ſummus principum omnia proſpicit, interna, externa, proxima, longinqua, ardua, depreſſa. Hinc componit rerum opportunitates; hinc reijcit improbanda, dubia differt; manum inijcit probis. In placitis, electis, probatis acquieſcit, Quæ omnia quò minùs vulgo innoteſcunt, hoc ſunt imperatorio lumini cognitiora; his probat prouidentiam, vigilantiam, bonitatem ſuam; his lætatur in arcano ſapientiæ ſuæ. Ex his fides fit, nihil in illo deprehendi inæquale apud quem eſt regula omnis æqualitatis, iuſtitiæ, ſanctitatis. Dorilaus, Cenſorino autore, ſcripſit mundum eſſe organum Dei. Mundi typo, quem Imperator capite geſtat, ipſe docetur *Cenſorin.c.13.*

ſe vniuerſis illud eſſe, quod mundus eſt diuinæ maieſtati. Eſt ergo. Imperator miniſter Dei in hoc electus vt in imperio perſtet ad vices ſummi numinis. Vt mundus conſtat ſocietate cœli, eorumque omnium quæ cœleſti ambitu continentur, ita imperij partes coaleſcunt ad ſplendorem nominis imperatorij; ſub tanti numinis tutela, ſub patrocinio, inquam, tantæ maieſtatis fiunt indiuiduæ, imperuiæ, impenetrabiles. Sphæra mundi vergit in centrum. Mundi centrum eſt globus hic terreſtris quem incolimus; qui etſi eſt circumfuſus aquis, ita tamen libratur vt ſit ſolidus, firmus, nulla vi ventorum mobilis, nulla vi fluctuum mutabilis. Perſpicuè palàm eſt Imperatorem parum eſſe ſua maieſtate tutum, ſi non nititur perpetua incolumitate ſubiectorum. Hoc eſt imperatorium pedamentum: hoc ipſum ſummi culminis ſolidamentum. Ergo indiuidua ſunt imperator & imperium, hoc eſt, ſalus eorum omnium qui ſunt in ditione imperij. Felix eſt is princeps qui felicibus imperat: firmus, qui nihil ſibi & ſuis diuiduum facit: vndique tutus is, qui quam ſibi, eandem vniuerſis operam præſtat, in perpetua ſanitate is, qui ſe colit vt caput, vniuerſos regit ea cura qua quiſque propria membra. Mundi duas partes faciunt, quarum vna agit, altera patitur. Illa eſt immutabilis: at hæc obnoxia neceſſitati vicium & mutationis. Illa diuinam, hæc humanam ſapientiam repræſentat. Eadem ratione etſi conſilia imperatoris ſunt prouidæ mentis argumenta, atque vt diuina æquum eſt eſſe rata, & immutabili ratione nixa, tamen quia rebus humanis accommodari debent inconſtantibus, fluxis & caducis, neceſſe eſt, modum proferendi ea temporibus aptari, occaſionibus applicari, opportunitatibus variari. Ibi diuina ſapientia, hîc ſe humana imbecillitas exerit. Mundus eſt templum Dei. Quicquid in ipſo eſt, cultui diuino deſtinatum eſt. Imperium eſt ditio & habitatio imperatoris, ſacra vt numinis, ampla vt magni regnatoris, tuta vt aſylum. Hîc eius virtutes præcipuo cultu celebrantur vt numinum. Meritò. Nam qui eſt pater patriæ, qui cura, affectu, effectu, ſubiectis vt proprijs liberis adeſt, quærit, proſpicit, hunc æquum eſt vniuerſorum erga ſe experiri animum gratiſſimum. Hoc eſt ipſi in aduerſis ſolatium, in proſperis gaudium, in dubijs hortamen, in ancipitibus incitamentum. Hanc æſtate meſſem metit, hoſce autumno fructus imperialis ſollicitudinis percipit. Denique,

Vt cœlum ac terras, campoſq; liquenteis
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit; totamq; infuſa per artus — *Virgil. lib. 6. Æneid.*
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Inde hominum, pecudumq́; genus, vitæq́; volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq́; hebetant artus, moribundaq́; membra, &c.

Ita putandum eſt, imperatorem eſſe illum ſpiritum, qui intus alit, intus vegetat omnem imperij molem, quæ ſic animata eſt ἀγήρως καὶ ἄνοσος, nec ſenectutem nouit, nec morbos. Hæc eſt illa mens tanti corporis; hæc eſt illa rectrix tantæ molis; hæc eſt illa gubernatrix tantæ nauis; hæc eſt exploratrix omnium virtutum, inuentrix commoditatum, & procreatrix felicitatis publicæ. Sub huius tutela & omnia pericula depelli, & præſentia bona æternari poſſunt. Hæc illa ſunt quæ per mundi ſpeciem, quod eſt culmen imperialis diadematis, ſignificari puto.

CAP. XXII.

Corona ducalis. Ducum alij maiores, alij minores. Vtrique demonſtrantur. Vtriuſque ducatus corona ſunt promiſcua & cur. Cur minores duces geſtent coronam Ducalem.

DVCVM alij ſunt maiores, alij minores. Maiores voco illos quorum dignitas proximè accedit ad regiam. Et hos quidem duces in tantam magnitudinem, & claritatem euectos video, vt tot mihi reges videre videar. Id duplici ratione accidit; propter genus, ſcilicet, propterque opes & autoritatem. Et verò quod ad genus attinet, vix vllus iſtorum non ſe antiquis regibus oriundum profitetur. Ergo ita ſunt duces, vt eâdem ſint principes prioris generis, de quo infra dicam. Hoc tam excelſo loco aſpicio illa Germaniæ columina, illa Italiæ magna nomina, alioſque qui etſi inter ſe nondum etiam ſatis conueniunt de προεδρείᾳ, tamen id faſtigij inſederunt quod eſt regio proximum. Hinc fit, vt hi omnes vnius ordinis eſſe cenſeantur; omnes propemodum ſuſpiciantur vt reges; longeque antiſtent illis quos voco minores. Et quidem minores duces ſunt illi, qui ſunt in ditione maioris poteſtatis, regiæ, imperatoriæ, Pontificiæ. Iſtis, videlicet, dati ſunt ducatus, hoc eſt dignitas & feudum quod hoc nomine demonſtratur, ea lege & conditione, vt iuri & iuriſdictioni datoris per omnia ſubiecti ſint haud ſecus quàm quilibet è vulgo. Tales fuerunt maiores duces in ditione imperatoris antequam darentur eis Vicariatus imperij, de quibus dixi. Cæterùm minores hi duces multùm

exſtant inter eos qui fulgent alijs feudorum dignitatibus, propter eas cauſas, quas infra memorabo. Sed multùm quoque cedunt illis maioribus. Nam hi in ſua quiſque ditione ferunt ſe vicarios imperij, quandoquidem ibi omnia obeunt imperatoria munia. Atque adeò quidam ex his audent vocare quoſdam regum in certamen opum, potentiæ, nobilitatis, non etiam dignitatis. Neque enim reges, quemadmodum hi duces, regnant permiſſu maioris poteſtatis; nullas dominandi leges accipiunt à celſiori culmine, qui per omnia ſunt ſui iuris. At horum ducum nullus eſt, qui quicquid poteſt pollétque, non id omne diplomate ſibi fateatur eſſe conceſſum; Qui non idipſum ſolenni more profiteatur, nempe in ipſo ducatus aditu, aut certè primis in ſpatijs regni, imperij, pontificatus, prout is dux huius aut illius eſt cliens, aut beneficiarius. Fatentur, inquam, & profitentur, ſe eſſe in clientela, ſub tutela & patrocinio maioris & eminentioris poteſtatis; id eſt, quòd dominantur, quòd eo loco ſunt, tantumque iuris vſurpant, id verò ſe habere muneris alieni. Moſchum excipio, qui ſe æquat regibus, atque adeò ſe ſuper reges collocat, cùm à nobis ſola cenſeatur appellatione magni ducis. At cæteri Europæ duces ſe regibus minores & inferiores hoc ipſo profitentur, quòd ipſi per ſe, aut certè ad id miſſa legatione, genubus eius aduoluuntur, cuius beneficio tales ſunt; cuius in ditionem dedunt ſeſe, ſuáque adeò omnia alienæ poteſtatis & arbitrij faciunt. Quam ad humilitatem vix quiſquam Europæ regum adigitur, aut demittitur. Nam in terris regio faſtigio nihil quicquam excelſius. Nihil rex nec intra, nec extra ditionem ſuam non infra ſe poſitum videt. Verè Diotogenes qui dixit regem eſſe in mundo veluti figuratum Deum. *θεὸς ἐν ἀνθρώποις παρεσχαμάτισται.* Eiuſdem hæc ſunt verba, *ὅτι θεόμιμον ἐστι πρᾶγμα βασιλεία*, regnum eſt negotium imitans Deum. Stenidas ait regem eſſe *ἀντίμιμον καὶ ζηλωτὰν τῷ πράτῳ θεῷ.* imitatorem & æmulatorem primo Deo. Primum Deum vocat illum qui natura & ab ſe talis eſt; regem alterum Deum, nempe illius & progeniem & imitationem. Illum in vniuerſitate rerum, hunc in terris; Illum perpetua, hunc temporaria ſapientia inclytum. Quid? hic ipſe Stenidas philoſophus Pythagoræus vult regem virtutibus nihilo eſſe minorem Deo. Et hi quidem ſunt maiores duces, multo excelſiores illis quos voco minores. Nam hi regio diplomate hac tam ſublimi appellatione honeſtantur, quę eſt nota ampliſſimi, fateor, & perpetui honoris, eius qui tra͂ſit ad hæredes, ſed qui ſanè circumſcribitur intra omnia officia clientium, ſiue, vt iura feudorum loquuntur, vaſſallorum. Quippe horum vrbibus, caſtris, domicilijs, agris dicuntur leges. Perſonis item nihil

Stob. λόγ. π. βασ.]

Stob. ibid.

quicquam conceſſum, quo eximantur imperio regis, & iuriſdictioni publicæ, haud ſanè magis quàm quilibet extremæ plebis homo. Sed, videlicet, iſti eò faſtigij ſublimantur à regibus, vt ſint, quibus addita amplitudo rerum tractationi decus pariter & autoritatem addat. Sæpe tempus adeſt quo talium illuſtre nomen & excellens autoritas rebus agendis & promouendis intelligitur eſſe neceſſaria. Sæpe ductandus exercitus; ſæpe patria propugnanda, aut vltro laceſſendus eſt hoſtis; & aliena inuadenda; ſæpe illuſtres legationes obeundæ; ſæpe alia regnorum ſolennia peragēda. Enimuero tali re ac tempore nonniſi à magnis nominibus magnæ res patrantur. Ipſi quoque reges regiam maieſtatem hinc muniunt; ſeque tunc regiè incedere putant, cùm ſe tanto flore circumfuſos, taliq́ue præſidio ſtipatos vident; qui hos habent ſicuti aſſiduos cuſtodes, præcipuoſq́ue ſatellites maieſtatis. Certè & hîc ſolem reges imitantur, qui quamlibet ſolus tantuſq́ue, tamen ſtellis circumfundi amat. In hoc quoque Neptuno ſunt ſimiles, cui cùm, autore Platone, plures eſſent liberi è Clitone ſuſcepti, ipſorum vetuſtiſſimū, cui nomen Atlas, vniuerſæ inſulæ Atlantidos regem conſtituit. cæteros legit ἄρχοντας magiſtratus, ſeu principes, huius tantæ curæ, non etiam poteſtatis conſortes, & adiutores quales hodie hi duces ſunt regibus. Auro, quod eſt pretioſiſſimum omnium metallorum, multa pretioſa connaſci dicuntur, minora tamen ipſo, veluti argentum, æs, taliaq́ue. Ita regi neceſſariò adhærent στρατηγία, καὶ δικαστική, καὶ ῥητορεία, ducatus, iudicia, facultas eloquendi. Et hac quidem ratione vtroſque duces diſcriminari poſſe puto. Vtriuſque tamen ducatus coronæ, quod mirere, ſunt promiſcuæ, etſi regijs ſunt ſimiles. Quippe in vtriſque lamina aurea quæ caput ambit, pretioſis quoque lapillis diſtinguitur. Ex hac lamina exeunt flores, & folia. certè id, quicquid eſt, nihil aliud eſt quàm materia florea, foliacea, frondea, læta, laſciuiens, ſuaque ſerie laminam inumbrans. Quo effigiatu ſupra dixi repræſentari coronam querceam, hoc eſt, ciuicam, in qua folia ſunt quercea. Hac fronde, vt iam dixi, Auguſtus in numiſmatibus euinctus aſpicitur, quòd hæc frons eſt veriſſimum ſymbolum ſalutis & ſecuritatis publicæ, quæ maioribus ducibus eſt credita ſicuti regibus. Nimirum, his ducibus, vt ſi ſint reges, tales coronæ conuenire videntur, vt inſignia ſuæ dignitatis, quæ quàm proximè accedit ad regiam. Nam quòd inſigniuntur lamina coronaria inumbrata folijs, in hoc verò quodammodo ſint ſimiles regibus. At quòd ea corona è ſuperiori parte tota patet, cùm regum coronæ ſint clauſæ, docemur ipſos eſſe infra dignitatem regiam. Regnum eſt αὐτοφυὴς ab ſe natum, &

Plato in Crit.

Plato in Polit.

nullius maioris beneficio obnoxium; proprijs, inquam, auſpicijs, ſuaque vi nixum. At hòrum ducum, quamlibet latè dominantium, coronæ effigiantur apertæ, vt in quibus eſt etiam & beneficio & incremento locus. Quippe natura comparatum eſt vt germinantia creſcant, & floreſcentia matureſcant. Hoc vt fiat vtraque imbre aliquo etiam irrorari, augeri, promoueri oportet. Ergo hi duces tali corona fidem faciunt, ſe ibi eſſe, vt ſublimiorem poteſtatem, cuius magnitudine nituntur, propitiam experiantur, illi ſuos auctus acceptos referant. At ſublimis, ſummaque poteſtas, hoc eſt regia, imperatoria, pontificia clauſo diademate demonſtratur, quòd quæ in alijs germinant apud hos perducta ſunt ad maturitatem; quæ alibi incipiunt, aut procedunt, hîc ſunt perfecta. Ne multa; hæ ſummæ poteſtates illud magnitudinis faſtigium inſederunt, ſupra quod aſcendi non poteſt. Huc accedit ipſa appellatio dignitatis ducalis, quæ ſanè aſſurgit maieſtati regiæ. Et verò regni vocabulum multò latiùs patet quàm ducatus. Regnator, idem eſt ductor. Non contra. Et hinc, ſcilicet, eſt omne diſcrimen coronarum, ſeu diadematum regiorum & ducalium. Quòd autem minores duces, regumque vaſſalli tam diuite, tamque ſpecioſa corona vtuntur, id adeò hinc fieri credo, vt qui in honorem ducalis appellationis euecti ſunt, hi quoque inſigniis ducalibus non arceantur; ne minùs quàm imperatoris celebre ſit beneficium regis. Sed imperatoris conceſſu imperatoria iura maiores duces vſurpant, cùm vix vnquam reges ijs quos creant duces, quicquam concedant quo regia iura minui poſſint. Titulos tantùm & ornamenta ducalia illis tradunt, quorum omne decus ſemper ad datorem recurrit. Certè reges iuuat aſpicere duces ab ſe creatos illis ipſis inſignijs præfulgentes, quibus conſpicui ſunt ij quibus id iuris imperatorio diplomate, vna cum imperij vicariatu datum. His addo, meritò ducibus, ſaltem maioribus, conceſſum fuiſſe ius geſtandi diadematis. Quippe id non nouo, ſed priſco more fieri inuenio, quo id ipſum licuit tyrannis, quibus aſſimilo hodiernos maiores duces. Cuius rei exemplum eſt Lampichus Galeorum tyrannus. Hic cùm à Mercurio iuberetur ponere omnia, priuſquam pedem imponeret in cymbam Charontis, diadema, inquit, tantùm permitte vt habeam, & epheſtridem. Cui Mercurius, Minimè, inquit. Et hæc pone. Alibi quoque Charon Polycrati Samiorum tyranno tribuit diadema.

Lucian. in Dial. mort.

Lucian. Char.

CAP. XXIII.

CAP. XXIII.

De ijs qui vocantur principes. De appellatione & munere principis. De ducatu. Ducatus & principatus dignitates reciprocantur, ſeq́; inuicem excipiunt. De diſcrimine quod eſt inter maiores & minores principes. De comitatu, & Comitibus, & horum corona. Barones hodierni, & horum corona, ſiue ſtrophium.

ADSVNT & principes, nunc quidem detrita vi appellationis Auguſtæ, quæ olim vnum Romanum principem ſignauit, hoc eſt, ſummum eorum hominum qui incolebant orbem Romanum. Et verò principatus hodiernus eſt nota duarum dignitatum, quarum, vt de ducibus dixi, vna maior, altera minor. Maiores principes vocô illos quibus eſt è regia proſapia ſtemma, quique ſucceſſionis ordine & hereditario iure regiæ maieſtatis faſtigium inſidere poſſunt. Rectè Socrates apud Platonem, Siquis, inquit, ex rege naſcitur, rex eſt nominandus. Et ſiue diuerſis, ſiue iiſdem ſyllabis idem ſignificet, nihil intereſt. Ergo etſi iſtis nec datus eſt vllus neque ducatus, neque marchionatus, neque comitatus, nihilominus cenſentur generali appellatione principis, veluti nati in regia familia, eaque quæ nonniſi principes edit. Ideo maiores duces, qui ferè ſe regibus ortos ferunt, principum quoque generali & vſitato vocabulo honeſtantur, vt qui regię aut imperatoriæ maieſtatis radio coruſcant. Cæterùm vtraque appellatio nempe ducis & principis naturæ ordine facilè reciprocatur. Certè nomine principatus demonſtratur is quem ſignaui, ordo naturæ, cuius ductu itur ad iura ſucceſſionis, hęreditatiſque regiæ. Nomine ducatus militaris atque adeò imperatoria cura. Sed vt natura illud quod prius, illudque quod poſterius eſt pariter creauit, ita illi quod prius eſt, tam ipſa quàm conſenſus hominum videtur aſſignaſſe ducatum, ſiue imperatorias partes; illi quod poſterius, obſequium, hoc eſt ſequendi & obſequendi officium, ipſam inquam, patendi neceſſitatem. At princeps propriè is eſt qui alicubi primum locum obtinet. Eſt enim principatus priùs vocabulum ordinis quàm poteſtatis. Itaque principi hoc ipſo quòd primus eſt, natura cenſetur tribuiſſe ducatum, hoc eſt, onus & curam ducendi cæteros. Apertiùs omnem rem promo. Is qui princeps, hoc eſt primus eſt in municipio, in ciuitate, in republica, haud dubiè tuendo iuri publico, & ſtabiliendæ ordinum concordiæ imponitur. Ille ipſus in hoc quoque inuentus, vt non

Plato in Crat.

domi ſolùm primo loco ſit, verùm etiam in exercitu, in imperio, in periculis, aggrediendo, pugnando, vincendo, qualis Agamemnon quem Homerus facit vtrumque, nempe τ' ἀγαθὸν κρατερόν τ' αἰχμητὴν, bonum, fortemque pugnatorem. At ducatus eſt munus illius qui hæc omnia ſimul exequitur, quem virtus ducit ad victoriam, victoria ad triumphum, qui à triumpho, denique rectà pergit ad ſummum locum, hoc eſt, illud decus cui inditum nomen principatus. Ergo verum eſt, vtramque dignitatem reciprocari, & altera alteram vicibus excipi. Quotidie videmus, illum qui princeps eſt, hoc eſt, qui primo loco in Repub. eſt, qui ciuibus loco capitis eſt, neceſſitate adigi ad ſuſcipiendum ducatum, nempe, re trepida. Vt ſapienter Diogenes dixerit, tria eſſe regis opera, in quibus primus eſt locus τῷ στρατηγεῖν ducatui. Alter iudicijs, tertius pietati. Eundem ducem ſcimus perfuncto ſibi militiæ laboribus præmium proponere primum & altiſſimum locum, illum, qui quietis Reipub. temporibus eſt principatus, ſumma ac perpetua dignitas, quæ cenſetur hoc nomine; illa ipſa quę, repub. ancipiti, efficaciùs ſeſe prodit nomine & munere ducatus. Itaque non ſolùm ambæ cenſentur concordi germanitate, verùm & vnitate: in hanc ſententiam verè Ariſtoteles alicubi ait, belli ac pacis tempus regiam poteſtatem comprehendere. Hinc palàm eſt, vix illi quæſtioni locum relinqui, vtra harum dignitatum ſit potior, vtra excellentior, quæ veriùs ſono vocis, & mutatione muneris diſcriminantur, quàm origine & effectis. Nec tamen ſum neſcius, vtramque maiorum poteſtatum diplomatibus hodierno die proprijs quibuſdam notis diſtingui, quæ apud me non tanti ſunt, vt in his memorandis operam abutar. Quicquid notabilioris diſcriminis hîc eſt, id ferè omne deprehenditur inter principes maiores & minores, vt dixi de ducibus. Nam hîc quoque minores principes voco illos qui ſtemma nequaquam ducũt à regibus, ſed quibus eſt conceſſus ager, vrbs, ditio, feudum, cui nomen principatus, ciuſque domino ac poſſeſſori permiſſum vt vocetur princeps, propria, nimirum ac peculiari appellatione, quæ talem dominum diſtinguit ab alijs aliorum feudorum dominis, hoc eſt, marchionibus, comitibus, baronibus. Nempe, hi omnes in hoc ſunt ſimiles, vt ſint in perpetua clientela, atque adeò in ditione regum. Hic quoque minor principatus eſt minori ducatui æmulus; neque cui prærogatiuam des, facile dictu eſt. Quippe omnis res pendet ab arbitrio regnantis, cuius in ditione vterque eſt. Enimuero maiorum principum dignitas nec datur codicillis, nec emitur vllo pretio, ſed eſt vnius munus naturæ. At hæc

Stob. ὑποθ. τῶν στρατ. ιβ.

Stob. ὑποθ. π. βασ.

poſterior vt quæri, ita amitti poteſt vt res aduentitia. Iſti tamen qualeſcunque principes plerunque eadem corōna vtuntur, qua maiores & duces & principes. Nam hæc quoque frondibus & folijs exhilaratur è lamina prodeuntibus; fortaſſe propter eas cauſas quas innui, cùm de maioribus ducibus egi. Superioribus adnumero Comites, hodie quidem longè ſecus quàm olim fuit, minoris loci homines, quàm minores duces, minoreſque principes. Nam quos Romanus imperator iens in bellum, aut imperij ditionem perluſtrans adſciſcebat in comitatum, eoſdem cenſebatur adſumpſiſſe in conſortium curarum principalium; ijque plerunque adhibebantur ijs miniſterijs quibus maxima quæque conſummantur; denique iſtis vti propemodum vt oculis, brachijs, manibus, ſicuti ex omni hominum genere lectis, atque à principali prouidentia ad maxima quæque deſtinatis. E tanto, tam arduo, tam nobili munere hoc quoque vocabulum tranſijt ad notam perpetuæ, & hæreditariæ dignitatis. Indidem eſt *πάτριος στέφανος*, illa corona hæreditaria, argumentum auitæ laudis, decoris, præmiorum. Nam vt aliæ coronæ, hęc quoque transfertur ad poſteros, ac ſicuti à nobili trunco ad felices ramos, traducéſque porrigitur. è quibus *Pollux lib. 3.*

——primo auulſo non deficit alter *Virgil. li. 6. Æn.*
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

Hæc comitum corona conſtat è circulari lamina, cui hærent tres lapilli. Supra laminam vt plurimùm eminent tres vniones magnitudine conſpicui; aut certè continua ſeries minorum vnionum, qui & in extremitatibus laminæ, & ſuper ipſa media duplicantur aut triplicantur, cæteriſque eminentiores aſpiciuntur, ſicuti illa margarita tribacca Indica. Marchionum quoque nomen illos deſignaſſe aiunt, qui imperij marchis, hoc eſt, limitibus tutandis præfecti fide, fortitudine, felicitate meruerunt vt hoc quoque nomen referretur inter præcipua decora pacis, certè inter potiſſima, ac perpetua ornamenta ſtrenuiſſimæ familiæ. Sed vt minorum ducum, minorúmque principum ſublimitates haud magno, atque haud ſcio an vllo, interuallo diſtant, ita comitum & marchionum æmulæ dignitates hodiéque aſpiciuntur. Vſus item altioris aut depreſſioris coronæ, gemmatioris aut ſimplicioris, folioſioris aut laxioris, maioris item & minoris honoris, hoc eſt, honoratioris aut inferioris ſeſſionis & loci variat pro ingenijs locorum, aut diplomatibus regum aut Cæſarum, à quibus iſti eminentium honorum tituli manarunt. Equidem tam comitum, quàm marchionum coronam *Petron. Arbit.*

cum Prudentio dixerim perpetuam gemmam, ſiue aurum perpetuum.

Prudent. pſychom.

Gemma relucenti diadema amplectitur auro.

His proximi ſunt Barones, hoc eſt, è nobilitate primores. Atque adeò quandoque hac appellatione Baronum vniuerſus ordo nobilium, cuiuſcunque gradus aut dignitatis ſint, continetur. Baronibus licet geſtare non quidem laminam integram, & latam, ſed tenuiorem ac reſtrictiorem, ac veluti circulum ſiue gracile vinculum aureum. Hoc puto repræſentari priſcum illud στρόφιον, hodie etiam ab vera nobilitate ſuper inſignijs & galeæ cono vſurpatum, quod connumerari inter ornamenta excelſiorum capitum, ac diſtingui à corona, docent hæc Artemidori verba; huic quidem aliquam præfecturam prædicit [magnum caput] in quo corona, aut ſtrophio, aut diademate opus habebit. Ariadne quoque apud Catullum deſcribitur,

Artemid. lib. 1. cap. 18.

Catul. Argon.

Non tereti ſtrophio lactanteis vincta papillas.

Hic eſt locus monendi marchiones, comites, barones, eoſque omnes quibus conceſſum eſt vt caput euinciant eâdem prope forma, qua prima diadematis pars repræſentatur. Hinc enim docentur ſe à regnantibus aſſumptos eſſe in primam regni partem, quod eſt conſortium eius curæ, qua vna ſummum illud faſtigium nititur. Nempe vt omni loco ac tempore principi ac Reipub. ſint acres adiutores in hac tanta, tamque ardua adminiſtratione. Ei adſint perpetua fide & vigilantia. Sua ſingulari opera, omnique virtutum genere omnibus præeant. Vbicunque conſtiterunt, ibidem principem veluti exſcriptum referant maieſtate armatum, autoritate venerabilem, iubendi poteſtate validum, denique vi regij numinis vbique præſentem. Exploratum mihi eſt, hæc poſſe dici ſpatioſius & inflatiùs, nego veriùs & ſimpliciùs, præſertim ab eo, qui id ſedulo cauet, ne tranſiliat fines inſtituti ſui. Neque enim de hodiernis dignitatibus ſcribere inſtitui; ſed quicquid huius feci, id ea mente feci, vt cuilibet ante oculos ponerem ſpecies earum coronarum quibus hodierni dominantes vti conſueuerunt.

CAPVT XXIII.

Pilei ducales. Libertas duplex. Pileus eſt ſymbolum libertatis non ſolùm priuatæ, ſed & publicæ. Pileus geſtamen regum. Sacerdotes pileati. Legati pileati. Cur pileus ducalis ſit pellitus. De priſco vſu pellium in veſtibus, vaſis, tabernaculis militum, diuerſo genere armorum, ſacris, nauigatione.

DVCALES capitis notas in Germania aduerto non tam eſſe coronas aut diademata, qualia deſcripſi, quàm galeros, ſiue pileos, & quidem pellitos, nullis gemmis, vnionibus, lapillis conſpicuos, ſed inſperſos notulis, ſiue punctulis nigris velleri ingenitis. Ducalis pilei ſuperior pars, ea quæ eſt ſupra ambitum capitis, quibuſdam inciſuris diſtincta conſpicitur. Ipſius quoque pilei ſuperiores extremitates vtrinque conſurgunt in patentiorem formam. Ipſe totus lætiore ambitu, & grato oculis amplexu caput vincit. Certè magnificentia formæ ſpectantes inuitat ad illud, quicquid eſt, diligentiùs intuendum; ac proinde quid ita ſic effigietur, quidque ſignet, ſollertiùs inueſtigandum. Primùm, huic voci dicimus ineſſe ſummam dignitatem. ſiquidem & ipſa aſtra à ſapientibus dicta ſunt πιλήματα ἀδιάλυτα αἰθέρος, pilei indiſſolubiles ætheris, vt diſtinguantur ab ijs quæ haud longo interuallo ab hoc ſenſu Ariſtoteles vocauit πιλήματα νέφους. Ipſa luna dicta eſt eſſe πίλημα τὸ ἄκρατον αἰθέρος. non ſynceram coactionem ætheris. Deinde, quòd pileus eſt, pronum eſt interpretari illud eſſe argumentum libertatis. Libertas eſt duplex. Eſt enim vegeta illa vis in animo cuiuſque, quæ parere ſcit, ſeruire neſcit. Eſt in Repub: licentia dicendi, faciendique quicquid dici, fierique æquum eſt. Vtramque, opinor, ſignat pileus ſpecie tam auguſta. Vt ambæ omnium hominũ propriæ ſint, at hanc poſteriorem ſibi Germani vindicãt. Non paucæ è prouincijs Europę ſeruituti vſque eò ſunt aſſuetę, vt, quòd etiam ſeruiunt, id quoque didicerint ſi non dolere, at conqueri. Germania omnimodę ſeruitutis impatiens iamdiu eo rerum ſtatu lætatur qui trãquilliſſimus eſt. Id quod de populo Rom. dixit M. Tullius hodiequidẽ fortaſſe Germani æhaud abſurdè cõuenit. *Aliæ*, inquit, *nationes ſeruitutẽ pati poſſũt. Populi Rom. eſt propria libertas.* Vt cœlũ ſalutaribus luminibus diſtinguitur, ita Germanica libertas ſublimibus tot ducum, principumque præſidijs nititur. Ergo hi duces ac principes quam ipſi animis ingeneratam habent, hanc ipſam, quatenus legitimi dominatus ratio finit, populis libertatem præſtant. Satis eſt ipſis ſi modeſtè, & ex ingenio gentis dominantur, non

Philo π. ὀνείρ.

Ariſtot. de mundo.

Philo π. ὀνείρ.

Cic. Philipp 6. orat. 49.

ſuperbè & iniurioſè. Huius tantæ rei certiſſimus index eſt ſublimis ille ſublimium capitum pileus. Pileum olim fuiſſe ſymbolum libertatis, etſi notius eſt quàm vt probari neceſſe ſit, tamen enodatiùs rem tradam quàm vulgo fieri video. Itaq; aio, pileum fuiſſe indicium recens adeptæ libertatis. Hoc docent hi Plautini verſus,

Plaut. Amphtr. actu 1. ſc. 1.

Niſi & is quoque me ignorabit. Quod ille faciat Iupiter;
Vt & ego hodie raſo capite caluus capiſe capiam pileum.

hoc eſt, faxit Iupiter vt ego qui hodie geſto caput raſum, quod eſt argumentum ſeruitutis, eaque re dici poſſum caluus, capiam pileum, quod eſt quotidianum geſtamen manumiſſorum. Ideoque quoties ſeruo homini dabatur libertas, dicebatur vocari ad pileũ; vt apud Suetonium, *Seruiſq; ad pileum fruſtra vocatus, in Siciliam profugit.* Venum tamen ibant quidam ſerui contra morem pileati; ij, ſcilicet quorum nomine venditor nihil præſtaret, vt è Cælio Sabino Gellius tradidit. Hoc dempto, quiſquis pileatus aſpiciebatur, hic ſui iuris eſſe cenſebatur. Flaminij de rege Philippo triumphãtis currum nõn vnus, ſed duo milla ciuium Rom. pileata comitata ſunt, quæ Punicis bellis intercepta, & in Græcia ſeruientia cura ſua collecta in priſtinum gradum reſtituerat. Ergo pileus erat argumentum nuperæ libertatis; & ferebatur à recenter manumiſſo τῷ πρεσβύτας ἀπελευθερωμένῳ in honorem patroni, hoc eſt illius qui cum libertate donaſſet. Hoc exemplo *Q. Terentius Culleo, pileo capiti impoſito, Scipionem triumphantem ſecutus eſt, aperta profeſſione*, Scipionem eſſe ſuæ libertatis autorem. *Pruſia rex notatus eſt vt indignus maieſtate tanti nominis, quòd pileatus capite raſo obuiam ire legatis Romanis ſolitus eſſet, libertumq; ſe populi Rom. ferre.* Hæc fuit priuata cuiuſque ſeruitus, cuius mutatæ in libertatem pileus index erat. vbi aduertendum hunc pileum fuiſſe album, vt diſertim Diodorus de Pruſia tradidit. Sequutis temporibus pileus publicæ quoque libertatis argumentum fuit. Cùm coniurati ab ſe Cæſarem, regem ac tyrannum ſublatum eſſe clamarent, pileum lanceæ impoſuerunt, ſignum libertatis, cui reſpub. eſſet reddita. *Mortuo Nerone*, inquit Victor, *adeò cuncta prouinciæ, omniſq; Roma interitu eius exultauit, vt plebs induta pileis manumiſſionum, tanquam ſæuo exempta domino triumpharit.* Memorat Strabo, Parthenias, cùm conſpiratione & agmine facto in cæteros impetum facturi eſſent pro adipiſcenda libertate, conueniſſe cum Eilotis vt in foro ſignum tollerent pileum Laconicum. Et hæc quidem eſt prima dignitas pilei, quæ apud alias gentes eſt altiùs euecta. Nam pileum Dioſcurorum capita texiſſe, tradit Philo. Hunc ipſum regum Ægyptiorum atque Æthiopicorum fuiſſe geſtamen, Diodorus Siculus autor eſt. Hos pileos ait eſſe oblongos; ac ſerpentibus

Sueton. Tiber.

Gell. lib. 7. c. 4.

Plutarch. Tito Flam.

Liu. lib. 25.

Val Max. lib. 5. cap. 2.

Plutarch. ἀποφθ. βασιλ. καὶ στρατηγ.

Liu. lib. 35.

Polyb. ecl. legat.

Diod. ecl. leg.

Appian. Alex. lib. 2. bell. ciu.

Victor in Ner.

Strabo lib. 6.

Philo περὶ πρεσβ. πρὸς Γαι.

Diodor. Sic. lib. 4 antiq.

ijs, quos aſpidas vocant, circumuolutos. Quod eſt inſigne documentum, eos qui audent inſurgere in regem mortiferis morſibus eſſe obnoxios. Earundem gentium ſacerdotes inibi Diodorus ait eſſe pileatos; Quæ fortaſſe ſunt illę quarum alicubi mētio eſt apud Lucianum. Quod ad exemplum Dialem Romæ pileatum fuiſſe cōſtat. Cui tamen non licet mori pileato, ne, ſcilicet, inſigne ſacerdotij ſit inter feralia. *Diceneus Gothus,* inquit Iornandes, *è Gothorū gente elegit nobiliſſimos prudētiores viros quos theologiam edoctos fecit ſacerdotes, nomen illis pileatorum contradens, vt reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant. Reliquam verò gentem capillatos dicere iuſſit.* Apud multas gētes honeſtiſſimus quiſque erat pileatus. Certè hic mos apud Septentrionales fuit receptus, vt de Scythis tradit Lucianus, vbi ait Toxarim Scytham nec regij fuiſſe generis, neque è pileatis, ſed è plebe vnum. Nempe ibi Lucianus vocat πιλοφορικὸς τῶν τιμωτέρων, honoratiores. Exſtat legatio Decebali, qui ad Traianū legatos miſit τῶν ἀρίστων τῶν πιλοφόρων ac ſi dicas, pileiferos. Hi enim, inquit, apud ipſos ſunt honoratiores. Et hæc quidem de pileo. Sed quid ita ſit pellitus, vſque adhuc, quod ſciam, eſt rationis incompertæ. Dici tamen ſi non poſſunt vera, at ſaltem veriſimilia & probabilia, vt per hæc quiſque pro ingenio contendat ac penetret ad vera. Primi homines duro, vt ille ait, robore nati,

Lucian. de Sy. Dea.
Appian. Alex. lib. 2. bell. ciu.
Iornād. de geb. Goth.
Lucian. de Scy. ſiue hoſp.
Dio in Traian.
Xiphil. Traiano.
Dio ἐκλ. πρεσβ.

Nemora, atque cauos montes, ſyluaſq́, colebant,
Et frutices inter condebant ſqualida membra.

Lucret. lib. 5.

Poſtea cœperunt, videlicet, admonitu neceſſitatis, *vti*

Pellibus, & ſpolijs corpus veſtire ferarum.

Qui veſtitus exin fuit proprius hominum agreſtium.

Verbera pellitus ſetoſa mouebat arator.

Propert. lib. 4.

Hic præſertim fuit indutus præclariſſimi cuiuſque venatoris, vt de Aceſte lumen poëtices canit Virgilius,

At procul excelſo miratus vertice montis
Aduentum, ſociaſq́, rates occurrit Aceſtes,
Horridus in iaculis, & pelle Lybiſtidis vrſæ.

Virgil. lib. 5. Æneid.

Hic quoque fuit cultus priſcorum patrum, ruſtici, inquam, illius ſenatus, qui ab aratro & puluere vocabatur in Curiam, quæ

Pellitos habuit, ruſtica corda, patres.

Strabo lib. 15.

Indici ſapientiæ antiſtites; illi tam frugales, tamque continentes, cubabant ἐν στιβάσι καὶ δοραῖς, ſuper toris ac pellibus. Atque adeò pelles tranſierunt ad communem vſum. Nam & in pellibus ſedentes epulabantur. Et plebs pellibus veſtiri cœpta. Et quidem Lycurgus vetuit pueros ἱματίοις διαθρύπτεσθαι veſtibus, nempe laneis frangi, hoc eſt eneruari ac debilitari, verùm δερματίῳ δι' ἔτους συνεθίζεσθαι ſed pellibus per annum aſſueſieri

Etymol. δορεύκος.
Stob. è Xenoph. ἀπ. νόμ. λακεδ.

Strabo lib. 16. *Strabo lib. 16.* *Sen. epiſt. 91.* *Etymol. ἀσιμ.* *Cic. li. 2. Acad. quæſt.* *Tacit. Annal. lib. 13.*

Strabo vbi memorat venationem quarumdam auium, quæ magnitudine æquant ceruos, ait, harum pellibus, gentem cui nomen Strutophagi, indui, eaſque ſibi ſubſternere. Hic ipſe ſcriptor Trogloditas vocat δερματοφόρους, pelligeros, non plebem tantùm, ſed & illud par, virum, inquam, & vxorem, qui præſunt illi inſigni palmeto, cuius eſt nobilis apud ipſum mentio. *Magna pars Scytharum*, inquit Seneca, *tergis vulpium induitur ac murium; quæ tactu mollia, & impenetrabilia ventis ſunt.* Nimirum, quæcunque regio feris abundat, in ea ferinarum pellium vſus inualuit; qui vſque eò neceſſarius haberi cœptus eſt, vt à veſtibus peculiaribus tranſierit ad vaſa, quæ, ne frangerentur, facta quoque ſunt è pellibus. Denique hic vſus è late familiari cuiuſque meauit in caſtra. *In bello*, inquit Cicero, *ita magna rei militaris eſſe occupatio ſolet, vt non multùm imperatori ſub pellibus otij relinquatur. Retentuſq;*, inquit Tacitus, *omnis exercitus ſub pellibus, quamuis hyeme ſæua adeò, vt obducta glacie, niſi effoſſa humus, tentorijs locum non præberet.* Vſui quoque armorum adhibitæ pelles, ac protegendis militum corporibus. Nam è pellibus facti ſunt thoraces, quibus nomen, σισύλας, vt è Xenophonte Pollux adnotauit. Nec thoraces tantum, ſed & ſcuta, ſiue clypei ἐκ βοείων δερμάτων è bubulis pellibus. Ipſe Iupiter cùm contra Titanas inermis pugnam inſtitueret, acceptam capreæ Amaltheæ pellem pro ſcuto habuiſſe dicitur. Facta quoque ſunt militaria tegmina capitis, de quibus extat locus Virgilij,

Pollux. lib. 7. cap. 15. *Etymol. βοῦς σημαίνει δύο.* *German in Comment. ad Ara. Phænom. in Leone.* *Virgil. 7. Ænei.*

—fuluoſq; lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti.

Etym. γέῤῥα.

Sed & ipſa Perſica gerra conſtat fuiſſe δερμάτινα pellica. Nec verò militiæ tantùm pelles, ſed & religioni adhibitæ.

Virgil. 7. Ænei.

—huc dona ſacerdos
Contulit, & cæſarum ouium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſq; petiuit.
Hic & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus
Centum lanigeras mactabat ritè bidentes
Atque harum effultus tergo, ſtratiſq; iacebat
Velleribus.

7. Æneid.

Alibi de mulieribus lymphatis,

Aſt aliæ tremulis vlulatibus æthera complent,
Pampineaſq; gerunt incinctæ pellibus haſtas.

Virgil. 8. Ænei.

Sed & alibi in ſacro quod Herculi fiebat ob Cacum extinctum,

Pellibus in morem cincti, flammaſq; ferebant.

Hieron. epiſt. li. ep. 15.

Quinimo & ſanctitate inſignes viros pellibus incinctos legimus. In his Ioannem illum Chriſti prodromon, *qui fugit vrbes*, inquit

Hieronymus,

Hieronymus, *Zona pelliceacingitur, locuſtis alitur, ac melle ſylueſtri, & in typum pœnitentiæ prædicandæ, tortuoſiſſimi animalis veſtitur exuuiis.* Hoc ipſum de Hilarione tradit hic ipſe ſcriptor, *Igitur ſacco tantùm membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiſcenti dederat, &c.* Pelles quoque nauigationis comites aſſumptæ. *Hieron in vita D. Hilarionis.*

Nec minùs interea barbas, incanaq́ menta *Virgil. lib. 4. Georg.*
Cinyphij tondent hirci, ſetaſq́ comanteis
Vſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.

Xenophonte autore milites Cyri vltra Euphratem ſibi parabant commeatum, confectis ratibus ex iis pellibus quibus vtebantur pro tegumentis. Strabo memorat, milites Romanos falcatis haſtis diuulſiſſe carbaſa Venetorum. Erant enim, inquit, σκῦτα ex aluta conſuta propter vim ventorum. Et apud Cæſarem, *Pelles*, inquit, *pro velis, alutaq́ tenuiter confectæ.* Remis quoque aſſuebantur pelles, eaque dicebantur ἀσκώματα. *Xenoph de exped. Cyr. lib. 1.* *Strabo lib 4* *Cæſ. lib. 3. bel. Gall.* *Etymol. ἀσκώματα.*

CAP. XXV.

Vſus pellium in aulis regum. Pelles datæ victoribus. Pelles ſuper capitibus regum. Heroës pelliti. Fabula de ſpolio leonis Nemæi, quod fuit geſtamen Herculis. Exemplo Herculis cæteri heroës fuerunt geſtores λεοντῆς. Geſtare ſpolium leonis quid ſit. Talium ſpoliorum geſtores inuulnerabiles. Fabula de Atalanta. Propter ferarum ſpolia quandoque orta bella. Propria nomina horum ſpoliorum. Imitamenta horum ſpoliorum. Heroës excepti in pellibus ferarum. Pelles tranſierunt ad iudicia.

Hinc quoque vſus pellium tranſiit ad aulas regum, vbi plurimùm conſpectus. Ipſique adeo reges ac principes dicti ſunt pelliti.

——quoniam pietate propinqui *Sidon. Apollin. in panegyr.*
Expetis in media pelliti principis aula.

Pellitum principem vocat, non ſolùm pellibus amictum ob neceſſitatem ſed & propter dignitatem. Certè adnotamus, ſpolia ingentium ferarum victoribus loco præmij quandoque fuiſſe data.

——tergum Getuli immane leonis *Virgil. 5. Æneid.*
Dat Salio villis oneroſum, atque vnguibus aureis.

Nec tantùm pelles fuerunt in aula, & inter amictus principis, verùm etiam aſcenderunt ſuper capita regum Perſicorum, vt de candy regio tradit Pollux, quem aliquando ait conſtare è pellibus. Hinc rex admonetur eius fortitudinis, quam nullum pectus regio *Pollux lib. 7. cap. 13.*

anguſtius admittit. Sed non tantùm reges, verùm & ipſos heroas antiquitas pellitos exhibet. Hercules ille heroum ſummus vbique ſpectatur inſignis ingenti ſpolio leonis, & quidem acerrimi, cui caput eſt flauum. Is tantum ſpolium retorquet in terga ſua, ſcilicet, extra pugnam, vt in hoc Euripidis loco,

Euripid. Herc. fur. actu 1.

πρῶτον μ̃ Διὸς ἄλσος
ἠρήμωσε λέοντος.
πυρσῷ δ' ἀμφεκαλύφθη,
ξανθὸν κρᾶτ' ἐπινωτίσας
δεινῷ χάσματι θηρός.

primùm quidem Iouis nemus viduauit leone, fuluóque ſe texit, flauum caput in terga retorquens terribili rictu feræ. Talem Virgilius deſcribit Auentinum,

Virgil. 7. Æneid.

Ipſe pedes tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum ſeta cum dentibus albis
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat
Horridus, Herculeoq; humeros inuectus amictu.

Alibi Euandro pantheram donat.

Virgil. 8. Æneid.

Tum lateri, atque humeris Tegæum ſubligat enſem
Demiſſa ab læua panthera terga retorquens.

Idem Ornito dat pellem taurinam.

Virgil 11. Æneid.

Cui pellis latos humeros erepta iuuenco
Pugnatori operit.

Thom. Mag in arg. βατρ. Ariſtoph. Phornut. Herc. Germ. in Commẽt. ad Arati phænom.

Liber cùm deſcenderet ad inferos vnà cum Xanthio ſeruo, vt ibi videret Euripidem, induit Herculis λεοντῆν, καὶ ῥόπαλον, vt metum & admirationem obuiis iniiceret. Vtrumque enim, ſpolium, ſcilicet, & claua fuit argumentum generoſitatis. Vt leo eſt omnium ferarum generoſiſſima, ita claua eſt omnium armorum καρτερώτατον fortiſſimum. Hercules à Iunone miſſus ad exitium leonis Nemæi, eum iuſſu Euryſthei claua interemit. Exin is claua pro gladio, pelle pro ſcuto vti cœpit, nempe in pugna, aut cùm effigiatur ſicuti ſe accingens ad pugnam. Res tota ita narratur. Hercules cùm ad mala aurea perueniſſet, quibus draco cuſtos oculis inconniuiuis præpoſitus à Iunone fuerat, eum peremit. Qui labor ſummo numini dignus eſt viſus quem inter aſtra collocaret, & vtrumque ſyderibus inferret, ea ſpecie qua tantum certamen efficaciſſimè repræſentari potuit, nempe poſt deſectum caput ſerpentis. Ergo Hercules in genu ſtans, manibus altè ſublatis dextro pede contra draconem porrecto pingitur, vt hinc certaminis arduum intelligatur. Habet quoque pellem leonis in ſiniſtra manu, vt inſigne virtutis monſtretur. Nam leonem inermis interfeciſſe dicitur. Hinc eſt, quòd antiquitas pingens, aut fingens Herculem, eum

ſemper facit inſignem pelle, aut ſpolio leonis. Hoc habitu Ægle nympha hunc heroëm deſcribit apud Apollonium Rhodium.

> ἀμφὶ δὲ δέρμα πελώριον ἕστο λέοντος *Apollon. Rhod. lib. 4.*
> ὠμὸν, ἀδέψητον.

circa verò pellis ingentis ſit leonis ſæua, cruda. Dein factum eſt, vt geſtare ſpolium leonis nihil aliud ſit, quàm promere vim virtutis, verámque animi fortitudinem, cui omne robur corporis impar ſit. Et verò quoties Græci quempiam multa alacritate quidpiã ſuſcipere dicunt, vtuntur hac loquendi formula, μονονουχὶ τὴν λεοντῆν ἐπενδυσάμενος, tantùm non ſpolio leonis incinctus. *Plutarch. π. τοῦ εἰ.* Itaque apud Platonem Socrates cùm laudibus Hermogenis excitaretur ad expediendam originem eorum nominum quibus quatuor virtutes demonſtrantur, quamuis rem arduam ſuſcipiat, tamen, Quando, inquit, leoninam pellem ſemel indui, minimè meticuloſè agendum, *Plato in Crat.* ſed fortiùs huic inquiſitioni inſiſtendum. Poſtea credi cœptum, tales talium ſpoliorũ geſtores eſſe Diis genitos, ac proinde inuulnerabiles. Nam hoc ipſo, quod tam horribili indutu inſignes inferebant ſeſe, nullis ictibus confici poſſe credebantur. Huiuſmodi eſt ille apud Lycophronem,

> ——ὃν χάρωπος ὠμηστοῦ δορὰ *Lycophr. Caſſ.*
> Χαλκῷ τορητὸν οὐκ ἔτευξεν ἐν μάχῃ.

quem crudelis leonis pellis in pũgna reddidit non ære penetrabilem, hoc eſt inuulnerabilem. Herculis imitatione cæteri heroës, quoties aliquid magnum & inuſitatum agitant, & ſuſcipiunt, induuntur pelle leonis. Nempe, hoc ſe geſtamine inſignes, terribiles, inuulnerabiles fecerunt. Tideum antiquitas ſpolium leonis in clypeo gerentem finxit, ſetis hirſutam

> λέοντος δέρος ἔχων ἐπ' ἀσπίδος *Euripid. Phœniſ. actu 4.*
> χαίτῃ πεφρικός.

Neque enim hoc loco pellem leonis clypeo inſculptam accipio, ſed ipſum ſpolium feræ clypeo adhærens. Certè apud Virgilium Æneas ſe, parentémque filiúmque Troiano excidio & incendio erepturus hoc ipſo ſpolio induitur,

> *Hæc fatus, latos humeros, ſubiectaq́ colla* *Virgil. 2. Æneid.*
> *Veſte ſuper, fuluiq́ inſternor pelle leonis,*
> *Succedoq́ oneri.*

Alibi,

> *Dat Niſo Mneſtheus pellem, horrentiſq́ leonis* *Virgil. 9. Æneid.*
> *Exuuias.*

Adraſtum Statius, vbi eum armat, hoc ipſo ſpolio inſignem facit,

> *Terga leo, gemino lucent haſtilia ferro.*

Idem alibi deſcribens ornatum armorum,

Stat. lib. 4. Theb.

—flauent capiti tergoq́; leonum
Exuuiæ, gentilis honos, & pineus armat
Stipes, inexhauſtis arctantur tela pharetris.

Alios diuerſarum ferarum ſpoliis ornatos legimus, vt Polynicem ἐν παρέργῳ. & Atalantam apri. Et de Atalanta quidem ſic ſe res habet, Omnes Græciæ primores conuocati fuerunt ad eum aprum occidendum, quem & quidem immanem, Ceres immiſerat in regionem Calidoniorum, quam ea fera vniuerſam vaſtabat. Interfectori præmium fuit propoſitum, ſpolium apri. In huius tantæ feræ dorſum Atalanta ſagittas contorſit. Eandem Meleager ſub ventre vulnerauit, & occidit. Is, capto ingenti ſpolio, illud Atalātæ dedit: Cùm Theſtij liberi hoc ipſum ſpolium Atalantæ eripuiſſent, Meleager ira incenſus, Theſtij filios neci dedit, ſpoliumque Atalantæ reſtituit. Hoc quoque exemplo Argus Areſtorides tauri atrū ſpolium hum[e]ris circumpoſuiſſe dicitur in his verſibus,

Apollon. Rhod. lib. 1. & ibi Scholiaſt.

Δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμφέχετ' ὤμους
Ἄργος Ἀρεστορίδης λάχνῃ μέλαν.

Vbi ſcholiaſtis hæc ſunt verba, σύνηθες τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν, conſuetum [fuit] heroibus pelles geſtare. Talia geſtamina à maioribus accepta generoſa poſteritas, vt ſua, animosè ſeruabat, ſaltem in clypeis aliiſque armis effigiata, quem Statius in loco ſupra citato vocat gentilem honorem. Spolium vrſæ Mænaliæ vnà cum ſecuri dicitur fuiſſe ſpolium Anchæi,

Apollon. Rhod. lib. 1.

Βῆ δ' ὅγε μαιναλίης ἄρκτου δέρος ἀμφίτομόν τε
Δεξιτερῇ πάλλων πέλεκυν μέγαν.

Ibat autem hic Mænaliæ vrſæ pellem, & ancipitem dextra vibrās ſecurim magnam. Camillam Virgilius pro mundo muliebri donat exuuiis tigridis.

Virgil. 11. Æneid.

Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ
Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.

Strabo lib. 15. Adnotatum eſt, Sibas, gentem Indicam, ſignum Herculei generis ſeruaſſe pelles quibus amiciebantur. Hîc obiter obſeruo, ſpolium Pollux lib. 5. cap. 2. leonis propriè dici λεοντῆν καὶ δορὰν, pardalis παρδαλῆν, non πόρδαλιν, vrſi ἀρκτῆν, vulpis ἀλωπεκῆν, lupi λυκῆν, vituli μοσχῆν. Cæterùm tanta fuit talium geſtaminum dignitas, vt quandoque de his inter celeberrimas gentes armis ſit decertatum. Certè Ætoli & Acarnanes, cùm inter ſe parum obſeruarent iura viciniæ ob caput & pellem ſuis Calydonij mutuis ſeſe bellis contriuerunt. (Tzet. in primum lib. Heſ.) Theſdiadæ Oeneo & Meleagro bellum indixerunt ob caput & ſpolium ſuis. Strabo lib. 10 Solin. cap. 20. Horrendum & planè inhumanum eſt id quod de Gelonis memoratur, qui de cute hoſtium ſibi indumenta, equiſque ſuis tegmina faciebant. Quæ tamen omnia eò pertinebant, vt talium geſtori audacia, hoſtibus metus adderetur. Ariſtophanæus ille Piſthetæ-

tus Iridem minaciter alloquens, ait ſe miſſurum contra Iouem pluſquam ſexcentas aues παρδαλᾶς ἐνημμένας, indutas pardalis, ac ſi dicat, terribili ſpecie, quáque is ferre non poterit. Heroum imitatione priſci reges Deorū nepotes, & imitatores hiſce ſpoliis vt præ clariſſimis fortitudinis incitamētis vti voluerūt, potiſſimū in prælijs. Sed hæc, videlicet, erant imitamenta ſpoliorū, non ſpolia, quæ interdū magni reges, poſtpoſitis aliis inſignibus, vt rem magnā & magnificā, nō ſolùm capite, ſed & aliis corporis partibus geſtarūt. Plutarchus poſtquā egit de bellicis Oſiridis inſtitutis, addit, poſteros reges in prœliis cōſpici ferarum aureis, & argenteis pellibus circumamictos. Alexander eò deuenit, vt amicis ad eum conuenientibus, & petaſum in capite, & manu caduceum, nonnunquam leonis pellem, addita claua, Herculis imitatione geſtaret. Enimuero in Alexandro hic affectus, ob rerum magnitudinem, quamlibet dementiæ affinis, vtcunque ferri potuit. At in Caligula & in Commodo mera inſania, merúſque furor fuit. Quis non deſpuat cùm legit, illum vt ſibi adſciſceret opinionem & famam diuinitatis, æquaſſe ſe ſemideis Libero, Herculi, Dioſcuris, Triphoni, Amphiarao, Amphilocho? Quid ſemideos dico, cùm nō erubuerit maiorum numinū inſignia aſſumere. Mercurij quidem caduceum, petaſum & chlamydem, Apollinis coronam radiatam. Neptuni tridentem? Quæ certè faciunt vt minus iam miremur eum aliquando induiſſe ſpolium leonis, & manu geſtaſſe clauam, vtraque deaurata, caput etiā texiſſe pileo, vt Caſtori & Polluci aſſimilaretur? Quis æquo animo legat, Commodum in curru appoſitam habuiſſe hanc ipſam clauam Herculeam, ſubſtrata ipſi leonis pelle, ac, ne quid inſaniæ deeſſet, aſſumpto quoque nomine Herculis. Hanc inſaniam inſanire voluit Annibal, ſi modò illa ſunt vera, quæ exſtant apud Silium Italicum, qui ſæpe non minùs hiſtoricus eſt quàm poëta, —*iam membra cubili*

Erigit, & fului circumdat pelle leonis,
Qua ſuper inſtratos proiectus gramine campi
Preſſeras ante toros.

Mihi hunc ipſum Annibalem facit tectum humeros pelle lenæ.

fraternum lena nitebat,
Demiſſa ex humeris, donum quam fœderis arcti
Trinacrius Libyco rex inter munera pignus
Miſerat, Æoliis geſtatum inſigne tyrannis.

In illis præmiis, quæ hic ipſe poëta memorat data eſſe certaminum victoribus, meminit ſpolij leonini.

Aurifero perfuſa Tago villoſa leonis
Terga feri.

Ariſtoph. ὄρν.

Plutarch. π. Ἰσιδ. κ. ὀσιρ.

Athen. lib. 12.

Phi. ὁ. πρεσβ. πρ. Γα.

Sil. Ital. lib. 7.

Sil. Ital. lib. 15.

Sil. Ital. lib. 16.

Illud non omiſerim, morem antiquitus fuiſſe, vt ſummi heroës in pellibus, hoc eſt generoſiſſimæ alicuius feræ ſpolio exciperentur apud hoſpites, vt Æneas ab Euandro,

Virgil. 8. Æneid.

Præcipuumq́ toro, & villoſi pelle leonis
Accipit Æneam ſolioq́ inuitat acerno.

Et infra,

Dixit, & anguſti ſubter faſtigia tecti
Ingentem Æneam duxit, ſtratiſq́ locauit,
Effultum foliis, & pelle Libyſtidis vrſæ.

Ipſos heroum, ac ducum equos hac ſpecie ferinarum pellium cõſpicuos faciunt poëtæ. Virgilius de Chloreo,

Virgil. 11. Æneid.

Spumantemq́ agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam ſquamis, auro conſerta tegebat.

Et Statius,

Stat. lib. 4. Theb.

Cornipedem trepidos ſuetum præuertere ceruos
Velatum geminæ deiectu lyncis.

Quæ ſanè omnia euidente argumento ſunt, generoſiſſimæ cuiuſque feræ pellem apud ſummos mortalium fuiſſe in ſummo honore, vt illuſtre argumentum nunc regiæ, nunc ducalis, ſemper raræ & heroicæ fortitudinis. Cæterùm hæ pelles à militia & aulis regum tranſierunt ad iudicia. Quippe in togatis prœliis iudex, veluti diuina manus, litium portenta conficit. Meritò ergo hęc quoque ſummæ poteſtatis inſignia cum iudicibus fuerũt communicata, vt hinc ipſi reddantur auguſtiores, ipſáque adeò iudicia rata & ſancta. Qui mos quàm ſit vetuſtus, diſcimus è Claudiano.

Mœrent captiuæ pellito iudice leges.

CAP. XXVI.

Monitio ad principem. De pileo Eilotarum. Caninæ effigies. Lugentes erant in pellibus. De notis nigris pilei ducalis.

Hinc Duces, quantúmq; eſt eminentium poteſtatum admonentur antiquiſſimi cultus. Ipſe cultus identidem ſubiicit hoc, ipſos inſidere locum tam excelſum, vt campis ſubmoueāt irruptionem ferarum. Huius enim facinoris illuſtre documentum geſtant, non tantùm corpore, ſed capite potiſſimùm inſigne inſignis feræ ſpolium, exuuias, inquam, hoſtis, induuias ſuas. Neque alia materia veſtiendo principi conuenientior eſt illa, quam ipſe ſuo venatu, ſuis manibus, virtutéque peperit. Sed enim, ecquas putas eſſe has feras? Num leones, vrſos, lupos, cum quibus vetuſtiſſimo more totis ciuitatibus erant frequentia certamina, vt de

priſcis Athenienſibus tradit Plutarchus? Minimè. Sed hi, videlicet, ſunt hoſtes externi & interni. Illis, ſi ingruant, imò ne ingruāt, iuſta arma tempeſtiuè opponuntur. At hi ſunt multò quàm illi infeſtiores, ſi non maturè exturbantur. Nam geſtantur in ſinu; intra quęque noſtrū latent; ac dum fallaciter blandiuntur, tunc verò lethaliter vulnerant. Ergo his fortiùs inſiſtendū donec ceſſerint iniuſta poſſeſſione Hæc ſunt vitia, vitiorúmq; teterrimi fœtus, crimina, vtrorumque effectus, pernicies & infamia. Hoc genus hoſtis tam inſidioſi quî fieri poteſt vt princeps expellat ex hominum cœtu, è contubernio ſingulorum, è familiaritate, è penetrali cuiuſque, ſi non ipſe ſibi priùs hanc operam dedit? Hæc eſt omnium nobiliſſima pugna; hæc eſt fructuoſiſſima victoria, hic eſt triumphus omnium celebratiſſimus. Princeps hiſce ſpoliis onuſtus regaliter incedit; & caput pileo pellito, ſicuti coruſcante ſydere conſpicuum cœlo inſerit, imitatione heroum. Nam iſti, occiſa aliqua inſigni fera, continuò referebantur inter Deos. Talis deſcribitur ille apud Lycophronem. Plutarch. Sol.

> θεὸς δὲ πολλοῖς αἰπὺς αὐδηθήσεται
> ὅσοι περ Ἴου χῶρον οἰκοῦνται πέδον
> Δράκοντα τὸν φθείραντα Φαίακας κτανών.

Lycophr. Caſſ.

Magnus verò à multis Deus appellabitur iuxta cauum Ionis habitantibus ſolum, dracone perdente Phæacas occiſo. Dux talis pilei geſtor tantorum heroum animoſus imitator, atque adeò æmulator eſſe debet. Aliter ſi faciat, hoc geſtamen non habiturus eſt decori, ſed perpetui dedecoris, infamiæque notam. Et verò inſigne feræ dicetur impoſuiſſe capiti ſuo; & cui ſit cor ferinum, feram imitari malle quàm hominem. Talis fuit vecordia Dolonis illius, qui vix vlla virtute introrſus munitus, tamen auſus eſt inſignire caput ſuum ignauo terriculo. Eius hæc ſunt verba apùd Euripidem,

> λύκειον ἀμφὶ νῶτα θήσομαι δοράν,
> Καὶ χῆμα θηρὸς ἀμφ' ἐμῷ θήσω κάρᾳ.

Euripid. Rheſ actu.

Lupinam circa tergum ponam pellem. Et figurā feræ circa meum ponam caput. Quos verſus imitatus eſt Valerius Flaccus,

> *Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris*
> *Ibat adhuc aptans humeris, capitiq́; leonem.*

Val. Flacc. lib. 8. Argon.

Duci non ſolùm inſtrenuo, ſed & vitiis merſo impoſitus iſte θηρατηρὸς non dicetur eſſe ſpolium alicuius nobilis, inſigníſque feræ, ſed canis. Non illum dico vtilem canem, vigilem & paſtoritium, non venaticum & generoſum, ſed timidū, impurum, ignauū latratorem, crudelem, exugentem, exſiccantem, exedentem cadauera cuiuſmodi apud Bactrianos dicuntur fuiſſe ſepulchrales:

aut certè ſimilem illius Ariſtophanæi.

Ariſtoph. ιπ·π.

ὅς κέρκῳ σαίνων ὁπόταν δειπνῇς ἐπιτηρῶν
Ἐξέδεταί σου [δῆμε] τ' ὄψον, ὅταν σύ ποτ' ἄλλοσε χάσκῃς,
Ἐσφοιτῶν δ' ἐς τ' ὀπτάνιον λήσει σε κυνηδὸν
Νύκτωρ τὰς λοπάδας καὶ τὰς νήσους διαλείχων.

Qui cauda adulans quando cœna inſtat. Exedit tuum[populi]obſonium,cùm tu alibi hies.Ingredienſque culinam lambit te more canis noctu & ollas & inſulas. Talis fuit pileus Eilotarum, quem ipſis è canina pelle geſtare neceſſe fuit;ſicuti pelliceam veſtem induere, ſicuti vilem, ac luctuoſam, atque adeò teſtem illius miſerrimæ conditionis,cui eam gentem neceſſitas addixerat. Hæc Platoni eſt εἱλωτεία. Cui ſimilis fuit illa Mariandrynorum ſeruitus; Tum illa Theſſalica gens,quam vocant πενεστικὸν ἔθνος,gentem paupertati mancipatam. Huius ferè generis puto fuiſſe caninas illas Ægyptiorum effigies,de quibus Romam aduectis, vt illic quoque colerentur inter numina,hæc Prudentius canit.

Athen.lib. 14.

Plato lib. 6. de leg.

Prudent.lib. 2.contra Symmach.

Quaſdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies.

Minimùm dux eo loco indignus dicetur geſtare pellem non ſplendidam, & indicem tantæ dignitatis, ſed feralem, teſtemque luctus generalis & perpetui. Nam teſte Feſto,lugentes, vt hodie quoque pluribus locis in more eſt, in pellibus erant. Caueat ergo dux ne non pileatus,coronatus,aut diadematus dicatur,ſed criſtatus ſicuti gallus inſigni ſuperbia & ſalacitate; atque adeò vt draco θηρότροφος,φοινικολόφος,feriuorus,rubra,ignita,peſtilente criſta, nempe hominibus non ſolùm territandis,ſed & perdendis. Denique illi ducalis pileus eſt, præclariſſima nota excelſiſſimæ dignitatis, cui ſiquis caſus pileum capite decuſſerit, nudum caput tale oſtendat, quod tãto geſtamini omnes fateantur eſſe par. Nam quiſquis poſito hoc pileo, dirum,aut leue caput populo aſpiciendum præbet, is certè aut diris execrationibus excipitur, aut deridetur, ſicuti ille

Feſt.pellem.

In tetraſt. Gabrij.

φέρων λέοντος δέρμα τοῖς ὤμοις ὄνος,

ferens leonis pellem humeris aſinus. Cæterùm hanc pelliceam pilei tam nobilis materiam dixi eſſe interſtinctam & variatam notis nigris aut ſubfuſcis. Id quod quò pertineat,non eſt dictu pronum. Priſco quidem more hoc fieri, perſpicuum eſt è verbis Cornelij Taciti, quo auctore Germani gerunt ferarum pelles, *Proximi ripæ negligenter, vlteriores exquiſitiùs, vt quibus nullus per commercia cultus.* Eligunt,inquit,feras, & detracta velamina ſpargunt maculis, pellibuſq; belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotũ mare gignit. Cæterũ hic quidẽ liberet adhærere vulgatæ opinioni, ſi non

Tacit.lib. de mor.Germ.

ſi non aliud mihi ſeſe offerret ingenioſius, certè vtilius. Enimuero vt luna eſt interſtincta quibuſdam maculis nigris, quam vocant faciem lunæ, quæ oſtendit, hoc ſydus non eſſe coactionem ætheris planè ſynceram, cuiuſmodi ſunt cætera aſtra, ſed globum compactū partim ex æthcrea, partim ex aërea ſubſtantia; atque adeò vt ex illa nigredine fides fit, lunari corpori eſſe intermixtum aërem, qui natura eſt niger, ita Duces & principes, & quiſquis mortalium eſt altiſſimo loco poſitus, meminiſſe debet ſe eſſe hominem æthereum quidem & ſublimē, quà ſequitur quò ducit anima, & euehit ſe ſupra caduca & mortalia, ſed eundem multum retinere è contagione terreſtri, quæ ſenſim eſt expungenda multa infuſione cœleſtis lucis. Cæterùm hos qui hodie geſtantur, aiunt eſſe mures illos, quos vocant herminas, ob molliciem ac teneritudinem nobiles & pretioſos. Ex his ducalia plerunque conficiuntur paludamenta, tum ipſa ducum capitis inſignia. Huic indutui fateor electam fuiſſe leuiſſimam ac delicatiſſimam pellem. Quam tamen audeo firmare, non fuiſſe priſcum geſtamen ducum, ſed hodie eſſe priſci, grauioris, & ſeuerioris geſtaminis imitamentum; quale fuit Perſicū illud, quod Martialis videtur deſcribere in his verbis, *Philo π. ὄνειρ.*

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga,
Olidaq; veſtes murice. *Martial. lib. 1. epigr.*

vt vt eſt, hinc duces docentur, non quidem diſcedere à rigida illa priſcorum heroum, ducumque virtute; ſed eam condire illa humanitate, quæ nihil admittit crudum, nihil rude & informe; cuiuſmodi non pauca notantur in agreſti illa heroum vita, duriſque moribus, quamlibet vt plurimùm, fortibus & innocentibus, & laudatis. Non diſſocient innocentiam à ciuilitate: non hanc a ceteris virtutibus. Ita geſtent pelles teneras, vt ſint memores priſcæ duritiæ, & illius inuicti roboris, quod eſt proprium heroum. Sic ſtatuant, hermineam pellem, ſiue ea caput, ſiue corpus tegit, repræſentare tegmen alicuius feræ generoſioris, cuiuſmodi lynx eſt, qua & bellatores & venatores promiſcue vtuntur.

Heus, inquit, iuuenes, monſtrate mearum *Virgil. 1. Æneid.*
Vidiſtis ſi quam hîc errantem fortè ſororum
Succinctam pharetra, & maculoſæ tegmine Lyncis.

Huiuſmodi ferè eſt hyena, cuius ſpolium pro foribus propoſitum arcet tempeſtates. Eadem addita ſemini illud inoffenſum ſeruare dicitur. Aliæ ſunt aliarum pellium dotes. Certè hippopotami pellis terræ ſi indatur, dicitur arcere ſagittas. Cribrum è pelle lupi conſtans augeri aiunt. Verùm quod attinet ad ducales, tigris & panthera ſunt maculoſæ; vtraque terribilis eſt ac formidabilis, aut propter viſum acutiſſimum, aut propter curſum velociſſimum. *Conſtātin Caſ. lib 1. de agric. cap. 14. & lib. 2. ca. 16. cap. 17.*

OOoo

Pana quidem Homerus pellem lyncis humeris geſtantem facit, credo, hinc innuens alteram harum dotium, & fortaſſe vtramque. Certè vtramque intelligimus pertinere ad curam principis, cuius eſt agere perpetuas excubias in hoc, vt nihil lateat inquiſitionem ſuam. Denique omni re perſpecta, ipſe omnibus pariter adſit; nempe cùm velociter, eâdem opportunè, cùm feliciter, eâdem & prouidenter. Poſſet illud quoque dici, haſce notulas nigras albedini inſperſas eſſe imitamentum pilei Mercurialis, qui ſanè dicitur fuiſſe ſemialbus & seminiger. Et verò is Deus de albis nigra, de nigris alba facit. Id quod qui diligentiùs inſpexerit, reperiet eſſe proprium munus principis, cuius virtute qui dies atri fuerunt, redduntur candidi. Is ipſe luctum mutat lætitia, curua dirigit, praua corrigit, deſperata reſtituit.

Homer. hym. εἰς Πανα.

Albric. de imag. Deo. in Mercur.

CAP. XIV.

De diademate Pontificio. Cur hoc diadema vocetur regnum. De materia huius diadematis. De eius ſingulari forma. Vocatur quoque mitra. Significatus triadis in hoc diademate. Quædam de Iano & Mercurio. Mos geſtandi Pontificij diadematis vnde deriuatus. Romanus pontifex regibus adnumeratur.

HVc vſque egi de regio, imperiali, ducali diademate, aliiſque capitis inſignijs quæ ſunt propria eminentium poteſtatum. Reſtat Pontificium diadema, de quo nullo præeunte, atque inter inuia ſemitam faciens proferam mea, fortaſſe infra decus ac dignitatem tantæ rei, donec exſurgat aliquis, qui iſtis veriora, eruditiora, ſublimiora in commune conferat. Vt hoc agam, aio, Pontificiæ coronæ texto nomen eſſe regnum, ab ipſo ore Chriſti ſumpto nomine. *Adueniat*, inquit, *regnum tuum*, id eſt, hoc à te, Domine, ſupplices petimus, vt difflata errorum, omniſque ſuperſtitionis caligine, tu ſolus hîc regnum poſſideas. Nam ſi tu hîc regnas, nos verò ſumus in ditione tuâ. Si tui ſumus, alienati non poſſumus, perpetuò futuri ſumus tui. Si tui, æternùm ſumus felices, æternùm erimus conſortes regni tui. Hoc regnum crebris Chriſti victorijs emerſit, nempe catenato diabolo, ſub iugum miſſa impietate, Ethnica ſuperſtitione tandem triumphata, ſequente Chriſti currum ſenatu patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, doctorum, omnique militia Chriſtiana. Etſi enim eccleſia etiam dicitur militare, tamen eo fortiùs dimicat, quòd eſt victoriæ certa, cùm Chriſto duce militet. Chriſtus non ſolùm victor, ſed & triumphalis hoc ſuum decus com-

Matth cap. 6.

municat cum eccleſia, cuius in manum conuenit. Ea re eccleſiam Chriſto deſponſatam meritò dicimus eſſe victricem, triumphatricem, regnatricem. Id quod ſi eſt, vt eſt, ecquæ ſit inuidia, cum qui in eccleſia agit vices Chriſti, quod eſt caput eccleſiæ, inſigniri nota victoriæ, triumphi, regni? Reges incedunt diademati. Is qui eſt rex regum, cuius vnius conceſſu reges eo loco ſunt quo ſunt, non proprio diademate inſignis aſpicietur in perſona illius cui dedit claues cælorum, quem ipſe ſibi in eccleſia vicarium legit? Adnotauit Philo ſcriptor erudititiſſimus & eloquentiſſimus & quidem è ſacra hiſtoria ſumptum, ſummum Pontificem capite geſtaſſe cidarim. Quippe æquum fuit, eum qui Deo ſacra facit, quo tempore operatur, excellere non ſolùm inter priuatæ ſortis homines, ſed & ipſos inter reges. Additque illi qui ad ſacra facienda, & vota preceſque Deo offerendas accedit, æquum eſſe vniuerſum mundum comitem ire, qui ſignificatur per omnia illa imitamenta quæ tam ſuper capite, quàm ſuper veſte Pontificis erant. Hinc, videlicet, eſt diadema Pontificis Romani, qui inter omnes antiſtites & pontifices eſt ſummo loco. At enim vt regnum Chriſti ſupereminet omnia regna, ita æquum fuit hoc diadema eminere inter omnia diademata. Conſtat ergo è materia pretioſa; eſt forma auguſta, & ſignificatu excellente. Eius materia, ſuper opes atque æternitatem auri & lapillorum, quæ ſingula nihil ſignant non cœleſte, eſt album interius capitis velamen lineum ſeu ſericum. Sunt & infulæ ſacerdotales & regales quæ vtrinque dependent è corona. Et hæc quidem propriè eſt mitra, inſigne pontificale hærens coronæ. Ea re huic diademati non ſolùm nomen eſt regno, ſed & mitræ, vt ſupra dixi, cùm egi de mitra Epiſcopali. Forma ita vnum eſt, vt eâdem ſit triplex, nempe textum è tribus coronis, quarum quæ media eſt cumulat illam quæ imo loco eſt. Altera quoque cumulatur ab illa quæ tertia & ſumma eſt. Et huius quidem diadematis materia & forma talis eſt. Significatus huius texti tam auguſti non cuilibet ſunt obuij. Scio quales ſint hac de re vulgi voces. Nimirum, aiunt, hinc ſignari tripartitas orbis terrarum oras, quarum nulla non ſit in ditione Pontificis. Ego vulgum nihil moror. Primùm aio, priſcam ſapientiam ita exiſtimaſſe, dyaden, hoc eſt, binarium numerum eſſe contentionem & audaciam, triadem verò eſſe iuſtitiam. Cùm enim iniuriam pati ſit defectus, iniuriam facere ſit ὑπερβολὴ tranſgreſſio eius quod eſſe debet, æquum eſt iuſtitiam inter vtrumque ſeſe mediam interponere. Eſt ergo Medietas nihil aliud quàm ipſa iuſtitia, temperandæ ac emendandæ vtrique extremitati inuenta, tam quà defectus, quàm quà nimietas eſt. Merito ergo ſapientes firmant, medietatem in

Philo m. 6. Μωσ.

Plutarch. m. Ισ. κ. Οσιρ.

Philo m. τ. τας. ἀρχοντος.

triade obtinere ducatum, ſiue principem locum, qui vtramque extremitatem conſtringit indiſſolubili vinculo; atque adeò è duabus vſque eò vnam facit, vt ſibi vtraque vtrinque ſit ſatellitium ſicuti regi. Enimuero non errabit quiſquis hanc ipſam medietatem dixerit eſſe regnum. Non potuit ſumma æquitas, vereque pontificia, ſignificantiùs edi quàm hac triade, à qua eſt libramentum omnium rerum, ne hinc aut illinc in mutuam iniuriam pro-

Sen. ep. 30. pendeant. *Prima pars æquitatis*, inquit Seneca, *eſt æqualitas.* At æqualitas omnia tranquillat. Tranquillitas eſt via ad beatitatem. Ergo hæc trias, in qua eſt illa medietas quæ non patitur quenquam eò extolli, vnde alius deprimi poſſit, quæ interuentu ſuo omnia tranquillat, dici poteſt illud æquilibrium quo omnia ſapientiſſimè temperantur. Hinc ſummus pontifex intelligit æquum eſſe vt ſua ſumma autoritate certamina extinguantur; tumultus compeſcantur, bella conſopiantur. Vt in alijs eminentioribus poteſtatibus aliquando vitioſæ deprehendantur extremitates, aut propter de-

Martian. Cap. lib. 6. *de triade.* *Auguſt. de ciu. Dei li.* 11. *ca.* 31. *Plutarch. Fab. Max.* *Clem. Alex. lib.* 6. *Strom.* *Sen. ep.* 59. *Cen. or. cap* 14 *Tzetz. in Heſiod.* *Philo Iud.* πε. κοσμ.

fectum, aut propter ὑπερβολὴν, in ipſo elucere debet æquitas, hoc eſt perfectio, quam hac quoque triade ſignificari conſtat. Nam trias eſt numerus perfectus, quòd eſt princeps imparium, & origo plurium, & prima ſedatio diſcordantis dyadis, & miſtura ac temperamentum cæterorum numerorum, denique, quod èſt impar, maſculus & maſculæ generoſitatis. Ideo nouenarium numerum, qui numerus diuiditur in ter tria, aiunt eſſe perfectiſſimum, atque adeò ad animum pertinere, tribuique Muſis, quarum numerus conſtat è tribus triadibus. Ipſarum muſarum nulla non cenſetur excellenti inuento. Huc accedit, quod vnitate ſignatur punctum; dyade linea, quæ nullam in ſe habet latitudinem, triade latitudo, hoc eſt ipſa totius rei ſuperficies, quæ eſt forma & eſſentia rei, illa ſine qua πέρας conſiſtere nequit. Quare docemur, ſacratiſſimo hoc huius diadematis texto ſignificari primam rerum omnium autoritatem, quæ eſt à Deo. Qua dempta nihil quicquam eorum quæ ſunt, exiſtat. Ex Superioribus quoque omnibus conficitur, hoc ternione coronarum, quod eſt inſigne pontificię maieſtatis, iuſtiſſimam rerum adminiſtrationem

Plato in polit. efficaciſſimè demonſtrari. Et verò cùm τριπλασίαν χάριν triplicem gratiam cuipiam deberi dicimus, omnimodam dicimus, cùm quempiam ter felicem nominamus, eum in perfecta & abſoluta

Ariſtid. eis ...

felicitate conſtitutum dicimus. Eodem ferè ſenſu Græci τρικάρανον tricipitē vocarūt eum, qui triplici dominatu, hoc eſt, ſumma poteſtate præditus eſt. Cęterū cùm omnia ſortiātur initiū, mediū, finē, extra quos terminos in rerum natura nihil eſt, hinc quoq; pontificalem excellentiam demonſtrari fatēdum eſt. In eius ſapientia eſt

auſpicatiſſimum initium rerum; Auſpicijs ductuque huius tantæ ſublimitatis, rectà itur ad illam felicitatem quæ cumulat, aut potiùs ſuperat omnia vota. Hac item coronæ Pontificalis triade ſacrorum rituum conſummationem, omnemque adeò eccleſiaſtici muneris perfectionem ſignari, non abſurdè dici poteſt. Certè auſpicio triadis, ritu antiquiſſimo, preces tertiò, libamina tertiò repetebantur. Vnde fortaſſe apud Platonem *Ζεὺς τρίτος σωτήρ*, *Plato epiſt. 7.* Iupiter tertiùm ſeruator. Enimuero ſacra monas tribuitur fabricatori Deo; Qui vnus cùm ſit, ad eius exemplum maxima quæque ſunt vnica & ſingularia, vt mundus, Sol, Luna, Veritas. Dyas ex vnitate profecta materiam procreauit. Trias omnes materiæ ſpecies. Ex his veluti autoribus conficiuntur ſequentes numeri, è quibus quoque conſtat abſolutiſſimum hoc mundanæ machinę opus. Certè ſic ordinato huius coronæ decore, vt è prima manet altera, è duabus tertia, eius honor ita triplicatus intelligitur, vt è *Philo in δε-λογος.* tribus vna conſtet, vna tres repræſentet, tres vnam faciant. Eadem prope ratione qua ad conſtituendam hominis excellentiam neceſſe fuit in vnum conſpirare tria, nempe Deum inſpirantem, eam rem quæ inſpiratur, qui eſt ſpiritus Dei, & ſubiectum quod inſpiratur, quæ eſt mens humana. Sub Chriſti regno collectum & vnitum eſt quicquid ambitu cœlorum, quicquid maris terrarumque complexu continetur. Vnus ille Deus, vna eſt illius ſapientia, vnica eſt illius in omnia, ſingulariſque potentia. A Chriſto, ſicuti à centro, ſiue axe, manant omnes poteſtates in exteriora, veluti à polo in eam ſphæram, cui nomen circite. In huius manu omnia ſunt. Præ huius regno omnia regna ſunt exiguæ quædam & circumſcriptæ poteſtates, quæ ſupremæ huic & infinitæ maieſtati aſſurgunt. Ante hunc vnum in genua procumbunt. Seque adeò ea lege & conditione inſtitutas fatentur, vt huic vni ſe probent obſequiis, cultu, veneratione, adoratione. Mundus quidem diuiditur in regna & prouincias ſicuti corpus in membra. At regnum Chriſti quod, vt ſol in re pellucida, in pontificia maieſtate eſt exſcriptum, eſt totum in ſuo toto. Per hoc totum diffuſum ſacratiſſimum numen domini noſtri aliter erumpit in eccleſia, aliter extra eccleſiam. Vbicunque eſt, Deus eſt, omnipotens, in ſua ſacroſancta maieſtate immenſus, in illa immenſitate admirandus; Sed & in eccleſia ſeruator. Nam in eccleſia ſua diſperſas gentes collegit, vt quæ linguis & moribus diſſiderent, has fidei commercium congreges faceret; quas ſuperſtitionum errores diſtraherent, veræ religionis vinculum conſtringeret. Poſtremò omnium gentium patria Roma facta eſt, quòd eſt ſedes illius qui vniuerſis Chriſtianis loco parentis eſt; Qui geſtat inſignia regia,

quia verè is regit vniuerſos qui vniuerſos patria cura & Chriſtiana charitate complectitur. His accedit illud quod ſapientiæ profeſſores tradunt, æqualitatem ſenarij numeri ab ipſo creatore mundi diuiſam fuiſſe in duas partes æquales. Prior eſt illa quæ conſtat è tribus diebus, illis qui præceſſerunt creationem ſolis. Qui ternio dierum ſignat ſæculum, hoc eſt, æternitatem quæ complectitur illam immenſitatem quæ fuit ante, futuraque eſt poſt tempus. At tres ſequentes demonſtrant tempus, quod eſt imitamẽtum ſæculi, ſi eſt vt re finita ſignari poſſit infinita. Prior item ternio eſt index eius facultatis quam in diuina maieſtate priorem ſuſpicimus. Hanc vocant χαριστικὴν ſiue εὐεργετικὴν quæ tota conſtat gratia, munere, fauore diuino. Alteram dicunt κολαστικὴν ſiue κολαστήριον, quæ pertinet ad vindicandum & puniendum. Vi prioris illius cum mundus fuerit creatus, meritò creator vocatur dominus nempe tanti operis. Vi huius poſterioris regit opus ab ſe conditum; & hinc, ſcilicet, vocatur Deus vtraque facultate prẹditus, & vtramque tẽperans. Hæc taliaque ſi Pontifex ad animum reuocabit, & hic quoque videbit quæ qualeſque ſint ſuæ partes, ſi in terris inſidet locum Dei. Sacrum item candelabrum veteri lege Moſaica tres hinc inde habuit calamiſcos, quaſi tria vtrinque ſurgentia lumina quibus templum Dei collucet. vt hinc quoque in pontificali apice diuinum lumen eſſe intelligamus, nempe eſſe ipſum in terris qualis eſt in cœlo ſol, qui habet ſuper ſe φαίνοντα, φαέθοντα, πυρόεντα. Saturnum, Iouis, & Martis ſtellam; poſt ſe illas nempe Mercurij, & Veneris, & aëri vicinam lunam. Quorũ omnium ſimulachrum ſiue imitamentum fuit inſigne illud candelabrum, ſeu potius vniuerſi cœli. Superioribus addo, diuinam maieſtatem tribus potiſſimùm rebus cenſeri, ἀφθαρσίᾳ, καὶ δυνάμει, καὶ ἀρετῇ incorruptibilitate, poteſtate, virtute. Harũ ſingulæ ſingulari corona demonſtrantur. Hæ tamen coronæ in vnum redactæ contextũ, incõprehenſibilem illam adorandæ diuinitatis perfectionem vtrumque repræſentant. Hæc item tria in humanis mentibus progenerant amorẽ, timorẽ, honorem. In diuinitate amamus illam ſiue incorruptibilitatẽ, ſiue immortalitatem; Timemus dominationem, vim, potentiã. Veremur & adoramus iuſtitiã. Quæ omnia & ſi & vere & appoſitè dici poſſunt, tamen illa ſapientia quæ fabricata eſt venerabilem illam trium coronarum coitionem, tria, opinor, docuit quibus omnis Chriſtiana pietas continetur, legitimam apicis Apoſtolici ſucceſſionem, ſcientiam ſalutis æternæ, denique cœlos reſerandi, occludendique poteſtatem. Nulla harum dotium non modò eſt regnum, ſed & omni regno eminentior. His demonſtrandis aſſumpta eſt corona, res perfecta, eoque perfectior quòd eſt triplicata.

Philo τίς ὁ τῶν θεί. κληρ.

Pluth. Ariſtide

Emergẽte hac corona, valeãt ethnica illa inuenta. Valeat Ianus ille bifrons, forte & trifons, certè quadrifōs, & quicquid ſub tali ſpecie latere homines cõmenti ſunt. Vt illa non fuit religio ſed religionis imitatrix ſuperſtitio, ita talibus inuolucris veritatẽ abſcõdit potiùs quàm oſtendit. Huc adde, ſi placet, τρικέφαλον tricipitem illum in triuijs Mercuri doctorem viæ, qui ſubſcriptione monſtrabat qua cuique eundum, non ſolùm per agros, ſed & in ipſa vrbe Athenienſe. Quin extabant illius, ſi non Hipparchi monita. στεῖχε δίκαια φρονῶν, μὴ φίλον ἐξαπάτα, ambula iuſta meditans, ne amicum decipe, taliaque. Hoc, quicquid eſt, conuenientius eſt noſtro huic apoſtolatus ſucceſſori, quo monſtrante ingredimur illam viam, extra quam omnia ſunt plena errorum. Nempe, hoc eſt, ſummum ac præcipuum munus apoſtolici culminis, in vrbibus, in agris, quaqua patet hoc terræ ſolidamentum, diſſeminare doctrinam Euangelicam, quod eſt æternæ ſalutis vnicum iter. Enimuero etſi hic noſter neque eſt τρικέφαλος, neque τριχάρηνος, triceps, verùm vt ita dicam, τρισέπαρχος, vi miniſterij, poteſtatiſque ſibi datæ homines æternæ ſeruituti ereptos reddit æternæ libertati. Adeò vt vel cum Prudentio, pauculis mutatis, exclamare libeat, *Etymol. τρικέφαλος.*

O triplex honor, ô triforme culmen, *Prudent. periſteph.*
Quo noſtri caput excitatur orbis;
Orbis Chriſtiani decus perenne.

Iſtis omnibus accedit, quod hoc tam ſublime munus Apoſtolatus non poteſt obiri niſi ope eius triadis quæ & docenti & diſcenti planè eſt neceſſaria. Hæc trias continetur λόγῳ, σαφηνείᾳ λόγου, ἀληθείᾳ αὐτοῦ, verbo, perſpicuitate verbi, veritate eius. Qui ſanè eſt indiuiduus ſiue nexus, ſiue textus trium coronarum, quarum ſingulis hæc ſingula demonſtrantur, integro ternione omnia. Hæc eſt illa maieſtas, ſublimitas, efficacitas τρικορύφου triuerticis, trini, inquam, illius, & incomparabilis diadematis. Sed nequis putet hoc pontificale diadema eſſe nuperum ac nouitium inuentum, legimus in lege Dei, laminam auream rutilaſſe in fronte pontificis; Tum in hac lamina ſcriptum fuiſſe nomen Dei. *Id quod ſignificabat*, inquit Hieronymus, *vniuerſa quæ ſubter ſunt, Dei arbitrio gubernari.* Hunc Clemens Alexandrinus vocat pileum aureum, qui ſignificauit, inquit, regalem Domini poteſtatem, & principale imperium Chriſti. Tradunt quoque hiſtoriæ eccleſiaſticę ſcriptores, Ioannem Apoſtolum, ipſum qui ſupra Domini pectus recubuit, pro inſigni pontificio geſtaſſe petalum, ſiue auream in frõte laminam. Sequutis temporibus, Syluestri Romani epiſcopi verè pontificia moderatio in hac quoque parte eluxit. Nam oblatam ſibi à Con- *Philo Iud. ἀλληγ.* *Hieron. ad Fabiol. veſt. ſacer.* *Clemen Alex. lib.5. Strom.* *Niceph. lib.4.* *Plati. in Sylu.*

ſtantino auream coronam pretioſis lapillis igneſcentem conſtanter aſpernatus eſt, contentus mitra, alboque velamine. Album quidem velamen, ibi fuiſſe inſigne epiſcopalis & paſtoritiæ curæ, nemini dubium. Albedo in omnibus eſt Deo grata, vel in ipſa textura, nempe in lino & lana. Totum inſigne ſacrati capitis, ipſam, inquam, mitram veriſimile eſt ab illa Apoſtolica fuiſſe deſumptam, quæ & ipſa Apoſtolorum ætate, vt dixi, fuit aurea. Ergo quòd Conſtantinus Syluestro obtulit mitram, priſco & in eccleſia recepto more fecit. Quòd auream, id quoque ritè. Quòd gemmatam, id nouo more. Mitram Sylueſter, hoc eſt, pontificalis capitis inſigne conſtans ex aurea lamina, alboque velamine, vt muneri ſuo conuenientem, ſibique debitam vſurpauit. Quòd gemmas, nouum mitræ additamentum repudiauit, id modeſtè & Chriſtianè fecit. Hoc exemplo adnotatum eſt, Gottifredum, qui expugnata Hieruſalem, omnium Chriſtianorum ſuffragijs factus eſt rex, auream coronam, quam ſingulari virtute meruerat, reſpuiſſe. Is hoc negotium hac vi reputabat, Indignam rem fore, ſi ipſe vteretur aureo diademate in illo ipſo loco vbi Chriſtus rex regum atrociſſima morte affectus capite coronam ſpineam geſtauit. Porrò cùm Gottifredus rex eſſet, neque nouum, neque inconueniens erat, ipſum quaſi regem inſigniri corona. Quam tamen ipſe geſtare ſingulari cauſa, ea quam proximè memoraui, prohibitus, noluit. Eadem ratione Sylueſtro, exemplo Apoſtoli, ius fuit geſtare mitram auream, gemmis ornatam, quæ haud multùm diſtat ab aurea. Attamen gemmata abſtinuit; vt, quomodo is ſuis ſucceſſoribus penitus extinctæ diabolicæ ſuperſtitionis gloriam tradidit, ita aliquid ijſdem relinqueret, quo tanti facinoris, tantæque felicitatis decus auctius fieri, ac luculentiùs repræſentari poſſet. Hoc fuit diadema gemmatum ac triplicatum ea forma qua hodie conſpicitur. Quid mirum, ſi vbique flagrans Chriſtiana pietas, ſimulque admiratio tanti culminis, tum veneratio ſacroſanctæ ſedis metallum pretioſiſſimum hîc quidem cumulauit gemmis, eaque ſpecie qua nulla vnquam ante mortales oculos obuerſata eſt auguſtior? ſi denique ſequenti ætate, omnis generis opibus in ſinum eccleſiæ cumulatiſſimè congeſtis, ſtudia & ardorem ſuæ profeſſionis pia hac benignitate teſtatum fecit? Cæterùm in hoc diademate pretioſus lapis verbum Dei ſignificat, quod neſcit interitum, nec eſt obnoxium rubigini & corruptioni. Certè Magi nato Chriſto obtulerunt aurum, quod eſt ſymbolum regni. Manet hæc corona, nempe aurea, inquit

Plato lib. 12. de leg.

Plati in Paſchali 2.

inquit Clemens Alexandrinus, immortalis ad imaginem domini. *Clemen. Alex. lib. 2 pædag. c. 8.* Non enim ſicuti flos flacceſcit. Porrò ſi priſca Roma fuit diademata, ſicuti regina gentium, is qui hodiernę nouæque Romæ imperat, annon meritò extraordinaria corona, ea quæ exſtet ſuper omnia diademata, inſigniri debet? Nam ſuper illa quæ vſque adhuc retuli, Romanus Hierarcha tam latè regnat, vt vel ex eo tantùm quod talis tantuſque eſt, magnis regibus adnumerari poſſit. Et hæc quidem illa ſunt, quę de Pontificio diademate verecundè potiùs quàm confidenter ſcribo. Non ſum neſcius, in tanta hac opinionum diuerſitate, varijs affectibus hæc acceptum iri. Sed quid agas? Vetus eſt verbum, *σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε.* *Stob. εἰς τὸ ἐναντίον περὶ γάμου.* tu iſta cenſes, ego hæc.

ÇAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

DE CORONIS LIBER DECIMVS;
QVI EST, DE PRISCORVM REGVM multiplici, varioq́; diademate, De ritu ſumendi diadematis, De additamentis coronæ.

CAPVT PRIMVM.

De tiara regum Perſicorum. Diſcrimen inter tiaram ac diadema. Quinque tiaræ. Primi generis tiara effigiatur. Eius materia. Secundi generis tiara, geſtamen ducum & primorum. Tertius tiara iudicum proprius. Quartus ſacrificantium.

HVc vſque egi de ijs capitis inſigniis quibus hodierno die vtuntur eminentes ac ſummæ poteſtates, illæque quæ ſunt his proximæ. Reſtat vt perſequar illas regiæ ſummæque dignitatis indices coronas, ſiue capitis geſtamina quæ olim apud longinquos reges in vſu fuerunt. Nam priſca diademata pro more cuiuſque gentis non vna forma, ſed variata fuiſſe conſtat. Et verò quæ in orbe Romano corona fuit, aut diadema, Perſarum regibus fuit tiara. Etſi hîc antiquitatis monitu libet diſcriminare priſcum tiaram à diademate. Nam tiara rectus, vt ſupra dixi, dicamq́ue, ita fuit pileus regius, vt non tamen eſſet diadema. Cui rei documento illud eſt, quòd tiara regius cumulabatur diademate. Hoc diſcimus è Xenophonte, vbi loquitur de Cyro è regia prodeunte in publicum, & quidem circumfuſo

Xenoph de inſt. Cy. lib. 8.

regia pompa, omniq́ue aulico ſplendore. Habuit,inquit,diadema circa tiaram. Et affines eius illud ipſum inſigne habebant, & nunc hoc ipſum habent. Apuleius quoque vbi deſcribit Paridem,ei tribuit auream tiaram, huius ſcilicet generis cuius eſt ea quam nunc dico. Adeſt & locus Luciani, vbi is luculenter diſtinguit tiaram ab diademate. Alium ſiquidem fortuna excipiens, inquit, regiè ornat, imponens tiaram,& ſatellites tradens, & caput diademate euinciens. Cui loco alter eiuſdem ſcriptoris ſimilis eſt,Pro honore iſto, ô rex,gratias tibi habeo,ac Perſico more procumbens adoro te, adductis poſt tergum manibus,venerans rectum iſtum tiarã, atque ipſum diadema. His addo tertium, perinde ac ſi quis regiè ornatus rectum habeat tiaram,& diadema,& alia, quotquot ſunt, inſignia regia,ac tamen mendicet. Cæterùm inuenio quinque fuiſſe tiaras. Vnum vniuerſæ Perſarũ genti cõmunem. Alterũ primorũ. Tertium iudicum. Quartũ ſacrificãtiũ. Quintũ regię maieſtatis propriũ. Quòd tiara fuerit pileus communis cuilibet Perſæ, docet Strabo,vbi deſcribit veſtitũ huius gentis. Nam inter cætera tribuit illis tiaras affines tiaris Magorum. Et paulò poſt deſcribens formã tiaræ ait eos geſtare περὶ τῇ κεφαλῇ πίλημα πυργωτὸν, circa caput pileum turritum. Id quoque perſpicuè palam eſt ex Anacreonte,

Apul. lib. 10. Metam. — *Lucian. necr.* — *Lucian. nauig. ſeu vota.* — *Lucian. Piſcat. ſeu reuiuiſc.* — *Strabo lib. 15.*

> Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
> Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι
> Καὶ Παρθίους τις ἄνδρας
> Ἐγνώρισεν τιάραις.

Anacr.

In coxis quidem equi ignis ſignum habent, Et Parthos homines quis nouit [è] tiaris. Quibus in verſibus non diſtinguit pileos vulgares à ſublimioribus. Adeſt & locus Iuſtini, vbi loquitur de Semiramide, *quæ Nino filio adhuc puero non auſa tradere imperiũ, ſexum mentita, brachia ac crura velamentis, tiara caput texit. Et ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri iubet.* Quem morem veſtis,inquit,exinde gens vniuerſa tenet. Huius pilei materiam, quæ fuerit, Strabo explicatè tradit, ῥάκος δὲ σινδόνιόν τι περὶ τῇ κεφαλῇ, circa caput quidpiam panni Sindonij. Ergo tiara fiebat è lana contorta, vt apud Statium loquentem de iuuene ſucceſſore regni Perſici.

Iuſtin. lib. 1.

> *Atque is vbi intorto ſignauit vellere crinem,*
> *Conuenitq́ Deis, hilari per caſtra tumultu*
> *Vadit ouans.*

Stat. lib. 8. Theb.

Hic enim Statius ipſi regi non regiam tiaram in caſtris, ſed communem, eamq́ue laneam tribuit. Porrò hæc tiara non tantùm Perſarum, ſed & aliarum gentium propria fuit. Qua de re operæ pretium eſt referre verba Hieronymi. *Quartum*, inquit, *genus eſt*

Hieron. ad Fabiol. de veſtitu ſacerd.

Illud non omiſerim, morem antiquitus fuiſſe, vt ſummi heroës in pellibus, hoc eſt generoſiſſimæ alicuius feræ ſpolio exciperentur apud hoſpites, vt Æneas ab Euandro,

Virgil. 8. Æneid.

Præcipuumq́, toro, & villoſi pelle leonis
Accipit Æneam, ſolioq́, inuitat acerno.

Et infra,

Dixit, & anguſti ſubter faſtigia tecti
Ingentem Æneam duxit, ſtratiſq́, locauit,
Effultum foliis, & pelle Libyſtidis vrſæ.

Ipſos heroum, ac ducum equos hac ſpecie ferinarum pellium cōſpicuos faciunt poëtæ. Virgilius de Chloreo,

Virgil. 11. Æneid.

Spumantemq́, agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam ſquamis, auro conſerta tegebat.

Et Statius,

Stat. lib. 4. Theb.

Cornipedem trepidos ſuetum prævertere ceruos
Velatum geminæ deiectu lyncis.

Quæ ſanè omnia euidente argumento ſunt, generoſiſſimæ cuiuſque feræ pellem apud ſummos mortalium fuiſſe in ſummo honore, vt illuſtre argumentum nunc regiæ, nunc ducalis, ſemper raræ & heroicæ fortitudinis. Cæterùm hæ pelles à militia & aulis regum tranſierunt ad iudicia. Quippe in togatis prœliis iudex, veluti diuina manus, litium portenta conficit. Meritò ergo hęc quoque ſummæ poteſtatis inſignia cum iudicibus fuerūt communicata, vt hinc ipſi reddantur auguſtiores, ipſaque adeò iudicia rata & ſancta. Qui mos quàm ſit vetuſtus, diſcimus è Claudiano.

Mœrent captiuæ pellito iudice leges.

CAP. XXVI.

Monitio ad principem. De pileo Eilotarum. Caninæ effigies. Lugentes erant in pellibus. De notis nigris pilei ducalis.

HInc Duces, quantúmq; eſt eminentium poteſtatum admonentur antiquiſſimi cultus. Ipſe cultus idemtidem ſubiicit hoc, ipſos inſidere locum tam excelſum, vt campis ſubmoueāt irruptionem ferarum. Huius enim facinoris illuſtre documentum geſtant, non tantùm corpore, ſed capite potiſſimùm inſigne inſignis feræ ſpolium, exuuias, inquam, hoſtis, induuias ſuas. Neque alia materia veſtiendo principi conuenientior eſt illa, quam ipſe ſuo venatu, ſuis manibus, virtutéque peperit. Sed enim, ecquas putas eſſe has feras? Num leones, vrſos, lupos, cum quibus vetuſtiſſimo more totis ciuitatibus erant frequentia certamina, vt de

priſcis Athenienſibus tradit Plutarchus? Minimè. Sed hi, videlicet, ſunt hoſtes externi & interni. Illis, ſi ingruant, imò ne ingruāt, iuſta arma tempeſtiuè opponuntur. At hi ſunt multò quàm illi infeſtiores, ſi non maturè exturbantur. Nam geſtantur in ſinu; intra queque noſtrū latent; ac dum fallaciter blandiuntur, tunc verò lethaliter vulnerant. Ergo his fortiùs inſiſtendū donec ceſſerint iniuſta poſſeſſione Hæc ſunt vitia, vitiorúmq; teterrimi fœtus, crimina, vtrorumque effectus, pernicies & infamia. Hoc genus hoſtis tam inſidioſi quî fieri poteſt vt princeps expellat ex hominum cœtu, è contubernio ſingulorum, è familiaritate, è penetrali cuiuſque, ſi non ipſe ſibi priùs hanc operam dedit? Hæc eſt omnium nobiliſſima pugna; hæc eſt fructuoſiſſima victoria, hic eſt triumphus omnium celebratiſſimus. Princeps hiſce ſpoliis onuſtus regaliter incedit; & caput pileo pellito, ſicuti coruſcante ſydere conſpicuum cœlo inſerit, imitatione heroum. Nam iſti, occiſa aliqua inſigni fera, continuò referebantur inter Deos. Talis deſcribitur ille apud Lycophronem. *Plutarch. Sol.*

> θεὸς δὲ πολλοῖς αὐτὸς αὐδηθήσεται
> ὅσοι παρ' ἴξιν χῶρον οἰκοῦνται πέδον *Lycophr. Caſſ.*
> Δράκοντα τὸν φθείραντα φαίακας κτανών.

Magnus verò à multis Deus appellabitur iuxta cauum Ionis habitantibus ſolum, dracone perdente Phæacas occiſo. Dux talis pilei geſtor tantorum heroum animoſus imitator, atque adeò æmulator eſſe debet. Aliter ſi faciat, hoc geſtamen non habiturus eſt decori, ſed perpetui dedecoris, infamiæque notam. Et verò inſigne feræ dicetur impoſuiſſe capiti ſuo; & cui ſit cor ferinum, feram imitari malle quàm hominem. Talis fuit vecordia Dolonis illius, qui vix vlla virtute introrſus munitus, tamen auſus eſt inſignire caput ſuum ignauo terriculo. Eius hæc ſunt verba apúd Euripidem,

> λύκειον ἀμφὶ νῶτα θήσομαι δορὰν, *Euripid.*
> Καὶ χῆμα θηρὸς ἀμφ' ἐμῷ θήσω κάρᾳ. *Rheſ actu.*

Lupinam circa tergum ponam pellem. Et figurā feræ circa meum ponam caput. Quos verſus imitatus eſt Valerius Flaccus,

> *Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris* *Val. Flacc.*
> *Ibat adhuc aptans humeris, capitiq́ leonem.* *lib. 8. Argon.*

Duci non ſolùm inſtrenuo, ſed & vitiis merſo impoſitus iſte σχηματισμὸς non dicetur eſſe ſpolium alicuius nobilis, inſigniſque feræ, ſed canis. Non illum dico vtilem canem, vigilem & paſtoritium, non venaticum & generoſum, ſed timidū, impurum, ignauū latratorem, crudelem, exugentem, exſiccantem, exedentem cadauera cuiuſmodi apud Bactrianos dicuntur fuiſſe ſepulchrales:

aut certè ſimilem illius Ariſtophanæi.

Ariſtoph. ἱππ. ὅς κέρκῳ σαίνων ὁπόταν δειπνῇς ἐπιτηρῶν
Ἐξέδεται σου [δήμου] τ' ὄψον, ὅταν σύ ποι ἄλλοσε χάσκῃς,
Ἐσφοιτῶν δ' ἐς τ' ὀπτάνιον λήσει σε κυνηδὸν
Νύκτωρ τὰς λοπάδας καὶ τὰς νήσους διαλείχων.

Qui cauda adulans quando cæna inſtat. Exedit tuum[populi]obſonium,cùm tu alibi hies.Ingredienſque culinam lambit te more canis noctu & ollas & inſulas. Talis fuit pileus Eilotarum, quem ipſis è canina pelle geſtare neceſſe fuit;ſicuti pelliceam veſtem induere, ſicuti vilem, ac luctuoſam, atque adeò teſtem illius miſerrimæ conditionis,cui eam gentem neceſſitas addixerat. Hæc Platoni eſt εἱλωτεία. Cui ſimilis fuit illa Mariandrynorum ſeruitus; Tum illa Theſſalica gens,quam vocant πενεστικὸν ἔθνος,gentem paupertati mancipatam. Huius ferè generis puto fuiſſe caninas illas Ægyptiorum effigies,de quibus Romam aduectis, vt illic quoque colerentur inter numina,hæc Prudentius canit.

Athen.lib. 14. *Plato lib. 6. de leg.* *Prudent.lib. 2.cõtra Symmach.*

Quaſdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies.

Minimùm dux eo loco indignus dicetur geſtare pellem non ſplendidam, & indicem tantæ dignitatis, ſed feralem, teſtemque luctus generalis & perpetui. Nam teſte Feſto,lugentes, vt hodie quoque pluribus locis in more eſt, in pellibus erant. Caueat ergo dux ne non pileatus,coronatus,aut diadematus dicatur,ſed criſtatus ſicuti gallus inſigni ſuperbia & ſalacitate; atque adeò vt draco δρακοντοφος,φοινικολόφος,ferivorus,rubra,ignita,peſtilente criſta, nempe hominibus non ſolùm territandis,ſed & perdendis. Denique illi ducalis pileus eſt, præclariſſima nota excelſiſſimæ dignitatis, cui ſiquis caſus pileum capite decuſſerit, nudum caput tale oſtendat, quod tãto geſtamini omnes fateantur eſſe par. Nam quiſquis poſito hoc pileo, dirum,aut leue caput populo aſpiciendum præbet, is certè aut diris execrationibus excipitur, aut deridetur, ſicuti ille

Feſt pellem. *In tetraſt. Gabrij.*

φέρων λέοντος δέρμα τοῖς ὤμοις ὄνος,

ferens leonis pellem humeris aſinus. Cæterùm hanc pelliceam pilei tam nobilis materiam dixi eſſe interſtinctam & variatam notis nigris aut ſubfuſcis. Id quod quò pertineat,non eſt dictu pronum. Priſco quidem more hoc fieri, perſpicuum eſt è verbis Cornelij Taciti, quo auctore Germani gerunt ferarum pelles, *Proximi ripæ negligenter;vlteriores exquiſitiùs, vt quibus nullus per commercia cultus*. Eligunt,inquit,feras, & detracta velamina ſpargunt maculis, pellibuſq; belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotũ mare gignit. Cæterũ hic quidẽ liberet adhærere vulgatæ opinioni, ſi non

Tacit.lib. de mor.Germ.

ſi non aliud mihi ſeſe offerret ingenioſius, certè vtilius. Enimuero vt luna eſt interſtincta quibuſdam maculis nigris, quam vocant faciem lunæ, quæ oſtendit, hoc ſydus non eſſe coactionem ætheris planè ſynceram, cuiuſmodi ſunt cætera aſtra, ſed globum compactũ partim ex æthereâ, partim ex aërea ſubſtantia; atque adeò vt ex illa nigredine fides fit, lunari corpori eſſe intermixtum aërem, qui natura eſt niger, ita Duces & principes, & quiſquis mortalium eſt altiſſimo loco poſitus, meminiſſe debet ſe eſſe hominem æthereum quidem & ſublimẽ, quà ſequitur quò ducit anima, & euehit ſe ſupra caduca & mortalia, ſed eundem multum retinere è contagione terreſtri, quæ ſenſim eſt expungenda multa infuſione cœleſtis lucis. Cæterùm hos quos hodie geſtantur, aiunt eſſe mures illos, quos vocant herminas, ob mollitiem ac teneritudinem nobiles & pretioſos. Ex his ducalia plerunque conficiuntur paludamenta, tum ipſa ducum capitis inſignia. Huic indutui fateor electam fuiſſe leuiſſimam ac delicatiſſimam pellem. Quam tamen audeo firmare, non fuiſſe priſcum geſtamen ducum, ſed hodie eſſe priſci, grauioris, & ſeuerioris geſtaminis imitamentum; quale fuit Perſicũ illud, quod Martialis videtur deſcribere in his verbis, *Philo m. brac.*

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga,
Olidæq; veſtes murice. *Martial. lib. 1. epigr.*

vt vt eſt, hinc duces docentur, non quidem diſcedere à rigida illa priſcorum heroum, ducumque virtute; ſed eam condire illa humanitate, quæ nihil admittit crudum, nihil rude & informe; cuiuſmodi non pauca notantur in agreſti illa heroum vita, duriſque moribus, quamlibet vt plurimùm, fortibus & innocentibus, & laudatis. Non diſſocient innocentiam à ciuilitate: non hanc à cæteris virtutibus. Ita geſtent pelles teneras, vt ſint memores priſcæ duritiæ, & illius inuicti roboris, quod eſt proprium heroum. Sic ſtatuant, hermineam pellem, ſiue ea caput, ſiue corpus tegit, repræſentare tegmen alicuius feræ generoſioris, cuiuſmodi lynx eſt, qua & bellatores & venatores promiſcuè vtuntur.

Heus, inquit, iuuenes, monſtrate mearum *Virgil. 1. Æneid.*
Vidiſtis ſi quam hìc errantem fortè ſororum
Succinctam pharetra, & maculoſæ tegmine Lyncis.

Huiuſmodi ferè eſt hyena, cuius ſpolium pro foribus propoſitum arcet tempeſtates. Eadem addita ſemini illud inoffenſum ſeruare dicitur. Aliæ ſunt aliarum pellium dotes. Certè hippopotami pellis terræ ſi indatur, dicitur arcere ſagittas. Cribrum è pelle lupi conſtans augeri aiunt. Verùm quod attinet ad ducales, tigris & panthera ſunt maculoſæ; vtraque terribilis eſt ac formidabilis, aut propter viſum acutiſſimum, aut propter curſum velociſſimum. *Conſtātin Caſ. lib. 1. de agric. cap. 14. & lib. 2. ca. 16. cap. 17.*

Pana quidem Homerus pellem lyncis humeris geſtantem facit, credo, hinc innuens alteram harum dotium, & fortaſſe vtramque. Certè vtramque intelligimus pertinere ad curam principis: cuius eſt agere perpetuas excubias in hoc, vt nihil lateat inquiſitionem ſuam. Denique omni re perſpecta, ipſe omnibus pariter adſit; nempe cùm velociter, eâdem opportunè, cùm feliciter, eâdem & prouidenter. Poſſet illud quoque dici, haſce notulas nigras albedini inſperſas eſſe imitamentum pilei Mercurialis, qui ſanè dicitur fuiſſe ſemialbus & ſeminiger. Et verò is Deus de albis nigra, de nigris alba facit. Id quod qui diligentiùs inſpexerit, reperiet eſſe proprium munus principis, cuius virtute qui dies atri fuerunt, redduntur candidi. Is ipſe luctum mutat lætitia, curua dirigit, praua corrigit, deſperata reſtituit.

Homer. hym. εἰς Πᾶνα.

Albric. de imag. Deo. in Mercur.

CAP. XIV.

De diademate Pontificio. Cur hoc diadema vocetur regnum. De materia huius diadematis. De eius ſingulari forma. Vocatur quoque mitra. Significatus triadis in hoc diademate. Quædam de Iano & Mercurio. Mos geſtandi Pontificij diadematis vnde deriuatus. Romanus pontifex regibus adnumeratur.

HVc vſque egi de regio, imperiali, ducali diademate, alijſque capitis inſignijs quæ ſunt propria eminentium poteſtatum. Reſtat Pontificium diadema, de quo nullo præeunte, atque inter inuia ſemitam faciens proferam mea, fortaſſe infra decus ac dignitatem tantæ rei, donec exſurgat aliquis, qui iſtis veriora, eruditiora, ſublimiora in commune conferat. Vt hoc agam, aio, Pontificiæ coronæ texto nomen eſſe regnum, ab ipſo ore Chriſti ſumpto nomine. *Adueniat*, inquit, *regnum tuum*, id eſt, hoc à te, Domine, ſupplices petimus, vt difflata errorum, omniſque ſuperſtitionis caligine, tu ſolus hîc regnum poſſideas. Nam ſi tu hîc regnas, nos verò ſumus in ditione tua. Si tui ſumus, alienari non poſſumus, perpetuò futuri ſumus tui. Si tui, æternùm ſumus felices, æternùm erimus conſortes regni tui. Hoc regnum crebris Chriſti victorijs emerſit, nempe catenato diabolo, ſub iugum miſſa impietate, Ethnica ſuperſtitione tandem triumphata, ſequente Chriſti currum ſenatu patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, doctorum, omnique militia Chriſtiana. Etſi enim eccleſia etiam dicitur militare, tamen eo fortiùs dimicat, quòd eſt victoriæ certa, cùm Chriſto duce militet. Chriſtus non ſolùm victor, ſed & triumphalis hoc ſuum decus com-

Matth cap. 6.

municat cum eccleſia, cuius in manum conuenit. Ea re eccleſiam Chriſto deſponſatam meritò dicimus eſſe victricem, triumphatricem, regnatricem. Id quod ſi eſt, vt eſt, ecquæ ſit inuidia, cum qui in eccleſia agit vices Chriſti, quod eſt caput eccleſiæ, inſigniri nota victoriæ, triumphi, regni? Reges incedunt diademati. Is qui eſt rex regum, cuius vnius conceſſu reges eo loco ſunt quo ſunt, non proprio diademate inſignis aſpicietur in perſona illius cui dedit claues cælorum, quem ipſe ſibi in eccleſia vicarium legit? Adnotauit Philo ſcriptor eruditiſſimus & eloquentiſſimus & quidem è ſacra hiſtoria ſumptum, ſummum Pontificem capite geſtaſſe cidarim. Quippe æquum fuit, eum qui Deo ſacra facit, quo tempore operatur, excellere non ſolùm inter priuatæ ſortis homines, ſed & ipſos inter reges. Additque illi qui ad ſacra facienda, & vota preceſque Deo offerendas accedit, æquum eſſe vniuerſum mundum comitem ire, qui ſignificatur per omnia illa imitamenta quæ tam ſuper capite, quàm ſuper veſte Pontificis erant. Hinc, videlicet, eſt diadema Pontificis Romani, qui inter omnes antiſtites & pontifices eſt ſummo loco. At enim vt regnum Chriſti ſupereminet omnia regna, ita æquum fuit hoc diadema eminere inter omnia diademata. Conſtat ergo è materia pretioſa; eſt forma auguſta, & ſignificatu excellente. Eius materia, ſuper opes atque æternitatem auri & lapillorum, quæ ſingula nihil ſignant non cœleſte, eſt album interius capitis velamen lineum ſeu ſericum. Sunt & infulæ ſacerdotales & regales quæ vtrinque dependent è corona. Et hæc quidem propriè eſt mitra, inſigne pontificale hærens coronæ. Ea re huic diademati non ſolùm nomen eſt regno, ſed & mitræ, vt ſupra dixi, cùm egi de mitra Epiſcopali. Forma ita vnum eſt, vt eàdem ſit triplex, nempe textum è tribus coronis, quarum quæ media eſt cumulat illam quæ imo loco eſt. Altera quoque cumulatur ab illa quæ tertia & ſumma eſt. Et huius quidem diadematis materia & forma talis eſt. Significatus huius texti tam auguſti non cuilibet ſunt obuij. Scio quales ſint hac de re vulgi voces. Nimirum, aiunt, hinc ſignari tripartitas orbis terrarum oras, quarum nulla non ſit in ditione Pontificis. Ego vulgum nihil moror. Primùm aio, priſcam ſapientiam ita exiſtimaſſe, dyaden, hoc eſt, binarium numerum eſſe contentionem & audaciam, triadem verò eſſe iuſtitiam. Cùm enim iniuriam pati ſit defectus, iniuriam facere ſit ὑπερβολὴ tranſgreſſio eius quod eſſe debet, æquum eſt iuſtitiam inter vtrumque ſeſe mediam interponere. Eſt ergo Medietas nihil aliud quàm ipſa iuſtitia, temperandæ ac emendandæ vtrique extremitati inuenta, tam quà defectus, quàm quà nimietas eſt. Merito ergo ſapientes firmant, medietatem in

Philo π. ς. Μωσ.

Plutarch. π. Ισ. κ. Οσιρ.

Philo π. τα. τας. αἰχοντος.

triade obtinere ducatum, ſiue principem locum, qui vtramque extremitatem conſtringit indiſſolubili vinculo; atque adeò è duabus vſque eò vnam facit, vt ſibi vtraque vtrinque ſit ſatellitium ſicuti regi. Enimuero non errabit quiſquis hanc ipſam medietatem dixerit eſſe regnum. Non potuit ſumma æquitas, vereque pontificia, ſignificantiùs edi quàm hac triade, à qua eſt libramentum omnium rerum, ne hinc aut illinc in mutuam iniuriam propendeant. *Prima pars æquitatis*, inquit Seneca, *eſt æqualitas.* At æqualitas omnia tranquillat. Tranquillitas eſt via ad beatitatem. Ergo hæc trias, in qua eſt illa medietas quæ non patitur quenquam eò extolli, vnde alius deprimi poſſit, quæ interuentu ſuo omnia tranquillat, dici poteſt illud æquilibrium quo omnia ſapientiſſimè temperantur. Hinc ſummus pontifex intelligit æquum eſſe vt ſua ſumma autoritate certamina extinguantur; tumultus compeſcantur, bella conſopiantur. Vt in alijs eminentioribus poteſtatibus aliquando vitioſæ deprehendantur extremitates, aut propter defectum, aut propter ὑπερβολὴν, in ipſo elucere debet æquitas, hoc eſt perfectio, quam hac quoque triade ſignificari conſtat. Nam trias eſt numerus perfectus, quòd eſt princeps imparium, & origo plurium, & prima ſedatio diſcordantis dyadis, & miſtura ac temperamentum cæterorum numerorum, denique, quod eſt impar, maſculus & maſculæ generoſitatis. Ideo nouenarium numerum, qui numerus diuiditur in ter tria, aiunt eſſe perfectiſſimum, atque adeò ad animum pertinere, tribuique Muſis, quarum numerus conſtat è tribus triadibus. Ipſarum muſarum nulla non cenſetur excellenti inuento. Huc accedit, quod vnitate ſignatur punctum; dyade linea, quæ nullam in ſe habet latitudinem, triade latitudo, hoc eſt ipſa totius rei ſuperficies, quæ eſt forma & eſſentia rei, illa ſine qua τρίας conſiſtere nequit. Qua re docemur, ſacratiſſimo hoc huius diadematis texto ſignificari primam rerum omnium autoritatem, quæ eſt à Deo. Qua dempta nihil quicquam eorum quæ ſunt, exiſtat. Ex Superioribus quoque omnibus conficitur, hoc ternione coronarum, quod eſt inſigne pontificię maieſtatis, iuſtiſſimam rerum adminiſtrationem efficaciſſimè demonſtrati. Et verò cùm τριπλασίαν χάριν triplicem gratiam cuipiam deberi dicimus, omnimodam dicimus, cùm quempiam ter felicem nominamus, eum in perfecta & abſoluta felicitate conſtitutum dicimus. Eodem ferè ſenſu Græci τρικάρανον tricipitē vocarūt eum, qui triplici dominatu, hoc eſt, ſumma poteſtate præditus eſt. Cęterū cùm omnia ſortiātur initiū, mediū, fi ē, extra quos terminos in rerum natura nihil eſt, hinc quoq; pontificalem excellentiam demonſtrari fatēdum eſt. In eius ſapientia eſt

Sen. ep. 30.

Martian. Cap. lib. 6. de triade.
Auguſt. de ciu. Dei li. 11. ca. 31.
Plutarch. Fab. Max.
Clem. Alex. lib. 6. Strom.
Sen. ep. 59.
Cenſor. cap 14
Tzetz. in Heſiod.
Philo Iud. π. κοσμ.

Plato in polit.

Ariſtid. εἰς Διον.

auſpicatiſſimum initium rerum; Auſpicijs ductuque huius tantæ ſublimitatis, rectà itur ad illam felicitatem quæ cumulat, aut potiùs ſuperat omnia vota. Hac item coronæ Pontificalis triade ſacrorum rituum conſummationem, omnemque adeò eccleſiaſtici muneris perfectionem ſignari, non abſurdè dici poteſt. Certè auſpicio triadis, ritu antiquiſſimo, preces tertiò, libamina tertiò repetebantur. Vnde fortaſſe apud Platonem Ζεὺς τρίτος σωτὴρ, Iupiter tertiùm ſeruator. Enimuero ſacra monas tribuitur fabricatori Deo; Qui vnus cùm ſit, ad eius exemplum maxima quæque ſunt vnica & ſingularia, vt mundus, Sol, Luna, Veritas. Dyas ex vnitate profecta materiam procreauit. Trias omnes materiæ ſpecies. Ex his veluti autoribus conficiuntur ſequentes numeri, è quibus quoque conſtat abſolutiſſimum hoc mundanæ machinę opus. Certè ſic ordinato huius coronæ decore, vt è prima manet altera, è duabus tertia, eius honor ita triplicatus intelligitur, vt è tribus vna conſtet, vna tres repræſentet, tres vnam faciant. Eadem prope ratione qua ad conſtituendam hominis excellentiam neceſſe fuit in vnum conſpirare tria, nempe Deum inſpirantem, eam rem quæ inſpiratur, qui eſt ſpiritus Dei, & ſubiectum quod inſpiratur, quæ eſt mens humana. Sub Chriſti regno collectum & vnitum eſt quicquid ambitu cœlorum, quicquid maris terrarumque complexu continetur. Vnus ille Deus, vna eſt illius ſapientia, vnica eſt illius in omnia, ſingulariſque potentia. A Chriſto, ſicuti à centro, ſiue axe, manant omnes poteſtates in exteriora, veluti à polo in eam ſphæram, cui nomen circite. In huius manu omnia ſunt. Præ huius regno omnia regna ſunt exiguæ quædam & circumſcriptæ poteſtates, quæ ſupremæ huic & infinitæ maieſtati aſſurgunt. Ante hunc vnum in genua procumbunt. Seque adeò ea lege & conditione inſtitutas fatentur, vt huic vni ſe probent obſequijs, cultu, veneratione, adoratione. Mundus quidem diuiditur in regna & prouincias ſicuti corpus in membra. At regnum Chriſti quod, vt ſol in re pellucida, in pontificia maieſtate eſt exſcriptum, eſt totum in ſuo toto. Per hoc totum diffuſum ſacratiſſimum numen domini noſtri aliter erumpit in eccleſia, aliter extra eccleſiam. Vbicunque eſt, Deus eſt, omnipotens, in ſua ſacroſancta maieſtate immenſus, in illa immenſitate admirandus; Sed & in eccleſia ſeruator. Nam in eccleſia ſua diſperſas gentes collegit, vt quæ linguis & moribus diſſiderent, has fidei commercium congreges faceret; quas ſuperſtitionum errores diſtraherent, veræ religionis vinculum conſtringeret. Poſtremò omnium gentium patria Roma facta eſt, quòd eſt ſedes illius qui vniuerſis Chriſtianis loco parentis eſt; Qui geſtat inſignia regia,

Plato epiſt. 7.

Philo in ἀλληγ.

Philo τὶς ὁ τῶν θει. κληρ.

quia verè is regit vniuerſos qui vniuerſos patria cura & Chriſtiana charitate complectitur. His accedit illud quod ſapientiæ profeſſores tradunt, æqualitatem ſenarij numeri ab ipſo creatore mundi diuiſam fuiſſe in duas partes æquales. Prior eſt illa quæ conſtat è tribus diebus, illis qui præceſſerunt creationem ſolis. Qui ternio dierum ſignat ſæculum, hoc eſt, æternitatem quæ complectitur illam immenſitatem quæ fuit ante, futuraque eſt poſt tempus. At tres ſequentes demonſtrant tempus, quod eſt imitamētum ſæculi, ſi eſt vt re finita ſignari poſſit infinita. Prior item ternio eſt index eius facultatis quam in diuina maieſtate priorem ſuſpicimus. Hanc vocant χαριστικὴν ſiue δωρητικὴν quæ tota conſtat gratia, munere, fauore diuino. Alteram dicunt κολαστικὴν ſiue κολαστήριον, quæ pertinet ad vindicandum & puniendum. Vi prioris illius cùm mundus fuerit creatus, merito creator vocatur dominus nempe tanti operis. Vi huius poſterioris regit opus ab ſe conditum; & hinc, ſcilicet, vocatur Deus vtraque facultate præditus, & vtramque temperans. Hæc taliaque ſi Pontifex ad animum reuocabit, & hic quoque videbit quæ qualeſque ſint ſuæ partes, ſi in terris inſidet locum Dei. Sacrum item candelabrum veteri lege Moſaica tres hinc inde habuit calamiſcos, quaſi tria vtrinque ſurgentia lumina quibus templum Dei collucet. vt hinc quoque in pontificali apice diuinum lumen eſſe intelligamus, nempe eſſe ipſum in terris qualis eſt in cœlo ſol, qui habet ſuper ſe φαίνοντα, φαέθοντα, πυρόεντα. Saturnum, Iouis, & Martis ſtellam; poſt ſe illas nempe Mercurij, & Veneris, & aëri vicinam lunam. Quorū omnium ſimulachrum ſiue imitamentum fuit inſigne illud candelabrum, ſeu potius vniuerſi cœli. Superioribus addo, diuinam maieſtatem tribus potiſſimùm rebus cenſeri, ἀφθαρσίᾳ, καὶ δυνάμει, καὶ ἀρετῇ incorruptibilitate, poteſtate, virtute. Harū ſingulæ ſingulari corona demonſtrantur.

Pluth. Ariſtide

Hæ tamen coronæ in vnum redactæ contextū, incōprehenſibilem illam adorandæ diuinitatis perfectionem vtrumque repræſentant. Hæc item tria in humanis mentibus progenerant amorē, timorē, honorem. In diuinitate amamus illam ſiue incorruptibilitatē, ſiue immortalitatem; Timemus dominationem, vim, potentiā. Veremur & adoramus iuſtitiā. Quæ omnia & ſi & verè & appoſitè dici poſſunt, tamen illa ſapientia quæ fabricata eſt venerabilem illam trium coronarum coitionem, tria, opinor, docuit quibus omnis Chriſtiana pietas continetur, legitimam apicis Apoſtolici ſucceſſionem, ſcientiam ſalutis æternæ, denique cœlos reſerandi, occludendique poteſtatem. Nulla harum dotium non modo eſt regnum, ſed & omni regno eminentior. His demonſtrandis aſſumpta eſt corona, res perfecta, eoque perfectior quòd eſt triplicata.

Emergẽte hac corona, valeãt ethnica illa inuenta. Valeat Ianus ille bifrons, forte & trifons, certe quadrifõs, & quicquid ſub tali ſpecie latere homines cõmenti ſunt. Vt illa non fuit religio ſed religionis imitatrix ſuperſtitio, ita talibus inuolucris veritatẽ abſcõdit potiùs quàm oſtendit. Huc adde, ſi placet, τρικέφαλον tricipitem illum in Etymol. τρικέφαλος. triuijs Mercurij doctorem viæ, qui ſubſcriptione monſtrabat qua cuique eundum, non ſolùm per agros, ſed & in ipſa vrbe Athenienſe. Quin extabant illius, ſi non Hipparchi monita. στεῖχε δίκαια φρονῶν, μὴ φίλον ἐξαπάτα, ambula iuſta meditans, ne amicum decipe, taliaque. Hoc, quicquid eſt, conuenientius eſt noſtro huic apoſtolatus ſucceſſori, quo monſtrante ingredimur illam viam, extra quam omnia ſunt plena errorum. Nempe, hoc eſt, ſummum ac præcipuum munus apoſtolici culminis, in vrbibus, in agris, quaqua patet hoc terræ ſolidamentum, diſſeminare doctrinam Euangelicam, quod eſt æternæ ſalutis vnicum iter. Enimuero etſi hic noſter neque eſt τρικέφαλος, neque τρικάρηνος, triceps, verùm vt ita dicam, τρισέπαρχος, vi miniſterij, poteſtatiſque ſibi datæ homines æternæ ſeruituti ereptos reddit æternæ libertati. Adeò vt velim cum Prudentio, pauculis mutatis, exclamare libeat, Prudent. periſteph.

O triplex honor, ô triforme culmen,
Quo noſtri caput excitatur orbis;
Orbis Chriſtiani decus perenne.

Iſtis omnibus accedit, quod hoc tam ſublime munus Apoſtolatus Philo Iud. ἀλληγ. non poteſt obiri niſi ope eius triadis quæ & docenti & diſcenti planè eſt neceſſaria. Hæc trias continetur λόγῳ, σαφηνείᾳ λόγου, ἀληθείᾳ αὐτοῦ, verbo, perſpicuitate verbi, veritate eius. Qui ſanè eſt indiuiduus ſiue nexus, ſiue textus trium coronarum, quarum ſingulis hæc ſingula demonſtrantur, integro ternione omnia. Hæc eſt illa maieſtas, ſublimitas, efficacitas τρικορύφου triuerticis, trini, inquam, illius, & incomparabilis diadematis. Sed nequis putet hoc pontificale diadema eſſe nuperum ac nouitium inuentum, legimus in lege Dei, laminam auream rutilaſſe in fronte pontificis; Tum in hac lamina ſcriptum fuiſſe nomen Dei. *Id quod ſignificabat*, inquit Hieron. ad Fabiol. veſt. ſacer. Hieronymus, *vniuerſa quæ ſubter ſunt, Dei arbitrio gubernari.* Hunc Clemens Alexandrinus vocat pileum aureum, qui ſignifica- Clemen Alex. uit, inquit, regalem Domini poteſtatem, & principale imperium lib. 5. Strom. Chriſti. Tradunt quoque hiſtoriæ eccleſiaſticę ſcriptores, Ioannem Apoſtolum, ipſum qui ſupra Domini pectus recubuit, pro Niceph. lib. 4. inſigni pontificio geſtaſſe petalum, ſiue auream in frõte laminam. Sequutis temporibus, Syluestri Romani epiſcopi verè pontificia moderatio in hac quoque parte eluxit. Nam oblatam ſibi a Con- Plati. in Sylu.

ſtantino auream coronam pretioſis lapillis igneſcentem conſtanter aſpernatus eſt, contentus mitra, alboque velamine. Album quidem velamen, ibi fuiſſe inſigne epiſcopalis & paſtoritiæ curæ, nemini dubium. Albedo in omnibus eſt Deo grata, vel in ipſa textura, nempe in lino & lana. Totum inſigne ſacrati capitis, ipſam, inquam, mittam verisimile eſt ab illa Apoſtolica fuiſſe deſumptam, quæ & ipſa Apoſtolorum ætate, vt dixi, fuit aurea. Ergo quòd Conſtantinus Syluestro obtulit mitram, priſco & in eccleſia recepto more fecit. Quòd auream, id quoque ritè. Quòd gemmatam, id nouo more. Mitram Syluester, hoc eſt, pontificalis capitis inſigne conſtans ex aurea lamina, alboque velamine, vt muneri ſuo conuenientem, ſibique debitam vſurpauit. Quòd gemmas, nouum mitræ additamentum repudiauit, id modeſtè & Chriſtianè fecit. Hoc exemplo adnotatum eſt, Gottifredum, qui expugnata Hieruſalem, omnium Chriſtianorum ſuffragijs factus eſt rex, auream coronam, quam ſingulari virtute meruerat, reſpuiſſe. Is hoc negotium hac vir reputabat, Indignam rem fore, ſi ipſe vteretur aureo diademate in illo ipſo loco vbi Chriſtus rex regum atrociſſima morte affectus capite coronam ſpineam geſtauit. Porrò cùm Gottifredus rex eſſet, neque nouum, neque inconueniens erat, ipſum quaſi regem inſigniri corona. Quam tamen ipſe geſtare ſingulari cauſa, ea quam proximè memoraui, prohibitus, noluit. Eadem ratione Syluestro, exemplo Apoſtoli, ius fuit geſtare mitram auream, gemmis ornatam, quæ haud multùm diſtat ab aurea. Attamen gemmata abſtinuit; vt, quomodo is ſuis ſucceſſoribus penitus extinctæ diabolicæ ſuperſtitionis gloriam tradidit, ita aliquid iiſdem relinqueret, quo tanti facinoris, tantæque felicitatis decus auctius fieri, ac luculentiùs repræſentari poſſet. Hoc fuit diadema gemmatum ac triplicatum ea forma qua hodie conſpicitur. Quid mirum, ſi vbique flagrans Chriſtiana pietas, ſimulque admiratio tanti culminis, tum veneratio ſacroſanctæ ſedis metallum pretioſiſſimum hic quidem cumulauit gemmis, eaque ſpecie qua nulla vnquam ante mortales oculos obuerſata eſt auguſtior? ſi denique ſequenti ætate, omnis generis opibus in ſinum eccleſiæ cumulatiſſimè congeſtis, ſtudia & ardorem ſuæ profeſſionis pia hac benignitate teſtatum fecit? Cæterùm in hoc diademate pretioſus lapis verbum Dei ſignificat, quod neſcit interitum, nec eſt obnoxium rubigini & corruptioni. Certè Magi nato Chriſto obtulerunt aurum, quod eſt ſymbolum regni. Manet hæc corona, nempe aurea, inquit

Plato lib. 12. de leg.

Plati in Paſchali 2.

inquit Clemens Alexandrinus, immortalis ad imaginem domini. Non enim ſicuti flos flacceſcit. Porrò ſi priſca Roma fuit diademata, ſicuti regina gentium, is qui hodiernę nouæque Romæ imperat, annon meritò extraordinaria corona, ea quæ exſtet ſuper omnia diademata, inſigniri debet? Nam ſuper illa quæ vſque adhuc retuli, Romanus Hierarcha tam latè regnat, vt vel ex eo tantùm quod talis tantuſque eſt, magnis regibus adnumerari poſſit. Et hæc quidem illa ſunt, quę de Pontificio diademate verecundè potiùs quàm confidenter ſcribo. Non ſum neſcius, in tanta hac opinionum diuerſitate, varijs affectibus hæc acceptum iri. Sed quid agas? Vetus eſt verbum, *σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ᾽ ἔστιν, ἐμοὶ δὲ τάδε.* tu iſta cenſes, ego hæc.

Clemen. Alex. lib. 2 pædag. c. 8.

Stob. εἰς τὸ ἐναντίον περὶ γάμου.

ÇAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII ET APVD RHÆTOS LEGATI

DE CORONIS LIBER DECIMVS; QVI EST, DE PRISCORVM REGVM

multiplici, varioq; diademate, De ritu ſumendi diadematis, De additamentis coronæ.

CAPVT PRIMVM.

De tiara regum Perſicorum. Diſcrimen inter tiaram ac diadema. Quinque tiaræ. Primi generis tiara effigiatur. Eius materia. Secundi generis tiara, geſtamen ducum & primorum. Tertius tiara iudicum proprius. Quartus ſacrificantium.

HVc vſque egi de ijs capitis inſigniis quibus hodierno die vtuntur eminentes ac ſummæ poteſtates, illæque quæ ſunt his proximæ. Reſtat vt perſequar illas regiæ ſummæque dignitatis indices coronas, ſiue capitis geſtamina quæ olim apud longinquos reges in vſu fuerunt. Nam priſca diademata pro more cuiuſque gentis non vna forma, ſed variata fuiſſe conſtat. Et verò quæ in orbe Romano corona fuit, aut diadema, Perſarum regibus fuit tiara. Etſi hîc antiquitatis monitu libet diſcriminare priſcum tiaram à diademate. Nam tiara rectus, vt ſupra dixi, dicamque, ita fuit pileus regius, vt non tamen eſſet diadema. Cui rei documento illud eſt, quòd tiara regius cumulabatur diademate. Hoc diſcimus è Xenophonte, vbi loquitur de Cyro è regia prodeunte in publicum, & quidem circumfuſo

Xenoph de inſt. Cy, lib. 8.

regia pompa, omniq́ue aulico ſplendore. Habuit,inquit,diadema circa tiaram. Et affines eius illud ipſum inſigne habebant, & nunc hoc ipſum habent. Apuleius quoque vbi deſcribit Paridem,ei tribuit auream tiaram, huius ſcilicet generis cuius eſt ea quam nunc dico. *Apul. lib. 10. Metam.* Adeſt & locus Luciani, vbi is luculenter diſtinguit tiaram ab diademate. *Lucian. netr.* Alium ſiquidem fortuna excipiens, inquit, regiè ornat, imponens tiaram,& ſatellites tradens, & caput diademate cuinciens. Cui loco alter eiuſdem ſcriptoris ſimilis eſt,Pro honore iſto, ô rex,gratias tibi habeo,ac Perſico more procumbens adoro te, adductis poſt tergum manibus,venerans rectum iſtum tiarã, atque ipſum diadema. *Lucian. nauig. ſeu vota.* His addo tertium, perinde ac ſi quis regiè ornatus rectum habeat tiaram,& diadema,& alia, quotquot ſunt, inſignia regia,ac tamen mendicet. *Lucian. Piſcat. ſeu reuiuiſc.* Cæterùm inuenio quinque fuiſſe tiaras. Vnum vniuerſæ Perſarũ genti cõmunem. Alterũ primorũ. Tertium iudicum. Quartũ ſacrificãtiũ. Quintũ regię maieſtatis propriũ. Quòd tiara fuerit pileus communis cuilibet Perſæ, docet Strabo,vbi deſcribit veſtitũ huius gentis. *Strabo lib. 15.* Nam inter cætera tribuit illis tiaras affines tiaris Magorum. Et paulò poſt deſcribens formã tiaræ ait eos geſtare περὶ τῇ κεφαλῇ πίλημα πυργωτὸν, circa caput pileum turritum. Id quoque perſpicuè palam eſt ex Anacreonte, *Anacr.*

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι,
Καὶ Παρθίους τις ἄνδρας
Ἐγνώρισεν τιάραις.

In coxis quidem equi ignis ſignum habent, Et Parthos homines quis nouit [è] tiaris. Quibus in verſibus non diſtinguit pileos vulgares à ſublimioribus. Adeſt & locus Iuſtini, vbi loquitur de Semiramide, *quæ Nino filio adhuc puero non auſa tradere imperiũ, ſexum mentita, brachia ac crura velamentis, tiara caput texit. Et ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri iubet.* *Iuſtin. lib. 1.* Quem morem veſtis,inquit,exinde gens vniuerſa tenet. Huius pilei materiam,quæ fuerit, Strabo explicatè tradit, ῥάκος δὲ σινδόνιόν τι περὶ τῇ κεφαλῇ, circa caput quidpiam panni Sindonij. Ergo tiara fiebat è lana contorta, vt apud Statium loquentem de iuuene ſucceſſore regni Perſici.

Atque is vbi intorto ſignauit vellere crinem, *Stat. lib. 8. Theb.*
Conuenitq́; Deis, hilari per caſtra tumultu
Vadit ouans.

Hic enim Statius ipſi regi non regiam tiaram in caſtris, ſed communem, eamq́ue laneam tribuit. Porrò hæc tiara non tantùm Perſarum, ſed & aliarum gentium propria fuit. Qua de re operæ pretium eſt referre verba Hieronymi. *Hieron. ad Fabiol. de veſtitu ſacerd.* *Quartum*, inquit, *genus eſt*

veſtimenti rotundum pileolum, quale pictum in Vlyſſeo conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diuiſa, & pars vna ponatur in capite. Hoc Græci & noſtri τιάραν, nonnulli galerum vocant, Hebræi miſnephet. Non habet acumen in ſummo; non totum vſque ad comam caput tegit, ſed tertiam partem à fronte inopertã relinquit; atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt, vt non facilè labatur ex capite. Eſt autem byſſinum, & ſic fabrè opertum linteolo, vt nulla acus veſtigia extrinſecus appareãt. Alterius generis tiaram dixi fuiſſe geſtamen primorum, nempe, vt Suidas & Heſychius aiunt, τῶν ϛρατηγῶν, ducum. Hunc tiaram Valerius Flaccus deſcribit in his verſibus, vbi loquitur de Mirace Perſa regio interprete.

Valer. Flac. lib. 6. Arg.

At viridem gemmis, & Eoa ſtamine ſylua
Subligat extrema patrium ceruice tiaram
Inſignis manicis, inſignis acinace dextro.

Etymo. τιάρα. Hoc genus tiaræ fuit inclinatius, & in frontem exporrectius, vt diſcriminaretur à regio. Plutarchus loquens de Artaxerxe, & pœnis ducum, & pro vellendis, inquit, capillis, depilandoque capite Plutarch. ἀποφθ. βασιλ. καὶ ϛρατηγ. tiaram ponerent. Hoc quoque genus tiaræ idem Plutarchus tradit conceſſum fuiſſe ſeptem Perſis Magorum interfectoribus. Etſi hæc tiara videtur quàm proximè accedere ad regiam, quę extra- Plutarch. πολιτ. παραγγ. ordinario merito data ſit loco extraordinarij præmij; ac præ cæteris εἰς τοὔμπροσθεν τῆς κεφαλῆς, in anteriorem partem capitis exporrigeretur, Curopal. de offi. Conſtantin. quaſi regia illa quæ erat recta. Tertio loco poſui tiaram iudicum, de quo extſtat locus Curopalatis, qui alibi tiaram à Medis deſumptam ait. Is ergo Curopalates tradit, iudices Medorum, capite geſtare φακιόλιον, quam interpretantur tiaram. Hinc, inquit, cuique tiara. At etiam formam eius deſcribit. Addit enim, huic tiarę ad ſiniſtrum latus appenſum eſſe μαργέλλιον συρματῶον, opus è margaritis fimbriatum, alteram aurem geſtoris obtegens. Qua re ſignificatur, aurem intectam accuſatoribus dari, tectam accuſatis. Hæc videtur eſſe illa tiara, quam Priamus geſtabat, cùm populis iura daret in loco imperfecto,

Virgil. 7. Æneid.

Hoc Priami geſtamen erat, cùm iura vocatis
More daret populis, ſceptrumq́; ſacerq́; tiaras,
Iliadumq́; labor, veſtes.

De tiara ſacerdotum & ſacrificantium, quam quarto loco poſui exſtat locus Strabonis, qui ait, Perſas ſacrificantes geſtare τιάρας πλωτὰς καθηκυίας ἑκατέρωθεν, quę verba interpres ita reddit, filtraceas infulas ex vtraque parte dependentes. Ille quoque ἀρχιερεὺς ſupremus ſacerdos Syrię Deæ, qui ſolus eſt purpuratus, Niceph. lib. 11. cap. 21. τιάρῃ χρυσέῃ ἀναδέεται, aurea tiara redimitur. Nicephorus tradit Euſebium Epiſcopum Samoſatenſem multas eccleſias viſitaſſe paſtoribus vacuas, aſſumpto habitu militis, tectoq́; capite epiſcopali tiara, quam è

pileo conſeccrat, Syriam, Phœniciam, & Palęſtinam peragraſſe. Sacerdotalis huius tiarę mentio eſt apud Iuuenalem, *Iuuen. ſat. 6.*

Iam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia, & Phrygia veſtitur bucca tiara,
Grande ſonat, &c.

Ex his omnibus conſtat, has tiaras fuiſſe pileos gentis Perſarum, Medorum, Lydorum, Phrygum, eminentes & faſtigiatos, atque vt è Strabone adnotaui, turritos, qualis propemodum eſt hodiernus pileus Turcarum quem Turbantem vocant.

CAPVT II.

Regia tiara eſt recta. De more illuſtrium hominum cùm vrbes ingrederentur. κυρβασία. *Tiara verè inſigne regium apud Perſas. Mulieres* πυργοφόροι. *Tiara lunata. Materia regiæ tiaræ. Amplitudo eius. Implere tiaram, quid,* χαίδυς δὴ ἐπόρφυρες.

REGIA tiara & forma & regalibus additamentis, nempe diadematis diſcriminabatur ab hoc pileo multitudinis, primorum, iudicum, ſacrificantium. Prima diſcriminis nota eſt, quod regia tiara fuit recta, non item cæteræ, nec ſimpliciter tiara, ſed regia tiara dicebatur, vt apud Æſchylum, *Æſchyl. Perſ.*

ἔλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυ-
μβον ὄχθου, κροκόβαπτον
ποδὸς εὔμαριν ἀείρων,
βασιλείου τιάρας
φάλαρον πιφαύσκων.

Accede ad ſummam oram tumuli, purpureum pedis calceum attollens, regij tiaræ verticem demonſtrans, hoc eſt, vt ibi Scholiaſtes ait, τὸ σῆμα, regium inſigne. Dion Chryſoſtomus ait, Perſas regibus ſuis circumdare tiaras & ſceptra, & diademata, ne neſciantur eſſe reges. Vbi diſtinguit tiaram à diademate, ſicuti alij ſcriptores, quorum loca ſupra citaui. Additque fieri non poſſe vt duo geſtēt tiaras rectos, hoc eſt, vt vterque regnet, vt duorum ſit vnum regni numen. *Dion Chryſoſt. orat. 14.* Quod vnus hic regius tiara eſſet rectus, præter cæteros, diſertim tradunt Suidas, & autor Etymologici, iiſdem verbis. Suidas etiam ait, Demaratum Lacedæmonium, concedente ei rege, vt peteret ſi quid vellet, petijſſe vt Sardeis, regiam vrbem tiara regia ingrederetur, hoc eſt, habitu regio. *Suid. et etymol. τιάρα.* Moris enim fuit, (hoc obiter dico) vt illuſtres homines, ſi quando inſigniores vrbes intrarent, coronati eſſent, nempe ijs coronis, quas virtute in certaminibus meruiſſent. Quo exemplo Callipus ille, ſceleſtus ille molitor cædis Dionis, priuſquam ad hoc tantum ſcelus accingeretur, cùm, inquam, etiam haberetur primus amicorum Dionis, *Plutarch. Dion.*

Pana quidem Homerus pellem lyncis humeris geſtantem facit, credo, hinc innuens alteram harum dotium, & fortaſſe vtramque. Certè vtramque intelligimus pertinere ad curam principis: cuius eſt agere perpetuas excubias in hoc, vt nihil lateat inquiſitionem ſuam. Denique omni re perſpecta, ipſe omnibus pariter adſit; nempe cùm velociter, eâdem opportunè, cùm feliciter, eâdem & prouidenter. Poſſet illud quoque dici, haſce notulas nigras albedini inſperſas eſſe imitamentum pilei Mercurialis, qui ſanè dicitur fuiſſe ſemialbus & ſeminiger. Et verò is Deus de albis nigra, de nigris alba facit. Id quod qui diligentiùs inſpexerit, reperiet eſſe proprium munus principis, cuius virtute qui dies atri fuerunt, redduntur candidi. Is ipſe luctum mutat lætitia, curua dirigit, praua corrigit, deſperata reſtituit.

Homer. hym. εἰς Πᾶνα.

Albric. de imag. Deo. in Mercur.

CAP. XIV.

De diademate Pontificio. Cur hoc diadema vocetur regnum. De materia huius diadematis. De eius ſingulari forma. Vocatur quoque mitra. Significatus triadis in hoc diademate. Quædam de Iano & Mercurio. Mos geſtandi Pontificij diadematis vnde deriuatus. Romanus pontifex regibus adnumeratur.

HVc vſque egi de regio, imperiali, ducali diademate, alijſque capitis inſignijs quæ ſunt propria eminentium poteſtatum. Reſtat Pontificium diadema, de quo nullo præeunte, atque inter inuia ſemitam faciens proferam mea, fortaſſe infra decus ac dignitatem tantæ rei, donec exſurgat aliquis, qui iſtis veriora, eruditiora, ſublimiora in commune conferat. Vt hoc agam, aio, Pontificiæ coronæ texto nomen eſſe regnum, ab ipſo ore Chriſti ſumpto nomine. *Adueniat*, inquit, *regnum tuum*, id eſt, hoc à te, Domine, ſupplices petimus, vt diffiata errorum, omniſque ſuperſtitionis caligine, tu ſolus hîc regnum poſſideas. Nam ſi tu hîc regnas, nos verò ſumus in ditione tua. Si tui ſumus, alienari non poſſumus, perpetuò futuri ſumus tui. Si tui, æternùm ſumus felices, æternùm erimus con ſortes regni tui. Hoc regnum crebris Chriſti victorijs emerſit, nempe catenato diabolo, ſub iugum miſſa impietate, Ethnica ſuperſtitione tandem triumphata, ſequente Chriſti currum ſenatu patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, doctorum, omnique militia Chriſtiana. Etſi enim eccleſia etiam dicitur militare, tamen eo fortiùs dimicat, quòd eſt victoriæ certa, cùm Chriſto duce militet. Chriſtus non ſolùm victor, ſed & triumphalis hoc ſuum decus com-

Matth cap. 6.

municat cum eccleſia, cuius in manum conuenit. Ea re eccleſiam Chriſto deſponſatam meritò dicimus eſſe victricem, triumphatricem, regnatricem. Id quod ſi eſt, vt eſt, ecquæ ſit inuidia, cum qui in eccleſia agit vices Chriſti, quod eſt caput eccleſiæ, inſigniri nota victoriæ, triumphi, regni? Reges incedunt diademati. Is qui eſt rex regum, cuius vnius conceſſu reges eo loco ſunt quo ſunt, non proprio diademate inſignis aſpicietur in perſona illius cui dedit claues cælorum, quem ipſe ſibi in eccleſia vicarium legit? Adnotauit Philo ſcriptor eruditiſſimus & eloquentiſſimus & quidem è ſacra hiſtoria ſumptum, ſummum Pontificem capite geſtaſſe cidarim. Quippe æquum fuit, cum qui Deo ſacra facit, quo tempore operatur, excellere non ſolùm inter priuatæ ſortis homines, ſed & ipſos inter reges. Additque illi qui ad ſacra facienda, & vota preceſque Deo offerendas accedit, æquum eſſe vniuerſum mundum comitem ire, qui ſignificatur per omnia illa imitamenta quæ tam ſuper capite, quàm ſuper veſte Pontificis erant. Hinc, videlicet, eſt diadema Pontificis Romani, qui inter omnes antiſtites & pontifices eſt ſummo loco. At enim vt regnum Chriſti ſupereminet omnia regna, ita æquum fuit hoc diadema eminere inter omnia diademata. Conſtat ergo è materia pretioſa; eſt forma auguſta, & ſignificatu excellente. Eius materia, ſuper opes atque æternitatem auri & lapillorum, quæ ſingula nihil ſignant non cœleſte, eſt album interius capitis velamen lineum ſeu ſericum. Sunt & infulæ ſacerdotales & regales quæ vtrinque dependent è corona. Et hæc quidem propriè eſt mitra, inſigne pontificale hærens coronæ. Ea re huic diademati non ſolùm nomen eſt regno, ſed & mitræ, vt ſupra dixi, cùm egi de mitra Epiſcopali. Forma ita vnum eſt, vt eâdem ſit triplex, nempe textum è tribus coronis, quarum quæ media eſt cumulat illam quæ imo loco eſt. Altera quoque cumulatur ab illa quæ tertia & ſumma eſt. Et huius quidem diadematis materia & forma talis eſt. Significatus huius texti tam auguſti non cuilibet ſunt obuij. Scio quales ſint hac de re vulgi voces. Nimirum, aiunt, hinc ſignari tripartitas orbis terrarum oras, quarum nulla non ſit in ditione Pontificis. Ego vulgum nihil moror. Primùm aio, priſcam ſapientiam ita exiſtimaſſe, dyaden, hoc eſt, binarium numerum eſſe contentionem & audaciam, triadem verò eſſe iuſtitiam. Cùm enim iniuriam pati ſit defectus, iniuriam facere ſit πλεονεξία transgreſſio eius quod eſſe debet, æquum eſt iuſtitiam inter vtrumque ſeſe mediam interponere. Eſt ergo Medietas nihil aliud quàm ipſa iuſtitia, temperandæ ac emendandæ vtrique extremitati inuenta, tam quà defectus, quàm quà nimietas eſt. Merito ergo ſapientes firmant, medietatem in

Philo π. 6. Μωσ.

Plutarch. π. Ισ. ϰ Οσιϱ.

Philo π. ϰα-τας. αϱχοντος.

triade obtinere ducatum, ſiue principem locum, qui vtramque extremitatem conſtringit indiſſolubili vinculo; atque adeò è duabus vſque eò vnam facit, vt ſibi vtraque vtrinque ſit ſatellitium ſicuti regi. Enimuero non errabit quiſquis hanc ipſam medietatem dixerit eſſe regnum. Non potuit ſumma æquitas, vereque pontificia, ſignificantiùs edi quàm hac triade, à qua eſt libramentum omnium rerum, ne hinc aut illinc in mutuam iniuriam propendeant. *Sen. ep. 30.* *Prima pars æquitatis*, inquit Seneca, *eſt æqualitas.* At æqualitas omnia tranquillat. Tranquillitas eſt via ad beatitatem. Ergo hæc trias, in qua eſt illa medietas quæ non patitur quenquam eò extolli, vnde alius deprimi poſſit, quæ interuentu ſuo omnia tranquillat, dici poteſt illud æquilibrium quo omnia ſapientiſſimè temperantur. Hinc ſummus pontifex intelligit æquum eſſe vt ſua ſumma autoritate certamina extinguantur; tumultus compeſcantur, bella conſopiantur. Vt in alijs eminentioribus poteſtatibus aliquando vitioſæ deprehendantur extremitates, aut propter defectum, aut propter ὑπερβολὴν, in ipſo elucere debet æquitas, hoc eſt perfectio, quam hac quoque triade ſignificari conſtat. Nam trias eſt numerus perfectus, quòd eſt princeps imparium, & origo plurium, & prima ſedatio diſcordantis dyadis, & miſtura ac temperamentum cæterorum numerorum, denique, quod eſt impar, maſculus & maſculæ generoſitatis. Ideo nouenarium numerum, qui numerus diuiditur in ter tria, aiunt eſſe perfectiſſimum, atque adeò ad animum pertinere, tribuique Muſis, quarum numerus conſtat è tribus triadibus. Ipſarum muſarum nulla non cenſetur excellenti inuento. Huc accedit, quod vnitate ſignatur punctum; dyade linea, quæ nullam in ſe habet latitudinem, triade latitudo, hoc eſt ipſa totius rei ſuperficies, quæ eſt forma & eſſentia rei, illa ſine qua πάντα conſiſtere nequit. Qua re docemur, ſacratiſſimo hoc huius diadematis texto ſignificari primam rerum omnium autoritatem, quæ eſt à Deo. Qua dempta nihil quicquam eorum quæ ſunt, exiſtat. Ex Superioribus quoque omnibus conficitur, hoc ternione coronarum, quod eſt inſigne pontificiæ maieſtatis, iuſtiſſimam rerum adminiſtrationem efficaciſſimè demonſtrari. Et verò cùm τριπλασίαν χάριν triplicem gratiam cuipiam deberi dicimus, omnimodam dicimus, cùm quempiam ter felicem nominamus, eum in perfecta & abſoluta felicitate conſtitutum dicimus. Eodem ferè ſenſu Græci τρικάρανον tricipitē vocarūt eum, qui triplici dominatu, hoc eſt, ſumma poteſtate præditus eſt. Ceterū cùm omnia ſortiātur initiū, mediū, finē, extra quos terminos in rerum natura nihil eſt, hinc quoq; pontificalem excellentiam demonſtrari fatēdum eſt. In eius ſapientia eſt

Martian. Cap. lib. 6. de triade. Auguſt. de ciu. Dei li. 11. ca. 31. Plutarch. Fab. Max. Clem. Alex. lib. 6. Strom. Sen. ep. 59. Cenſor. cap 14 Tzetz. in Heſiod. Philo Iud. περὶ κοσμ.

Plato in polit.

Ariſtid. cir ſyn.

auſpicatiſſimum initium rerum; Auſpicijs ductuque huius tantæ ſublimitatis, rectà itur ad illam felicitatem quæ cumulat, aut potiùs ſuperat omnia vota. Hac item coronæ Pontificalis triade ſacrorum rituum conſummationem, omnemque adeò eccleſiaſtici muneris perfectionem ſignari, non abſurdè dici poteſt. Certè auſpicio triadis, ritu antiquiſſimo, preces tertiò, libamina tertiò repetebantur. Vnde fortaſſe apud Platonem Ζεὺς τρίτος σωτήρ, Iupiter tertiùm ſeruator. *Plato epiſt. 7.* Enimuero ſacra monas tribuitur fabricatori Deo; Qui vnus cùm ſit, ad eius exemplum maxima quæque ſunt vnica & ſingularia, vt mundus, Sol, Luna, Veritas. Dyas ex vnitate profecta materiam procreauit. Trias omnes materiæ ſpecies. Ex his veluti autoribus conficiuntur ſequentes numeri, è quibus quoque conſtat abſolutiſſimum hoc mundanæ machinę opus. Certè ſic ordinato huius coronæ decore, vt è prima manet altera, è duabus tertia, eius honor ita triplicatus intelligitur, vt è tribus vna conſtet, vna tres repræſentet, tres vnam faciant. *Philo in νόμος.* Eadem prope ratione qua ad conſtituendam hominis excellentiam neceſſe fuit in vnum conſpirare tria, nempe Deum inſpirantem, eam rem quæ inſpiratur, qui eſt ſpiritus Dei, & ſubiectum quod inſpiratur, quæ eſt mens humana. Sub Chriſti regno collectum & vnitum eſt quicquid ambitu cœlorum, quicquid maris terrarumque complexu continetur. Vnus ille Deus, vna eſt illius ſapientia, vnica eſt illius in omnia, ſingulariſque potentia. A Chriſto, ſicuti a centro, ſiue axe, manant omnes poteſtates in exteriora, veluti à polo in eam ſphæram, cui nomen circite. In huius manu omnia ſunt. Præ huius regno omnia regna ſunt exiguæ quædam & circumſcriptæ poteſtates, quæ ſupremæ huic & infinitæ maieſtati aſſurgunt. Ante hunc vnum in genua procumbunt. Seque adeò ea lege & conditione inſtitutas fatentur, vt huic vni ſe probent obſequiis, cultu, veneratione, adoratione. Mundus quidem diuiditur in regna & prouincias ſicuti corpus in membra. At regnum Chriſti quod, vt ſol in re pellucida, in pontificia maieſtate eſt exſcriptum, eſt totum in ſuo toto. Per hoc totum diffuſum ſacratiſſimum numen domini noſtri aliter erumpit in eccleſia, aliter extra eccleſiam. Vbicunque eſt, Deus eſt, omnipotens, in ſua ſacroſancta maieſtate immenſus, in illa immenſitate admirandus; Sed & in eccleſia ſeruator. Nam in eccleſia ſua diſperſas gentes collegit, vt quæ linguis & moribus diſſiderent, has fidei commercium congreges faceret; quas ſuperſtitionum errores diſtraherent, veræ religionis vinculum conſtringeret. Poſtremò omnium gentium patria Roma facta eſt, quod eſt ſedes illius qui vniuerſis Chriſtianis loco parentis eſt; Qui geſtat inſignia regia,

quia verè is regit vniuerſos qui vniuerſos patria cura & Chriſtiana charitate complectitur. His accedit illud quod ſapientiæ profeſſores tradunt, æqualitatem ſenarij numeri ab ipſo creatore mundi diuiſam fuiſſe in duas partes æquales. Prior eſt illa quæ conſtat è tribus diebus, illis qui præceſſerunt creationem ſolis. Qui ternio dierum ſignat ſæculum, hoc eſt, æternitatem quæ complectitur illam immenſitatem quæ fuit ante, futuraque eſt poſt tempus. At tres ſequentes demonſtrant tempus, quod eſt imitamētum ſæculi, ſi eſt vt re finita ſignari poſſit infinita. Prior item ternio eſt index eius facultatis quam in diuina maieſtate priorem ſuſpicimus. Hanc vocant χαριστικὴν ſiue εὐεργετικὴν quæ tota conſtat gratia, munere, fauore diuino. Alteram dicunt κολαστικὴν ſiue κολαστήριον, quæ pertinet ad vindicandum & puniendum. Vi prioris illius cùm mundus fuerit creatus, merito creator vocatur dominus nempe tanti operis. Vi huius poſterioris regit opus ab ſe conditum, & hinc, ſcilicet, vocatur Deus vtraque facultate prǫditus, & vtramque tēperans. Hæc taliaque ſi Pontifex ad animum reuocabit, & hic quoque videbit quæ qualeſque ſint ſuæ partes, ſi in terris inſidet locum Dei. Sacrum item candelabrum veteri lege Moſaica tres hinc inde habuit calamiſcos, quaſi tria vtrinque ſurgentia lumina quibus templum Dei collucet. vt hinc quoque in pontificali apice diuinum lumen eſſe intelligamus, nempe eſſe ipſum in terris qualis eſt in cœlo ſol, qui habet ſuper ſe φαίνοντα, φαέθοντα, πυρόεντα. Saturnum, Iouis, & Martis ſtellam; poſt ſe illas nempe Mercurij, & Veneris, & aeri vicinam lunam. Quorū omnium ſimulachrum ſiue imitamentum fuit inſigne illud candelabrum, ſeu potius vniuerſi cœli. Superioribus addo, diuinam maieſtatem tribus potiſſimùm rebus cenſeri, ἀφθαρσίᾳ, καὶ δυνάμει, καὶ ἀρετῇ incorruptibilitate, poteſtate, virtute. Harū ſingulæ ſingulari corona demonſtrantur. Hæ tamen coronæ in vnum redactæ contexiū, incōprehenſibilem illam adorandæ diuinitatis perfectionem vtrumque repræſentant. Hæc item tria in humanis mentibus progenerant amorē, timorē, honorem. In diuinitate amamus illam ſiue incorruptibilitatē, ſiue immortalitatem; Timemus dominationem, vim, potentiā. Veremur & adoramus iuſtitiā. Quæ omnia & ſi & verè & appoſitè dici poſſunt, tamen illa ſapientia quæ fabricata eſt venerabilem illam trium coronarum coitionem, tria, opinor, docuit quibus omnis Chriſtiana pietas continetur, legitimam apicis Apoſtolici ſucceſſionem, ſcientiam ſalutis æternæ, denique cœlos reſerandi, occludendique poteſtatem. Nulla harum dotium non modo eſt regnum, ſed & omni regno eminentior. His demonſtrandis aſſumpta eſt corona, res perfecta, eoque perfectior quòd eſt triplicata.

Philo τίς ὁ τῶν θεί. κληρ.

Pluth. Ariſtide

Emergēte hac corona, valeāt ethnica illa inuenta. Valeat Ianus ille bifrons, fortè & trifons, certè quadrifōs, & quicquid ſub tali ſpecie latere homines cōmenti ſunt. Vt illa non fuit religio ſed religionis imitatrix ſuperſtitio, ita talibus inuolucris veritatē abſcōdit potiùs quam oſtendit. Huc adde, ſi placet, τρικέφαλον tricipitem illum in *Etymol. τρικέφαλος.* triuijs Mercuri doctorem viæ, qui ſubſcriptione monſtrabat qua cuique eundum, non ſolùm per agros, ſed & in ipſa vrbe Athenienſe. Quin extabant illius, ſi non Hipparchi monita. στεῖχε δίκαια φρονῶν, μὴ φίλον ἐξαπάτα, ambula iuſta meditans, ne amicum decipe, taliaque. Hoc, quicquid eſt, conuenientius eſt noſtro huic apoſtolatus ſucceſſori, quo monſtrante ingredimur illam viam, extra quam omnia ſunt plena errorum. Nempe, hoc eſt, ſummum ac præcipuum munus apoſtolici culminis, in vrbibus, in agris, quaqua patet hoc terræ ſolidamentum, diſſeminare doctrinam Euangelicam, quod eſt æternæ ſalutis vnicum iter. Enimuero etſi hic noſter neque eſt τρικέφαλος, neque τρικάρηνος, triceps, verùm vt ita dicam, τρισέπαρχος, vi miniſterij, poteſtatiſque ſibi datæ homines æternæ ſeruituti ereptos reddit æternæ libertati. Adeò vt vel cum Prudentio, pauculis mutatis, exclamare libeat,

> *O triplex honor, ô triforme culmen,* *Prudent. periſteph.*
> *Quo noſtri caput excitatur orbis;*
> *Orbis Chriſtiani decus perenne.*

Iſtis omnibus accedit, quod hoc tam ſublime munus Apoſtolatus *Philo Iud. ἀλλ. νγ.* non poteſt obiri niſi ope eius triadis quæ & docenti & diſcenti planè eſt neceſſaria. Hæc trias continetur λόγῳ, σαφηνείᾳ λόγου, ἀληθείᾳ αὐτοῦ, verbo, perſpicuitate verbi, veritate eius. Qui ſanè eſt indiuiduus ſiue nexus, ſiue textus trium coronarum, quarum ſingulis hæc ſingula demonſtrantur, integro ternione omnia. Hæc eſt illa maieſtas, ſublimitas, efficacitas τρικορυφε triuerticis, trini, inquam, illius, & incomparabilis diadematis. Sed nequis putet hoc pontificale diadema eſſe nuperum ac nouitium inuentum, legimus in lege Dei, laminam auream rutilaſſe in fronte pontificis; Tum in hac lamina ſcriptum fuiſſe nomen Dei. *Id quod ſignificabat*, inquit *Hieron. ad Fabiol. veſt. ſacer.* Hieronymus, *vniuerſa quæ ſubter ſunt, Dei arbitrio gubernari.* Hunc Clemens Alexandrinus vocat pileum aureum, qui ſignifica- *Clemen Alex.* uit, inquit, regalem Domini poteſtatem, & principale imperium *lib. 5. Strom.* Chriſti. Tradunt quoque hiſtoriæ eccleſiaſticę ſcriptores, Ioannem Apoſtolum, ipſum qui ſupra Domini pectus recubuit, pro *Niceph. lib. 4.* inſigni pontificio geſtaſſe petalum, ſiue auream in frōte laminam. Sequutis temporibus, Syluestri Romani epiſcopi verè pontificia moderatio in hac quoque parte eluxit. Nam oblatam ſibi à Con- *Plati. in Sylu.*

ſtantino aurcam coronam pretioſis lapillis igneſcentem conſtanter aſpernatus eſt, contentus mitra, alboque velamine. Album quidem velamen, ibi fuiſſe inſigne epiſcopalis & paſtoritiæ curæ, nemini dubium. Albedo in omnibus eſt Deo grata, vel in ipſa textura, nempe in lino & lana. Totum inſigne ſacrati capitis, ipſam, inquam, mittam veriſimile eſt ab illa Apoſtolica fuiſſe deſumptam, quæ & ipſa Apoſtolorum ætate, vt dixi, fuit aurea. Ergo quòd Conſtantinus Syluestro obtulit mitram, priſco & in eccleſia recepto more fecit. Quòd auream, id quoque ritè. Quòd gemmatam, id nouo more. Mitram Syluester, hoc eſt, pontificalis capitis inſigne conſtans ex aurea lamina, alboque velamine, vt muneri ſuo conuenientem, ſibique debitam vſurpauit. Quòd gemmas, nouum mitræ additamentum repudiauit, id modeſtè & Chriſtianè fecit. Hoc exemplo adnotatum eſt, Gottifredum, qui expugnata Hieruſalem, omnium Chriſtianorum ſuffragijs factus eſt rex, auream coronam, quam ſingulari virtute meruerat, reſpuiſſe. Is hoc negotium hac vi reputabat, Indignam rem fore, ſi ipſe vteretur aureo diademate in illo ipſo loco vbi Chriſtus rex regum atrociſſima morte affectus capite coronam ſpineam geſtauit. Portò cùm Gottifredus rex eſſet, neque nouum, neque inconueniens erat, ipſum quaſi regem inſigniri corona. Quam tamen ipſe geſtare ſingulari cauſa, ea quam proximè memoraui, prohibitus, noluit. Eadem ratione Sylueſtro, exemplo Apoſtoli, ius fuit geſtare mitram auream, gemmis ornatam, quæ haud multùm diſtat ab aurea. Attamen gemmata abſtinuit; vt, quomodo is ſuis ſucceſſoribus penitus extinctæ diabolicæ ſuperſtitionis gloriam tradidit, ita aliquid ijſdem relinqueret, quo tanti facinoris, tantæque felicitatis decus auctius fieri, ac luculentiùs repræſentari poſſet. Hoc fuit diadema gemmatum ac triplicatum ea forma qua hodie conſpicitur. Quid mirum, ſi vbique flagrans Chriſtiana pietas, ſimulque admiratio tanti culminis, tum veneratio ſacroſanctæ ſedis metallum pretioſiſſimum hic quidem cumulauit gemmis, eaque ſpecie qua nulla vnquam ante mortales oculos obuerſata eſt auguſtior? ſi denique ſequenti ætate, omnis generis opibus in ſinum eccleſiæ cumulatiſſimè congeſtis, ſtudia & ardorem ſuæ profeſſionis pia hac benignitate teſtatum fecit? Cæterùm in hoc diademate pretioſus lapis verbum Dei ſignificat, quod neſcit interitum, nec eſt obnoxium rubigini & corruptioni. Certè Magi nato Chriſto obtulerunt aurum, quod eſt ſymbolum regni. Manet hæc corona, nempe aurea, inquit

Plato lib. 12. de leg.

Plati in Paſchali 2.

inquit Clemens Alexandrinus, immortalis ad imaginem domini. *Clemen. Alex. lib. 2 pædag. c. 8.*
Non enim ſicuti flos flaceſcit. Porrò ſi priſca Roma fuit diademata, ſicuti regina gentium, is qui hodiernę nouæque Romæ imperat, annon meritò extraordinaria corona, ea quæ exſtet ſuper omnia diademata, inſigniri debet? Nam ſuper illa quæ vſque adhuc retuli, Romanus Hierarcha tam latè regnat, vt vel ex eo tantùm quod talis tantuſque eſt, magnis regibus adnumerari poſſit. Et hæc quidem illa ſunt, quę de Pontificio diademate verecundè potiùs quàm confidenter ſcribo. Non ſum neſcius, in tanta hac opinionum diuerſitate, varijs affectibus hæc acceptum iri. Sed quid agas? Vetus eſt verbum, σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε. tu iſta cenſes, ego hæc. *Stob. εἰς τὸ ἐναντίον περὶ γαμ..*

regia pompa, omniq́ue aulico ſplendore. Habuit,inquit,diadema circa tiaram. Et affines eius illud ipſum inſigne habebant, & nunc hoc ipſum habent. Apuleius quoque vbi deſcribit Paridem,ei tribuit auream tiaram, huius ſcilicet generis cuius eſt ea quam nunc dico. Adeſt & locus Luciani, vbi is luculenter diſtinguit tiaram ab diademate. Alium ſiquidem fortuna excipiens, inquit, regiè ornat, imponens tiaram,& ſatellites tradens, & caput diademate euinciens. Cui loco alter eiuſdem ſcriptoris ſimilis eſt,Pro honore iſto, ô rex,gratias tibi habeo,ac Perſico more procumbens adoro te, adductis poſt tergum manibus,venerans rectum iſtum tiarã, atque ipſum diadema. His addo tertium, perinde ac ſi quis regiè ornatus rectum habeat tiaram,& diadema,& alia, quotquot ſunt, inſignia regia,ac tamen mendicet. Cæterùm inuenio quinque fuiſſe tiaras. Vnum vniuerſæ Perſarũ genti cõmunem. Alterũ primorũ. Tertium iudicum. Quartũ ſacrificãtiũ. Quintũ regię maieſtatis propriũ. Quòd tiara fuerit pileus communis cuilibet Perſæ, docet Strabo, vbi deſcribit veſtitũ huius gentis. Nam inter cætera tribuit illis tiaras affines tiaris Magorum. Et paulò poſt deſcribens formã tiaræ ait eos geſtare περὶ τῇ κεφαλῇ πίλημα πυργωτὸν, circa caput pileum turritum. Id quoque perſpicuè palam eſt ex Anacreonte,

Apul. lib. 10. Metam. — *Lucian. vetr.* — *Lucian. nauig. ſeu vota.* — *Lucian. Piſcat. ſeu reuiuiſc.* — *Strabo lib. 15.*

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι
Καὶ Παρθίους τις ἄνδρας
Ἐγνώρισεν τιάραις. — *Anacr.*

In coxis quidem equi ignis ſignum habent, Et Parthos homines quis nouit [è] tiaris. Quibus in verſibus non diſtinguit pileos vulgares à ſublimioribus. Adeſt & locus Iuſtini, vbi loquitur de Semiramide, *quæ Nino filio adhuc puero non auſa tradere imperiũ, ſexum mentita, brachia ac crura velamentis, tiara caput texit. Et ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri iubet.* Quem morem veſtis,inquit,exinde gens vniuerſa tenet. Huius pilei materiam, quæ fuerit, Strabo explicatè tradit, ῥάκος δὲ σινδόνιόν τι περὶ τῇ κεφαλῇ, circa caput quidpiam panni Sindonij. Ergo tiara fiebat è lana contorta, vt apud Statium loquentem de iuuene ſucceſſore regni Perſici.

Iuſtin. lib. 1.

Atque is vbi intorto ſignauit vellere crinem,
Conuenitq́, Deis, hilari per caſtra tumultu
Vadit ouans. — *Stat. lib. 8. Theb.*

Hic enim Statius ipſi regi non regiam tiaram in caſtris, ſed communem, eamq́ue laneam tribuit. Porrò hæc tiara non tantùm Perſarum, ſed & aliarum gentium propria fuit. Qua de re operæ pretium eſt referre verba Hieronymi. *Quartum*, inquit, *genus eſt*

Hieron. ad Fabiol. de veſtitu ſacerd.

veſtimenti rotundum pileolum, quale pictum in Vlyſſeo conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diuiſa, & pars vna ponatur in capite. Hoc Græci & noſtri πάραν, nonnulli galerum vocant, Hebræi miſnephet. Non habet acumen in ſummo; non totum vſque ad comam caput tegit, ſed tertiam partem à fronte inopertā relinquit, atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt, vt non facilè labatur ex capite. Eſt autem byſſinum, & ſic fabrè opertum linteolo, vt nulla acus veſtigia extrinſecus appareāt. Alterius generis tiaram dixi fuiſſe geſtamen primorum, nempe, vt Suidas & Heſychius aiunt, τῶν στρατηγῶν, ducum. Hunc tiaram Valerius Flaccus deſcribit in his verſibus, vbi loquitur de Miråce Perſa regio interprete.

Valer. Flac. lib. 6. Arg.

> *At viridem gemmis, & Eoa ſtamine ſyluæ*
> *Subligat extrema patrium ceruice tiaram*
> *Inſignis manicis, inſignis acinace dextro.*

Etymo. τιάρα. Plutarch. ἀρτοξ. βασιλ. καὶ στρατηγ. Plutarch. πολιτ. παραγγ.

Hoc genus tiaræ fuit inclinatius, & in frontem exporrectius, vt diſcriminaretur à regio. Plutarchus loquens de Artaxerxe, & pœnis ducum, & pro vellendis, inquit, capillis, depilandoque capite tiaram ponerent. Hoc quoque genus tiaræ idem Plutarchus tradit conceſſum fuiſſe ſeptem Perſis Magorum interfectoribus. Erſt hæc tiara videtur quàm proximè accedere ad regiam, quę extraordinario merito data ſit loco extraordinarij præmij; ac præ cæteris εἰς τοὔμπροσθεν τῆς κεφαλῆς, in anteriorem partem capitis exporrigeretur, quaſi regia illa quæ erat recta. Tertio loco poſui tiaram iudicum, de quo exſtat locus Curopalatis, qui alibi tiaram à Medis deſumptam ait. Is ergo Curopalates tradit, iudices Medorum, capite geſtare φακιόλιον, quam interpretantur tiaram. Hinc, inquit, cuique tiara. At etiam formam eius deſcribit. Addit enim, huic tiarę ad ſiniſtrum latus appenſum eſſe μαργέλλιον συρματιῖνον, opus è margaritis fimbriatum, alteram aurem geſtoris obtegens. Qua re ſignificatur, aurem intectam accuſatoribus dari, tectam accuſatis. Hæc videtur eſſe illa tiara, quam Priamus geſtabat, cùm populis iura daret in loco imperfecto,

Curopal. de offi. Conſtantin.

Virgil. 7. Æneі.

> *Hoc Priami geſtamen erat, cum iura vocatis*
> *More daret populis, ſceptrumq; ſacerq; tiaras,*
> *Iliadumq; labor, veſtes.*

De tiara ſacerdotum & ſacrificantium, quam quarto loco poſui exſtat locus Strabonis, qui ait, Perſas ſacrificantes geſtare τιάρας πιλωτὰς καθηκούσας ἑκατέρωθεν, quę verba interpres ita reddit, filtraceas infulas ex vtraque parte dependentes. Ille quoque ἀρχιερεὺς ſupremus ſacerdos Syrię Deæ, qui ſolus eſt purpuratus, τιάρῃ χρυσῇ ἀναδέεται, aurea tiara redimitur. Nicephorus tradit Euſebium Epiſcopum Samoſatenſem multas eccleſias viſitaſſe paſtoribus vacuas. ac ſumpto habitu militis, tectoq; capite epiſcopali tiara, quam è

Niceph. lib 11. cap. 21.

pilêo confecerat, Syriam, Phœniciam, & Palęſtinam peragraſſe. Sacerdotalis huius tiarę mentio eſt apud Iuuenalem,

Iam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt — Iuuen. ſat. 6.
Plebeia, & Phrygia veſtitur bucca tiara,
Grande ſonat, &c.

Ex his omnibus conſtat, has tiaras fuiſſe pileos gentis Perſarum, Medorum, Lydorum, Phrygum, eminentes & faſtigiatos, atque vt è Strabone adnotaui, turritos, qualis propemodum eſt hodiernus pileus Turcarum quem Turbantem vocant.

CAPVT II.

Regia tiara eſt recta. De more illuſtrium hominum cùm vrbes ingrederentur. κυρβασία. *Tiara verè inſigne regium apud Perſas. Mulieres* παρεστόρεσι. *Tiara lunata. Materia regia tiara. Amplitudo eius. Implere tiaram, quid,* χαίδυς διπόρφυρες.

Regia tiara & forma & regalibus additamentis, nempe diadematis diſcriminabatur ab hoc pileo multitudinis, primorum, iudicum, ſacrificantium. Prima diſcriminis nota eſt, quod regia tiara fuit recta, non item cæteræ, nec ſimpliciter tiara, ſed regia tiara dicebatur, vt apud Æſchylum,

ἔλθ᾽ ἐπ᾽ ἄκρον κόρυ-
μβον ὄχθυ, χροκόβαπτον — Æſchyl. Perſ.
ποδὸς εὔμαριν ἀείρων,
βασιλείω τιάρας
φάλαρον πιφαύσκων.

Accede ad ſummam oram tumuli, purpureum pedis calceum attollens, regij tiaræ verticem demonſtrans, hoc eſt, vt ibi Scholiaſtes ait, τὸ σῆμα, regium inſigne. Dion Chryſoſtomus ait, Perſas regibus ſuis circumdare tiaras & ſceptra, & diademata, ne neſciantur eſſe reges. Vbi diſtinguit tiaram à diademate, ſicuti alij ſcriptores, quorum loca ſupra citaui. Additque fieri non poſſe vt duo geſtêt tiaras rectos, hoc eſt, vt vterque regnet, vt duorum ſit vnum regni numen. (Dion Chryſoſt. orat. 14.) Quod vnus hic regius tiara eſſet rectus, præter cæteros, diſertim tradunt Suidas, & autor Etymologici, iiſdem verbis. (Suid. et etymol. παρα.) Suidas etiam ait, Demaratum Lacedæmonium, concedente ei rege, vt peteret ſiquid vellet, petijſſe vt Sardeis, regiam vrbem tiara regia ingrederetur, hoc eſt, habitu regio. Moris enim fuit, (hoc obiter dico) vt illuſtres homines, ſi quando inſigniores vrbes intrarent, coronati eſſent, nempe ijs coronis, quas virtute in certaminibus meruiſſent. Quo exemplo Callipus ille, ſceleſtus ille molitor cædis Dionis, priuſquam ad hoc tantum ſcelus accingeretur, cùm, inquam, etiam haberetur primus amicorum Dionis, (Plutarch. Dion.)

vnà cum eò ingreſſus eſt Syracuſas ἐστεφανωμένος, coronatus, ſicuti in certaminibus conſpicuus & aduertendus. Ariſtophanes Perſicam tiaram diſertim vocat κυρβασίαν, demonſtrantem criſtam galli gallinacei, eius quæ dicitur auis Perſica. Et verò hunc gallum, quaſi regem, ait geſtare inſignia regia Perſica, quam dicit eſſe κυρβασίαν ὀρθήν. Ex quo Ariſtophanis loco conijcere licet, qua ſpecie tiara regia fuerit, nimirum paulo remotior à fronte, & quà media frōs eſt exacutior, & in mucronem faſtigiata. Cæterùm Scholiaſtes interpretans illa verba, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν κυρβασίαν τῶν ὀρνίθων μόνος ὀρθήν, ait, alijs ſolitum eſſe vt inſigne capitis geſtent complicatum & extenſum, ſiue pertendens in frontem; at regibus rectum. Plutarchus vbi memorat Ariamenem non hoſtiliter veniſſe contra Xerxem, ſed cum quietè adijſſe veluti iudicem, ait eum, veniente fratre poſuiſſe tiaram, quam reges ferunt rectam, & hoc habitu occurriſſe ei, cumque ſalutaſſe. Hæc eſt illa tiara, qua Alexander, quamuis aſſumpto veſtitu Perſico, inſigniri noluit. Hanc ipſam Tiribazus vocat κίταριν ἑστῶσαν, cidarim ſtantem, id eſt, rectam. Hæc eſt illa, quam Artabanus poſtquam ſibi impoſuit, Perſis priſtinum regnū reſtituit. Illa ipſa, quam milites Cyri, eius capiti impoſitam videre cupiebant. Tiaram Curopalates ait Cyrum ſumpſiſſe à Medis, quamuis ſe Perſarū regem ferret. Et quidem apud Medos mulieres dicebantur τιαροφόροι geſtatrices tiaræ. Tyrius Maximus vbi loquitur de Xerxe, quem fœda & inceſta cupiditas inquinauit, Hunc, inquit, non in amorem impulit Indica procera puella, non Mardonica tiarifera, non Carica armata, non Lydia canens, non Ionica, non Helleſpontiaca, ſed venit ad Amiſtrin filij vxorē. Apud eundem ſcriptorem magnus Rex, nempe Perſarum, conditur tumulo, & quidem inſignitus tiara. Altera nota regij tiaræ fuit luna; cumque vocabant tiara lunatum, hoc eſt, lunæ ſpecie conſpicuum. Sidonius Apollinaris,

Vt faſtu poſito tumentis aulæ
Qui ſupra ſatrapas ſedet tyrannus,
Ructans ſemideum propinquitates,
Lunatum tibi flecteret tiaram.

Tertia nota fuit ipſa tiaræ materia aurea & gemmea. Id quod quia regio faſtigio conueniens eſt, non ſolùm trado vt veriſimile, ſed verum eſſe ex Herodiano fit confirmatius, vbi loquitur de Antonini habitu & ornatu poſt interfectum Macrinum, in formam, inquit, tiaræ corona [ei erat] conſtans ex auro, & varijs lapillis pretioſis. Si in ſpeciem tiaræ corona facta erat, neceſſe eſt tiaram fuiſſe ex auro diſtinctam inſigni varietate lapillorum. Tiaræ addebantur vnguenta pretioſiſſima è myrrha & Labyzo, Heſychio

Ariſtoph. ὄρνιθ.
Plutarch. περὶ φιλαδελ.
Plutarch. Alex. Mag.
Plutarch. Artax.
Agath. lib. 2.
Zonar. in Cyr.
Curopal. de offi. Conſtantin.
Tyr. Max. διαλ. I.
Max. Tyr. de amat. Socr. orat. .0.
Sydon. Apoll. in panegyr.
Herodian. li. 5.
Heſych. κίδαρις.

reſte. Poſtremò tiara regius amplitudine cæteris antiſtabat. Certè
Magus is, qui Smergeren fratrem ſuum, nomine Cambyſis regem
ſubdebat, his verbis ipſum alloquitur. Ne, inquit, peragrãs Perſici *Zonar. in Mag.*
imperij prouincias è facie noſcaris, circumdabimus te multo ſatellitio;
& faciem ferme totam tiara velabit, & inſigne regium,
quod erit latitudinis & longitudinis eximiæ. Nam quo maius &
amplius fuerit, hoc erit luculentius argumentum magnificentiæ
& maieſtatis. Cuius fraudis Tertullianus intelligens, vbi loquitur
de mitra tam ampla, vt facilè geſtoris caput tegat ne adgnoſcatur,
Nemo, inquit, *oſtendere volens hominem, caſſidem ei aut perſonam* *Tertull. lib. de*
induit. Hunc tiaram, veriſimile eſt eſſe illum, quem Cyrus in *car. Chriſti.*
prælijs geſtare ſolitus erat. Hæc regij tiaræ amplitudo cauſam dedit *Plutarch. Artax.*
ei locutioni, cuius è Græcis deſumptæ, noſtri fuerunt imitatores.
Quippe inuenio, implere tiaram, vſurpatum pro eo quod
eſt obire munia regia. vt apud Statium, *Stat. li. 8. Theb.*

—— viſuſq́ue ſibi nec ſceptra capaci
Suſtentare manu, nec adhuc implere tiaram.

Regum Perſicorum imitatione antiquitas finxit alios ſiue heroas,
ſiue vates, ſiue alio quopiam munere inſignes, non quidem reges,
ſed fortè ſupra ipſos reges tiara regia ſublimes. In his eſt Orpheus, *Philoſtr. in imagin.*
qui dum vel in ipſa Argo naui, vnà cum Iaſone & Medea, & alibi
citharæ ſonitu & cantu feras, ipſaq́ue inanima detinet, aſpicitur
τιάραν χρυσῆν ἐπὶ κεφαλῆς αἰωρῶν, tiaram auro ſplendentem ſuper capite *Lucian. in Deo. iudic.*
efferens. Ganymedes quoque cùm in cœlum raptus eſt, pingitur
tectus tiara, ſicuti Cupido ſuccinctus pharetra. Pelops puer *Philoſtr. in imag.*
adamatus à Mercurio, & ab ipſo Deo iam factus feroculus, dum
regit quadrigas, in tabula aſpicitur inſignis tiara recta, & Lydia
ſtola; Eiuſq́ue ſtatua capite geſtat Perſicum tiaram auro compactum. *Philoſtr. in imag.*
Cæterùm ex omnibus hiſce locis illud quoque diſcimus,
huic regio tiaræ circumpoſitum fuiſſe diadema, notam regiæ
frontis; & ex tiara, ac diademate ſic iunctis & compactis conſtitiſſe
inſigne capitis regum Perſicorum, quod vna voce dictum eſt *Plato lib. 3. de Rep.*
tiara. Tum illud, inſignia regum Perſicorum fuiſſe tiaras, torques,
acinaces, quibus adde manicas, Valerius Flaccus,

At viridem gemmis, & Eoæ ſtamine ſyluæ *Valer. Flacc. lib. 6.*
Subligat extrema patrium ceruice tiaram,
Inſignis manicis, inſignis acinace dextro.

Denique tiaras fuiſſe purpureos. Etſi is non fuit cuiuſlibet purpuræ
color, ſed illius tantùm quæ propriè eſſet è concha marina; quæ *Pollux lib. 7. cap. 13.*
Polluci eſt κάνδυς ἁλιπόρφυρος. Vnde Romanis principibus fiebat paludamentum,
inſigne altiſſimi omnium faſtigij.

CAPVT III.

Cidaris Armenica. Cidaris ac tiara promiſcui ſignificatus. Cidaris geſtamen regum Ægypti. Candys. Cauſia Macedonica. κορδύλη. κρώβυλος.

QVAM Perſæ tiaram, Armenij vocabant cidarim, ſiue, vt ex Herodoto ſcribit Pollux, κίτταριν, & κίταριν, id eſt, diadema regibus Armeniæ peculiare, nec ferè, niſi nomine diſtinctum à tiara. Quanquam hoc quoque nomine fuit diadema aliorum quorundam regum, veluti Mithridatis regis Ponti, quam Plutarchus diſertim vocat cidarim. Et Philo tradit, reges Eoos ſiue Orientis ſolitos eſſe vti cidari pro diademate. Ergo rectè dixerim, aliquando cidarim vſurpari pro tiara Pontica. Cæterùm cùm apud Plutarchum Artaxerxes Darium vnum è liberis ſuis renuntiaſſet regem, ei conceſſit τὴν καλουμένην κίταριν ὀρθὴν φέρειν, eam, quæ vocatur citaris, rectam ferre. Heſychius vocat cidarin ſiue citarin pileum regium, aut, vt Suidas ait, περίθεμα τῆς κεφαλῆς, circumpoſitionem capitis. Certè fuit pannus contextus è pilis; aut genus galeri, qui cenſetur eſſe idem cum tiara. Id quod Suidas videtur docere his verbis, πῖλος ὃ κίδαριν λέγουσι τριχωτὸν πῖλον, nempe vulgarem pileum, & vniuerſis communem. Addit, ἢ στέφανον ἢ φασκιώλιον, ἢ πῖλον βασιλικὸν Περσῶν, ἢ τὸ στρόφιον ὃ οἱ ἱερεῖς φοροῦσι, aut coronam, aut faſciam, aut pileum regiũ Perſarum, aut ſtrophium quod ſacerdotes ferunt. È quibus verbis perſpicuè datur intelligi, cidarin illud ipſum ſignaſſe quod demonſtrat tiara. Agathias quoque cùm de Artaxerxe loquitur, eius inſigne regium nunc tiaram vocat, nunc cidarin. Id ipſum planum quoque fit ex alio eiuſdem ſcriptoris loco, vbi agit de cidari impoſita vtero, in quo erat conceptus Vararanis regis Perſarum. Nicephorus, vbi ait, hunc ipſum Artaxerxem patrem Choſroæ, Artabano per dolum interfecto, primum omnium è Perſis ſumpſiſſe inſigne regium, eam vocat cidarin. Plutarchus quoque cùm memorat, Alexandrum exuta veſte patria, ſumpſiſſe externam, ait illum capiti ſuo circumdediſſe regiam & recta tendentem cidarim. Apud Pollucem, vt ſupra dixi, citaris eſt tiara. Zich Perſa Choſroi exprobrat ignauiam, ex quo tempore ſumpſit cidarin. Quod tiara fuerit nomen Armenici diadematis, diſcimus è Zonara, cùm memorat, Tigranem capiti ſuo detraxiſſe cidarin coram Pompeio, ibique fuiſſe vt eam poneret ante pedes eius, & procumberet in genua. ſed regem à Põpeio alleuatum, ſibique adſidere iuſſum. Cidarin quoq; fuiſſe

geſtamen

Pollux lib. 10. cap 36.
Plutarch. Põp.
Philo π. β. Μωσ.
Plutarch. Artax.
Suid et Heſych. κίδαρις.
Agath. lib. 4.
Niceph. lib. 1. cap. 6.
Plutarch. de Alex. fort.
Pollux li. 7. c. 13.
Menand. π. πρισβ.
Zonar. in Mithr.

geſtamen regum Ægyptiorum, legimus in vita Æſopi. Certè cùm Nectenabò admiſit Æſopum ab rege Babyloniæ ad ſe miſſum, *In vita Æſ.* capite geſtauit διάλιθον κίθαριν, gemmatam citharim. Arenim dixi è Polluce, Perſicæ tiaræ inditum quoque nomen candys. Quæ vox pro veſtitu barbarico diſcrepante à Græcanico indutu vſurpatur apud Lucianum, vbi rhetorica agit cauſam ſuam. Equidem ô iu- *Lucian bis accuſ.* dices, inquit, cùm hic eſſet adoleſcentulus, voce barbarus, ac tantùm non candy indutus in Aſſyrium modum, ſuſceptum inſtitui. Plutarchus quoque alicubi ait, Græcos & barbaros non diſtingui *Plutarch. περὶ τῆς Ἀλεξ. τύχ. ἢ ἀρ.* chlamyde, non pelta, non acinace, non candye. Vbi candys eſt veſtis, puta Aſſyria. Et verò candyn ita nominat Lucianus, vt difficile dictu ſit, an ea voce demonſtret diadema, an veſtem. Aut, inquit, *Lucià quõ. hiſt. ſcrib. ſit.* ſperat candyn purpuream, & torquem aureum. Alibi coniungit *Lucià. Deor. concil.* candyn & tiaram, vt videri poſſit candyn eſſe veſtem, ſiue Aſſyriam, ſiue Perſicam, potiùs quàm notam regij capitis. Id quoque conficitur Plutarcho, cùm ait Alexandrum, barbarico cultu reiecto, qualis eſt tiara, & candys, & femoralia, è Macedonico & Perſico more mixtam veſtem induiſſe. Sed omnem hinc dubitationem eximit alius Luciani locus, vbi Philippum mortuum & Ale- *Lucià. Dial. Mort.* xandrum quoque mortuum colloquentes facit. Tu verò, inquit *Philoſtrat. in imag.* Philippus, abiecta chlamyde Macedonica, candyn, vt aiunt, induiſti, ac tibi tiaram rectam impoſuiſti. In imaginibus Philoſtrati vbi deſcribitur habitus regis Medorum, planè diſtinguitur tiara à *Lucià. Deo. Concil.* calaſiri, & candy. E quibus omnibus palam fit, candyn quoque fuiſſe veſtem, & quidem honoratiorem. Redeo ad cauſiam, quod fuit proprium diadema regum Macedoniæ. Sed, vt ſupra de tiara dixi, ipſa cauſia proprie fuit pileus gentis Macedonum. At illa regum propria vocata fuit διαδηματοφόρος ferens aut ſuſtinens dia- *Plutarch.* dema. Hoc genus cauſiæ Antonius dedit Ptolomæo, vt regi Phœ- *Antonio.* niciæ, Syriæ, & Ciliciæ. Cauſiam fuiſſe communem pileum Macedonum, diſcimus è Strabone, vbi memorat, Oneſicritum ab Ale- *Strabo lib. 15.* xandro miſſum fuiſſe ad Indicos philoſophos Germanas. In quibus cùm Calanus eſſet, vidiſſetque Oneſicritum καυσίαν φορῶντα ferentem cauſiam, & chlamydē, & crepidas, riſiſſe. Id quoque verum eſſe, è Menandro firmat Pollux, Cauſia, inquit, eſt pileus Ma- *Pollux lib.* cedonicus, ſicuti Perſicus, ὥσπερ Περσικός. E' quibus verbis puto exci *10. cap. 36.* diſſe vocem τιάρα, & ſic legendum, ὥσπερ τιάρα Περσικός. Quid, quod barbaricum pileum Suidas generali appellatione vocat καυσίαν: Ipſe tamen vnà cum autore Etymologici poſtea agnoſcit καυσίαν eſſe μακεδόσιν εὔκολον ὅπλον, καὶ σκέπας ἐν νιφετῷ, καὶ κόρυν ἐν πολέμῳ. Macedonibus familiare genus armorum, ac tegmen in imbre niuali & *Etymol.* galeam in bello. Quæ etſi vera ſunt, tamen haud minuunt id quod *καυσία.*

Athen. lib. 12 dixi, cauſiam eſſe diadema Macedonicum. Certè Athenæus deſcribens veſtitum Alexandri, ait illum ſingulis ferme diebus induiſſe chlamydem purpuream, tunicam albo diſtinctam, & cauſiam quę diadema regium ſuſtineret. Quibus è verbis conficitur, verum quidem eſſe id quod dixi, cauſiam eſſe commune Macedonum capitis geſtamen, qualis eſt pileus, qualemque dixi eſſe tiaram Perſicum; ſed regiæ cauſiæ diadema fuiſſe impoſitum, id eſt, pileo Macedonico additam coronam regiam, aut certè eam notam quæ eſſet loco coronæ. Verùm & in ipſa regia cauſia fuerunt excellentiores notæ quæ illam diſcriminabant ab aliis. Hoc docet Plutarchus cùm deſcribit, veſtitum Demetrij. Hunc enim ait fuiſſe redimitum καυσίαις διμίτροις, cauſiis duplici filo, aut vinculo. Ac ſi dicat, has cauſias eſſe regibus peculiares, non item aliis. Quippe alia fuit cauſia potentiorum propria, de qua Plutarchus, vbi inducit Neoptolemum loquentem de Cratero. Et ſi tantùm, inquit, viderint cauſiam eius, vocemque audierint, impetu venient cum armis. Sed in iis quæ ſequuntur, Plutarchus docet, hanc potentiorum cauſiam fuiſſe inſignem, ac diſtinctam à cæteris. Licuit enim Eumeni, inquit, cauſias, purpuram & chlamydes diſtribuere, id quod erat donum apud Macedonas maximè regium. Eumeni licuit dare cauſias. Nunquid pileum vulgarem Macedonicum? Ridiculè. Quid ergo? cauſiam, hoc eſt, pileum inſignem, propriumque ducum & potentiorum hominum. Quæ Perſis tiara, Armeniis cidaris, Macedonibus cauſia fuit, Cyprij vocarũt κορδύλην, Athenienſes κρώβυλον, nempe vtriſque ἐνείλημα τῆς κεφαλῆς inuolucrum capitis.

Plutarch. Demetr.

Plutarch. Eume.

Etymol. ἐγκεκοισυρωμένος.

CAP. IIII.

Cornu receptum inter diademata. Cornua in cœlo. Cornu inſigne diuinitatis. Dij cornuti. Alexander magnus cornutus. Fluuij & montes cornuti. Omnia ſumma, ipſæ concauitates, cherſoneſi cornuti. Cornu Amalthea. Priſci reges cornuti. De cornubus Cippi. In rege cornu quid ſignet.

Adeſt & cornu, quod in ordinem diadematum receptum eſſe minimè mirabitur is, cui eius dotes introſpicere libuerit. Nulla harum non eſt luculentiſſima; nulla non efficaciſſimè repræſentat regiam ſapientiam, excellentem potentiam, dignitatem eminentem, maieſtatem perpetuam. Primùm aio, cornua occupaſſe cœlum nulla aliorum cœleſtium corporum inuidia. Et verò Luna aſpicitur facie cornuta.

Virgil. 3. Æneid.

Tertia iam luna ſe cornua lumine complent.

Atque adeò antiquitas haud quaquam abſurdè exiſtimauit cornu

eſſe inſigne diuinitatis. Cùm ſtultè ſaperet Alexander, exiſtimauit hominibus perſuaderi poſſe ſe Ioue prognatum, ſi ſumeret cornua Ammonis. Sic pulchrum credidit, quod pulchrum in homine, nempe faciem, cornubus fœdare, inquit Clemens Alexandrinus. Sic credi poſſe credidit ſe, quamuis aſpectu mortalem, additum eſſe numinibus. Nam numina, & quidem potiſſima, antiquitus exhibebantur cornuta. Silius Italicus Iouem vocat cornigerum. *Athen. lib. 12.* *Clem. Alex. exhort. ad Græc.*

Cornigerumq́, Iouem, Tarpeiumq́, ore vocemus. *Sil. Ital. lib. 16.*

Bacchus priuſquam naſceretur, habuit cornua, quibus perforauit crus Iouis. Eum certè Euripides vocat tauricornem, *Etymol. Διόνυσος.*

ἔτικτεν δ' ἀνίκα μοῖραι
τέλεσαν ταυρόκερων θεόν. *Euripid. Bacch. act. 1.*

Edidit [Iupiter Bacchũ] quando parcæ perfecerunt taurinis cornibus Deum. Hunc quoque faciunt redimiẽtem ſua cornua pãpino.

Illum poſt acies, rubriq́, nouiſſima clauſtra *Val. Flacc. lib. 5.*
Æquoris hic reſides thyrſos, hic æra mouentem,
Vdaq́, pampinea nectentem cornua vitta
Nunc etiam meminiſtis aquæ.

Nimirum hic Iouis clãcularius filius patrem imitatur. Nam Ammonem, qui idem eſt cum Ioue antiquitas cornutum effinxit, κεραοφόρον ϗ αἰπυκέρωτα cornigerum & alticornem. Silius Italicus.

Ammon numen erat Libycæ gentile carinæ, *Sil. Ital. lib. 14.*
Cornigeraq́, ſedens ſpectabat cærula fronte.

Et paulò poſt,

Is poſtquam aduerſis nullus modus, accipe noſtrum
Ammon ſanguinem ait, ſpectator cladis iniquæ.
Atque acto in pectus gladio, dextra inde cruorem
Excipit, & largè ſacra inter cornua fundit.

Eodem libro,

Vritur vndiuagus Phyton, & corniger Ammon.

Atque adeò apud Ammonem lapis legitur, quod Ammonis vocãt cornu. *Nam ita tortuoſus*, inquit Solinus, *eſt & inflexus, vt effigiem reddat cornu arietini. fulgore aureo eſt. Prædiuina ſomnia repræſentare dicitur ſubiectus capiti incubantium.* Eadem ferè Plinius. *Ammonis cornu*, inquit, *inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornu effigiem reddens promittitur prædiuina ſomnia repræſentare.* Fluuij qui inter numina numerantur, effigiantur cornuti. Lycophroni Ocinarus fluuius eſt βύκερως, corniger propter violentiam. Atque adeò aiunt omnes fluuios ab Oceano defluos, & in Oceanũ refluos vocari cornua. Inachum Statius cornutum facit, *Solin. cap. 30.* *Plin. lib. 37.* *Lycophr. Caſſ.* *Etymol. κέρας.* *Stat. lib. 2. Theb.*

——pater ipſe bicornis
In læuum prona nixus ſedet Inachus vrna.

Phornut. Nept 71. Græcis fluuij non ſolùm erant κερασφόροι, ſed & ταυρωποὶ taurino
aſpectu. Ideóque dicebantur efferre cornua quaſi tauri.

Val. Flacc. lib. 1. Arg 6.

Syluarumq́; Deæ, atque elatis cornibus amnes.

Et quia tales, aliáſque ob cauſas quas infra memoro, dicebantur
regnare. Virgilius ad Tybrim fluuium,

Virgil. 8 Æneid.

Corniger Heſperidum fluuius regnator aquarum,
Adſis ò tandem.

**Sophocl. Trachin.* Ergo meritò Deianira Acheloum facit βούκρανον capite bouillo,
videlicet, propter cornua. Ipſa quoque celſiſſima montium iuga
antiquitas cornuum nomine demonſtrauit. Lycophron.

Lycophr. Caſſ.

——ἔνθα Λαμπέτης
Ἱππωνίου πρηῶνος εἰς Τηθύος κέρας
σκληρὸν νένευκεν.

vbi Lampetes Hipponij montis aſperum cornu in mare vergit.
Etymol. Enimuero priſci omnia ſumma vocarunt cornua. Ὑψικέρατον πέτραν
κέρας. vſurpauit Pindarus pro ὑψηλὰ ἀκρωτήρια, altas ſummitates. Regio-
Philoſtrat. vita Apoll. lib. 6 init. nes quoque cœli demonſtratæ ſunt nomine cornuum, vt τὸ ἑσπέριον κέρας apud Philoſtratum. Illæ quoque flexuoſæ concauitates
quæ latent ſub montibus, vocantur cornua. Oppianus,

Oppian. κυνηγ. lib. 4.

ὃς δ' ὕπατον μὲν ἔναιεν ὄρει κεράεσσιν ὑπ' ἄντρου.

Qui ſupremum incolebat montem ſub cornibus antri. Ipſæ ter-
ræ longiùs excurrentes in mare, quas vocant cherſoneſos, à poë-
tis deſignantur hoc nomine. Lycophron de littore Thracio.

Lycophr. Caſſ.

μαζῶνα προὔχοντα Χερσαίου κέρως.

vberoſum prominens Cherſoneſi cornu. Hinc elegans illud De-
Plutarch. Arato. metrij reſponſum Philippo datum, Siquidem, inquit, vatis habes
animam, deſeres locum. Si regis, vtroque cornu bouem retinebis,
id eſt Peloponneſum. In campis quoque quidam loci inuenti qui-
bus nomen eſt cornubus, cuiuſmodi is qui eſt in altioribus apud
Plutarch. Themiſt. Megaram regionibus. Et horum quidem cornuum natura eſt ma-
ter, quorum imitatione homines ſua effinxerunt; nec ſua tantùm,
ſed & illa quæ numinum ſimulachris addita ſunt. Nec enim ſolus
Ammo in ſua ſede fuit cornutus. Nam fuit circumfuſus minori-
bus numinibus quæ illi adſtabant, & quidem facie cornuta, quæ
Prudent. lib. 2 cont. Symmach. ea gente debellata, Romam ſunt aduecta. Cornutam hanc cohor-
tem demonſtrauit Prudentius in hoc loco,

quaſdam [effigies] *domitis Ammonis arenis.*
Syrtica cornutas facies habuere trophæa.

Quidam exiſtimarunt cornu Amaltheæ fuiſſe illud ipſum quod
Apollod. in argum. Trachin Sophocl Hercules ab Acheloï fronte effregit. In quo, videlicet, omne vi-
ctoriæ momentum poſitum fuit. Sed Apollodorus is, aut ſaltem
bibliotheca illius è quo Scholiaſtes Sophoclis ſumpſit argumen-
tum Trachiniarum, tradit Herculem fregiſſe ſiniſtrum cornu eius

tauri, in quem, videlicet, ſeſe Achelous vertebat. Sed is Achelous, hoc cornu ab Hercule accepto, dedit ei cornu Amaltheæ. A Diis cornua tranſlata ſunt ad reges, illos priſcos innocentia & virtute Diis proximos. Huius generis fuerunt illa, quæ haruſpex viſa in capite Cippi, dixit ei portendere regnum Latij.

——tum verò ſuſtulit acre
A pecudis fibris ad Cippi cornua lumen. *Ouid. lib. 15. Metam.*
Rex, ait, ô ſalue. Tibi enim Cippe, tuiſq́;
Hic locus, & Latiæ parebunt cornibus arces.

Ipſe Cippus alloquens Quirites, ait illum qui de regno agitet, ſi irruperit portas Romanas, voti compotem fore, & quidem propter cornua, ſi non illi obſiſtitur.

Rex erit. Is qui ſit, ſigno non nomine dicam.
Cornua fronte gerit. Quem nobis indicat augur,
Si Romam intrarit, famularia iura daturum.

Ibi populus admirabundus & murmurans inueſtigat, vbinam ſint hæc cornua, cuiúſque capiti hæreant. Ea Cippus haud cunctatus populo oſtendit.

Rurſus ad hos Cippus, Quem poſcitis, inquit, habetis.
Et dempta capiti, populo prohibente, corona,
Exhibuit gemino præſignia tempora cornu,

Deinde addit,

Demiſêre oculos omnes, gemitumq́; dedêre.
Atque illud meritis clarum (quis credere poſſit?)
Inuiti vidêre caput.

Quibus è verbis palam eſt, illa cornua nihil fuiſſe niſi radios, quos è capite Cippi ingens eius virtus eiectabat, veluti è diuino vertice. Id poëta optimus ſui interpres planum facit his verbis, *Illud meritis clarum caput*, hoc eſt, totum conſpicuum, luminoſum, radians iis virtutibus, quæ in terris ſunt veluti cœleſtes radij. Ergo cùm in tali capite tanta eſſet virtutum maieſtas,

——nec honore carere
Vlterius paſſi feſtam impoſuêre coronam.

id eſt, talem, tantúmque virum, tot meritis ſubnixum, tótque virtutibus commendatum ingenti conſenſu, tum feſtis ac fauſtis acclamationibus regem renuntiarunt. Illi ipſi illa cornua, quò poſteritati res teſtatior fieret,

——auratis miram referentia formam
Poſtibus inſculpunt longum manſura per æuum

Io cornuta progenitrix dicitur peperiſſe reges Thebanos.

Ἰώ θ', ἁ κερόεσσα προμάτωρ, *Euripid. Phœniſſ. actu 3.*
Καδμείων βασιλῆας ἐγείνατο.

Æſchyl Prometh. Et hac,videlicet,forma ipſa Ioui placuit. Itaq; promiſcuè reges & Deos antiquitas exhibuit cornutos, hos ob potentiã, illos ob nobilitatem, quòd his eſſent prognati. Et verò cùm regum & ſublimium hominum propria ſit potẽtia, in hoc hominum genere per effigiem cornu ſignificatur ſumma illa, cuius in omnia imperium eſt,potẽtia & autoritas. Plutarchus adnotauit arietis vnicorni caput Pericli ex agro allàtum. Tunc Lamponem vatem, vt vidit cornu forte ac validum prominens è media fronte,dixiſſe, Quòd cùm in ciuitate ſint duæ potentiæ Thucydidis & Periclis, futurum vt apud illum maneat robur apud quem remaneret tale ſignum. Sed nec ſolæ fabulæ,nec gentium hiſtoriæ tãtùm hoc veluti per nubẽ oſtendunt,ſed & ipſa veritas diuini oraculi. *Quippe cum Moſes deſcenderet de monte Sinai, tenebat duas tabulas lapideas teſtimonij, & ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis diuini.* Sic vertit vetus interpres. Sed nouus, *Neſciebat quod radios eiacularetur cutis faciei eius ex colloquio diuino.* Nẽpe quòd Moſes propiore intuitu Deum viderat,remanſerunt in facie eius quædã ſcintillæ diuinitatis,quæ non meliùs intelligi poterant quàm ab diffuſa diuinæ lucis aſpergine in caput eius,indeq; & radiante & coruſcante in omnia. Vultum eius, inquit Clemens Alexandrinus, inſidebat, ἐπέχουσά τις δεδοξασμένη, glorificata quædã coloris ſpecies. Cornua enata in capite Moſis fuiſſe cœleſtes radios intellexit quoque ſiue Drepanius,ſiue alius,quiſquis eſt autor horum verſuum.

Plutarch. Peric. *Exo. cap 34.* *Clem. Alex. lib. 6. Strom.*

Legiferum nobis monſtrat & ipſe ſenem,
Flammea cornuto librantem lumina vultu,
Geſtantemq́, ſacris iura ſuperna libris.

Ergo cùm Moſis dicitur caput eſſe cornutum, accipimus pro eo quod eſt radiatum,& copiam cœleſtis lucis eiaculans. Nimirùm, quòd illi flammæ gladioli, ſiue flammati & vndantes flocci aſpicientibus præbent ſpeciem cornu non ſanè ferini, ſed cœleſtis; cuius impetu dura franguntur, ſuperbientia domitantur, eminentia diſiiciuntur. Et verò quid luce velocius, quid potẽtius, quid diuinitati ſimilius? Enimuero diuina lux promicans è cœleſti capite, nec ſignificantiùs,nec luculentiùs effigiari potuit quàm per nomen ac ſpeciem cornu. Nec mirũ ſi priſci eccleſiaſtici ſcriptores frequenter,quia libenter vtuntur hac voce,quoties cœleſtes Chriſti virtutes ob oculos id agunt vt ponant. Certè Tertullianus Chriſto tribuit cornu,cuius duplicem oſtendit effectum, vbi loquitur de Ioſepho. *Nam & benedicitur,*inquit,*à patre in hæc verba Ioſeph, Tauri decor eius,cornua vnicornis cornua eius. In eis nationes ventilabit pariter ad ſummum vſque terræ. Non vtique rhinoceros deſtinabatur vnicornis, vel Minotaurus bicornis, ſed Chriſtus illo ſignificabatur,*

Tertull. lib. adu Iud.

taurus ob vtranque diſpoſitionem, aliis ferus vt iudex, aliis manſuetus vt ſeruator, cuius cornua eſſent aſtimata. Nam & in antẽna nauis, quæ crucis pars eſt, hoc extremitates eius vocantur. Vnicornis autem medio ſtipite palus. Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus vniuerſus gentes & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cœlum. Et tũc ventilabit per iudicium deſcendens de cœlo in terram. Enimuero in Moſe vtrumque, & lux & vis conſpicua fuerunt. Lux quidem tanta, quantam multitudo ferre non potuit. Vis ea, quæ omnia, ne illis quidẽ exceptis quæ natura ſunt inſuperabilia, domitauit. Hinc eſt, quod apud noſtros cornea corpora ſunt fortia & robuſta. *Cornea videmus corpora piſcatorum*, inquit Plinius idem alibi, *Quibus natura concreta ſunt oſſa, qui ſunt rari admodum, cornei vocantur.* Dauid ait, *Deum eſſe cornu ſalutis ſuæ*, id eſt, tutelam, præſidiũ, perfugium ſuum. *Deus rupes mea. Illo nitar, clypeus meus, & cornu ſalutis mea, arx mea, & aſylum meum, ſeruator meus, à violentia aſſeres me.* Denique cornu Dei vt in improbos eſt acerrimum telum, ita probis eſt tutamen ac ſolamen propemodum ad eum modum, quo cornua bonaſi aiunt *ita multiplici flexu in ſe recurrere, vt ſiquis in ea offendat, non vulneretur.*

Plin. lib. 31. cap. 9. *Plin. lib. 7. cap. 19.* *Lib. 2. reg. cap. 22. verſ. 3.* *Solin. cap. 43*

CAP V.

Cornu in nauibus armis & re militari, muſica, odoribus, agricultura, re medica, iis ſomniis quibus vera monſtrantur, re diuina, comitio, iudiciis, dialectica, re familiari. In homine quid ſignet. In republica duo demonſtrat. Cornu Venetum.

ROſtra nauium, quibus naues ſeſe inuicem confringunt & collidunt, antiquitas vocauit cornua. Æſchylus,

—αἱ δ' κερωτυπούμεναι βίᾳ
χειμῶνι, τύφῳ σὺν ζάλῃ τ' ὀμβροκτύπῳ
ᾤχοντ' ἄφαντοι.

Æſchyl. Agam.

Hæ verò cornibus verberatæ vi tempeſtatis, turbine ac procella ſtridente, non apparentes abibant. Vt noſtri roſtratas, ita eas Græci vocan nt εὐκεραὰς be ie cornutas.

Νῆας εὐκεραὰς, ἀνά τε πρυμνήσια λῦσαι.

Triphiod.

Naues bene cornutas & rudentes ſoluere. Malus nauis dicitur habere cornua, è quibus dependet velum, hoc eſt, extremitates antemnę, Virgilius,

Cornua velatarum obuertimus antemnarum

& Valerius Flaccus

Diſcurrunt tranſtris. Hi celſo cornua malo
Expediunt.

Virgil. 3. Æneid. *Valer. Flacc. Arg lib 2.*

Enimuero in multis cornu locum inuenit, vt in armis, & vbique in re militari. Et in armis quidem, vt in haſtilibus,

Virgil. 5. Æneid.

Cornua bina ferunt præfixa haſtilia ferro.

Et in ſagittis, vt apud Q. Calabrum,

Q. Calab. lib. 9.

—πάροιθε δ' οἱ μέγα τόξον
Κεῖτο πέλας γναμπτοῖσιν ἀρηράμενον κεράεσσι

Ante ipſum magnus arcus poſitus erat prope, inflexis compactus cornibus. Eſt enim cornu materia firma, ſolida, & inferendis ictibus idonea. Et verò Æthiopicæ quædam gentes, Strabone teſte, cùm eundum in hoſtem eſt, cornubus vtuntur pro armis. Id quod

Strabo lib. 16

homines videntur didiciſſe à belluis. Quippe idem Strabo memorat ſe vidiſſe rhinocerotem magnitudine tauri, forma apro ſimilem, naſo excepto. Nam pro naſo, inquit, eſt illi quoddam cornu recuruum omni oſſe durius, quo vtitur pro armis, vt aper dentibus. Hinc verus deprehenditur Martialis, in his verſibus,

Martial lib. 1 epigr. 9.

Præſtitit exhibitus tota tibi Cæſar arena
Quæ non promiſit prælia rhinoceros.
O quàm terribiles exarſit primus in iras;
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat.

Plato lib. 9. de repub. Xenoph hiſt. Græc. lib. 3. Plin. lib. 34. cap. 6. Philoſtr. in imag. Pollux lib. 4. cap 9. Lucian. Bacche. Plin. lib. 12. cap. 25. Conſtantin. Caſ lib. 4. cap 2.

Plato quoque enumerat cornua inter arma, illa quibus homines ſeſe incurſant. Perſis in pugna fuerunt κεράτινα παλτά, tragulæ corneæ. In exercitu cornu ſignat vtramque eius alam. In re muſica, vtrumque latus lyræ, quam Mercurius compegit è κεράτοιν δυοῖν, duobus cornibus. Tibia tyrrhena fuit cornea. In Bacchico exercitu quiſpiam è ſatyris, correpto cornu, carmen Orthium occinit. In bello Thraces vtuntur cornu pro tuba. In odoribus cornu quoq; ſuus eſt locus, vt in ſucco balſami, quem opobalſamum vocant, *Eſt enim ſuauitatis eximiæ, ſed tenui gutta, & ploratu lanis parua colligitur in cornua.* In agricultura quoque cornua proſunt. Quippe cornua capræ numero tria viti aptata eam reddunt fertiliorem. Legimus etiam in breuiario Romano hæc verba, *In nari cornu geſtabat qui placiturum ſe Deo de crudelitate confidebat*, id eſt, vt quidem ego puto, crudelis tyrannus & immitis ſeruis Dei, non videbat ſe infibulatum trahi ſicuti ſolent atroces feræ quæ circumducantur aſpectui, vt ſunt captæ. In re medica cornu deprehenditur

Nicander. Ther. 3. Plato in charm.

vtile. Nam ſuffitu ceruini cornu ardentes ſerpentium peſtes depelli poſſunt. Id quod tradit Nicander; ſimulque aliquid de cornubus damæ. Vera ſomnia exeunt per cornua, cùm falſa per ebur. Audi meum ſomnium, inquit quidā apud Platonem, ſiue per cornua venit, ſiue per ebur, hoc eſt, ſiue eſt verum, ſiue falſum. E quo Platonis loco Virgilius ita ſumpſit.

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur Virgil. 6. Æneid.
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris.
Altera candenti perfecta nitens elephanto.

Vera ſomnia Ariſtides vocat commemorationes venientes per cornua ſplendidiores omni elephanto. In re diuina cornu ſignificat vtrumque latus altaris. A Plutarcho memoratur illa ara circa quam Theſeus ſaltauit, quam vocant κερατῶνα βωμὸν, è cornibus compactam εὐωνύμων ἁπάντων ſiniſtris omnibus. In comitio cornu ſignat editiſſimas eius partes; in iudicijs vtrumque latus tribunalis; In dialectica fortia argumenta vt apud M. Tullium, *Experiamur itaque ſi poſſumus cornua commouere diſputationis tuæ.* Syllogiſmi cornuti mentio eſt apud Clementem Alexandrinum. Ergo cornu ſignat omnia fortia, pugnacia, victricia. Et hoc ſenſu Græcis κερασβόλος dicitur ferox, cornu minax, aut minabundus. Rem cuiuſque familiarem cornu occupauit. Olim vtebantur cornu pro aquali, inquit Etymologicum; & ante vſum poculorum bibebant in cornibus. Et verò è cornu aſinorum agreſtium apud Indos fiebant pocula, è quibus qui bibiſſet illo die minimè ægrotabat. non è vulnere dolebat, ex igne egrediebatur incolumis; neque vllis, quæ in cornu darentur, venenis lædebatur. Plutarchus enumerans ſupellectilem & vaſa vecta in triumpho Æmilij Pauli, non omiſit κέρατα inter crateras argenteos, & phialas, & calices. Sunt & cornua in vtroque latere lecticæ. ſunt in ædificijs. *In cornu porticus ampliſſimum cubiculum triclinio occurrit.* In homine cornu ſignat caput; quandoque capillos, ſæpe gloriam, cuiuſmodi eſt illud, Et exaltabit cornu Chriſtorum ſuorum. Quę omnia denique eò pertinent, vt quicquid hac voce demonſtratur, ſit magnum, forte, illuſtre, ſuſpiciendum. Hæc item omnia quæ de cornu dici poſſunt, ad duo referuntur; prius eſt, vt cornu ſignet extraordinariam, cœleſtemque lucem. Alterum, vt demonſtret potentiam inſuperabilem. Hiſce duabus fulturis nititur omne regnum. Luce ſignatur ſapientia; duritie robur & fortitudo. De nihilo ſapit is, cuius potentia eſt multò infra ſapientiam. Stolidè validus eſt is, qui quantum poteſt non tantumdem ſapit. Hæc & his ſimilia nempe illa ipſiſſima ſunt quæ de cornu ſenſit priſca ſapiētia. Nulla ergo cauſa eſt, quapropter quiſquam miretur, ſi cornu cēſetur inter præcipua ſymbola regiæ ſublimitatis; ſi ipſum inter diademata & coronas locum inuenit. Id quod hodieque manet, nimirum, in vna, quod equidē ſciam, Repub. Veneta. Ibi enim is in cuius perſona omnis reipub. dignitas adumbrata conſpicitur, cui nomen Dux, omnia geſtat ſummæ poteſtatis inſignia. Non illi deeſt paludamentum, non gladius, non ſceptrum, non denique cornu, lucis & firmitatis

Ariſtid. π. τ̃ παεγςδ.
Plutarch. Theſ.
Cic. lib. 2. de diuinat.
Clem. Alex. lib. 5. Strom.
Plato lib. 9. de leg.
Etymol. κερα-σαι.
Philoſtr. vita Apoll. lib. 3.
Plutarch. Æm Pau.
Plutarch. xum.
Plin. epiſt. lib. 5.
Scholiaſt. Apoll. Rhod lib. 4.

argumentum; atque adeò priſcum huius ſereniſſimæ Reip. coronamentum. Et id quidem iure optimo, & exemplo vrbium præclariſſimatum. Nam & Corinthum, & Carthaginem, & Romam, vt alibi moneo, coronatas legimus. Ergo Venetijs aſpicitur hoc cornu vnà cùm cæteris Reipub. κειμηλίοις. eademque forma geſtatur à Duce, cùm is, ſequente Senatu, prodit in publicum. Atque hoc quidem cornu faciliùs aſpici, quàm quid ſignet, ſciri poteſt. Itaque eius ſignificatus è certioribus argumentis, quàm è texto aureo & gemmato, præſumi æquum eſt. Enimuero quos radios in illuſtribus, diuiniſque adeò capitibus hac ſpecie & repræſentari & ſignificari dixi, ijdem hîc quoque ſe luculenter produnt. Eſt ergo illud cornu inſigne lucis, & quidem diuinæ. Neque enim illic nomine ſapientiæ ſtultitia tegitur. Vix vlla mortalitas vſpiam ſapit, ſi ibi non ſapit. Ibi, quod Cineas de Romano ſenatu, tot dynaſtas aut etiam reges aſpicio quot ſenatores. Vix non in ſingulis tantum eſt ſapientiæ, quantum in vniuerſis potentiæ. Hoc vetuſtas & ipſa temporum ſeries, hoc hodiernus dies loquitur. Vndique fatiſcente, vndique impetito & lacerato imperio Romano, furente Attila, huiuſque ductu ferocibus nationibus Italiam vaſtantibus, collectæ quæ ijs in locis erant, Italici germinis reliquiæ eum locum inſederunt quem ſata elegerant ponendæ tantæ vrbi, ac tantæ Reipub. æternandæ. Ibi homines, admonente rerum ſtatu, primò pietatem colere, hiſce auſpicijs coire, & in vnum corpus redigi cœperunt. Mox arcendæ iniuriæ, vtrique militiæ dedere ſeſe, terreſtri & maritimæ. Denique augendæ rei publicæ magis quàm priuatæ intenti eſſe. Hæc per tot ætates, creſcente induſtria, labore, parſimonia, intantum ſunt cumulatæ, tantum opum & potentiæ terra, marique partum, vt hodie omnibus rebus publicis hæc vna antiſtet. Nullam cum hac componere audeas; non imperio, in cuius ditione ſunt vberrimæ prouinciæ, & antiquiſſima regna. non item vetuſtate, poſt cuius non ſolùm natales, ſed & corroboratam adoleſcentiam exorta ſunt hodierna regna Europæ, vno excepto Francico. Non dignitate & maieſtate, quæ ſedet inter reges. Non opibus, quas publicè & priuatim poſſidet maximas. Non ſitu, quæ eſt in Italia regina gentium; atque adeò in intimo ſinu eius maris, cui ipſa longè lateque imperat. Non legibus & inſtitutis, quorum vtroque nititur ſua diuturnitas. Non æquitate, quæ ſæpe fuit arbitra ſummarum poteſtatum. Non ciuium ingenijs, quorum perilluſtria extant monumenta. Non antiqua generoſitate gentis, quæ priuatim inſtituit eſſe parca, vt publicè queat eſſe munifica. Denique non cœleſti fauore, cui nomen felicitas, quæ ſæpe impetita, ſæpe icta,

Athen. lib. 15.

nunquam proſtrata, ſemper infracta manſit. Quis vltra dubitet, illud ſingulare diadema, nomine & ſpecie cornu, inuentum eſſe repræſentandæ tantæ ſapientiæ, potentiæ, felicitati? Gemmas, quibus inſigne illud cornu totum radiat, nullus mortalis oculus non aſpicere poteſt. At illa quæ dixi è rerum fide petita illi vni aduertunt, qui æquis & animis & oculis res & ſortem gentium introſpiciunt. Hinc eſt quod iamdiu illa inclyta Reſpub. inſignitur eo coronæ genere, quod eſt ſymbolum eorum quæ ſunt maxima, vt ſupra ex antiquitate ſatis oſtendi.

CAPVT VI.

Subitarium diadema. Neceſſitas huius diadematis inuentrix. Diadema è papyro. Papyrus coronaria. Extraordinarius mos coronandi ſumma capita. Torques loco diadematis. Imponere alicui diadema quid ſit.

EGI de omnibus, quę lectu audituue cognita habeo, diadematum generibus. Vix vllum, opinor, vltra eſt quod aut proprio nomine ſignari, aut ob ſingularem formam aduerti debeat, illis exceptis quæ ſæpe coactu neceſſitatis, & in ipſo æſtu tranſituue rerum pro diademate fuerunt vſurpata. Et hæc quidem diademata ipſe voco ſubitaria, ex ipſa re ſumpto nomine. Nam in re noua & inexpectata vicem egerunt aurei, gemmati, ordinarij diadematis. Ergo dicimus neceſſitatem eſſe ſollertem inuentricem huius qualiſcunque diadematis. Id quod ſæpe accidit non ſolùm in re cuiuſque priuata, ſed & in publica. Hæc triplex eſt, ſacra, militaris, politica. In re ſacra propter defectum vini quandoquę ſacrificantes libarunt aqua, contra morem ſacrorum. Nam etſi ſacris vinum libari ſolitum, tamen Eurylochus, alijque ſocij Vlyſſis, bobus ſolis mactatis, ad id ipſum adhibuerunt aquam.

οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱερῦσιν,
ἀλλ' ὕδατι σπένδοντες ἐπώπτων ἔγκατα πάντα. *Homer. Odyſſ. μ.*

Neque habebant vinum libare ſuper incenſa ſacra, ſed aqua libantes aſſabant inteſtina omnia. *Romulum lacte*, inquit Plinius, *non vino libaſſe, indicio ſunt ſacra ab eo inſtituta, quæ hodie cuſtodiunt morem Numæ regis. Poſthumia lex eſt, Vino rogum ne reſpergito. Quod ſanxiſſe illum propter inopiam rei nemo dubitet. Mola tantùm ſalſa*, inquit idem Plinius, *litant qui non habent thura. Nec vlli fuit vitio Deos colere quoquo modo poſſet.* Similiter Chriſtianos aliquãdo propter aquæ defectum arena baptizaſſe cõſtat. Ac talia *Niceph. lib.*

Plin. li. 14. c. 12. *Plin. in præfat.*

quidem in re ſacra ſæpe neceſſitas vſurpare cogit. In militia pro vexillo, tuba, tympano ſæpe geſtatum eſt aliud quidpiam. Pari licentia ſæpe vſus eſt exercitus, quoties duci ad imperiale culmen ſublimato diadema non fuit ad manum. Talis coronæ meminit Appianus Alexandrinus. Nam cùm milites Pharnacem filium Mithridatis loco patris regnare vellent, eum renuntiarunt regem. At etiam vnus illorum elatam è ſacra æde papyrum capiti eius impoſuit loco diadematis; papyrum, inquam, coronariam, è qua ſunt qui putant plexam fuiſſe coronam Naucratitem. Falsò. Quamuis conſtet è Theopompo, qui ſcripſit res Græcas, Ageſilao, cùm traieciſſet in Ægyptum, ſuper alia dona, Ægyptios miſiſſe papyrum coronariam. Qua de re quædam mihi ſupra dicta ſunt. Hæc corona irridetur apud Athenæum. Neque enim videri poteſt quid vtilitatis aut voluptatis capi poſſit è corona papyracea, additis roſis, ſi non ij, qui ea delectantur, cum allio nectant roſas, hoc eſt, gratum odorem tetro conſpurcent. Vnde licet ſuſpicari, vt probè monet Dalechampius accuratus Athenæi interpres, florem papyraceum, ſiue ipſam papyrum olere neſcio quid putre & inſuaue. Certè Alexandrina illa ſeditioſa multitudo Carabati cuidam homini mentis non ſatis compoti impoſuit diadema papyraceum in deſpectum & deriſionem Agrippæ, eiuſque dextræ pro ſceptro indidit fruſtũ quoddam eiuſdem materiæ proiectum in platæam. Papyrum tamen nobiliſſimis vſibus adhibitam conſtat. Et verò Phroneſis Philologiæ filiæ, cùm cœlo exciperetur, calceos è papyro textili ſubligauit, nequid eius membra pollueret morticinum. Redeo ad rem. Cùm Reſpub. eſt in manu legionum, tunc verò non decreto Senatus, non ſuffragijs populi, non iure, more, & cõſuetudine, ſed ſtudijs multitudinis, & militari clamore omnis res agitur. Ibi per factiones deſtinantur, per tumultus nominãtur, extraordinaria ratione coronantur ij quibus rerũ ſumma creditur. Cuius rei exemplum eſt in Iuliano. Huic enim cùm fortè imperium milites inuito deferrent, quæſitum eſt diadema. Et quidem cum Iulianus iureiurando ſibi nullum eſſe firmaret, quidam inibi fuerunt, vt muliebri faſcia caput eius circumdarent. Id quod cùm Iulianus, ſicuti rem mali ominis, aſpernatus eſſet, tribuni militum aureum torquem à quodam centurione mutuò acceptum, eique additis lapillis pretioſis, loco diadematis capiti eius impoſuerunt. Tale diadema veriſimile eſt fuiſſe illud quo exercitus Gordianum cuinxit, cùm propter atrocitates Maximini eum purpura circumdatum renuntiauit Imperatorem. Id ipſum accidit Hypatio; qui cùm à milite ſeditioſo factus eſſet imperator; nec in promptu eſſet illud diadema, quo imperatores redimiti ſolent, miles obuio

Appian. Alex. Mithrid.

Athen li. 15. & Plutar. Ageſ.

Philo εἰς Φλάκκον.

Martian. Cap. lib. 2.

Zonar in Iulia.

Zonar. in Maxim.

Procop. lib 1. de bello Perſ.

neſcio quo auro caput eius coronauit, cumque ſalutauit imperatorem. Ipſe Hypatius ominoſo hoc diademate euinctus, iamque imperatorem ſe ferens vnà cum Pompeio, interfectus eſt. E quotidiana rerum adminiſtratione diſcimus, quàm ſæpe flectendum ſit ab vſu recepto ac ſtatuto ordine ad illa, quæ aut prompta prudentia reperit, ſimulque occaſio monet, aut certè neceſſitas imperat. Id quod cuiuſmodi ſit, & quo fine terminari debeat, definiri non poteſt. Vſque eò frequenter obuia ſunt illa quæ mutari neceſſe eſt. Vt res dant ſeſe, ita hunc aut illum clauum neceſſitas figit. Cæterùm vt ſupra dixi, vocabulo coronæ, ſiue diadematis regnum demonſtrari, ita dare, aut imponere alicui diadema, eſt eum renuntiare dominum rerum, vt è ſupradictis liquido cognoſci poteſt. Sed cuius munus ſit, alieno capiti imponere diadema, infra dico. *Iornand. ſucceſ.*

CAPVT VII.

Cuius manu diadema imponatur. Ab alio accipere diadema quid ſit. Vel ſolo ritu accipiendi diadematis ſunt qui profitentur, ſe tanti muneris vni diuinitati debitores eſſe. Præter hos alij vel hinc palam faciunt ſe eſſe in clientela maioris alicuius humanæ poteſtatis. Prioribus illis diadema imponitur manibus illius qui eſt miniſter Dei. Diadema eſt inter vaſa ſacra. Impoſitio diadematis eſt negotium religionis. Tribus aut etiam pluribus coronis imperator inſignitur. Conceptus & nondum natus quomodo coronetur. Quidam coronati ſunt ab ijs, etſi non ſunt ſacerdotes, quibus id hæreditario quodam iure conceſſum eſt.

DIADEMA duplici ratione ſumitur, ab illo ipſo cuius conceſſu vſurpatur; id eſt, cuius beneficio is qui diadema accipit, rex eſt. Aut permiſſu quidem maioris poteſtatis, ſed manu illius, qui illi miniſterio deſtinatus eſt, interdum vtriuſque. Hæc vt diſtinctè tradantur, Aio illum qui diadema accipit, eo facto profiteri ſe eſſe in ditione & clientela illius à quo tantum munus accipit. At enim hoc prope inæſtimabile beneficium ſunt qui accipiunt ab vno Deo, nullius humanæ poteſtatis interuentu. Sunt qui & ab homine. Illi priores hoc tantùm ad ſuam exiſtimationem pertinere intelligunt, vt, quorum manibus ſubleuati, atque ad id faſtigij euecti ſunt, præmia perſoluant, vnicuique pro meritis. At ſupra ſe ſuſpiciunt neminem, extra vnum datorem ſummæ poteſtatis, cuius vnius beneficio regnant. Poſteriores de-

ſe non tam magnificè ſentiunt, nec item tam ſublimiter incedunt vt priores illi. Sed quòd alieno permiſſu dominantur, vel ipſa forma accipiendi diadematis fatentur ſe eſſe in clientela maioris alicuius humanæ poteſtatis, more clientium. Et prioris quidem generis ſunt ſanè pauculi, nempe Pontifex, Imperator, ac reges Europæ. Nullus horum, quod ſciam, nec nutum, nec iuſſa cuiuſquam moratur humanæ maieſtatis, ſed vnius tantùm cœleſtis, ſummique regnatoris. Nam qui hodie quoſdam regum, aut etiam omnes audent conſtituere in ditione imperij pugnant pro laruis. Viderint ſanè quibus rationibus nitantur. Annon pluribus veriſſimiſque debilitentur. Redeo ad rem. Pontifex, Imperator, Reges, & ſiquis alius eſt qui per omnia ſit ſui iuris, diadema, notam ſummi culminis, accipit ab vno Deo, ſed manu hominis hoc eſt, miniſterio illius qui ipſi eſt pro miniſtro Dei. Ergo non alibi quàm apud Deum, hoc eſt, in æde ſacra, quam vocamus eccleſiam. Idque ritu antiquiſſimo. Rex Iudæorum nullius iuſſu aut permiſſu regnabat niſi vnius Dei. Ea re à nullo mortali donabatur inſigni regio, niſi ab vno Pontifice Maximo, qui tali loco ac re fungebatur vice eius qui eſt rex regum. Hoc exemplo Ioam adhuc puerum, adſtante multitudine, à Pontifice maximo poſitum in loco edito, ibique regio diademate euinctum, oleo ſacro inunctum, regemque & ſucceſſorem Dauidis renuntiatum ſacræ hiſtoriæ ſcriptor memorat. Enimuero cùm diadema ſit nota, pignus, ſacramentum ſummæ curæ, pariſque poteſtatis; atque adeò cùm euinciat caput regis, quod eſt ſacrum & ſanctum, ſapienter eſt inſtitutum, vt ſacerdotali, ipſaque adeò Pontificali manu imponatur. Ibi certè ſiue ſacerdos, ſiue Pontifex eſt pro Deo. Huc accedit, quòd vni illi qui ſacerdotio præditus ſit, fas eſt contrectare ſacra, in quibus ſunt auguſtiores veſtes, & quantum eſt eorum vaſorum quæ pertinent ad ſacra. At inſignia regalia, illa dico quæ aptantur perſonę regnatoris ijs in locis in quibus is multitudini ſe, ſua maieſtate circumfuſus, aſpiciendum præbet, inter ſacra cenſeri video. Hæc inſignia, vt alibi dico, ſunt thronus, ſceptrum, diadema. Ergo corona regia aut imperatoria vix ab alio contrectatur, quàm ab illo, cui id iuris in eccleſia conceſſum. In hanc ſententiam Curopalates vbi loquitur de ſtemmate imperatorio, ait, quoſdam dicere, inſigne regis eſſe poſitum ſuper ſancta menſa. Sed non ita eſſe. Verùm intus in ſancto ſolio contineri; & ab diaconis ſacra geſtantibus afferri ad ſacrum ſuggeſtum. Quibus è verbis, quod quidem ad venerationem pertinet, diſcimus, eandem eſſe rationem diadematis, & ſacrorum vaſorum. Id quod augendo cultui humanæ maieſtatis eſſe

Zonar.

Philo π. τῆς εἰς τὰ προσπου. σιν.

Curopal. de offi. Conſtant.

inuentum, fatendum eſt. Hâc quidem ratione tam auguſta regum humana potentia ſancitur vi religionis. Duplici, inquam, vinculo conſtrictæ hominum mentes intelligunt, haud minus eſſe in regia dignitate numinis, quàm quantum humanæ imbecillitatis aſpiciunt in perſona regis. Hinc conficimus, cùm cuipiam diadema imponitur, totam rem eſſe religionis. Etſi enim ibi quicquid in aſpectum cadit eſt caducum, tamen omne inſtitutum manat ab autore Deo, cuius vnius eſt coronare ſumma capita; qui ad eam rem adhibet manus illorum qui ſeruiunt altari ſuo. Huc, opinor, ſpectauit antiquitas, cùm numina à numinibus coronari finxit. *Plin. lib. 36 c. 15.* Certè Plinius memorat, *in delubro quod fuit Cyrici, artificem dicaturum fuiſſe eburneum Iouem, coronante eum marmoreo Apolline*. Hæc vera & intima cauſa eſt quapropter imperator à Pontifice maximo, reges quoque ab ipſo, aut ab alijs pontificibus inſigniuntur aureo diademate, ſicuti manu Dei. Quippe id ea re fit vt omnis ille imperialis ſiue regiæ inaugurationis ritus in oculis vniuerſorum ſit auguſtior. Hoc exemplo Carolus cognomento Magnus, cùm à Leone Papa renuntiatus fuiſſet imperator, ab ipſo Pontifice donatus eſt diademate imperiali. Ludouicus item huius ipſius Caroli nepos Lotharij filius à Sergio II. Carolus à Ioanne IX. Berengarius à Formoſo, Otho à Ioanne XIII. Theophila & Ioannes vir eius ab hoc ipſo Ioanne IX. Henricus à Benedicto VIII. Conradus à Ioanne XXI. Ætate patrum Carolus V. Bononiæ à Clemente VII. Hoc eodem exemplo Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi hodie regnantium capitibus coronas imponunt in eccleſia quiſque ſua. Hoc ritu Sergius Patriarcha Heraclium, *Zonar. in Heracl.* Euphemius Anaſtaſium Dicorum, alij alios imperiali diademate cinxerunt. Hi ritus tam ſpectabiles & auguſti in oculis vniuerſorum peraguntur illa ipſa veneratione, qua quiſque rei ſacræ intereſt. Et hæc quidem eſt illa vſitata ſpecies, qua regnãtium capitibus inſignia ſummæ fortunæ imponuntur à Deo, nempe manu antiſtitis. Iulianus ſcribens Iudæis vult agi gratias Deo τῷ καταξιώσαντι, *Iulian. ep. ad Iud.* στέψαί με τῇ ἀχράντῳ αὐτοῦ δεξιᾷ, qui mihi dignatus eſt ſua pura manu coronam imponere. Cæterùm cùm aio reges & imperatorem coronari, eâdem dico illis circumponi cætera ornamenta regalia & auguſtalia; qui vocabatur habitus principalis, ſiue auguſtalis. Marcellinus de Valentiniano. *Mox principali habitu circumdatus, & corona, Auguſtuſq́ nuncupatus cum laudibus amplis.* *Amm. Marcel. lib. 26.* De hoc habitu & ritu imperialis inaugurationis hæc Paulus Diaconus in Tiberio Conſtantino. *Hic*, inquit, *cùm Auguſtalem coronam accepturus eſſet, eumq́, ſecundum conſuetudinem ad ſpectaculum cùm populus expectaret, inſidias ei præparauit. Sophia Auguſta, vt In-* *Paul Diac. lib. 18 in Tib. Conſtant.*

ſtinianum Iuſtini nepotem ad dignitatem imperatoriam ſublimaret. Ille per loca ſancta priùs procedens, deinde ad ſe vocato Pontifice vrbis, cum Conſulibus ac præfectis palatium ingreſſus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impoſitus cum immenſis laudibus in regni gloria eſt confirmatus. Porrò, vt hoc quoque obiter dicam, non vna corona imperator inſignitur, ſed vt plurimùm tribus, quandoque quatuor & quinque, vt accidit Friderico, autore Othone Friſingenſi. *Prima*, inquit, *de regno Francorum Aquiſgrani.* Sed hanc ego coronā aſſimilo Domitiani triumpho de Germania. *Secunda Ratiſbonæ de regno Germaniæ.* Cuius regni nihil, quod ſciam, extſtat præter inane nomen. *Tertia Papiæ de regno Lombardiæ.* Et hîc quoque vano titulo. *Quarta Romæ pro Romano imperio.* Cuius ne vllum quidem niſi in libris veſtigium extſtat. *Quinta Modontiæ pro regno Italico, ſiue Longobardico. Et hæc appellatur ferrea propter quamdam laminam ferream in ſummitate, quæ alioqui eſt aurea & pretioſiſſima.* Hanc coronam inuenio fuiſſe è palea, cùm illa quæ accipiebatur Mediolani eſſet ferrea. Et hoc quoque regnum Italicum mente concipi veriùs, quàm manu tangi, aut oculis deſignari vbi ſit, poteſt. Verè Iulianus, loquens de inani purpura, *ſine viribus maximis panni quid faciunt leues?* Ita ſine regnis cui rei tantus verborum tumor, qui nihil concrepat niſi regna quæ nuſquam ſunt? Inter hæc diademata, quæ accipiuntur ab vno Deo, equidem cenſeo illud quod regi ſiue adulto, ſiue puero, ſiue etiam concepto tantùm ac nondum nato primorum conſenſu, & ſtudijs multitudinis imponitur vt legitimo regni ſucceſſori. Et quidem quod pertinet ad regem quamlibet puerum coronatum, ſupra retuli exemplum Ioam. Cui addo Michaëlem filium Theophili imperatoris, qui adhuc infans imperiali diademate euinctus eſt. De eo qui adhuc in vtero eſt ſingulare extſtat illud apud Agathiam, cuius ſupra memini. Nam Vararane Perſarum rege defuncto, relicta vxore prægnante, Magiſque firmantibus fore potioris ſexus quod naſceretur, nullo, ne breuiſſimi quidem temporis interiectu, cidaris ventri imponitur; & ille, qui vixdum conceptus erat, rex renuntiatur. Et hæc quidem de ijs dico, quibus diadema non eſt munus cuiuſquam mortalis, ſed vnius Dei. Apud quaſdam gentes in more poſitum fuit, vt non manu & miniſterio ſacerdotali, ſed viri alicuius & genere & factis maximi, cui id eſſet iuris hæreditarij, diadema regi imponeretur. Certè Plutarchus tradit, Surenæ ius fuiſſe vt primus imponeret diadema regi. Hoc ipſo autore, amici Antigonum, parta ab Demetrio contra Ptolemæum victoria, redimierunt nempe diademate. Quandoque diadema regi mittitur, vt miſſum eſt ab hoc ipſo

Pontif. Rom. cap. de tripl. imper. cor.

Ammia. Marcell. lib. 22.

Zonar. in Theoph.

Agath. lib. 4.

Plutarc. Craſſ. Plutarch. Demetr.

ipſo Antigono ad Demetrium filium. Cuius rei plura exempla infra à nobis afferentur. Certè legimus Gregorium ſeptimum Pontificem Maximum Rudolfo imperatori miſiſſe coronam, in cuius lamina ſculpta fuerunt hæc verba, *In vit.Imper.*

Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rodulfo.

CAPVT VIII.

De ijs qui à maiori poteſtate diadema accipiunt. Reginæ regum coniuges diademata. Imperatrices plerunque coronantur à proprio viro. De imperatrice matre imperatoris. Hodie diadema reginæ non diſcernitur à regio, ſecus quàm olim fuit in imperio Conſtantinopolitano. Iunonis caput coronatum corona radiata. Filij coronantur à patribus. Corona filiorum imperatoris diſtincta. Domini corona. Sebaſtocratoris & Cæſaris corona. Coronæ Iouis, Neptuni, Plutonis.

HOMO homini diadema imponit, nempe is cuius beneficium regnum eſt, illi cui datum eſt. Quædam ſunt datori coniūctę ſanguine perſonæ, quarum aliæ vocantur ad conſortium, aliæ ad ſucceſſionem ſummæ poteſtatis. Quæ admittuntur ad cōſortium, eæ plerunque ſunt reginæ vxores regum, aut Auguſtæ coniuges imperatorum. Eſther ab Aſſuero in coniugium aſſumpta regiis inſigniis viro æquata eſt, nempe diademate, & purpurea veſte donata. Ptolemæus ad concionem vocato exercitu, capiti ſororis, eiuſdemque coniugis ſuæ diadema imponit, eamque appellat reginā. Mithridates cùm Mileſiam ſollicitaret ad ſtuprum, eique quindecim aureorum millia miſiſſet, abnuit ſe facturam donec pacta coniugij tranſacta eſſent. Ei ergo Rex miſit diadema, eamque renuntiauit reginam. Sed infauſto hoc diademate ipſa poſtea iuſſu Mithridatis ſibi collum fregit. Heraclius coronatus à Sergio patriarcha Eudociam, quæ in manum ipſius conuenerat, diademate donat. Itaque vterque eodem die nuptialem & imperialem coronam accepit. Vterque vna eademque opera ad culmen Imperatorium ſunt ſublimati. Conſtantinus iunior, repudiata vxore, duxit Theodoram ancillam eius, eamque Auguſtali diademate inſignem fecit. Leontia vxor Phocæ vnà cum viro renuntiata eſt imperatrix. Et hæc eſt illa ἀνάῤῥησις τῆς Λεοντίας τῆς γυναικὸς Φωκᾶ. Tradit Curopalates, oportere imperatricem coronari à proprio viro. Cuius honoris portio quædam matres quoque contingit. Hinc illud eſt quod imperatrix mater imperatoris renuntiati, dum talia ſolennia peraguntur, inibi aſpicitur inſignis diademate ſuo, nempe geſtans co-

Seuer. Sulpit. lib.2. ſac. hiſt.

Seuer. Sulpit. lib.2. ſac. hiſt.

Iuſtin. lib.

Plutarc. Lucul.

Zonar. Heracl.

Plati. in Adr. 1.

Curopal. de offi. Conſtantin.

Phor. è Theoph. hiſt. n. 41.

ronam, ac manu tenens ramum aureum, qui in vertice, & in inferiori parte habet margaritas & lapillos magnitudine ſpithamæ. Enimuero & imperatrices & reginæ hac ratione coronatæ cenſentur aſſumptæ in conſortium ſummi culminis. Hodierno quidem die diadema reginę neque forma neque pretio eſt infra illud quod rex ipſe geſtat, cùm cæteræ coronæ manifeſtas præ ſe ferant diſcriminis notas; ſcilicet, vt primo aſpectu quiſque nihil cunctatus intelligere poſſit quodnam ſit diadema dantis, quod accipientis. Etſi in imperio Conſtantinopolitano aliud fuit in more poſitum. Ibi enim, Curopalate autore, imperatricis diadema ſpecie fuit diſtinctum à diademate imperatoris. Id quod hodie in Europa ſecus fit. Nam quos Deus eodem coniugij vinculo conſtrinxit, vnico capitis inſigni nunc quidem vtuntur, quādoquidem dignitate cenſentur eſſe pares, & vxor mariti radijs coruſcat. Antiquitas non minùs Iunoni dedit coronam radiatam quàm ipſi Ioui. ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας τε φορέει, καὶ πύργον, καὶ κεστὸν, In capite fert radios, turrim, & cingulum Venereum. Et hac quidem ratione, hoc eſt manu ipſius regis aut imperatoris, antiſtite præſente, regina aut imperatrix diadema accipit. Hîc aduertendum id quod Curopalates adnotauit, imperatorem priùs à Patriarcha accipere auguſtale ſtemma, nempe manu ipſius benedictum. Sic acceptum imponere capiti imperatricis. Ipſam ſic diadematam componere ſe ad cultum imperatoris viri ſui, qui hinc ſciri vult, ipſam per hanc ſpeciem cultus, ſiue adorationis viro ſuo ſubiectam eſſe; etſi condecoratur ea corona, quæ vna eſt nota ſummæ dignitatis, cuius haud dubiè ipſa conſors eſt. Eadem ferme ratione filij, qui ſunt hæredes regiæ, ſiue imperatoriæ dignitatis coronantur à patribus, interuentu pontificis. Illo quidem die qui inaugurationi præſtitutus eſt, pater & filius apud Curopalatem eodem cultu conſpicui incedūt. Et de filio ait, ἐπὶ κεφαλῆς φέρει στέφανον φαινόμενον, vbi fortaſſe legēdum ἐπιφανέστερον, coronā aliquam illuſtriorem. Alibi hoc ipſum repetit. ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ οὐ νενομισμένον τι φορεῖ, ἀλλ' ἢ στέφανον, ἢ ἕτερον ὅτι ἂν δόξῃ. at in capite ſuo non conſuetum aliquid fert, ſed aut coronam, aut aliquid aliud quodcunque libuerit. Sed vt hîc quidem conſtat στέφανον non eſſe diadema imperiale, ſed coronam, qualem ipſi imperatores quàm ſæpiſſimè geſtant, tamen alibi Curopalates diſertim tradit, imperatorem imponere Domino, hoc eſt, filio ſuo primogenito coronam ornatam gemmis & margaritis, cui nomen στεμματογύριον. Nam & hoc quoque non omittendum, inter ipſos imperatoris filios eſſe haud paruum diſcrimen vt nominum, ac dignitatis, ita quoque coronarum. Hoc quoque fieri priſco more diſcimus ex Liuio, *Quod vnus*, inquit, *nomen regium & præ-*

Lucian. de Sy. Dea.

Liu. lib. 35

cipuum capitis inſigne gerat, omnes fratres regnent. Ergo quiſquis in regis familia natus eſt, regis inſigne capite gerit, ſed rex præcipuum. Cæterùm coronam Dominus habuit propriam & peculiarem, ipſi imperatoriæ coronæ adfinem. Sebaſtocratoris item ac Cæſaris diuerſa ſunt capitis geſtamina. Nam illius corona vnam tantùm habet apſidem, nempe in anteriori eius parte. Vnde colligere licet, coronam Domini pluribus apſidibus eſſe conſpicuam, hoc eſt, imperatoriæ proximam, aut etiã ſimilem. At Cæſaris, hoc eſt tertij filij coronam nulla apſide fuiſſe notabilem, vt qui ab imperiali culmine fratribus eſt remotior. Certè ternio ille fratrum qui rerum vniuerſitati imperarunt, diuerſis coronis conſpicui finguntur. Et quidem Iupiter, vt alibi dixi, coronabatur vt ſummus regum. *At Neptunus & Pluto eius minores fratres in capite vterque,* ait Martianus Capella, *dominandi ſertum pro regni conditione geſtat. Nam vnus albidi ſalis inſtar candidum, atque ſpumarum canicie concolorum; alter hebenum, ac tartareæ noctis obſcuritate fureſcens, qui quidem multò ditior fratre, & ſemper eorum quæ gignuntur, conquiſitionibus opulentus.* Etſi hæc capitis inſignia inter naturales coronas, de quibus egi, meritò reponi poſſunt. Redeo vnde diuerti, & aio, Imperatorem patrem Domino hæredi ſuo imponere coronam imperialem vt imperatori deſignato; eo ritu quem Curopalates deſcribit his verbis, Adeſt rex, & pater eius, ipſeque patriarcha; Qui capto ſtemmate illud imponunt capiti noui regis, ſiue imperatoris. Quòd ſi pater eius non adeſt, hoc munere ſolus fungitur Patriarcha. Et hæc quidem de ritu imponendi coronas reginis & filijs regum & imperatorum. *Martian. Cap. lib. 1.*

CAPVT IX.

De ijs qui diadema à maiori poteſtate accipiunt. Socij Reges Romanis qui dicerentur. Dona ab Senatu ſocijs regibus miſſa. Aliquot exempla eorum regum qui à maiori poteſtate diadema acceperunt. Cuius manu talia diademata impugnantur. Ademptio cultus principalis.

PRÆTER reginas & filios regum adſunt extranei, qui quòd maioris conceſſu, aut beneficio regnant, ab illo ipſo diadema accipiunt. Et id quoque priſco & vſitato apud omnes gentes more. Quemcunque priſcus ille Senatus, aut etiam, princeps Romanus regnare iuſſiſſet, aut pateretur, hunc honorifica appellatione ſocium regem vocabat. Quod S. C. erat ei regi pro diplomate illo, quo vniuerſum ius regium continetur. Et verò is hoc permiſſu regem ſe & nomine & cultu regio ferebat. Tum re ipſa,

hoc eſt omnibus regum muniis talem ſe profiteri poterat. Vſque eò grande in hac appellatione momentum fuiſſe conſtat. Cæterùm quo huius tanti beneficij memoria confirmatior, quo res teſtatior, & in omnium gentium oculis eſſet luculentior, huic ipſi vnà cum regia appellatione mittebatur is, quem dixi, regius cultus. Hæc Romæ dicta ſunt regia munera, hoc eſt, ea inſignia, quibus regia maieſtas efficaciſſimè & luculentiſſimè repræſentari poteſt. Ea dona, vt in Legato meo dixi, fuerunt hæc, Aurea corona, hoc eſt diadema, inſigne regij capitis; aurea patera, qua rex ſacrificans Dijs munera offerebat; ſella curulis qua ſedet, dum regio muneri intentus eſt; ſcipio eburneus, hoc eſt, ex ebore ſceptrum; toga picta qua domi vtebatur; ſagulum purpureum quo militiæ. Ac præter hæc quidem, tunica palmata, latus clauus, equi phalerati, arma equeſtria, ſupellex militaris, qualis Conſulibus præberi ſolita. Qui ſanè mos dandi & accipiendi

Liu. lib. 10. talia munera vſque eò inualuit, vt illi ipſi reges, ad quos legitima ſucceſſione regnum perueniſſet, non aliter regiam dignitatem vſurparent, non aliter regia munera obirent quàm conceſſu Senatus aut principis. Certè Archelaus rex Iudæorum cùm in primis regni ſpatijs ſediſſet aureo throno, à militibus noluit accipere diadema, niſi demum poſt adprobatum à Cæſare patris

Sueton. Tiber. cap. 9. ſui teſtamentum, eiuſque permiſſu. Tiberius, autore Suetonio, regnum Armeniæ Tigrani reſtituit, ac pro tribunali diadema

Sueton. Ner. impoſuit. Eodem Suetonio autore, Nero precanti Tiridati Armeniæ regi qui ad hoc ipſum vnà cum vxore Romam venerat,

Xiphil. Ner. tiara deducta, nempe qualem dixi fuiſſe τῶν στρατηγῶν ducum, dia-

Tacit. lib 15. Annal. dema dedit. Vologeſes rex Parthorum, Tiridate fratre in poſſeſſionem Armeniæ deducto, eius caput diademate euinxit. Ipſe

Niceph. lib. 1. cap 9. Auguſtus Herodi, cùm eum faceret regem Iudææ, ac Traianus cùm Parthis Parthama ſpaten dediſſet regem, eius regis capiti ſua ma-

Xiphil. Traia. nu diadema dedit. Tiberius Iudæorum principatus diadema

Euſeb. li. 2. hiſt. eccl. cap 4. Agrippæ dedit, ibique eum conſtituit regem, tum Philippi & Lyſaniæ tetrarchiæ. Domitianus Decebalo Dacarum regi diadema

Dio in eclog. de legat. impoſuit, ſicuti victor Marcomanorū, & is qui Dacis regem dare

Agath. lib. 3. poſſet. Zati regi Lazorum hac ipſa priſca conſuetudine Iuſtinia-

Albric. de ima. Deor. in Aeolo. nus impoſuit coronam auream, quam Agathias vocat mittram pretioſis lapillis diſtinctam, ſuper alia regum inſignia. Propemodum iſti omnes eâdem ratione diadema dant, qua Iuno cùm Aeolo regnum dediſſet, eius caput corona vinxit. Si diadema in præſentia dari non poterat, mittebatur, aut vnà cum alijs regiis inſignijs aut

Dio. ecl. πρεσβ. ſolum. Hoc exemplo Tiridates diadema ſibi à Macrino miſſum cœpit. Interdum diadema imponitur manu illius, cuius

conſenſu & permiſſu magis quàm conceſſu rex regnum poſſidet. Huius rei ſpecimen dederunt Darius & Arimenes par fratrum. Cùm enim Xerxes Darij filius Arimeni fratri munera miſiſſet, iuſſit per quos allata eſſent, hæc loqui, His te frater colit. Quòd ſi erit vt rex renuntietur, enimuero tu quidem ſummo apud ipſum loco futurus es. Ergo poſtquam is rex renuntiatus fuit, Arimenes eum adorauit, ac diademate inſigniuit. Hoc exemplo, vt ſupra dixi, Pius V. Coſmum Medicen ſuo diplomate magnum creauit Hethruriæ ducem. Talem renuntiatum denique palam, & in auguſto illo Cardinalium conſeſſu magna vtrique totius rei ſpecie, ſuis manibus euinxit diademate radiato. Et ſi fateor in hoc exemplo plus polluiſſe Pontificij permiſſum quàm conſenſum. Ducalis quoque galerus, ſiue pileus ijs in quos Ducalis, aut principalis dignitas collata eſt, imperatoris, regiſve manu datur. Aliquibus honorificè mittitur, deſtinata ad id ipſum legatione. Non aliud loquitur hodierna inueſtitura, quæ quidem Pontificio, imperatorio, regio reſcripto plerunque datur & accipitur. Non aliud ſignant vicariatus imperij, de quibus ſupra dixi. Quippe quemcunque imperator ſuo diplomate creat vicarium imperij, huic ipſi ijs in locis quæ is poſſidet vt dominus, cenſetur tribuere omnia iura & inſignia ſummæ, hoc eſt regiæ & imperatoriæ poteſtatis, excepta appellatione regia & Auguſta; tum veneratione & fide erga regem & imperatorem, & perpetuo fœdere regni & imperij. Cæterùm vt hanc dationem coronæ neceſſariò conſequitur omnia iubendi, omnia vetandi poteſtas & autoritas, ita tanti inſignis ademptione eam adimi ſatis conſtat. *Vt militis exautoratio fit per ademptionem armorum, equi*, ac cæterorum militiæ inſtrumentorum, quæ ei priùs data fuerant, ita per ademptionem cultus principalis omnis illa poteſtas prius cuipiam cõceſſa cenſetur abrogata. Conſtantius Britannioni, cùm is ad imperatoris pedes accidiſſet, imperij inſignia, purpuram & coronam detraxit; quietumque & priuatum eſſe iuſſit. Neque verò aliud verius aut certius inſigne ſummi faſtigij rerum, quàm poſſe dare, poſſe auferre diademata. Statius,

Plutarch. apophth. βασ. ϗ ςρατ.

Liu lib. 19.

Niceph. lib 9. cap. 32.

—modò qua diademata dextra
Abſtulerat, dederatq́ & magnas verterat vrbes.

Stat. li. 4. Sylu. 1.

CAPVT X.

Diadema quandoque occulta cauſa & ratione alicui impoſitum. De diademate regum Iudaicorum. Diadema hoſti ereptum. De rebus ſingularibus quæ eueniunt circa diademata. Vbi regium diadema aſſeruetur. Corona regum inter ἀναθήματα. An vno capite plura diademata geſtari poſſint.

QVANDOQVE Deus, cuius arcana rimari temerarium, noſſe non eſt noſtrum, eos renuntiat reges, quos huic tanto muneri deſtinauit, nullo horum, quos dixi, ritu interuentu, ſed ea ratione quæ ſibi eſt complacita. Talium cauſæ cùm ſe ſubducunt oculis noſtris, mens noſtra fœdè vacillat. Illa ipſa, quòd noua ſunt, inuſitata & inexpectata, humana leuitas & inſcitia fortuita nominat. Hæc tamen cuiuſmodi ſint, ſtatim vt ab effectis didicimus, tunc verò vt oculos demittere, ita conſurgere in admirationem diuinæ prouidentiæ nos quidem neceſſe habemus. Nihil quicquam extra ordinem, & inopinatum accidit, in quo, immiſſu Dei, non ſit aliquod, & quidem grande momentum, quod pertinet ad res humanas. Neq; tamen hic ego vlli faueo ineptę, impiæve ſuperſtitioni. Sed nonniſi reuerenter ac religiosè de ijs iudicandum aio, quæ potiùs miramur vt noua, quàm rimamur aut ſcimus vt vera. Et verò quod diademata reſpicit, non deſunt exempla, quibus fides ſit, eá potiùs à diuina quàm ab humana manu principi futuro fuiſſe impoſita. Rex Ægyptius diadema ſuum impoſuit capiti Moſis quaſi ludibundus. Certè non ea mente vt Moſen faceret regem. At illud Moſes abiecit ad pedes ſuos. Hoc vtriſque facto quid tandem ſignificatū putas? Enimuero manus regis, quamlibet idquod agebatur, neſcientis tunc quidem functa eſt manu Dei. Ipſemet ſacerdos Ægyptius Ægypto cladem hinc portendi intrepidus firmauit. Nos hoc ipſum, quòd euentu comprobatum eſt, fatemur eſſe verum. Inſuperque agnoſcimus, tunc Moſi tanquam digito demonſtratum fuiſſe ducatum illum præclarum, cuius excellentia aſcendit ſuper omnia regna. Et huius quidem ducatus inſigne quis vltra dubitet, fuiſſe diadema regia manu capiti eius impoſitum? Alexander Perſico diademate caput ſuum euinxiſſe dicitur. Quod ſanè fuit vltimum & indiſputabile teſtimonium, regnum Perſarum tranſlatum fuiſſe ad hominem Macedonem. Corona regis Ammonitę, cuius pondus fuit talentum auri, ornatus lapides pretioſi, expugnata Rabath, venit in poteſtatem Dauidis, qui dein ſe ea ſolennibus diebus inſignem fecit. Certè etſi Dauid iam ter vnctus fuerat rex, tamen interuentu adulterij & nefandæ cædis poterat videri cōmiſiſſe quo regno deijceretur, is qui tanto flagitio dehonestatus

Zonar. Moſe.

Diodor. Sic. lib. 17. bibl.

Lib. 2. Reg. c. 12. Zonar. in Dan.

neſtaſſet caput ſuum. Verùm enimuero ſyncera eius pœnitentia Deus expugnatus capiti eius reſtituit regale decus, conceſſa illi ex hoſte victoria, ingentique præda parta, in qua fuit hoc diadema; cuius vſus tunc primùm videtur vſurpatus in regno Iudæorum. Nempe, ante eum diem nulla apud reges mentio coronæ, non in Saule, non in ipſo Dauide, ſed ſolùm vnguenti. Ego quidem illud diadema tanta victoria partum puto fuiſſe pignus redintegratæ regiæ dignitatis in perſona eius regis qui Deo fuit acceptiſſimus. Tali diademate poſtea reges Hebræos vſos fuiſſe, veriſimile mihi quidem fit. Atque adeò hoc ſe ſcire firmat Clemens Alexandrinus, Scio, inquit, & auro, & lapide pretioſo priſcos Hebræorum reges redimitos. Et infra ait, Porrò autem reges Iudæorũ auro & lapillis pretioſis compoſita, & variegata vtentes corona boni Chriſtum in capite ſymbolicè geſtantes ignorabant ſe ornari capite domini. Hic adnotare libet, diadema hoſti ereptum victori & geſtori eius eſſe inſigne capitis omnium honoratiſſimum. Et verò Auguſtus, Cleopatra debellata, voluit regium eius inſigne capiti circũdatum geſtare in triumpho per mediam vrbem. Nam etſi fortuna populi Rom. elata ſupra omnia regna nullo diademate demonſtrabatur, tamen putabant pertinere ad dignitatem imperij diademata regijs capitibus detracta inter cætera regiæ gazæ ſpolia in triũpho oſtentare, vt de triũphatis diadematibus Perſei ac Tigranis diuerſis locis Plutarchus tradit. Cæterùm nihil ferè quicquam extraordinariæ rei contingit circa diadema, quin magnum quidpiam & notabile ſignificet. Diodorus Siculus autor eſt, Alexãdri, dum is vngeretur, diadema, veſtéque regiam fuiſſe poſita ſuper tribunali. Ibi neſcio quem, cuius tamen & nomen & patriã Plutarchus memorat, qui vinctus aſſeruabatur, ruptis cõpedibus, è cuſtodũ manibus elapsũ, ingreſſum eſſe aulã, nulloq; prohibẽte, rectà perrexiſſe ad ſolium regis. Ibi repoſitã regiã veſtem induiſſe, ac diadema capiti circumpoſuiſſe. Sic ornatũ ibidẽ ſediſſe quietũ. Hac re audita, Alexandrũ veniſſe ad hominem; qui nulla re cõmotus quietè ſedere perrexit. Interrogatũ ab rege, quid iſthuc rei eſſet, ſimpliciter reſpõdiſſe, ſe nihil ſcire. Super ea re cõſultos vates cẽſuiſſe hominẽ neci dandũ, vt ſiquid infauſti eo oſtẽto denũtiatum eſſet, illius vnius capite lueretur. Sed qui rei introſpiciẽdæ intẽti erãt ſublimiùs neſcio quid reſpõderunt. Quippe regni mutationẽ hinc portẽdi intellexerũt; hoc eſt, verſum iri ſtatum rerum; & Alexandro extincto, plures reges futuros. Simile quidpiam Auguſto accidiſſe, eique inſtantem obitum portendiſſe memorat Dio. De Iuliano memoriæ proditum eſt, cùm quoddam oppidum ingrederetur, coronam inter duas columnas de more ſuſpenſam, veluti res compoſitò

Clem. Alex. l. 2. pædag. cap. 8.

ἐν παιδαγ. initio litera N.

Plutarch. Æm. Pau. & Lucul.

Diodor Sic. lib. 17 bibl. & Plutarch. Alex. Mag.

Xiphil. Aug. Niceph. lib 10. cap. 2.

ageretur, in caput prætereuntis aptiſſimè decidiſſe. Hinc Iuliano imperium ſignificari & oſtendi creditum. Huius quoque generis illud eſt quod ſupra dixi à Plutarcho de Timoleonte relatum eſſe, quamuis non rege, tamen ad res magnas electo. Nam è ſuſpenſis donarijs tænia quædam cùm effluxiſſet coronas habens & varij generis victorias, ſuper caput Timoleontis decidit; vſque eò vt hinc videri potuerit ipſum à Deo coronatum mitti ad res magnas. Et hac quidem ratione ſæpe ignoto alicui capiti quod Deus ſcilicet, in occulto tenet, imponitur nota ſummæ dignitatis, quæ tunc pateſcit, cùm is, quiſquis eſt, maximis rebus admouetur. Hîc aduertendum, non ſolùm capite regis diadema geſtari, ſed & in ipſis adytis regiæ domus ſuper tribunali regio plerunque ſeruari; vt è loco Diodori Siculi, quem proximè citaui, palam fit; tum ex eo quod Athenæus tradit, ſuper ſella Ptolemæi regis fuiſſe coronam conflatam ex aureorum millibus decem. Qui mos oſtentandi & aſſeruandi diadematis hodie ferè obſoleuit, niſi in ipſis ſolennijs inaugurationis, cùm rex aut imperator ſic ornatus equites creat, taliaque principis munia fungitur. Sed & mos reponēdi diadema ſuper ſella regis hodie quoque eſt inter obſoleta. Sellam quidem regiam in regis cubiculo vnam eſſe video vt regi ſepoſitam. At diadema fere nuſquam, niſi conditum adytis, aut interiori ærario, illo excepto quod effigiatum parietibus affigitur, atque in editioribus locis conſpicuum, frequenter pictum, regioque ſcuto impoſitum aſpicitur. Secus fiebat ſæculis priſcis. Et verò ſcriptores tradunt, Alexandro mortuo ſtatutum fuiſſe tabernaculum; in eoque ſellam auream cum ſceptro ac diademate poſitam; eoque omnes conueniſſe ſingulis diebus, vt de rerum ſumma deliberarent, veluti adhuc præſente rege. Ergo coronæ regiæ cenſebantur inter res maximè ſpectabiles, quæque ipſi vrbi Romæ ornamēto eſſent. ſuſpendebanturque in ſacris ædibus, vt ſupra dixi, illæ potiſſimùm quæ erant dona regum. M. Tullius de Dionyſio tyranno, *Idem victoriolas aureas & pateras coronaſq́, quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, ſine dubitatione tollebat.* Nec ſolùm coronæ regum erant inter donaria templorum, verùm & aliæ, vt veriſimile fit è Luciano duobus locis, vbi is agit de eo quod quiſpiam furatus ſit in æde ſacra, ſiue ea ſit phiala, ſiue ſcyphus, ſiue corona. Erant & fræna, & clypei, columnæ inſcriptiones. Cæterùm quomodo duæ nuptiales coronæ vnum caput honeſtantes quandoque ſunt conſpectæ, ita vno eodemque capite ſæpe geſtantur duo, pluráve diademata, quorum ſingulis repræſentatur ſingula regna. Ptolemæus is, qui pulſo Alexandro, ab Antiochenis electus eſt rex, coactus fuit capite geſtare duo diademata, vnum Syriæ, alte-

Plutarch. Timol.

Athen. lib. 5.

Æmil. Prob. Eum.

Plutarch. π. τ. Ῥώμ. τύχ.

Cic. de nat. Deor. lib. 3.

Lucian. Hermot. ſiue de ſect.

Philo πρεσβ. πρ. Γά.

Plutarch. Cim.

rum

rum Ægypti. Quo vſu hodie quidem nihil eſt vſitatius. Tale diadema Prudentio eſt gemellum.

O virgo infelix, ò noua gloria
Cæleſtis arcis nobilis incola, *Prudēt. apoth.*
Intende noſtris colluuionibus
Vultum gemello cum diademate.

Gemellum diadema vocat non duorum regnorum, ſed, quod multò eſt excellentius, martyrij & virginitatis.

CAPVT XI.

Mos ponendi diadema quandoque ante principem, quandoque apud ipſius effigiem. Statuis principum quantus olim honor habitus. Diadema præ metu, præ nimio dolore, tempore ieiunij, in funere ponitur. In luctu ferè laceratur. Æſtuante ira loco mouetur. Interdum crematur.

DIADEMA interdum ſumitur, interdum ponitur diuerſis de cauſis. Sumitur ineunte principatu, aut in primis, vt dixi regni ſpatijs, nempe in ſolenni inauguratione regis. Vnde fides fit, geſtorem diadematis eſſe regnatorem. At neceſſitate ponitur, quotieſcunque ſumma poteſtas validioris manu cuipiam adimitur; aut cùm ipſe qui regnat, aſſurgit alicui maiori & eminentiori faſtigio. nec ipſi tantùm, ſed & nomini regnatoris, atque adeò ipſius effigiei. Nimirum, hinc homines intelligũt, vim, ac ſi non vim, ſaltem imaginem retinendi, donãdive regni penes illum eſſe, apud quem aut cuius ſimulachrum corona ponitur. Eius ante quem ponitur diadema illuſtre exemplum eſt Pompeius, ad cuius pedes Tigranes Armeniæ rex diadema ſuum capiti demptum venerabũdus poſuit; ſiue vt ait Dio, proiecit. non propter magnitudinem rerũ à Pompeio geſtarum, ſed propter eas quæ geſtæ eſſent à Lucullo, Põpeio ſubblanditus. Hoc ipſum diadema Plutarchus inſequentibus de Pompeio loquens collocat inter ſymbola regni. Herodes quoque non aliter ad Auguſtum acceſſit quàm poſito diademate. Quippe & ipſi reges profitentur ſe non eſſe tales, quoties conſiſtunt in conſpectu earum poteſtatum à quibus accipiunt iura regnorum. Parthaſmaſiris rex Perſarum diadema capiti dẽpſit, illudq; poſuit ante pedes Traiani. Ipſe Antiochus, etſi ſimulatè id agebat, inibi fuit vt coram legatis Romanis diadema poneret. Certe Pruſias, aduenientibus legatis Romanis, diadema & purpuram regiæ maieſtatis inſignia poſuit. Eorum qui diadema ſubiecerunt effigiei maioris poteſtatis exemplum eſt in Cornelio Tacito. *Tum placuit,* inquit, *Tiridatem ponere apud effigiem Cæſaris inſigne regium; nec*

Plutarch. π. τ̃ Ἀλεξ. τύχ. *Xiphil. Põpeio.* *Plutarch. Lucullo & Põpeio.* *Iornãd ſucceſſ.* *Diod. ecl. de legat.* *In eclog. Dionis* *Polyb. ecl. legat.* *Tacit. lib. 15. Annal.*

niſi manu Neronis reſumere. Dein, paucis diebus interiectis, magna vtrinque ſpecie, inde eques compoſitus per turmas, & inſignibus patrijs, hinc agmina legionum ſtetere fulgẽtibus aquilis, ſigniſq; & ſimulachris Deûm in modum templi. Medio tribunal ſedem curulem, & ſedes effigiem Neronis ſuſtinebat. Ad quam progreſſus Tiridates, cæſis ex more victimis, ſublatum capite diadema imagini ſubiecit. Hanc eandem historiam memorat Dio in ſelectis legationum. Et ſimilem in Caligula. Siquidem L. Vitellius regem Artabanum coëgit ſacrificare ſtatuis Auguſti & Caligulæ. Hic eſt ille reſpectus, hæc eſt illa ſingularis veneratio qua ſumma fortuna à minori poteſtate ſe coli æquum cenſet, vſque eò, vt non tantùm perſonæ, ſed & ipſis imaginibus hic honor habeatur. Enimuero, ne hoc quoq; non obiter dicam, ipſas principum ſtatuas tãto cultu antiquitas proſecuta eſt, vt ante eas nihil qui[illegible] dictu factúve turpe duceretur, dici fieríve licitum eſſet. Apud Xiphilinum & Zonaram memoratur quædam femina ideo morte multata, quòd ſe nudauerat ante ſtatuam Domitiani. Qui mos videtur ſumptus è religionibus. Nimirum, quædam fuerunt numina, quorum ne effigies quidem licebat intueri. Tale fuit *ſimulachrum Cereris, quod à viro,* inquit M. Tullius, *non modò tangi, ſed ne aſpici quidem fas fuit.* Sed & numinum ſtatuas auertiſſe ſe, ne flagitia viderent, memoriæ proditum. Tale fuit Palladium, quod ſe auertit cùm Caſſandræ pudicitia contrectaretur. Hinc fortaſſe Chriſtiana pietas deſumpſit morem honeſtãdi ſacras ædes & ſtatuis & imaginibus hominum Deo, cùm viuerent, gratiſſimorum, quos vocamus ſanctos; non vt in eccleſiam Dei inducatur vllus cum vera latria idololatriæ pellicatus, ſed vt corã hiſce ſtatuis eo quiſque reſpectu agat, quo ante illos ageret qui illis & ſtatuis & imaginibus repræſentantur. Redeo ad rem. Et aio, hodie quoque honoris cauſa maiori poteſtati non ſolùm aſſurgi, verùm etiam diadema ab illo, qui diadema geſtat, poni. Hanc venerationem ad Henricum III. Francorum & Poloniæ regem è Polonia redeuntem vertit Aloyſius Mocenicus Venetiarum Dux, dum frequẽter diadema capiti demeret, non ſolùm in primo & vltimo, ſed & in quotidiano ſui regiſque congreſſu. Nempe, dum illa sereniſſima Reſpublica ore Mocenici ſapientibus alloquijs regem non minùs in ſe conuertit, quàm in illum planè regium apparatum, quo tantus hoſpes ſingulari exemplo exceptus eſt. Quandoque corona ponitur præ metu. Prudentius,

Ipſe quoque exanimis poſito diademate princeps
Pallet, & adſtantes circumſpicit.

Interdum præ nimio dolore abijcitur, aut etiam rumpitur vnà cum cæteris veſtibus, cultuque omni regio. Ioſias intellecto qua-

Dio ἐκλ. πρεσβ. Xiphil. C. Calig. — Xiphil. in Domit. Zonar. — Cic. act. 7. in Verr. — Strabo lib. 6. — Prudẽt apoth. — Zonar. lo.

les pœnas Deus expetat à violatoribus legis ſuæ, ingenti dolòre adactus veſtem regiam diſcidit, ſimulque regium diadema. Potiſſimùm indicto ieiunio, cùm omnis ætas, omni poſito ornatu, ſordibus & ſqualore obſiti vniuerſi id vnicè agût vt ſibi Deum propitient, rebus, inquam, tam mœſtis, ipſe quoque rex, dempto ſibi capitis inſigni, componit ſe in morem ſupplicis. Prudentius,

Rex ipſe Coos æſtuantem murices
Lanam reuulſa diſſipabat fibula.
Gemmaſq; virenteis, & lapillos ſutileis
Inſigne frontis exuebat vinculum
Turpi capillos impeditos [l. impediens] *puluere.*

Prudent. cathemer.

Hoc habitu fuit Dauid cùm peccatorum pœnas à Deo deprecatus eſt. Verba ſunt Saluiani, *Et quid poſt hac? depoſito, ſcilicet, diademate, proiectis gemmis, exutis purpuris, remota omnis ſplendoris regij dignitate; cum pro his omnibus ſolitarius, gemens, clauſus, ſacco ſqualidus, fletu madidus, cinere ſordidatus vitam paruuli ſui tot lamentationum ſuffragijs peteret,* &c. Heſter loquens ad Dominum, *Tu noſti, inquit, quod oderim inſigne capitis mei, (hoc eſt, diadema quo vtebatur quaſi regina) & tanta ducam immunditia, velut pannum menſtruatæ.* Qui locus refertur à D. Hieronymo. In funere quoque & luctu publico & domeſtico diadema ponitur. Iſis illa Ægypria & Dea & regina flens Oſirin ſuum apud Byblum vrbem Phœniciæ diadema poſuit. Porrò hoc diadema fuit byblinum, hoc eſt è byblo quæ naſcitur in Nilo, papyro, ſcilicet, & iunco. Iulianus in funere Conſtantij diadema capiti detraxit; & vultu in mœſtitiam compoſito, imperatori patentauit. Et hoc quidem eodem propemodum exemplo fiebat, quo apud priſcos in publica mœſtitia coronæ ponebantur. Plutarcho autore, Cato ex quo die cedentem vrbe Pompeium ſecutus eſt, nec caput raſitaſſe, nec barbam, nec capiti coronam impoſuiſſe dicitur. Cæterùm in luctu non ſolùm diadema ponitur, ſed & laceratur. Statius de Adraſto.

Saluian. lib 4.

Hieron. Epiſt. lib. 2. epiſt 18.

Stephan. βύϐλος.

Etymol. βύϐλος.

Niceph. lib 9. cap. 50.

Plutarch. Cat. iun.

Ipſe manu Tyria iam captus Adraſtus,
Raptatur; teq; ante alios, te voce manuq;
Inuocat. Heu qualem verſare in ſanguine vidi
Exutum canos lacero diademate crineis.

Stat. li. 9 Theb.

Et hoc quoque priſco more. Tigranes Armenij regis filius, intellecto periculo patris ob non miſſas ad Cyaxarem copias nec tributum, tiaram concîdit. Æſtuante ira, diadema loco mouetur. Statius de Iunone,

Xenoph. de inſtit Cyri. lib. 3.

Horruit irarum ſtimulis; motaq; verendum
Turbauit diadema coma.

Stat. lib. 10. Theb.

Interdum & crematur. Idem Statius,

Stat. lib. 11. Theb. *—— aſt illi niger ignis in ora, genaſq;*
Proſiluit, raptumq; comis diadema cremauit.

His, quod ſciam, rationibus diadema datur, ſumitur, ponitur, abijcitur, laceratur.

CAP. XII.

Monitio ad reges. Summi mortalium ponunt diadema coram Deo. De forma & materia diadematis Chriſti.

QVIA hodierni reges vix vlli mortali, tantùm vni Deo quòd regnant, accepto ferunt, vel hoc ipſo monendi videntur, vt coram illo diademata ponãt, cuius beneficio diademata adepti ſunt. Sic putent, vnam eſſe maieſtatem, quæ nullo nec rerum, nec temporis, nec potentiæ ambitu clauditur. Hæc ipſa immenſitate ambitus non ſolùm omnem hanc rerum vniuerſitatem, ſed & quicquid extra ipſam eſt, cõplectitur. Huius hæ terreſtres ac perituræ maieſtates dicũtur eſſe imagines, ſed tenuiſſimæ; quæque ſi cum illa componantur, hoc ſunt quod ſoles innumerabiles in ſpeculis innumerabilibus & minutiſſimis. Etſi hinc quoque radios eiectari fateor, ſed debiles; quique aſpiciẽtium oculos feriunt, ſed ignauè; ſed qui præ immenſo illo ſplendore ſolis vix hoc ſunt quod in magno incendio ſcintilla, aut in vaſto Oceano ſtilla. Certè ſcintilla & gutta, quamlibet minutiſſimæ partes illa incendij, hæc humidi elementi, tamen ſui totius particulæ ſunt. ſed radij quos ſpeculum emittit, minimè, niſi quatenus æquor ſpeculi aſpicitur & incenditur à ſole. Statim vt ſpeculum ſolis aſpectu ſubducitur, vaneſcunt; nec ſunt radij, ſed aër nullo luminis repercuſſu, atque adeò merus nigror in oculos regeſtus. Eadem eſt ratio regum, omniumque adeò do●inãtium. Quãdiu agũt in cõſpectu diuinæ maieſtatis, in ipſis humana maieſtas elucet imagũcula diuinæ. Simulatq; obiectu vitiorum eripiuntur puritati huius ſolis, nihil ſunt niſi viliſſimum ſtructum carnis ea re animatum vt ſua ſupplicia intelligat, ea re oculatum vt ſuas miſerias inſpiciat, ideo coronatum vt infamia notabiliori cenſeatur. Satis, opinor, intelligitis quotquot eſtis qui tanto honore præfulgetis, eſſe veſtrũ, ſummittere capita ante immẽſam hanc maieſtatem. Quantum ei cõcederis, tantũdem addetis veſtræ, & quidẽ fœneratò. Hac vna moderatione hac pietatis profeſſione & ſingulari cultu ſecuritas & magnitudo veſtra continetur. Extra hos terminos nihil eſt quo aut niti, aut gloriari poſſitis. Ergo idẽtidem ſuadeo, vt veſtra diademata vnà cùm cætero regali

cultu ſponte ac reuerenter ponatis ante ſacroſanctum diadema illius, qui cùm vos poſſet facere ſtipites, iuſſit eſſe reges, hoc eſt, ſuæ maieſtatis participes, ſuæ potentiæ conſortes, ſuam vicem præſtantes. Nempe, ab vno illo cœleſti diademate quod circumplexum eſt caput ſummi regnatoris, omnis veſtra manat & ſalus & dignitas. Inibi eſt vera gloria, ibi ſplendor æternus; ibi regnum perenne; ibi columen omnis felicitatis. Enimuero Curopalates tradit, Imperatorem Conſtantinopolitanum in eccleſia ponere diadema ſuum, illudque tradere in manus diaconorum, quoties acceſſurus eſt ad communionem corporis Chriſti. At poſt communionem ſtemma capiti eius reponi. Quæret aliquis, qua materia, qua item forma ſit hoc, de quo nunc ago, diadema Chriſti. Neque enim eſt aureum, non radiatum, non gemmatum, hoc eſt, vt quidam ait, *exoticis margaritis phaleratum*; ſed ſpineum, aculeatum, pungens, aſpectu quidem diſſimile regiis, ſed ſignificatu & effectu illis multo præſtantius. Auro Chriſtus inſigniri noluit, ne quid quod ad gloriam ſuam pertineret, videretur mutuari è viſceribus terræ, nempe ab inferis. Is, videlicet, qui ea mente refodit inferos, vt loca ſoli imperuia cœleſti lumine compleret; ibi detentos æterna libertate donaret; Inde rediens, & quidem opulenta præda onuſtus, ac perdomitis, ijs quæ illic ſe iactabant, poteſtatibus, celeberrimum triumphum ageret. Cæterùm quale eſt aurum? Annon pallidum? annon graue? annon frigidum? Annon, ſi hinc ſpectetur, eſt ſimile morti? Quid ergo minùs conuenit Chriſto, qui id agebat vt eſſet triumphator mortis, & largitor eius vitæ extra quam nihil non eſt obnoxium morti? Mortale genus eſt auidiſſimum auri, hoc ſuſpicit, hoc habet in ſummo honore. Chriſtus aurum calcat, & ſi quid hic eſt auro pretioſius. Diadema Chriſti non fuit radiatum. Nam quid illi opus fuit acceſſione effigiatæ lucis, qui ipſe eſt fons & origo luminis, creator ſolis, dux & gubernator aſtrorum? Diadema Chriſti non promicauit floribus quæſitiſſimis, non fuit merſum vnguentis pretioſiſſimis, non concinnè præmens caput. Quale ergo? nempe vnum ex inſtrumentis tortoris, vndique aculeatum, vndique hirſutum ſentibus ac ſpinis. Spinis, inquam, quibus confixum eſt caput ſacroſanctum; ne vlla pars ſanctiſſimi corporis vllo cruciatu vacaret; vt membrorum doloribus accederent acerbitates capitis. Qui tamen cruciatus mox in Chriſti perſona terminati confeſtim eruperunt in capita infernalium ſpirituum, quorum hæ ſpinę tandem confixerunt fucatas coronas lęuo fulgore illudentes oculis hominum. Et verò Seuerus Sulpitius autor eſt, *diabolum, quò faciliùs claritate adſumpti fulgoris Martino illuderet, veſte regia indutum, diademate*

Fulgen. mythol.

Seuer. Sulpit. de vi. B. Mart.

ex gemmis auroq́, redimitum, calceis auro illitis, ſereno ore, lata facie, vt nihil minùs quàm diabolus putaretur, oranti in cellula aſtitiſſe. Paulo infra Martinum loquentem facit, ac dicentem, *Non ſe Ieſus dominus purpuratum & diademate renitentem venturum eſſe prædixit. Ego Chriſtum, niſi in eo habitu, formaq́, qua paſſus eſt, niſi crucis ſtigmata præferentem veniſſe non credam.* Cæterùm illæ ſpinæ fuerunt inter inſtrumenta ſalutis noſtræ; atque adeò nos ipſos repræſentant, *qui electi ex dumis*, inquit Lactantius, *& ſentibus ſanctum Dei caput cingimus. quia conuocati ab ipſo, & circumfuſi vndique ad eum, magiſtro ac doctori Deo aſſiſtimus; regemq́, illum mundi, & omnium viuentium dominum coronamus. Ideo Ieſus ſpinis coronatus eſt*, inquit Hieronymus, *& noſtra delicta portauit, & pro nobis doluit, vt de ſentibus & tribulationibus feminarum, ad quas dicitur, In anxietatibus & doloribus pariet mulier; & ad virum conuerſio tua; & ipſe tui dominabitur, roſa virginitatis, & lilia caſtitatis naſcerentur.* ô quale coronæ decus, cuius materia ſumus nos ipſi, hoc eſt, multitudo de nocentibus quidem & ſeruis congregata, ſed apud tribunal crucis manumiſſa. Ibi, videlicet, noſtra corpora pro auro, animę pro gemmis, æternę felicitati deſtinata humanitas eſt totus ille diadematis ambitus, qui ſemel punxit caput Chriſti ſpinis & aculeis peccatorum, vt, quos ille complectitur miſericordia ſua perpetuò hærerent ſeruatori ſuo. Hoc ipſum ſenſit Tertullianus vbi loquitur de hac corona ſpinea. *Quale oro te, ſertum pro vtroque ſexu ſubijt? ex ſpinis, opinor, & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis; abſtulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Certè præter figuram contumelia in promptu eſt, & turpitudo & dedecoratio, & his implexa ſæuitia quæ tunc Domini tempora & fœdauerunt & lancinauerunt.* Adde quod illę ſpinæ verè dici poſſunt typus fidei quæ ſpectat vitam æternam, quam, ſcilicet, ſignat ſubſtantia ligni; tum veræ lætitiæ propter coronę appellationem; poſtremò ingentis periculi, cui tandem erepti ſumus. Neque enim ad Verbum ſine ſanguine licet accedere. Hæ ſunt illę tandem ſanctificatę ſpinæ, quibus ſacroſanctum illud Chriſti caput primò compunctum, deinde illuſtratum fuit. Cæterùm nullis gemmis ſcintillauit diadema Chriſti. Scilicet, quid gemmis, quid vnionibus & margaritis, quid cæteris aut terræ minutalibus, aut Oceani eiectamentis cum illis cœleſtium virtutum gemmis, quibus Chriſti diuinitas tota radiat? Præclarè Heraclius Ponticus, Arduum eſt, iniucundos & auaros terræ morbos aſcendere in cœlum. Soli cœleſtes lapilli, vt Plato ait, ſunt puri, nec vt hi noſtri putredine & ſalſedine adeſi atque corrupti. Ipſe quidem

Lactant. lib 4 de ve. ſap. c. 26. Vide Clem. Alex. lib. 2. pædag c. 8. 50. & ſeq. Hieron. ep. lib. 2. ep. 18.

Tertull. de cor. mil.

Clemen. Alex. pædag. lib. 2.

Heracl. Pont.

Plato Phædone.

Chriſtus quamlibet vniuerſi non ſolùm regnator, ſed & conditor aperiè profeſſus eſt, non hìc ſe regnum poſſidere. Ergo tunc collibitum illi fuit abſtinere humano regno. Nempe cùm id ageret vt nos induceret in cœleſte regnum. Cui profeſſioni conueniens diadema ſumpſit, quod certè ſuperauit omnes humanos ſignificatus, complexus eſt omnes diuinos. Enimuero reges dum viuunt & valent, aureum diadema geſtant gemmis diſtinctum. Chriſtus non cùm viueret, non cùm doctrina ſigniſque clareſceret, non cùm diuinitas in mortali corpore eluceret, ſed cùm moreretur, coronari, non de ſublimi ſolio, ſed de patibulo diadema ſuum coruſcare voluit. Cur putas? Quia moriens peremit inimicas diuinitati & humano generi poteſtates. Cùm viſus eſt vinci, tunc vicit; cùm viſus eſt extingui, tunc maiore vi ſurrexit, ac maiori gloria triumphauit. Meritò ergo Hieronymus ait, *regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli ſalutarem picturam condecoraſſe*. Certè in patibulo Chriſtus celeberrimum triumphum agens triumphali corona euinctus eſt. Quem Iſraël crucifixit, inquit Clemens Alexandrinus, vt maleficum, coronauit vt regem. In ſua morte Chriſtus ſuis vitam inuenit, in ignominia decus, in ſæuiſſimis doloribus veriſſima ſolatia, in illo apparatu deſperationis certiſſimam ſpem ſalutis; in hac ſpe fidem, illam qua nos proſtratos erigeret, quam animis noſtris inderet veluti certiſſimum pignus eius felicitatis quæ exſuperat omnia humana vota; atque adeò cui intelligendæ omnis humanus ſenſus impar eſt. Et adhuc miramur, ſi rex cœleſtis poſt habuit humana diademata; ſibi illud ſumpſit quod hìc quidem non fuit minima pars illius horribilis carnificinæ? Sed nunc repoſitum eſt inter præcipua decora diuinæ ſupellectilis; cuius materia eſt omni auro lectior, omnibus gemmis prætioſior, omni circulari forma perfectior, omni ſplendore luminoſior. Nempe tunc morti & cruciatibus omnia oportuit eſſe conſentanea. At cùm is cœleſti aula circumfuſus huc remeabit, nos verò purioribus ſenſibus donati intelligemus ipſum, vt Tertullianus ait, *poſt fella guſtaſſe fauos*; atque adeò illas ſpinas eſſe verſas in totidem auras diuini fulgoris; vnde conficiuntur illi radij coronarij non effigiati vt in coronis regum, ſed perpetuò accenſi igne cœleſti. Hi radij non ſunt introrſus verſi, vt quomodo ſpinę compunxerunt, ita tunc vrant diuinum caput; Sed extrorſum accendent corda piorum flammis diuini amoris, iiſque æternùm illuceſcent. Eorum item repercuſſu omnis impietas conflagrabit ignibus ijs qui futuri ſunt ferales & perennes. Impij ſcilicet, tunc intellecturi ſunt, coronam Chri-

Hieron. epiſt. lib. 2. ep. 15.

Clemen. Alex. pædag li. 2. c. 8.

Tertull. de corona mil.

ſti eſſe diadema iuſtitiæ, inſidiatoribus hoſtile, ijs qui in vnam eccleſiam conuenerunt, amicum. Eſt ergo hæc corona flos eorum qui credunt in geſtotem eius; eſt inſigne victoriæ partæ contra aduerſantes Chriſto poteſtates; potentiæ in omnia ſumma, media, infima; miſerationis erga ſuos; vltionis, & quidem ſeueriſſimæ in eos omnes quos ſua improbitas vltioni reſeruauit. Cætera regna, imperia, poteſtates naſcuntur, variant, extinguntur. Hoc vnum regnum æterna maieſtas excepit. In huius conſortium adſumentur ij, qui ſuam ſi non innocentiam, quod fieri nequit, at, quod proximum eſt, pietatem huic tanto regnatori probauerint. Quapropter regnantes, veſtrum eſt, huius ſanctiſſimi numinis nunc amore, nunc timore in officio contineri. Hac vnica ratione vnicuique veſtrum regnum ſtabile, diuturnum, felix futurum eſt. Sic animati veriſſimis exemplis intelligetis, illi vni rationem regni conſtare qui ſe à Chriſto regnari patitur.

Clemen. Alex. pædag. lib. 2. c. 8.

CAP. XIII.

Galea ſiue caſſis. βασιλεὺς Athenis & Spartæ quid. ἀρχεπόλεμος. Cur galea & corona ſocientur. Cur galea ornetur gemmis & lapillis. Cur pennæ pauorum componantur cum galea. De pauonis excellentia, pulchritudine, alijſq; dotibus. Pauo auis regia & Iunonia, tum conuenientiſſima repræſentandæ excellentiæ & ſublimitati. Alia pennarum genera galeis addita. Mos regum Ægyptiorum.

INTER addimenta coronarum ſunt infulæ, vittæ, lemniſci, de quibus quòd mihi ſupra ſatis dictum eſt, dein hac extrema parte huius curæ cætera perſequar. Quippe video ſupremas poteſtates, quantumque eſt hominum, quos claritas generis extulit ſupra vulgum, præter coronas pro capitis inſigni geſtare galeam, ſiue caſſidem. Id quod, opinor, fit priſco inſtituto. Vt enim dixi, principes viros, ſtatim vt bellum ingruit, fieri duces, ita reges, ſi eundum eſt in hoſtem, non dubitant inſerere caput galeæ. Et quidem Athenis ij quibus hæc aut illa pars copiarum commiſſa erat, hac aut illa appellatione cenſebantur. Sed cui vniuerſus exercitus, rerumque ſumma credita fuit, hunc vocabant βασιλέα, non eum, qui vtroque tempore & pacis & belli eſt ſummus hominum, ſed τὸν ἀρχεπόλεμον, eum cui ſummus ducatus creditur, quoties cum hoſte manus eſt conſerenda. Vt Lacedæmone is quoque qui præerat vniuerſo

Etymo. ϛρατὸς.

Ariſtoph. ἱππ.

vniuerſo equitatui βασιλεὺς dicebatur. Et ſic intelligo verba Platonis in Phædro, vbi rhetorem aut βασιλέα dicit poſſe fieri ſcriptorem immortalem. *Plato in Phædro.* Hinc perſpicuum eſt, ſummam curam niti vtraque arte. Nam pace placida, illi qui ſit ſummus hominum, nunquam non eſt ante oculos ordinum concordia. Ille ipſe cùm bellum ingruit, ſibi proponit victoriam, ac de hoſte pręclarum triumphum. Verùm vt corona regi demonſtrando eſt conuenientiſſima, ita galea eſt veriſſimum ſymbolum ducatus & imperij. Sed quòd omni tempore vtraque virtus principi viro eſt neceſſaria, ſuper eo ſcuto, in quo effigiantur inſignia ſummarum poteſtatum galea plerunque ſtatuitur, cui hæret corona. Hac ratione indiuiduo nexu coniunctæ ſibi perpetuæ adiutrices adſunt. Laudabile ſanè inſtitutum, atque adeò efficaciſſimum principibus identidem ſuggerendæ virtuti, hoc eſt, fortitudini & generoſitati. Quippe hic effigiatus haud dubiè demonſtrat principem erga ſubiectos mitem, togatum, iura populis dantem. Eundemque ſimulatque iniquè impetitur, armatum, minacem, ſeuerum; dextra manu vltorem gladium, ſiniſtra cornucopiæ tenentem; hinc debellantem perduelles, hinc beantem ſubiectos. Sed quia vtrumque eſt munus ſummi regiminis, ſæpe altero vtrumque demonſtratur. Vix etiam non coronæ adhæret galea. Vix quoque ſola corona non galeam aſſumit ſibi & comitem & ſatellitem. Hinc eſt quòd Minerua *eſt caput contecta fulgenti galea; & ipſa galea oleaginia corona tegitur.* *Apul. Metã. lib. 10.* Hinc priſcus mos ornandi galeam gemmis & lapillis, haud ferè minùs quàm coronam, vt videre licet in numiſmatibus principum Romanorum. Silius Italicus,

——propriorq́; à fronte coruſca *Sil Ital. lib 5.*
Lux galeæ ſæuas paulùm tardauerat iras,
Et gemmis galeam, clypeumq́; accenderat auro.

Hinc quoque eſt, quòd reges Ægyptij dicuntur geſtaſſe galeas pro corona ac diademate. *Herodot. lib. 2.* Id ipſum Romanos principes frequenter vſurpaſſe, docent priſca numiſmata, tum hæc verba cuiuſdam panegyrici: *Hoc enim, vt audio, imago illa declarat in Aquileienſi palatio ad ipſum conuiuij poſita à pectum; vbi puella iam diuino decore venerabilis, ſed adhuc impar oneri ſuo ſuſtinet atque offert tibi etiã tum puero galeam auro, gemmiſq́; radiantem, & pennis pulchra alitis eminentem.* *Panegyr. Maximiano & Conſtantino Augg. dict.* Vbi pulchram alitem ego pauonem interpretor. Hic certè mos componendi pennas pauonum cum galea regali ſiue ducali & principali hodieque viget, præſertim in Germania, cæteraque ditione imperij, propter huic aui, vt opinor, ingenitum ornatum non aliunde accerſitum, non ſubditum & ſuppoſititium, ſed talem, vt fateri neceſſe habeamus eſſe pulcherrimum naturæ

donum. Et verò pauo dicitur aureum genus auis, id eſt, pulchritudine inſigne, vt in his verſibus apparet quos ex Antiphane refert Athenæus,

Athě. lib. 14.
ἐν Ἡλίου μὲν φασὶ γίγνεσθαι πόλει
φοίνικας· ἐν Ἀθήναις δὲ γλαῦκας. ἡ Κύπρος δ' ἔχει
Πελείας διαφόρους. ἡ δ' ἐν Σάμῳ
Ἥρα τὸ χρυσοῦν φασὶν ὀρνίθων γένος
Τοὺς καλλιμόρφους καὶ περιβλέπτους ταώς.

In ſolis vrbe procreari aiunt phœnices, Athenis noctuas. Cyprus habet eximias columbas. Samia verò Iuno aureũ, aiunt, auium genus, formoſos & ſpectabiles pauones. Hoc pauonis aurum elegan-
Achill. Tat. lib. 1. ter quoque deſcribit Achilles Tatius. Saneq; pauonis pratum hoc, inquit, alio quouis longè floridius eſt. In ſeius enim pennis oculorũ ſerie diſtinctis aurũ omni ex parte purpura æqualiter conueſtitur.

Oppian. κυνηγ. β.
Οἷον δή τι ταῶνες ἑὸν δόμον ἀγλαόμορφον
Γραπτὸν ἐπισκιάουσιν ἀριπρεπὲς αἰολόνωτον.
Τῶν οὐδὲν μερόπεσσι Διὸς τεχνήσατο μῆτις
Φαιδρότερον τερπνοῖσιν ἐν ὄμμασιν εἰσοράασθαι,
Οὐδ' ὅσα πουλυπόδειραν ἐπὶ χθόνα, μητέρα, βαίνει,
Οὐδ' ὁπόσα πτερύγεσσιν ἐπ' ἠέρα πουλὺν ὁδεύει,
Βαίνει. Οὐδὲ μὲν ὅσσα βυθοῖσιν ἐπ' ἄγρια κύματα* τέμνει.
Τοῖον ἐπ' ὀρνίθεσσιν ἀειζήλοις ἀμαρύσσει
Χρυσῷ πορφυρέοντι μεμιγμένον αἰθόμενον πῦρ.

Veluti pauones ſuam domum ſplendidam curuam obumbrãt illuſtrem [&] picturatam caudam, Quibus nihil Iouis fabricauit cõſilium pulchrius iucũdis oculis ad videndũ, neque eorum quæ alma in terra matre incedunt, neque eorum quæ alis per aërem immenſum tendunt, neque etiam eorum quæ in gurgitibus ſæuos fluctus ſecant. Talis in auibus inſignibus fulget auro rubenti permixtus
Eclog. legat. ardẽs ignis. Menãder quoque in legatione Iuſtini ad Perſas pauones vocat aureos, vbi, inquit, ligneæ columnæ quædã erãt, circũamictæ auro, inquit, ac ſimiliter lectus ex auro confectus, quẽ qua-
Achil. Tat. lib. 1. tuor pauones aurei attollebãt. Hic quoque alarum cultus, quo natura pauonem donauit, dicitur eſſe æmulus coloribus florum & auium apud Achillem Tatium, & expandere pulchritudinem, &
Plutarch. quin. ἐναρτωμ. oſtendere theatrum alarum. Plutarchus ait, pauonem editum eſſe propter caudam, nempe propter pulchritudinem eius. Ad hoc
Philoſtrat. in imag. exemplum apud Philoſtratum rex Mediæ dicitur γραπτὸς ἐπὶ χρυσοῦ θρόνου, pictus, ſiue ſignatus in aureo throno ſicuti pauo. denique merito dicimus, hanc auem cum ipſa rerum vniuerſitate omni genere pulchritudinis certare, cum metallis rutilo, cum pratis virore, cum floribus floridiſſima ſpecie, cum quouis colore puritate, cum vere lætitia, cum cœlo luminibus. Itaque tam nobilis, multiſq; de

cauſis admirabilis auis aſſumitur à principibus, potentibuſque viris comes galeæ, ſiue caſſidis, quia *omnis vitæ potentia*, inquit Fulgẽtius, *petax in aſpectum ſui ſemper quærit ornatus.* Sicut enim pauus ſtellatum caudæ curuamen concauans anteriùs faciem ornat, poſterioraque turpiter nudat, vnde & Theophraſtus in Moralibus τὰ ἄλλα περίεργα, reliqua conſidera. Et Salomon, *In obitu hominis nudatio operum eius.* Cæterùm nequis hunc ornatum credat eſſe rem inutilem, & hinc ſolo aſpectui conſultum, certè pauo etiam territat cæteras aues, ac tantùm non quomodo aquila, vt Prometheus ait,

Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem.

Quippe explicatis illis caudæ pennis cõchyliatis, ſiue oculatis, ſiue pinnato, vt quidam ait, fulgore radians, ſiue totus oculeus, vſque eò vt nihil eum latere ſit veriſimile, aſpicientibus terrorem incutit haud ſecus quàm Argus, cuius oculos Iuno indidit pauoni. Is certè imitatione ſolis dictus eſt πανόπτης, omniavidens eſtque ei cum ſole quædam veluti ſocietas. *Gemmantes*, inquit Plinius, *laudatus expandit colores, aduerſo maximè ſole, quia ſic fulgentius radiant.* Et propter hãc quoq; dotem meritò hæ pennæ dici poſſunt ſymbolum hominis generoſi, cuius proprium eſt laudib⁹ excitari. Quid, quod fabulæ aiunt, Argum ipſum mutatum fuiſſe in pauonem? Et verò Euelpis ille Ariſtophanæus interrogat Epopum his verbis, πότερον ὄρνις ἢ ταῶς, vtrum auis an pauo? Ac ſi dicat, pauonẽ non cenſeri inter alites; ſed eſſe naturæ alicuius excellẽtioris, veluti humanæ, aut etiam diuinæ. Ergo pauo & propter pulchritudinem viſendum ſe præbet, & ſęuum neſcio quid concrepat, vt miles ſuis armis. Certè capite elato, ἐπινεύει σοβαρώτατα, ὥσπερ ἐπισείων τριλοφίαν, capite etiam elato ſuperbè nutat, velut triplici criſta ornatã quatiens galeam. Cæterùm ea dicitur eſſe ſollertia, vt naturale remedium aduerſus faſcinum comparet ſibi radicem lini, quam condit ſub altera alarum. Ob quas tam præclaras dotes in hortis Indicorum regum manſueti pauones alũtur. Et Alexãder Macedo haſce aues conſpicatus apud Indos, tantæque pulchritudinis amore captus ſub graui pœna edixit ne interficerẽtur. Ipſe adeò populus Athenienſis mercede hanc auem ſpectaſſe dicitur. Nec mirum, ſi à Plutarcho adnotatum eſt, Pyrilambem illum ſodalem Periclis iis feminis pauones dediſſe, quarum conſuetudine Pericles delectabatur, vt munus tunc quidem temporis & rarum & pretioſum. Quapropter hanc auem ob ſupradicta regiam verè dixeris; tum etiam ea re quòd Iunoni pauo ſacer eſt, cuius in æde apud Samos plures alebantur. Nam ibi primùm editi, indéque in alias regiones tranſlati ſunt. Huius rei argumentum eſt, quòd Samij monetam pauone ſignant. Enimuero in tutela huius numinis

Lucian. de domo.
Fulgent. mythol. lib. 2. in Iunone.
Cic. lib. 2. Tuſc. quæſt.
Schol. Æſchy. in Prometh.
Plin. lib. 10. cap. 20.
Scholiaſt. Ariſtoph. in ὄρνιϑ.
Ælian. lib. 5. cap. 21.
Ælian. lib. cap. 18.
Ælian. lib. 13 cap. 18
Ælian. lib. 5. cap. 21.
Plutarch. Pericle.
Athen. lib 14

Fulgent. mythol lib. 2. in Iunone.

Martian. cap lib. 1.

eſt pauus. Tantæ item dignationis auis habita eſt, vt *ea palla, quam Iupiter induit, cùm Deos ad concilium vocat, dicatur eſſe intertexta è pennis pauonum*, tum oculata; credo, vt hinc quoque luculenter demonſtretur præcipua huius numinis vigilantia, prudentia, prouidentia. Quæ omnia fidem faciunt, nequaquam inutiliter aut abſurdè haſce pennas addi galeis regum, ducum, principum, aliorum regulorum. Quippe maieſtatis regiæ, ſublimitatis ducalis, excellentiæ principalis, aliúſue eminentioris dignitatis ſplendor aſpicientium oculos icit, non vt eos præſtringat atque hebetet, ſed vt ſalutari lumine recreet, ac veluti pauo, tantùm vt recreet, non etiam vt feriat, atque adeò in hoc vt ne feriat. Decora pauonum ſolùm recenſere mihi conſilium fuit, non illa quæ, nulla auis culpa, propter ipſam, gulæque cauſa in ipſa expetunt homines. Etſi hinc quoque non vulgariter commendatur hæc auis. Certè hanc ob cauſam celebratus eſt Μῆδος ταώς, Medus pauo, vt qui eſſet in deliciis. Cæterùm hîc mihi monendi ſunt illi qui decora pauonum ſuper inſigniis vſurpant, ne nimium ſint pauones, hoc eſt, ne ſibi nimis tribuāt. Quidam enim, inter quos adnotatus eſt Paris, huic aui ſola φιλαυτίᾳ ſtudent eſſe ſimiles. Id ſolū hinc mutuentur quo virtus commendari poteſt & illuſtrari, cuiuſmodi illa ſunt quæ ſupra de pauo memoraui. Quibus addo coronā quæ in inſula beatorū datur victoribus athletis. Hæc enim in voluptariis illis ludis, qui tamen imitantur veros & generoſos, tam in gymnicis certaminibus quàm in muſicis plectitur ex alis pauonū.

Clem. Alex. pædag. lib. 2. cap. 1.

Philoſtr. in heroic.

Lucian. ver. hiſt. lib. 2.

Cæterùm alia quoque pennarum genera antiquitas addidit galeis, vt coniicere licet è munere, hoc eſt, galea, quam gentes Oceani, miſerunt Annibali. Silius Italicus.

Sil. Ital. lib. 2.

Ecce autem clypeum ſæuo fulgore micantem
Oceani gentes ductori dona ferebant
Callaica telluris [ſ opes] *opus. galeamq́; coruſcis*
Subnixam criſtis, vibrant cui vertice coni
Albentes niueæ tremulo nutamine pennæ.

Sunt ergo aliarum auium pinnæ, vt infra dicam, additamenta galearum, ſuper alia ornamenta. Id totum nihil aliud eſt, niſi imitamentum priſci moris regum Ægyptiorum. Hi enim quandoque ignem, quandoque arborem, quandoque redolentia ſupra caput vnguenta geſtabant. Quæ omnia inuenta erant augendo regio decori, tum iniiciendo aſpicientibus ſtupori, fortè & ſuperſtitioni. Huius ferè generis illa ſunt apud Plutarchū, vbi is memorat, qua ratione Philopœmenes emendarit vitia quæ erant in cultu militiaque Achæorum. Nam inter cætera ait, mulieres habuiſſe in manibus κράνη καὶ περιβαφαῖς κοσμούμενα, galeas & pinnas tincturis ornatas,

Diodor. Sicul. lib. 2. antiq.

Plutarch. Philopœm.

quarum aſpectus, vnà cum cætero armorum paratu, animũ iis addebat qui ad pugnam ituri eſſent. Ad hoc exemplum hodie quidem vix vlla familia, aut etiam gens eſt quę non quidpiã ſibi peculiare vindicet, cui eſt affinitas aut ſimilitudo quædã cum illis quæ ſcuto, in quo ſunt inſignia, continẽtur. Illud, quicquid eſt, vt ſymbolum gentis proprium & manſurum collocant in hac præclara, ac multiplici ſuppellectile, quę è ſuperiori parte galeam amplectitur. Ibi omnia aſpiciuntur concinna, muſica, luculenta, rara etiam & inuſitata, & ob hoc ipſum digna quæ aduertantur. Huiuſmodi eſt ille in galea gigas apud Statium,

—galeaq́ue coruſca
Prominet arce gigas. *Stat lib. 4 Theb.*

CAP. XIIII.

De iis galeis quas vocant apertas. De ea galea, quæ cùm ſit aperta, habet rectum intuitum. De galea aperta quæ dextras aut ſiniſtras partes aſpicit. Galea clauſa.

GAleas apertas vocant illas quæ habent aſpectum per quędam interualla patentia, laminis extrorſum & arcuatim proiectis. Id quod cui rei inuentum dicam, niſi quia ductoris eſt coniicere oculos in omnes partes, vt quicquid facto opus eſt imperare poſſit? Equidẽ exiſtimo, hac ipſa de cauſa galeam maiorũ poteſtatum ita conſtitui vt ſit recta, hoc eſt, non vergens in hoc illudue latus, ſed recto intuitu, ac in omnia pariter libero proſpectu. Huius galeæ rectà apertæ, quæ eadem eſt ſummi ducis propria, exemplũ exſtat apud Satium, vbi duo Thebani fratres de regno contendentes infeſtis animis armiſque concurrunt. Nam vtrinque galea vſque eò eſt aperta, vt eius ſit rectus in hoſtem aſpectus. Et verò vterq; fratrum ſe regem ferebat.

Hæc pugnæ facies. coëunt ſine more, ſine arte,
Tantum animis iraq́ue, atque igneſcentia cernunt *Stat lib. 11. Theb.*
Per galeas odia, & vultus rimantur acerbo
Lumine.

Itaque Cyrus cùm militaria omnia compararet, & ſiquę in meliorem vſum verti oportebat, iis quoque intẽtus eſſet, aurigas curruũ militarium totos armauit, τοὺς ἡνιόχους ἐθωράκισε πάντα πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν, oculis exceptis, nimirũ, vt liber illis eſſet in omnia proſpectus. *Xenoph de inſtit Cy. lib. 6.* Dici quoque poteſt hoc genus galeæ per plura & dilucidiora interualla patere, ne dux in exercitu ignoretur, ſed vel hinc qui ſit, vbi ſit, ab omnibus ſciri poſſit. Neque enim latere poteſt aut debet is, cui vni, aut certè præter ipſum pauculis hoc genus galeæ geſtare

licet. Id quoque pertinet ad continendos in officio milites, qui ſe oculis imperatoris ſubiectos eſſe ſciunt. Et hæc quidem de galea ſummarum poteſtatũ dici poſſe puto. At minori imperio, ſeu ducatu præditi galeam quidem ea ratione quam dixi, apertã gerunt, ſed quæ dexteras aut ſiniſtras partes aſpicit. Id quod haud dubiè aliquod in exercitu munus, ducatumue ſignat, ſed imparem priori illi, cui incũbit ſumma rerũ, aut cura illi proxima, hoc eſt, nobilis aliqua præfectura; cuiuſmodi illius eſt, qui impoſit⁹ eſt alę, ſiue turmæ equitum aut etiam legioni, quales erant legati, aut tribuni militum in exercitu Romano. Quippe talis dux, quòd galeatus dextrorſum aut ſiniſtrorſum tuetur, hoc, videlicet, eſt ſymbolum eius ducatus qui paret imperio maioris alicuius. Et verò in exercitu multi ſunt qui ita ducunt, vt eàdem ipſi ducantur. Ita habent milites dicto audientes, ſi ipſi priùs potentióris imperio obſequuntur, nempe illius, cuius auſpiciis ſimul ac ductu, aut ſaltem ſolo ductu res agitur, aut, quod proximum eſt, illius cui is hanc curam demãdauit. Poſtremò galea aperta non ſolùm oculis, & reſpiratui, ſed & voci meatus eſt, vt imperia ducis à militibus exaudiri poſſint. Tertium genus galeæ vulgus clauſam vocat & obſtructam. Huiuſmodi apud Silium Italicum illa eſt, quæ *atrato munimine clauſerat ora.* Hæc quoque vergit in hanc aut in illam partem, non ſanè per vlla talia interualla, qualia ſunt in ſuperiorib⁹ galeis, ſed per minuta & crebra quædam foramina, quà militi datur aſpectus. Quo effigiatu is docetur, ſe quidem beneficio principis eſſe receptum inter milites perpetuos, quæ eſt hodierna nobilitas, vt infra dicam, ſed nõdum inter ductores. Certè hodiernam nobilitatem nihil aliud eſſe dixeris, quàm nomen ac decus militiæ, quam, quòd tranſmittitur ad hæredes, perpetuam voco. Milites cùm dico, equites dico. Nẽpe hoc genus galeæ aut caſſidis, de qua nunc ago, plerunque eſt tegmen equitis. Ductores voco eminẽtioris notæ equites, qui equitum turmis præfecti ſunt. Itaque per hæc minuta foramina miles tantum videt, quantum obſequio præſtando ſatis eſt. At inde vox eius uix exauditur, quia tacitus quàm loquens eſt obſequentior, & imperia ducis exequens melior eſt quàm interpretans. Sępiùs etiã vultum militis abſcondi magis quàm retegi neceſſe eſt, ne vllus ibi deprehendatur pauor aut pallor, vt in illis qui apud Siliũ Italicum.

Sil. Ital. lib. 14. (margin, beside "di apud Silium Italicum")

Sil. Ital. lib. 14. (margin)

——tenuata iacendo

Et maciem galeis abſcondunt ora.

Atque adeo hoc inſuper addit, *——maluſq́,*

Ne ſit ſpes hoſti velatur caſſide pallor.

Hinc fit, vt id genus galeę quod arbitrio geſtoris & claudi & aperiri poteſt, non tam militi conueniat quàm ductori. Quę omnia vt à

ſummis ducibus, militiæque peritiſſimis ingenioſè reperta cõſtat, ita cuiuſmodi ſint, incurioſè aduerti, nec ingenioſè exquiri, infructuoſa planè indiligentia eſt. Antiquitas quidem iſtis & ſolerter rimandis & cognoſcendis mirè diligens, mirè, prope dixerim, anxia & ſcrupuloſa fuit. Cæterùm quod talia capitis tegmina militaria fecerit multorum generum; Quòd item cuiuſque generis plures partes conſtituerit, eáſque propriis nominibus ſignauerit, docet locus Pollucis, v bi nominat τεμικεφαλαίαν, κυνῆν, κράνος eorumque partes. tum γεῖσον & ἐπίκρανον, & λόφον, & λοφίαν, & τελοφίαν. De quibus omnibus nos aliquid dicemus in ſequentibus. Poll. lib. 1. cap. 10.

CAP. XV.

De ea galea quæ duci conuenit. Is qui ſibi aperuit viam ad nobilitatem hodie vix geſtat galeam apertam, (Qui mos viget in Germania) ſed illo prognatus. Id ſecus fit apud pleraſque gentes, vix vllo diſcrimine galeæ apertæ & clauſæ. De inſigniis togatæ nobilitatis paucula. Clypei olim eloquentiæ dati.

INter prima & aduertenda præmia, illa quibus militaris virtus hodie donatur, illa ipſa quæ ita dantur vt manſura ſint apud omnem poſteritatem, maximè aduertẽda eſt galea conſummata, quæ duci conuenit, & duci quidem equitum. Enimuero ad hunc ducatum vix quiſquam peruenit, niſi per multos, eóſque viriles & illuſtres militiæ labores; denique nõniſi decurſo eo ſpatio, cui conficiendo vix vnius virtus aut ætas par eſſe poteſt. Minimùm, duorũ illud opus eſt, qui pari ſtudio, paríque felicitate illud iter pergant. Ergo naſcens, nouáque nobilitas, fateor, amplectitur virum fortem, illum qui edendis virtutis facinoribus meruit referri inter ordines equitũ ſtrenuiſſimorum. Atque hæc quidem quia noua eſt, iubetur eſſe contenta iis inſigniis quæ nuperam demonſtrent, hoc eſt, galea clauſa, quæ equitem indicat, ſed adhuc ſequentem, & obſequio probatum, nondum ducatu clarum. At qui ex hoc nouo germine, è viro, inquam, generoſo editus eſt, quique patris veſtigiis inſiſtens eadem ſpatia fortitudinis decurrit, in hoc verò iam cenſetur confirmata nobilitas, hoc eſt, non vacillans & nutans, ſed iam tempore rata, fortibus experimentis corroborata, audentior facta, & animoſiùs aſſumens vetera inſignia veteris & indubiæ nobilitatis, illius è qua edecumantur duces, & quidem ſine vllo metu & periculo. Eſt enim apud homines concepta exiſtimatio, è tali germine nihil non optimum naſci poſſe. Itaque quiſquis editur parente ſtrenuo & generoſo, is non vt ab homine el ctus, ſed vt à natura factus eques ſuo quodam iure aperit galeam nulla nota ab

inſigniis antiquæ nobilitatis diſtinctam. Et verò quacunque patet Germania ij galeas clauſas geſtare dicuntur, qui reſcripto principis imagines ac titulos nobilitatis primi inducunt in ſuam familiam. Alij ciuilem, ſiue vrbanam nobilitatem hinc ſignari aiunt, ſicuti eam quæ non pari greſſu incedat cum illa quæ agris imperitat. Nempe hoc genus nobilium qui agros & lata camporum occupant, aiunt eſſe vrbibus veluti procubitores, vt, ſiquid fortè ingruat aduerſi, ad ſubita, ad ardua, ad pericula ſemper ſint parati. Ac proinde iſtis ferè vnis vrbium ſalutem debeſi aiunt. Denique illos ipſos, quorum honores & claritas in vrbibus eminet loco, dignitate, gradu iſtis concedere, quorum quodammodo ipſæ vrbes ſunt in tutela. Quæ quàm verè dicantur, ego in medio relinquo. Neque enim ſum neſcius, vrbanæ & ciuilis, campeſtris & caſtrenſis nobilitatis nullum eſſe apud multas gentes diſcrimen. Quin & illud aduerti, pluribus in locis non minori loco eſſe galeas clauſas quàm apertas, galeáſque fortiſſimorum equitum ſuper ſcutis hac ſpecie repræſentari. Huiuſmodi ſunt illæ apud Statium,

Stat. lib. 4. Sylu.

—galeis iuuat oſcula clauſis
Inſerere, amplexuq́, truces deducere conos.

Etſi hoc loco ſcio poſſe dici, illud, *clauſis*, non ſignare formam galeæ, ſed inſtantem pugnam; cùm galeæ ita eſſent, vt ita dicam, oppeſſulatæ, vt capiti firmiter hærerent. Nam cùm pugnandum eſt, ita clauduntur galeæ, vt illis quas apertas, ſiue patentes, voco, liber nihilominus relinquatur aſpectus, qui ſatis eſt præſtandæ operę ſiue militari, ſiue imperatoriæ. Redeo vnde diuerti, & aio, in pleriſque prouinciis & familiis vtrumque galeæ genus æquari, vt veteres parietes, in quibus picta ſunt nobiliſſimarum familiarum inſignia, fidem faciunt. Nec ego meum iudicium hîc interpono; ſed quid ſit in vſu, nullo circuitu eloquor. Hæc ſi illa ipſa qua ſcribuntur, ſyncerirate legentur, neminem offendent. Abſit vt mihi prauum conſilium ſit, vlli nec genti, ac ne perſonæ quidem vlli quicquam detrahere quod pertineat ad dignitatem ſuam. De re nullis, quod ſciam, mandata literis, ac ſpecioſiùs picta, quàm probè intellecta ea lege ſcribo, vt nullum veritati, me autore, præiudicium fiat. Hoc tantùm firmare poſſum, quarundam vrbium eam eſſe dignitatem, nempe ex opibus & potentia natam, vt, qui ibi agunt primores nihil quicquam concedant iis, quorum in agris excellit autoritas & potẽtia. Cæterùm faſtidioſè quidam, ac renidẽtes aſpiciunt inſignia togatæ militiæ, aut etiã municipalis nobilitatis cumulata hiſce galeis tanquam hæc militia, & nobilitas quæ inde eſt, ſit infra dignitatem illius quæ brachiis ac ferro

rem

rem cernit. Denique ita agunt & loquuntur, vt ſi indigna res ſit; eum qui non caſtra, non exercitum frequentat, non ſuam perſonam caſibus & periculis obiectat, tamen inſigniri decore armorum, proprioque armatæ militiæ documento. Quid, inquiunt, galeæ cum pileo? quid ferro cum papyro? quid haſtæ cum ſtylo? Ego qui ad alia propero, hos iubeo adire antiquitatem, priſcam dico ſapientiam, quæ eloquentiæ, ac proinde ijs omnibus artibus per quas itur ad eloquentiam, tribuit inſignia militiæ, nempe clypeos; Hi enim in eloquentium hominum honorem templorum parietibus affigebantur. Ergo & iſti ſimiliter interrogari poſſunt, Quid facundiæ cum clypeis? Quid ſonoræ oratoris voci cum ferrea præduri militis lancea? Quid capiti, aut brachio clypeato cum profeſſione ſapientiæ? Cur illa ipſa quæ Pallas eſt, dicitur Minerua? Cur nunc pingitur haſtata, nunc galeata? Cur Romani imperatores, ſuperatis hoſtibus, optimè repub. geſta, ſcribas ſuos annulis aureis in concione donabant? Cur antiquitas ante periculum ſacrificabat Muſis? Cur ipſis & Herculi vna eademque ara ſtatuta? Cur Plato gymnaſticam & muſicam in vno, eodemque homine, hoc eſt, cuſtode ciuitatis coniungi vult? Annon vt per hæc fides fiat, in Repub. non minoris eſſe decernendi rationem, quàm decertandi fortitudinem? Ac proinde non caſtra eſſe potiora foro, non arma toga, non ſtylo gladium? Et hæc quidem de galeis dici poſſe puto.

Tacit. lib. 1. Annal.

Cic. act. 5. in Verr.

Plutarch. in Lacon. apopht.

CAP. XVI.

Vnde ſumptæ ſint pinnæ quæ galeis adduntur, tam Romano quam Græco more. Pinnarum effigiatu quid ſignificetur. Tota aues galeis additæ. Picus. Phœnix. Gallus. ἀλεκτρεῖς.

VNDE manarit hoc inſtitutum, & qua ratione conſiſtat is mos galeæ circumponēdi pinnas, ſiue alas auium, tum etiam criſtas, nunc dicendum. Et quidem pinnarum inſtituto apud Romanos cauſam dediſſe puto id quod memorat Valerius Maximus, cuius hiſtoriam in pauca contraxi, quorum ſumma hæc eſt. Brutij & Lucani odio incitatiſſimo Turinæ vrbis exitium petebant. Hanc Romani totis viribus protegebant. Cùm res ancipiti euentu gereretur, non audentibus Romanis prælium ingredi, eximia magnitudine iuuenis præſenti numine victoriam Romanorum adiuuit; eiſque hoſtes capiendos tradidit; quorū viginti millia cæſa, quinq; millia cum ducentis capta. Poſtero die cùm Cōſul

illi præmia proponeret à quo caſtra oppreſſa erãt, nec inueniretur qui id præmiũ peteret, cognitũ pariter atque creditũ eſt, Martem patrem tunc populo ſuo affuiſſe. *Inter cætera*, addit Valerius Maximus, *huiuſce rei manifeſta indicia galea quoque duabus diſtincta pinnis, qua cœleſte caput tectum fuerat, argumentum præbuit.* Id quod non Romano tantùm, verùm etiam vetuſtiſſimo aliarum gentium more fiebat. Et verò Lamachus ille Ariſtophanæus deſcribitur geſtans galeam pennatam.

Valer. Max. lib. 1. cap. 8.

Ariſtoph. Acha.

Δι. φέρε νυῦ ἀπὸ τοῦ κράνους μοι τὸ πτερόν·

Λα. Τουτὶ πτίλον σοι.

Aufer nunc à galea pennam mihi. Lam. Eccam tibi hanc pennam. Et infra in eadem comœdia,

Ἔνεγκε δεῦρο τὼ πτερὼ τὼ ᾿κ τοῦ κράνους.

Effer pennas è galea criſtata mihi. Id quoque noſtri, vt pleraque alia imitati ſunt. Silius Italicus,

Sil. Ital. lib. 7.

—— nec erectis ſimili imponere criſtis

Ceſſarat pennas, aterq́ tegebat amictus.

Ab galeis ferreis ad effigiatas hic quoque mos tranſlatus. Ibique eminet excellenti ſignificatu. Quippe hiſce pinnis ſignatur lumen ingenij, quo illum præ cæteris emicare par eſt qui nobilitate nixus incedit. Memorat Solinus, ſaltum Hercynium aues gignere, *quarum pennæ per obſcurum emicant, & interlucent, quamuis denſa nox obtegat & denſet tenebras. Vnde homines*, inquit, *loci illius plerunque nocturnos excurſus ſic deſtinant, vt illis vtantur ad præſidium itineris dirigendi. præiactiſq́ per opaca callium rationem viæ moderentur indicio plumarum refulgentium.* Fortaſſe aliquid tale ſignificauit ille ornatus capitis Ægyptij ſcribæ, ἔχοντος πτερὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, qui capite geſtabat alas. Hiſce quoque pinnis, ſiue alis docetur nobilitas, vt ſe ſuper illa omnia, quæ vulgaria ſunt, euehat. Nihil neq; cogitet, neque agitet, quod non idem conueniat illi excellenti conditioni quę ſibi ſtatuta eſt. Se quiſque humo excitet; celſum, erectumque conſtituat; magna curet, parua negligat. Quandoque non pennæ tantùm, ſed & integræ aues aſpiciuntur galeis impoſitæ, nempe, αἱ ἄλκιμοι ὄρνιθες, pugnaces aues. Huiuſmodi eſt picus, quem Strabo ait exiſtimari auem Martis. Adeſt & phœnix *capite honorato*, inquit Solinus, *in conum comis extantibus*, hoc eſt, vt Plinius ait, *capite plumeo apice cohoneſtato, criſtatis faucibus, circa colla fulgore aureo, poſtera parte purpureus, abſque, cauda, in qua roſeis pennis cæruleus inter ſcribitur* [puro, interſcritur] *nitor.* In quo loco pro *abſque* lege *atque*. Nam caudam Phœnicis deſcribit ſiue Lactantius, ſiue alius quiſquis eſt, autor eius poëmatis quo hæc auis elegantiſſimè pingitur.

Solin. cap. 23.

Clemen. Alex. Stromat. lib. 6.

Ariſtid. de rhet. orat. 2.

Strabo lib. 5.

Solin. cap. 36.

Plin. lib. 10 c. 1.

Caudaq́ porrigitur fuluo diſtincta metallo,
In cuius maculis purpura miſta rubet.

Gallum quoque antiquitas fecit inſidẽtem caſſidi Mineruæ. Hinc eſt quod eius galeæ conus λόφος τριχοφυαίας, propriè dicitur ἀλεκτοεὶς. Plutarchus quoque tradit, Artaxerxem regem præmium dediſſe illi Cari, qui Cyrum vulnerauerat, facultatem & ius geſtandi galli aurei ſuper lancea, ante ordines, cùm is eſſet in exercitu. Additque Perſas Caribus indere nomen gallis propter criſtas quibus ſummitates galeatum ornare ſoliti ſunt. Aiuntque Martem gallo dediſſe, vt pro galea criſtam obtineat. Hodie quoque huius auis effigies ſæpe aſpicitur conſpicua comes coronæ. Id quod haud dubiè ad generoſitatem geſtoris refertur. Nam gallus *imperitat ſuo generi, & regnum in quacunque eſt domo exercet. Idem in victoria canit nempe triumphum; ſeq́ ipſe principem teſtatur ſuperbo inceſſu, ardua ceruice, criſtis celſus, ac veluti radiata corona inſignis.* Quomodo radiatam coronam Lactantius tribuit Phœnici.

Pauſan. lib. 6. *Etymol. ἀλεκτοεὶς.* *Plutarc. Artax.* *Lucian. ſomn. ſeu gall.* *Plin. li. 10. c. 21.* *Poſt Lactant. Firmian.*

Æquatur toto capiti radiata corona
Phœbei referens verticis alta decus.

Et hæ quidem ſunt clementium auium effigies, præ alijs animalibus, quæ galeis antiquitas addidit, & quidem ferocibus & immitibus.

CAPVT XVII.

Horribilium ferarum quandoque effigies, quandoque ſpolia, qualia hîc ſingillatim enumerantur, galeis addidit antiquitas.

SVPERIORIBVS credo annumerari poſſe tauros. Nam & horum cornubus armantur galeæ. Quod ipſum non minùs quàm illa quę dixi, eſt ſymbolum ducatus. *Non precedit armenta degener taurus*, inquit Seneca, *ſed qui magnitudine ac toris cæteros omnes vicit.* Certè & taurus & leo regem ſignant. Sed taurus eſt melior, & ſignificantior typus regis quàm leo. Cauſas enumerat Dio Chryſoſtomus. His, opinor, adductus Iulianus tauro monetã ſignaſſe dicitur. Etſi non ſum neſcius, à ſcriptoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ hanc afferri, quòd is ſuperſtitione illaqueatus frequẽter tauros immolabat. Vt vt eſt, Eam rem Antiocheni ſolita procacitate exceperunt, orbemque terrarum ab eo euerti dixerũt, ſicuti à tauro feroci ac præcipiti. Quid, quod tam ipſi viri fortes ac ſtrenui, quàm ipſis prognati vocantur tauri? *Amo*, inquit Syneſius, *propter honeſtiſſimam vocem, ſiue famam patris iuuenem taurum, bonas Romanorum ſpes.* Omitto & illud, quod tamen & verè

Sen. ep. 95. *Dio. Chryſoſt. orat. 2.* *Niceph. lib. 10. cap. 27.* *Syneſ. ep. 31.* *Steph. ταῦρος.*

& loco dici poſſet, omnia magna antiquitatem vocaſſe tauros. Taurorum cornubus affinia ſunt vrorum cornua, quæ quoque
Solin. cap. 23. ſuper galeis vtrinque proſtant. *Hæc in tantum modum protenduntur,* inquit Solinus, *vt dempta ob inſignem capacitatem inter regias menſas potuum gerula fiant.* Adhibentur & galeis capita vrſorum, Statius,

Stat. li 4 Theb. *Ille Lycaoniæ ritu caput aſperat vrſæ.*

id eſt, caput ſuum horribile reddit effigie vrſæ Lycaoniæ, caſſidi, ſcilicet, impoſitæ. Leonem quoque galeæ ſuperaddidit antiquitas. Legimus Adraſtum ab oraculo iuſſum collocare filias ſuas, vnam
ἐν παροιμ. quidem apro, leoni alteram. Is Adraſtus cùm Tydæum & Polynicem pugnantes inueniſſet, hos pro certo habuit eſſe illas feras, nempe illum aprum, illumque leonem, qui oraculi voce eſſent editi. Habebant enim ille ſpolium Leonis, hic apri. Nimirum, προτομὴ τῶ θηρίω, illud ſpolium feræ, quæ fuit anterior pars ferini capitis, in ſuprema galea geſtabatur veluti inſigne fortitudinis ad ga-
Amm. Marcel. lib. 19. leam, ſcilicet, horrificandam. *Perſarum rex inſidens equo,* [verba ſunt Ammiani Marcellini] *ante alios celſior ipſe præibat agminibus cunctis aureum capitis arietini figmentum interſtinctum lapillis pro diademate geſtans, multiplici vertice dignitatum, & gentium diuerſarum comitatu ſublimis.* Non deſunt gentes, quibus ſunt περικεφαλαῖαι θή-
Strabo lib. 11. ρειαι, ac ſi dicas ferinæ galeę. Id quod Strabo de Iberibus memorat,
Plutarch. Pyrr. & contermina his gente Albanis, tum Amazonibus. Tradit Plutarchus, Pyrrhi galeam fuiſſe inſignem cornibus hircinis. Idem
Plutarch. Mario. Plutarchus autor eſt, Cimbros ante illud prælium quod haud lōgè à Vercellis cum Mario commiſerunt, fuiſſe inſignitos talibus ferarum terriculamentis, quæ altiùs extulerant ſuper galeis, vt viderentur altiores & proceriores. Quin non ſoli milites aut duces,
Pollux lib. 8. ſed & ipſa numina interdum voluerunt aſpici vultu ferino. Athenis ἐπὶ Λύκῳ: in Lyco ipſa Iuno habuit formam feræ. Saturnus effi-
Martian. Cap. lib. 2. giatur *nunc facie draconis, nunc rictu leonis, nunc criſtatus cum dentibus aprinis.* Quid, quòd effigiati ſerpentes quandoque caſſidi hęſerunt? Statius de duobus fratribus pugnantibus de regno Theba-
Stat. li. 11. Theb. norum,

Fræna tenent ipſæ; phalerasq́; & lucida comunt
Arma manu, mixtisq́; iubis ſerpentibus augent.

Stat lib. 10. Theb. Idem alibi tales iubas vocat terribiles. *-procul arma furentis*
Terribilesq́; iubas, & frontem caſſidis horrent.

Hoc ad exemplum Silius Italicus galeam Metelli trucem vocat.

Sil. Ital. lib. 14 *Dum criſtam galeæ trucis, exuuiasq́; precatur*
De duce Metello ſuperos.

Galeam Vlyſſis Homerus donat dentibus ſuis.

—ἔκτοσθε δὲ λευκοὶ ὀδόντες
ἀργιόδοντος ὑὸς θαμέες ἔχον ἔνθα καὶ ἔνθα
εὖ καὶ ἐπισταμένως. *Iliad.κ.*

exteriùs autem albi dentes albidentis ſuis crebri muniebant hinc atque illinc bene & ſcitè. Nempe, hoc eſt illud τὸ ἐκφόβητρον terriculamentum quod Silius Italicus tribuit quoque venatoribus, vbi loquitur de equis Sarmaticis & venatione.

—hinc venit in arma *Sil.Ital. lib 3.*
Haud ani fragilis ſonipes, crudoq; vigore
Aſper frena pati, aut iuſſis parere magiſtri.
Rindacus his ductor; telum ſparus; ore ferarum
Et rictu horrificant galeas.

Euripides galeę Achillis imponit ſphinges, monſtrum vncinatum, prædam vnguibus inuncatam auferentes, & leęnam igniuomam.

ἐπὶ δὲ χρυσοτύπῳ κράνει
σφίγγες ὄνυξιν ἀοίδιμον ἄγραν *Euripid. Elect. actu 2.*
φέρουσαι. περιπλεύρῳ
δὲ κύτει πύρπνοος ἔσπευ-
δε δρόμῳ λέαινα, χαλαῖς
πειρηναῖον ὁρῶσα πῶλον.

In deaurata verò galea ſphinges vnguibus famoſam prædam portantes. cæterùm in latera ambiente ſpatio ignem efflans currebat curriculo leæna vnguibus peirenæum inuadens pullum. Cæterùm quinam ſint Sphingis ſignificatus & quomodo pingatur, veluti per nebulam diſcimus è Plutarchi comutilo & corrupto loco quo ei aſſimilat Amorem. Nam tribuit ei ἐπαγωγὸν τὸ ποίκιλμα τῶν πτερῶν blandam ſeu illecebroſam varietatem alarum. Si, inquit, ad radios ſolis [conuertitur] neſcio quid aurei, ſi ad nubes intuetur, neſcio quid cyanei, vt quædam Iris eſt coruſcante ſplendore. Bacchum Semele mater coronauit draconibus, cuiuſmodi Hecaten ſupra deſcripſi. *Stob. λογ. ἀ-ρεσδ. ἢ ἐρωτ. ες.*

στεφάνωσέ τε δρακόντων
στεφάνοις.

coronauitque draconum coronis. Et pergens deſcribere horridum hunc ornatum, ait,

—θῆρες ἄγραν
θηρετρόφοι μαινάδες ἀμφιβαλόντες πλοκάμοις.

inde prædam feras nutrientes mænades circumplectuntur capillis. Cuius capiti inſident dracones, eiuſdem caſſidi imponi poſſunt effigiati. Et hæ quoque vocantur diræ caſſides, hoc eſt, aſpectu diro. Silius Italicus,

Haud procul haſta viri terra defixa propinqua,

Clemen. Alex. pædag. lib. 2. c. 8.

ſti eſſe diadema iuſtitiæ, inſidiatoribus hoſtile, ijs qui in vnam eccleſiam conuenerunt, amicum. Eſt ergo hæc corona flos eorum qui credunt in geſtorem eius; eſt inſigne victoriæ partæ contra aduerſantes Chriſto poteſtates; potentiæ in omnia ſumma, media, infima; miſerationis erga ſuos; vltionis, & quidem ſeueriſſimæ in eos omnes quos ſua improbitas vltioni reſeruauit. Cætera regna, imperia, poteſtates naſcuntur, variant, extinguntur. Hoc vnum regnum æterna maieſtas excepit. In huius conſortium adſumentur ij, qui ſuam ſi non innocentiam, quod fieri nequit, at, quod proximum eſt, pietatem huic tanto regnatori probauerint. Quapropter regnantes, veſtrum eſt, huius ſanctiſſimi numinis nunc amore, nunc timore in officio contineri. Hac vnica ratione vnicuique veſtrum regnum ſtabile, diuturnum, felix futurum eſt. Sic animati veriſſimis exemplis intelligeris, illi vni rationem regni conſtare qui ſe à Chriſto regnari patitur.

CAP. XIII.

Galea ſiue caſſis. βασιλεὺς Athenis & Spartæ quid. ἀρχεπόλεμος. Cur galea & corona ſocientur. Cur galea ornetur gemmis & lapillis. Cur pennæ pauorum componantur cum galea. De pauonis excellentia, pulchritudine, alijſq; dotibus. Pauo auis regia & Iunonia, tum conuenientiſſima repræſentandæ excellentiæ & ſublimitati. Alia pennarum genera galeis addita. Mos regum Ægyptiorum.

INTER addimenta coronarum ſunt infulæ, vittæ, lemniſci, de quibus quòd mihi ſupra ſatis dictum eſt, dein hac extrema parte huius curæ cætera perſequar. Quippe video ſupremas poteſtates, quantumque eſt hominum, quos claritas generis extulit ſupra vulgum, præter coronas pro capitis inſigni geſtare galeam, ſiue caſſidem. Id quod, opinor, fit priſco inſtituto. Vt enim dixi, principes viros, ſtatim vt bellum ingruit, fieri duces, ita reges, ſi eundum eſt in hoſtem, non dubitant inſerere caput galeæ. Et quidem

Etymo. ϛρατὸς.

Athenis ij quibus hæc aut illa pars copiarum commiſſa erat, hac aut illa appellatione cenſebantur. Sed cui vniuerſus exercitus, rerumque ſumma credita fuit, hunc vocabant βασιλέα, non eum, qui

Ariſtoph. ἱππ.

vtroque tempore & pacis & belli eſt ſummus hominum, ſed τὸν ἀρχεπόλεμον, cum cui ſummus ducatus creditur, quoties cum hoſte manus eſt conſerenda. Vt Lacedæmone is quoque qui præerat

vniuerſo

vniuerſo equitatui βασιλεὺς dicebatur. Et ſic intelligo verba Platonis in Phædro, vbi rhetorem aut βασιλέα dicit poſſe fieri ſcriptorem immortalem. *Plato in Phædro.* Hinc perſpicuum eſt, ſummam curam nitiv traque arte. Nam pace placida, illi qui ſit ſummus hominum, nunquam non eſt ante oculos ordinum concordia. Ille ipſe cùm bellum ingruit, ſibi proponit victoriam, ac de hoſte præclarum triumphum. Verùm vt corona regi demonſtrando eſt conuenientiſſima, ita galea eſt veriſſimum ſymbolum ducatus & imperij. Sed quòd omni tempore vtraque virtus principi viro eſt neceſſaria, ſuper eo ſcuto, in quo effigiantur inſignia ſummarum poteſtatum galea plerunque ſtatuitur, cui hæret corona. Hac ratione indiuiduo nexu coniunctæ ſibi perpetuæ adiutrices adſunt. Laudabile ſanè inſtitutum, atque adeò efficaciſſimum principibus identidem ſuggerendæ virtuti, hoc eſt, fortitudini & generoſitati. Quippe hic effigiatus haud dubiè demonſtrat principem erga ſubiectos mitem, togatum, iura populis dantem. Eundemque ſimulatque iniquè impetitur, armatum, minacem, ſeuerum; dextra manu vltorem gladium, ſiniſtra cornucopiæ tenentem: hinc debellantem perduelles, hinc beantem ſubiectos. Sed quia vtrumque eſt munus ſummi regiminis, ſæpe altero vtrumque demonſtratur. Vix etiam non coronæ adhæret galea. Vix quoque ſola corona non galeam aſſumit ſibi & comitem & ſatellitem. Hinc eſt quòd Minerua *eſt caput contecta fulgenti galea; & ipſa galea oleaginia corona tegitur.* *Apul. Metã. lib. 10.* Hinc priſcus mos ornandi galeam gemmis & lapillis, haud ferè minùs quàm coronam, vt videre licet in numiſmatibus principum Romanorum. Silius Italicus,

——propriorq́; à fronte coruſca *Sil Ital. lib 5.*
Lux galeæ ſæuas paulum tardauerat iras,
Et gemmis galeam, clypeumq́; accenderat auro.

Hinc quoque eſt, quòd reges Ægyptij dicuntur geſtaſſe galeas pro corona ac diademate. *Herodot. lib. 2.* Id ipſum Romanos principes frequenter vſurpaſſe, docent priſca numiſmata, tum hæc verba cuiuſdam panegyrici: *Hoc enim, vt audio, imago illa declarat in Aquileienſi palatio ad ipſum conuiuij poſita à pectum; vbi puella iam diuino decore venerabilis, ſed adhuc impar oneri ſuo ſuſtinet atque offert tibi etiã tum puero galeam auro, gemmiſq́; radiantem, & pennis pulchræ alitis eminentem.* *Panegyr. Maximiano & Conſtantino Augg. dict.* Vbi pulchram alitem ego pauonem interpretor. Hic certè mos componendi pennas pauonum cum galea regali ſiue ducali & principali hodieque viget, præſertim in Germania, cæteraque ditione imperij, propter huic aui, vt opinor, ingenitum ornatum non aliunde acceſſitum, non ſubditum & ſuppoſititium, ſed talem, vt fateri neceſſe habeamus eſſe pulcherrimum naturæ

donum. Et verò pauo dicitur aureum genus auis, id eſt, pulchritudine inſigne, vt in his verſibus apparet quos ex Antiphane refert Athenæus,

Athe.lib.14.

ἐν ἡλίου μὲν φασὶ γίνεσθαι πόλει
φοίνικας· ἐν ἀθήναις δὲ γλαῦκας. ἡ Κύπρος δὲ ἔχει
Πελειάς διαφόρους. ἡ δ' ἐν Σάμῳ
Ἥρα τὸ χρυσοῦν φασὶν ὀρνίθων γένος
Τὺς καλλιμόρφους καὶ περιβλέπτους ταώς.

In ſolis vrbe procreari aiunt phœnices, Athenis noctuas. Cyprus habet eximias columbas. Samia verò Iuno aureũ, aiunt, auium genus, formoſos & ſpectabiles pauones. Hoc pauonis aurum eleganter quoque deſcribit Achilles Tatius. Saneq; pauonis pratum hoc, inquit, alio quouis longè floridius eſt. Inſeius enim pennis oculorũ ſerie diſtinctis aurũ omni ex parte purpura æqualiter conueſtitur.

Achill. Tat. lib.1.

Oppian. κυνηγ. β.

Οἷον δή νυ ταῶνες ἑὸν δόμον ἀγλαόμορφον
Γναμπτὸν ἐπισκιάουσι ἀριπρεπὲς αἰολόνωτον.
Τῶν οὐδὲν μερόπεσσι Διὸς τεχνήσατο μῆτις
Φαιδρότερον τερπνοῖσιν ἐν ὄμμασιν εἰσοράασθαι,
Οὐδ' ὅσα παμβώτειραν ἐπὶ χθόνα, μητέρα, βαίνει,
Οὐδ' ὁπόσα πλευγῆσιν ἐπ' ἠέρα πουλὺν ὁδεύει,
Οὐδὲ μὲν ὅσσα βυθοῖσιν ἐπ' ἄγρια κύματα * τέμνει.
Τοῖον ἐπ' ὀρνίθεσσιν ἀειζώοις ἀμαρύσσει
Χρυσῷ πορφυρέοντι μεμιγμένον αἰθόμενον πῦρ.

* *Βαίνει.*

Veluti pauones ſuam domum ſplendidam curuam obumbrãt illuſtrem [&] picturatam caudam, Quibus nihil Iouis fabricauit cõſilium pulchrius iucũdis oculis ad videndũ, neque eorum quæ alma in terra matre incedunt, neque eorum quæ alis per aërem immenſum tendunt, neque etiam eòrum quæ in gurgitibus ſæuos fluctus ſecant. Talis in auibus inſignibus fulget auro rubenti permixtus ardẽs ignis. Menãder quoque in legatione Iuſtini ad Perſas pauones vocat aureos, vbi, inquit, ligneæ columnæ quædã erãt, circũamictæ auro, inquit, ac ſimiliter lectus ex auro confectus, quẽ quatuor pauones aurei attollebãt. Hic quoque alarum cultus, quo natura pauonem donauit, dicitur eſſe æmulus coloribus florum & auium apud Achillem Tatium, & expandere pulchritudinem, & oſtendere theatrum alarum. Plutarchus ait, pauonem editum eſſe propter caudam, nempe propter pulchritudinem eius. Ad hoc exemplum apud Philoſtratum rex Mediæ dicitur γραπτὸς ἐπὶ χρυσοῦ θρόνου, pictus, ſiue ſignatus in aureo throno ſicuti pauo. denique merito dicimus, hanc auem cum ipſa rerum vniuerſitate omni genere pulchritudinis certare, cum metallis rutilo, cum pratis virore, cum floribus floridiſſima ſpecie, cum quouis colore puritate, cum vere lætitia, cum cœlo luminibus. Itaque tam nobilis, multiſq; de

Ecclog. legat.

Achil. Tat. lib.1.

Plutarch. πῶς ἄν τις ἐχθρῶν.

Philoſtrat. in imag.

cauſis admirabilis auis aſſumitur à principibus,potentibuſque viris comes galeæ,ſiue caſſidis,quia *omnis vitæ potentia*,inquit Fulgẽtius, *petax in aſpectum ſui ſemper quærit ornatus.* Sicut enim pauus ſtellatum caudæ curuamen concauans anteriùs faciem ornat, poſterioraque turpiter nudat, vnde & Theophraſtus in Moralibus τὰ ἄλλα σφίγγωσι,reliqua conſidera. Et Salomon, *In obitu hominis nudatio operum eius.* Cæterùm nequis hunc ornatum credat eſſe rem inutilem,& hinc ſolo aſpectui conſultum, certè pauo etiam territat cæteras aues, ac tantùm non quomodo aquila, vt Prometheus ait, *Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem.*

Lucian. de domo. *Fulgent. mythol. lib. 2. in Iunone.* *Cic. lib. 2. Tuſc. quæſt.*

Quippe explicatis illis caudæ pennis cõchyliatis,ſiue oculatis,ſiue pinnato, vt quidam ait,fulgore radians, ſiue totus oculeus, vſque. eò vt nihil eum latere ſit veriſimile,aſpicientibus terrorem incutit haud ſecus quàm Argus,cuius oculos Iuno indidit pauoni. Is certè imitatione ſolis dictus eſt πανόπτης,omnia videns eſtque ei cum ſole quædam veluti ſocietas. *Gemmantes*,inquit Plinius, *laudatus expandit colores, aduerſo maximè ſole, quia ſic fulgentius radiant.* Et propter hãc quoq; dotem meritò hæ pennæ dici poſſunt ſymbolum hominis generoſi, cuius proprium eſt laudib⁹ excitari. Quid, quod fabulæ aiunt, Argum ipſum mutatum fuiſſe in pauonem? Et verò Euelpis ille Ariſtophanæus interrogat Epopum his verbis, πότερον ὄρνις ἢ ταὧς,vtrum auis an pauo? Ac ſi dicat, pauonẽ non cenſeri inter alites; ſed eſſe naturæ alicuius excellẽtioris, veluti humanæ, aut etiam diuinæ. Ergo pauo & propter pulchritudinem viſendum ſe præbet, & ſenum neſcio quid concrepat, vt miles ſuis armis. Certè capite elato, ἐπιτείνει σοβαρώτατα, ὥσπερ ἐπισείων τριλοφίαν, capite etiam elato ſuperbè nutat, velut triplici criſta ornatã quatiens galeam. Cæterùm ea dicitur eſſe ſollertia, vt naturale remedium aduerſus faſcinum comparet ſibi radicem lini, quam condit ſub altera alarum. Ob quas tam præclaras dotes in hortis Indicorum regum manſueti pauones aluntur. Et Alexãder Macedo haſce aues conſpicatus apud Indos, tantæque pulchritudinis amore captus ſub graui pœna edixit ne interficerẽtur. Ipſe adeò populus Athenienſis mercede hanc auem ſpectaſſe dicitur. Nec mirum, ſi à Plutarcho adnotatum eſt, Pytilambem illum ſodalem Periclis iis feminis pauones dediſſe, quarum conſuetudine Pericles delectabatur, vt munus tunc quidem temporis & rarum & pretioſum. Quapropter hanc auem ob ſupradicta regiam verè dixeris; tum etiam ea re quòd Iunoni pauo ſacer eſt, cuius in æde apud Samos plures alebantur. Nam ibi primùm editi, indéque in alias regiones tranſlati ſunt. Huius rei argumentum eſt, quòd Samij monetam pauone ſignant. Enimuero in tutela huius numinis

Schol. Æſchy. in Prometh. *Plin. lib. 10. cap. 20.* *Scholiaſt. Ariſtoph. in ὄρνιϑ.* *Ælian. lib. 5. cap. 21.* *Ælian. lib. cap. 18.* *Ælian. lib. 13 cap. 18* *Ælian lib. 5. cap. 21.* *Plutarch. Pericle.* *Athen. lib. 14*

Fulgent. mythol lib. 2. in Iunone.
Martian. cap lib. 1.

eſt pauus. Tantæ item dignationis auis habita eſt, vt *ea palla, quam Iupiter induit, cum Deos ad concilium vocat, dicatur eſſe intertexta è pennis pauonum*, tum oculata; credo, vt hinc quoque luculenter demonſtretur præcipua huius numinis vigilantia, prudentia, prouidentia. Quæ omnia fidem faciunt, nequaquam inutiliter aut abſurdè haſce pennas addi galeis regum, ducum, principum, aliorum regulorum. Quippe maieſtatis regiæ, ſublimitatis ducalis, excellentiæ principalis, aliúſue eminentioris dignitatis ſplendor aſpicientium oculos icit, non vt eos præſtringat atque hebetet, ſed vt ſalutari lumine recreet, acveluti pauo, tantùm vt recreet, non etiam vt feriat, atque adeò in hoc vt ne feriat. Decora pauonum ſolùm recenſere mihi conſilium fuit, non illa quæ, nulla auis culpa, propter ipſam, gulæque cauſa in ipſa expetunt homines. Etſi hinc quoque non vulgariter commendatur

Clem. Alex. pædag. lib. 2. cap. 1.

hæc auis. Certè hanc ob cauſam celebratus eſt Μῆδος ταώς, Medus pauo, vt qui eſſet in deliciis. Cæterùm hîc mihi monendi ſunt illi qui decora pauonum ſuper inſigniis vſurpant, ne nimium ſint pauones, hoc eſt, ne ſibi nimis tribuãt. Quidam enim, inter quos adnotatus eſt Paris, huic aui ſola φιλαυτίᾳ ſtudent eſſe ſimiles. Id ſolũ

Philoſtr. in heroic.
Lucian. ver. hiſt. lib. 2.

hinc mutuentur quo virtus commendari poteſt & illuſtrari, cuiuſmodi illa ſunt quæ ſupra de pauo memoraui. Quibus addo coronã quæ in inſula beatorũ datur victoribus athletis. Hæc enim in voluptariis illis ludis, qui tamen imitantur veros & generoſos, tam in gymnicis certaminibus quàm in muſicis plectitur ex alis pauonũ. Cæterùm alia quoque pennarum genera antiquitas addidit galeis, vt coniicere licet è munere, hoc eſt, galea, quam gentes Oceani miſerunt Annibali. Silius Italicus.

Sil. Ital. lib. 2.

Ecce autem clypeum ſaxo fulgore micantem
Oceani gentes ductori dona ferebant
Callaicæ telluris [ſ opes] *opus, galeamq́, coruſcis*
Subnixam criſtis, vibrant cui vertice coni
Albentes niueæ tremulo nutamine pennæ.

Sunt ergo aliarum auium pinnæ, vt infra dicam, additamenta galearum, ſuper alia ornamenta. Id totum nihil aliud eſt, niſi imitamentum priſci moris regum Ægyptiorum. Hi enim quandoque

Diodor. Sicul. lib. 2. antiq.

ignem, quandoque arborem, quandoque redolentia ſupra caput vnguenta geſtabant. Quæ omnia inuenta erant augendo regio decori, tum iniiciendo aſpicientibus ſtupori, fortè & ſuperſtitioni. Huius ferè generis illa ſunt apud Plutarchũ, vbi is memorat, qua ratione Philopœmenes emendarit vitia quæ erant in cultu militiaque Achæorum. Nam inter cætera ait, mulieres habuiſſe in mani-

Plutarch. Philopœm.

bus κράνη καὶ πτερὰ βαφαῖς κεκοσμημένα, galeas & pinnas tincturis ornatas,

quarum aſpectus, vnà cum cætero armorum paratu, animũ iis addebat qui ad pugnam ituri eſſent. Ad hoc exemplum hodie quidem vix vlla familia, aut etiam gens eſt quę non quidpiã ſibi peculiare vindicet, cui eſt affinitas aut ſimilitudo quædã cum illis quæ ſcuto, in quo ſunt inſignia, continẽtur. Illud, quicquid eſt, vt ſymbolum gentis proprium & manſurum collocant in hac præclara, ac multiplici ſuppellectile, quę è ſuperiori parte galeam amplectitur. Ibi omnia aſpiciuntur concinna, muſica, luculenta, rara etiam & inuſitata, & ob hoc ipſum digna quæ aduertantur. Huiuſmodi eſt ille in galea gigas apud Statium,

—galeaq́ corruſca
Prominet arce gigas. *Stat lib. 4. Theb.*

CAP. XIIII.

De iis galeis quas vocant apertas. De ea galea, quæ cùm ſit aperta, habet rectum intuitum. De galea aperta quæ dextras aut ſiniſtras partes aſpicit. Galea clauſa.

GAleas apertas vocant illas quæ habent aſpectum per quędam interualla patentia, laminis extrorſum & arcuatim proiectis. Id quod cui rei inuentum dicam, niſi quia ductoris eſt coniicere oculos in omnes partes, vt quicquid facto opꝰ eſt imperare poſſit? Equidẽ exiſtimo, hac ipſa de cauſa galeam maiorũ poteſtatum ita conſtitui vt ſit recta, hoc eſt, non vergens in hoc illudue latus, ſed recto intuitu, ac in omnia pariter libero proſpectu. Huius galeæ rectà apertæ, quæ eadem eſt ſummi ducis propria, exemplũ exſtat apud Satium, vbi duo Thebani fratres de regno contendentes infeſtis animis armiſque concurrunt. Nam vtrinque galea vſque eò eſt aperta, vt eius ſit rectus in hoſtem aſpectus. Et verò vterq; fratrum ſe regem ferebat.

Hæc pugnæ facies. coëunt ſine more, ſine arte,
Tantum animis iraq́, atque igneſcentia cernunt *Stat lib. 11. Theb.*
Per galeas odia, & vultus rimantur acerbo
Lumine.

Itaque Cyrus cùm militaria omnia compararet, & ſiquę in meliorem vſum verti oportebat, iis quoque intẽtus eſſet, aurigas currauũ militarium totos armauit, τοὺς ἡνιόχους ἐθωράκισε πάντα πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν, oculis exceptis, nimirũ, vt liber illis eſſet in omnia proſpectus. *Xenoph de inſtit Cy. lib. 6.* Dici quoque poteſt hoc genus galeæ per plura & dilucidiora interualla patere, ne dux in exercitu ignoretur, ſed vel hinc qui ſit, vbi ſit, ab omnibꝰ ſciri poſſit. Neque enim latere poteſt aut debet is, cui vni, aut certè præter ipſum pauculis hoc genus galeæ geſtare

licet. Id quoque pertinet ad continendos in officio milites, qui ſe oculis imperatoris ſubiectos eſſe ſciunt. Et hæc quidem de galea ſummarum poteſtatũ dici poſſe puto. At minori imperio, ſeu ducatu præditi galeam quidem ea ratione quam dixi, apertã gerunt, ſed quæ dexteras aut ſiniſtras partes aſpicit. Id quod haud dubiè aliquod in exercitu munus, ducatumue ſignat, ſed imparem priori illi, cui incũbit ſumma rerũ, aut cura illi proxima, hoc eſt, nobilis aliqua præfectura; cuiuſmodi illius eſt, qui impoſit⁹ eſt alę, ſiue turmæ equitum aut etiam legioni, quales erant legati, aut tribuni militum in exercitu Romano. Quippe talis dux, quòd galeatus dextrorſum aut ſiniſtrorſum tuetur, hoc, videlicet, eſt ſymbolum eius ducatus qui paret imperio maioris alicuius. Et verò in exercitu multi ſunt qui ita ducunt, vt eâdem ipſi ducantur. Ita habent milites dicto audientes, ſi ipſi priùs potentioris imperio obſequuntur, nempe illius, cuius auſpiciis ſimul ac ductu, aut ſaltem ſolo ductu res agitur, aut, quod proximum eſt, illius cui is hanc curam demãdauit. Poſtremò galea aperta non ſolùm oculis, & reſpiratui, ſed & voci meatus eſt, vt imperia ducis à militibus exaudiri poſſint. Tertium genus galeæ vulgus clauſam vocat & obſtructam. Huiuſmodi apud Silium Italicum illa eſt, quæ *atrato munimine clauſerat ora.* Sil. Ital. lib. 14. Hæc quoque vergit in hanc aut in illam partem, non ſanè per vlla talia interualla, qualia ſunt in ſuperiorib⁹ galeis, ſed per minuta & crebra quædam foramina, quà militi datur aſpectus. Quo effigiatu is docetur, ſe quidem beneficio principis eſſe receptum inter milites perpetuos, quæ eſt hodierna nobilitas, vt infra dicam, ſed nõdum inter ductores. Certè hodiernam nobilitatem nihil aliud eſſe dixeris, quàm nomen ac decus militiæ, quam, quòd tranſmittitur ad hæredes, perpetuam voco. Milites cùm dico, equites dico. Nẽpe hoc genus galeæ aut caſſidis, de qua nunc ago, plerunque eſt tegmen equitis. Ductores voco eminẽtioris notæ equites, qui equitum turmis præfecti ſunt. Itaque per hæc minuta foramina miles tantum videt, quantum obſequio præſtando ſatis eſt. At inde vox eius uix exauditur, quia tacitus quàm loquens eſt obſequentior, & imperia ducis exequens melior eſt quàm interpretans. Sępiùs etiã vultum militis abſcondi magis quàm retegi neceſſe eſt, ne vllus ibi deprehendatur pauor aut pallor, vt in illis qui apud Siliũ Italicum.

Sil. Ital. lib. 14.

——tenuata iacendo

Et maciem galeis abſcondunt ora.

Atque adeo hoc inſuper addit, *——maluſq;*

Ne ſit ſpes hoſti velatur caſſide pallor.

Hinc fit, vt id genus galeę quod arbitrio geſtoris & claudi & aperiri poteſt, non tam militi conueniat quàm ductori. Quę omnia vt à

ſummis ducibus, militiæque peritiſſimis ingenioſè reperta cõſtat, ita cuiuſmodi ſint, incurioſè aduerti, nec ingenioſè exquiri, infructuoſa planè indiligentia eſt. Antiquitas quidem iſtis & ſolerter rimandis & cognoſcendis mirè diligens, mirè, prope dixerim, anxia & ſcrupuloſa fuit. Cæterùm quod talia capitis tegmina militaria fecerit multorum generum; Quòd item cuiuſque generis plures partes conſtituerit, eáſque propriis nominibus ſignauerit, docet locus Pollucis, vbi nominat περικεφαλαίαν, κυνῆν, κράνος eorumque partes. tum γεῖσον & ἐπίκρανον, & λόφον, & λοφίαν, & τριλοφίαν. De quibus omnibus nos aliquid dicemus in ſequentibus. *Poll. lib. 1. cap. 10.*

CAP. XV.

De ea galea quæ duci conuenit. Is qui ſibi aperuit viam ad nobilitatem hodie vix geſtat galeam apertam, (Qui mos viget in Germania) ſed illo prognatus. Id ſecus fit apud pleraſque gentes, vix vllo diſcrimine galeæ apertæ & clauſæ. De inſignius togatæ nobilitatis paucula. Clypei olim eloquentiæ dati.

INter prima & aduertenda præmia, illa quibus militaris virtus hodie donatur, illa ipſa quæ ita dantur vt manſura ſint apud omnem poſteritatem, maximè aduertẽda eſt galea conſummata, quæ duci conuenit, & duci quidem equitum. Enimuero ad hunc ducatum vix quiſquam peruenit, niſi per multos, eóſque vtiles & illuſtres militiæ labores; denique nõniſi decurſo eo ſpatio, cui conficiendo vix vnius virtus aut ætas par eſſe poteſt. Minimùm, duorũ illud opus eſt, qui pari ſtudio, parique felicitate illud iter pergant. Ergo naſcens, nouáque nobilitas, fateor, amplectitur virum fortem, illum qui edendis virtutis facinoribus meruit referri inter ordines equitũ ſtrenuiſſimorum. Atque hæc quidem quia noua eſt, iubetur eſſe contenta iis inſigniis quæ nuperam demonſtrent, hoc eſt, galea clauſa, quæ equitem indicat, ſed adhuc ſequentem, & obſequio probatum, nondum ducatu clarum. At qui ex hoc nouo germine, è viro, inquam, generoſo editus eſt, quiquè patris veſtigiis inſiſtens eadem ſpatia fortitudinis decurrit, in hoc verò iam cenſetur confirmata nobilitas, hoc eſt, non vacillans & nutans, ſed iam tempore rata, fortibus experimentis corroborata, audentior facta, & animoſiùs aſſumens vetera inſignia veteris & indubiæ nobilitatis, illius è qua edecumantur duces, & quidem ſine vllo metu & periculo. Eſt enim apud homines concepta exiſtimatio, è tali germine nihil non optimum naſci poſſe. Itaque quiſquis editur parente ſtrenuo & generoſo, is non vt ab homine electus, ſed vt à natura factus eques ſuo quodam iure aperit galeam nulla nota ab

inſigniis antiquæ nobilitatis diſtinctam. Et verò quacunque patet Germania ij galeas clauſas geſtare dicuntur, qui reſcripto principis imagines ac titulos nobilitatis primi inducunt in ſuam familiam. Alij ciuilem, ſiue vrbanam nobilitatem hinc ſignari aiunt, ſicuti eam quæ non pari greſſu incedat cum illa quæ agris imperitat. Nempe hoc genus nobilium qui agros & lata camporum occupant, aiunt eſſe vrbibus veluti procubitores, vt, ſiquid fortè ingruat aduerſi, ad ſubita, ad ardua, ad pericula ſemper ſint parati. Ac proinde iſtis ferè vnis vrbium ſalutem debeſi aiunt. Denique illos ipſos, quorum honores & claritas in vrbibus eminet loco, dignitate, gradu iſtis concedere, quorum quodammodo ipſæ vrbes ſunt in tutela. Quæ quàm verè dicantur, ego in medio relinquo. Neque enim ſum neſcius, vrbanæ & ciuilis, campeſtris & caſtrenſis nobilitatis nullum eſſe apud multas gentes diſcrimen. Quin & illud aduerti, pluribus in locis non minori loco eſſe galeas clauſas quàm apertas, galeáſque fortiſſimorum equitum ſuper ſcutis hac ſpecie repræſentari. Huiuſmodi ſunt illæ apud Statium,

Stat. lib. 4. Sylu.

——galeis iuuat oſcula clauſis
Inſerere, amplexuq́, truces deducere conos.

Etſi hoc loco ſcio poſſe dici, illud, *clauſis*, non ſignare formam galeæ, ſed inſtantem pugnam; cùm galeæ ita eſſent, vt ita dicam, oppeſſulatæ, vt capiti firmiter hærerent. Nam cùm pugnandum eſt, ita clauduntur galeæ, vt illis quas apertas, ſiue patentes, voco, liber nihilominus relinquatur aſpectus, qui ſatis eſt præſtandæ operæ ſiue militari, ſiue imperatoriæ. Redeo vnde diuerti, & aio, in pleriſque prouinciis & familiis vtrumque galeæ genus æquari, vt veteres parietes, in quibus picta ſunt nobiliſſimarum familiarum inſignia, fidem faciunt. Nec ego meum iudicium hîc interpono; ſed quid ſit in vſu, nullo circuitu eloquor. Hæc ſi illa ipſa qua ſcribuntur, ſynceritate legentur, neminem offendent. Abſit vt mihi prauum conſilium ſit, vlli nec genti, ac ne perſonæ quidem vlli quicquam detrahere quod pertineat ad dignitatem ſuam. De re nullis, quod ſciam, mandata literis, ac ſpecioſiùs picta, quàm probè intellecta ea lege ſcribo, vt nullum veritati, me autore, præiudicium fiat. Hoc tantùm firmare poſſum, quarundam vrbium eam eſſe dignitatem, nempe ex opibus & potentia natam, vt, qui ibi agunt primores nihil quicquam concedant iis, quorum in agris excellit autoritas & potētia. Cæterùm faſtidioſè quidam, ac renidētes aſpiciunt inſignia togatæ militiæ, aut etiā municipalis nobilitatis cumulata hiſce galeis tanquam hæc militia, & nobilitas quæ inde eſt, ſit infra dignitatem illius quæ brachiis ac ferro

rem

rem cernit. Denique ita agunt & loquuntur, vt ſi indigna res ſit; eum qui non caſtra, non exercitum frequentat, non ſuam perſonam caſibus & periculis obiectat, tamen inſigniri decore armorum, proprioque armatæ militiæ documento. Quid, inquiunt, galeæ cum pileo? quid ferro cum papyro? quid haſtæ cum ſtylo? Ego qui ad alia propero, hos iubeo adire antiquitatem, priſcam dico ſapientiam, quæ eloquentiæ, ac proinde ijs omnibus artibus per quas itur ad eloquentiam, tribuit inſignia militiæ, nempe clypeos; Hi enim in eloquentium hominum honorem templorum parietibus affigebantur. Ergo & iſti ſimiliter interrogari poſſunt, Quid facundiæ cum clypeis? Quid ſonorę oratoris voci cum ferrea præduri militis lancea? Quid capiti, aut brachio clypeato cum profeſſione ſapientiæ? Cur illa ipſa quæ Pallas eſt, dicitur Minerua? Cur nunc pingitur haſtata, nunc galeata? Cur Romani imperatores, ſuperatis hoſtibus, optimè repub. geſta, ſcribas ſuos annulis aureis in concione donarunt? Cur antiquitas ante periculum ſacrificabat Muſis? Cur ipſis & Herculi vna eademque ara ſtatuta? Cur Plato gymnaſticam & muſicam in vno, eodemque homine, hoc eſt, cuſtode ciuitatis coniungi vult? Annon vt per hæc fides fiat, in Repub. non minoris eſſe decernendi rationem, quàm decertandi fortitudinem? Ac proinde non caſtra eſſe potiora foro, non arma toga, non ſtylo gladium? Et hæc quidem de galeis dici poſſe puto.

Tacit. lib 2. Annal.

Cic. act. 5. in Verr.

Plutarch. in Lacon. apophc.

CAP. XVI.

Vnde ſumptæ ſint pinnæ quæ galeis adduntur, tam Romano quàm Græco more. Pinnarum effigiatu quid ſignificetur. Totæ aues galeis additæ. Picus. Phœnix. Gallus.

ἀλεκτορίς.

VNDE manarit hoc inſtitutum, & qua ratione conſiſtat is mos galeæ circumponēdi pinnas, ſiue alas auium, tum etiam criſtas, nunc dicendum. Et quidem pinnarum inſtituto apud Romanos cauſam dediſſe puto id quod memorat Valerius Maximus, cuius hiſtoriam in pauca contraxi, quorum ſumma hæc eſt. Brutij & Lucani odio incitatiſſimo Turinæ vrbis exitium petebant. Hanc Romani totis viribus protegebant. Cùm res ancipiti euentu gereretur, non audentibus Romanis prælium ingredi, eximia magnitudine iuuenis præſenti numine victoriam Romanorum adiuuit; eiſque hoſtes capiendos tradidit; quorū viginti millia cæſa, quinq; millia cum ducentis capta. Poſtero die cùm Cōſul

Caudaq́; porrigitur fuluo diſtincta metallo,
In cuius maculis purpura miſta rubet.

Gallum quoque antiquitas fecit inſidētem caſſidi Mineruæ. Hinc eſt quod eius galeæ conus λόφος ἀριστοφαλείας, propriè dicitur ἀλεκτοεὶς. Plutarchus quoque tradit, Artaxerxem regem præmium dediſſe illi Cari, qui Cyrum vulnerauerat, facultatem & ius geſtandi galli aurei ſuper lancea, ante ordines, cùm is eſſet in exercitu. Additque Perſas Caribus indere nomen gallis propter criſtas quibus ſummitates galearum ornare ſoliti ſunt. Aiuntque Martem gallo dediſſe, vt pro galea criſtam obtineat. Hodie quoque huius auis effigies ſæpe aſpicitur conſpicua comes coronæ. Id quod haud dubiè ad generoſitatem geſtoris refertur. Nam gallus *imperitat ſuo generi, & regnum in quacunque eſt domo exercet. Idem in victoria canit nempe triumphum, ſeq́; ipſe principem teſtatur ſuperbo inceſſu, ardua ceruice, criſtis celſus, ac veluti radiata corona inſignis.* Quomodo radiatam coronam Lactantius tribuit Phœnici. Pauſan. lib. 6. Etymol. ἀλεκτοεὶς. Plutarc. Artax. Lucian. ſomn. ſeu gall. Plin. li. 10. c. 21. Poſt Lactant. Firmian.

Æquatur toto capiti radiata corona
Phœbei referens verticis alta decus.

Et hæ quidem ſunt clementium auium effigies, præ alijs animalibus, quæ galeis antiquitas addidit, & quidem ferocibus & immitibus.

CAPVT XVII.

Horribilium ferarum quandoque effigies, quandoque ſpolia, qualia hîc ſingillatim enumerantur, galeis addidit antiquitas.

SVPERIORIBVS credo annumerari poſſe tauros. Nam & horum cornubus armantur galeæ. Quod ipſum non minùs quàm illa quę dixi, eſt ſymbolum ducatus. *Non præcedit armenta degener taurus,* inquit Seneca, *ſed qui magnitudine ac toris cæteros omnes vicit.* Certè & taurus & leo regem ſignant. Sed taurus eſt melior, & ſignificantior typus regis quàm leo. Cauſas enumerat Dio Chryſoſtomus. His, opinor, adductus Iulianus tauro monetā ſignaſſe dicitur. Etſi non ſum neſcius, à ſcriptoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ hanc afferri, quòd is ſuperſtitione illaqueatus frequēter tauros immolabat. Vt vt eſt, Eam rem Antiocheni ſolita procacitate exceperunt, orbemq́ue terrarum ab eo euerti dixerūt, ſicuti à tauro feroci ac præcipiti. Quid, quod tam ipſi viri fortes ac ſtrenui, quàm ipſis prognati vocantur tauri? *Amo,* inquit Syneſius, *propter honeſtiſſimam vocem, ſiue famam patris iuuenem taurum, bonas Romanorum ſpes.* Omitto & illud, quod tamen & verè Sen. ep. 9 . Dio. Chryſoſt. orat. 2. Niceph. lib. 10. cap. 27. Syneſ. ep. 31. Steph. ταῦρος.

& loco dici poſſet, omnia magna antiquitatem vocaſſe tauros. Taurorum cornubus affinia ſunt vrorum cornua, quæ quoque ſuper galeis vtrinque proſtant. *Hæc in tantum modum protenduntur,* inquit Solinus, *vt dempta ob inſignem capacitatem inter regias menſas potuum gerula fiant.* Adhibentur & galeis capita vrſorum, Statius,

Solin. cap. 23.

Ille Lycaoniæ ritu caput aſperat vrſæ.

Stat. li. 4 Theb.

id eſt, caput ſuum horribile reddit effigie vrſæ Lycaoniæ, caſſidi, ſcilicet, impoſitæ. Leonem quoque galeæ ſuperaddidit antiquitas. Legimus Adraſtum ab oraculo iuſſum collocare filias ſuas, vnam quidem apro, leoni alteram. Is Adraſtus cùm Tydæum & Polynicem pugnantes inueniſſet, hos pro certo habuit eſſe illas feras, nempe illum aprum, illumque leonem, qui oraculi voce eſſent editi. Habebant enim ille ſpolium Leonis, hic apri. Nimirum, προτομὴ τοῦ θηρίου, illud ſpolium feræ, quæ fuit anterior pars ferini capitis, in ſuprema galea geſtabatur veluti inſigne fortitudinis ad galeam, ſcilicet, horrificandam. *Perſarum rex inſidens equo,* [verba ſunt Ammiani Marcellini] *ante alios celſior ipſe præibat agminibus cunctis aureum capitis arietini figmentum interſtinctum lapillis pro diademate geſtans, multiplici vertice dignitatum, & gentium diuerſarum comitatu ſublimis.* Non deſunt gentes, quibus ſunt ἐπίκρανα θηρεῖα, ac ſi dicas ferinæ galeę. Id quod Strabo de Iberibus memorat, & contermina his gente Albanis, tum Amazonibus. Tradit Plutarchus, Pyrrhi galeam fuiſſe inſignem cornibus hircinis. Idem Plutarchus autor eſt, Cimbros ante illud prælium quod haud lõgè à Vercellis cum Mario commiſerunt, fuiſſe inſignitos talibus ferarum terriculamentis, quæ altiùs extulerant ſuper galeis, vt viderentur altiores & proceriores. Quin non ſoli milites aut duces, ſed & ipſa numina interdum voluerunt aſpici vultu ferino. Athenis ἐπὶ Λύκῳ: in Lyco ipſa Iuno habuit formam feræ. Saturnus effigiatur *nunc facie draconis, nunc rictu leonis, nunc criſtatus cum dentibus aprinis.* Quid, quòd effigiati ſerpentes quandoque caſſidi hęſerunt? Statius de duobus fratribus pugnantibus de regno Thebanorum,

ἐν παρέργῳ.

Amm. Marcel. lib. 19.

Strabo lib. 11.

Plutarch. Pyrr.

Plutarch. Mario.

Pollux lib. 8.

Martian. Cap. lib. 2.

Stat. li. 11. Theb.

Fræna tenent ipſæ; phalerasq́; & lucida comunt
Arma manu, mixtisq́; iubis ſerpentibus augent.

Idem alibi tales iubas vocat terribiles. *-procul arma furentis*
Terribilesq́; iubas, & frontem caſſidis horrent.

Stat lib. 10. Theb.

Hoc ad exemplum Silius Italicus galeam Metelli trucem vocat.

Dum criſtam galeæ trucis, exuuiasq́; precatur
De duce Metello ſuperos!

Sil. Ital. lib. 14

Galeam Vlyſſis Homerus donat dentibus ſuis.

—ἔκτοσθε δὲ λευκοὶ ὀδόντες
ἀργιόδοντος ὑὸς θαμέες ἔχον ἔνθα καὶ ἔνθα *Iliad.κ.*
εὖ καὶ ἐπισταμένως.

exteriùs autem albi dentes albidentis ſuis crebri muniebant hinc atque illinc bene & ſcitè. Nempe, hoc eſt illud τὸ ἐκφόβητρον terriculamentum quod Silius Italicus tribuit quoque venatoribus, vbi loquitur de equis Sarmaticis & venatione.

—hinc venit in arma *Sil.Ital. lib 3.*
Haud cui fragilis ſonipes, crudoq; vigore
Aſper frena pati, aut iuſſis parere magiſtri.
Rindacus his ductor; telum ſparus; ore ferarum
Et rictu horrificant galeas.

Euripides galeç Achillis imponit ſphinges, monſtrum vnciratum, prædam vnguibus inuncatam auferentes, & leęnam igniuomam.

ἐν δὲ χρυσοτύπῳ κράνει
σφίγγες ὄνυξιν ἀοίδιμον ἄγραν *Euripid. Elect. actu 2.*
φέρουσαι. περιπλεύρῳ
δὲ κύτει πύρπνοος ἔσπευ-
δε δρόμῳ λέαινα, χαλαῖς
πειρηναῖον ὁρῶσα πῶλον.

In deaurata verò galea ſphinges vnguibus famoſam prædam portantes. cæterùm in latera ambiente ſpatio ignem efflans currebat curriculo leæna vnguibus peirenæum inuadens pullum. Cæterùm quinam ſint Sphingis ſignificatus & quomodo pingatur, veluti per nebulam diſcimus è Plutarchi comutilo & corrupto loco quo ei aſſimilat Amorem. Nam tribuit ei ἐπαγωγὸν τὸ ποίκιλμα τοῦ πτεροῦ blandam ſeu illecebroſam varietatem alarum. Si, inquit, ad radios ſolis [conuertitur] neſcio quid aurei, ſi ad nubes intuetur, neſcio quid cyanei, vt quædam Iris eſt coruſcante ſplendore. Bacchum Semele mater coronauit draconibus, cuiuſmodi Hecaten ſupra deſcripſi. *Stob. ψογ. ἀφροδ. καὶ ἔρωτος.*

στεφάνωσέν τε δρακόντων
στεφάνοις.

coronauitque draconum coronis. Et pergens deſcribere horridum hunc ornatum, ait,

—ἔνθεν ἄγραν
θηροτρόφοι μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις.

inde prædam feras nutrientes mænades circumplectuntur capillis. Cuius capiti inſident dracones, eiuſdem caſſidi imponi poſſunt effigiati. Et hæ quoque vocantur diræ caſſides; hoc eſt, aſpectu diro. Silius Italicus,

Haud procul haſta viri terra defixa propinqua,

Et dira è ſumma pendebat cuſpide caſſis.

Virgil. 7. Æneid. Virgilius in galea Turni collocat chimæram,

Cui triplici crinita iuba galea alta chimæram
Suſtinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.
Tum magis illa fremens, & triſtibus effera flammis
Quàm magis effuſo crudeſcit ſanguine pugnæ.

Iſtis annumero tigrides, quæ bellatoris caput, & ſuperiorem corporis partem horrificabant. Valerius Flaccus,

Valer. Flacc. lib. 6.
Perq; leuem & multo maculatam murice tygrin
Concita cuſpis abit. ſubitos ex ore cruores
Saucia tygris hiat, vitamq; effundit herilem.

Cæterùm etſi ars opificis tales galeæ criſtas repræſentat truces, & horribiles, tamen animata virtus militis eas facit horridiores ac terribiliores. Statius,

Stat. lib. 3. Theb. —*comunt furor iraq; criſtas.*

Virgil. lib. 3. Æneid. nempe imitatione Virgilij qui criſtas facit comantes.

Et conum inſignis galeæ, criſtaſq; comanteis

ſicuti alibi quoque galeam facit comantem.

Virg. 2. Æneid. —*deinde comantem*
Androgei galeam, clipeiq; inſigne decorum
Induitur.

CAP. XVIII.

Gorgo in galeis. Gorgones inſignes ſerpentibus. Gorgona in pectore geſtare, quid. Mos regum Ægyptiorum. Equi bellatores terriculamentis circumdati. Naues horrificatæ. Iuba equorum addita galeis, tum cauda equina. ἱππουρεις quid.

PRÆTER ea quæ mihi ſunt dicta, pleraque alia addebantur galeis, quò omnis illa ſpecies viri bellatoris eſſet terribilior. Quippe imitatione Palladis ferebant eminentem ſuper galea Gorgona, atque adeò clypeo inſculptam. Ariſtophanes,

Ariſtoph. Lyſiſt.
—καὶ μὴν τόγε πρᾶγμα γελοῖον
ὅτ' ἂν ἀσπίδ' ἔχων καὶ γοργόνα τις, κᾆτ' ὠνεῖται κορακίνους.

Atqui hoc negotium [eſt] ridiculum Cum quis habens ſcutum & gorgona, deinde emit coracinos. Apud eundem poëtam Pallas

Ariſtoph. ἱππ. dicitur ἡ γοργολόφα, id eſt, ἐκ τῆς κεφαλῆς τῆς γοργοῦς τὴν περικεφαλαίαν ἔχουσα, è capite Gorgonis caſſidem habens. Hanc Gorgonem Virgilius vocat ſæuam, hoc eſt vultu toruo & fero.

Virgil. 2. Æneid. *Iam ſummas arces Tritonia reſpice Pallas*

Inſedit, nimbo effulgens & Gorgone ſæua.

Ad Palladis exemplum Lamachus ille Ariſtophanæus vocatur γοργολόφας, καὶ βλέπων ἀστραπάς, intuens fulgetra, ſiue intuitu fulguris, id eſt φοβερώτατος, maximè formidabilis. Nam hic quoque Lamachus in clypeo habuit inſculptam Gorgonem; quomodo eam Poëtæ collocant in pectore Palladis, nempe crinito anguibus ore. Vt apud Virgilium vbi loquitur de Cyclopibus. *Ariſtoph. Acharn.* *Cic. Verr.*

Ægidaq; horrificam, turbatæ Palladis arma
Certatim ſquamis ſerpentum, auroq; polibant.
Connexoſq; angues, ipſamq; in pectore diuæ
Gorgona deſecto vertentem lumina collo. *Virgil. 8. Æneid.*

Cæterum tam ſæuo, tamque vibrato aſpectu Gorgo erat, vt ad eius intuitum homines lapideſcerent, fierentque ſaxei. Et hoc fuit Græcis λιθίνως βλέπειν, ſaxeum in morem aſpicere. Et cùm quiſpiam dicebatur Gorgonem in pectore gerere, cenſebatur eſſe horribile quoddam ſpectaculum; certè tale, vt mala auertere, hoſtes perterrefacere, dubiam victoriam alicui certam reddere poſſet. Et hoc illud eſt, quod ille ait apud Ariſtophanem de Lamacho, *Xenoph. incõu.* *Lucian. philop.*

—— ὃς τὴν γοργόνα
Πάλλει κραδαίνων τρεῖς κατασκίους λόφους. *Ariſtoph. Acharn.*

qui Gorgonem vibrat quatiens tres vmbratos conos. ac ſi dicat, Lamachum eſſe tantæ fortitudinis bellatorem, vt poſſit ſolo aſpectu quoſcunque velit, proſternere. Virgilius caput Orniti armat ſpolio lupi.

—— caput ingens oris hiatus
Et malæ texere lupi cum dentibus albis. *Xenoph. in ctū.*

Hoc non omiſerim ipſas Gorgonas interdum inſignes eſſe ſerpentibus, qui circumplectuntur earum cincinnos, linguaſque exertant.

ἐν δ᾽ ἄρα Γοργόνες ἦσαν ἀναιδέες. ἀμφὶ δ᾽ ἄρα σφιν·
σμερδαλέοι πεπόνηντο ἐπὶ πλοχμοῖσι δράκοντες,
αἰνὸν λιχμώοντες. *Q. Calab. lib. 5.*

Inditæ etiam Gorgones efferæ; quibus hinc atque illinc tremendi circa cincinnos dracones excuſi erant linguas horribili modo exſertantes. His affinia Diodorus Siculus tradit de regibus Ægyptijs, quibus morem fuiſſe ait, aut leonis, aut tauri, aut draconis anteriorem partem capite geſtare, inſignia videlicet principatus. Quem morem imitatus eſt Adrianus Imperator, cuius caput in numiſmate aſpicitur inſignitum capite rictuque leonis ferociſſimi, cuius ipſe, ſi Dijs placet, fuit interfector, vt alibi dico. Nec verò ipſi homines tantùm, ſed & equi bellatores hiſce ſiue ornamentis, ſiue terriculamentis circumdabantur. Statius, *Diodor. Sic. lib. 1. rer. antiq.*

Stat.li.9.Theb.

Illum acies inter medias iam eade ſuperbum
Neſcius armorum, & primas tunc paſſus habenas
Venator raptabat equus; quem diſcolor ambit
Tigris, & auratis aduerberat vnguibus armos.
Colla ſedēt, nobis eſt caſtigata [l.non eſt incaſtigata] *iubarū*
Libertas, memoriſq́, nota ſub pectore primo
Iactantur niueo lunata monilia dente.

nempe, imitatione Virgilij qui æquum Æneæ texit ſpolio leonis.

Virgil.8.Æneі.

Ducunt exortem Æneæ, quem fulua leonis
Pellis obit totum præfulgens vnguibus aureis.

Niſi quis malit hoc ipſum tegmen tribuere Æneę. Nam ad vtrumque referri poteſt. Ipſa quoque nauium inſignia hac ratione horrificata fuiſſe conſtat. *Plutar. γυναιϗ. in Laconicis.* Plutarchi hæc ſunt verba, Nauigabat nauigio leonem habente in prora inſignem. At in puppi draconem. Et hæc quidem fuit horridior illa ſpecies quam acres bellatores aſſumebant in capite, in armis, in equis. Nimirum, *vt è tali, tamq́ multiformi*, vt Dictys Cretenſis ait, *Dictys Cret. lib. 4. de bel. Troi.* *ſpecie horrendam belli faciem præbente acritas & ferocia bellatoris præſumi poſſet.* His omnibus addo iubas equorum, quas equites in ipſa galea plerunque oſtentabant Statius,

Stat.li.4.Theb.

—— capiti tremit area caſſis
Ter niuea ſcandente iuba.

Idem alibi,

—— Lycus excelſo terrore comantem
Perſtrinxit galeam. Conuulſæ cuſpide longè
Diffugere iubæ, patuitq́, ingloria caſſis.

Stat.li.9.Theb.

Quem morem eſſe antiquiſſimum ex eo datur intelligi, quod Homerus galeam Paridis auctat cauda equina.

Iliad. γ.

κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκεν,
ἵππουριν. δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν.

Capite autem in forti galeam bene factam poſuit cauda equina ornatam. grauiter autem criſta deſuper nutabat. Iubas vocat Ouidius,

Ouid. lib.12. Metam.

—— Fulua iubis caſſis.

Iliad. ζ. *Sophocl. Antig.*

Alibi Homerus facit conum galeæ hirſutum ſetis equinis immaniter à ſumma galea nutantem. Sophocles vocat galeas ἱπποκόμοις. Silius Italicus de Curione,

Sil.Ital. lib.8.

Horridus & ſquamis, & equina Curio criſta.

Alibi hic ipſe poëta militibus dat cudonem, hoc eſt, pellem ferinam, qua caput tegunt.

Sil.Ital lib.8.

—— caput his cudone ferino
Stat cautum.

Valerius

Valerius Flaccus has vocat iubas terribiles.

——nam pectore ferro, *Valer. Flacc.*
Terribileſq́; innexa iubas ruit agmine nigro *Argon. lib.6.*
Latratuq́; cohors.

Homerus præcipuè galeam Achillis donat iubis equinis.

—— ἡ δ' ἀστὴρ ὥς, ἀπέλαμπεν
ἵππουρις τρυφάλεια· περισσείοντο δ' ἔθειραι *Iliad. τ.*
χρύσεαι, ἃς Ἥφαιστος ἵει λόφον ἀμφὶ θαμειάς.

Hæc autem vt ſtella lucebat criſtata galea. Circum autem mouebantur iubæ aureæ, quas Vulcanus poſuerat conum circum frequentes. Ergo in funere Achillis athletis ſagittarijs præmium proponitur ἱππόκομος τρυφάλεια galea equinis ſetis inſignis. Cæterùm hę equorum multiplices ac denſatæ iubæ dependentes è tribus, aut *Q. Calab. li.4.* etiam quatuor conis galeæ aſpiciuntur tripliciter aut quadrupliciter criſtatæ. Id quod, & ſiquid aliud eſt quod ſicuti ſylueſcens è galea multiplici & erratico lapſu dependeat, quales aſpicimus corymbos, id, inquam, omne inuentum fuit augendæ ſpeciei magni & acris bellatoris; atque adeò illi terrori multiplicando, quem aſpicienti inijcit habitus & aſpectus fortiſſimi & ferociſſimi equitis emicantis in Martem, qualem Homerus deſcribit Achillem præter pauculos alios. Hoc genus equitum ſic armatorum, nempe equis inſidentium, ſæpeque caput motantium Græcis erat Τειχαίκες. At apud Homerum & alios ἵππουρις eſt genus galeæ ex equina cauda, ſeu crinibus conum habentis. *Etymol. Τειχαίκες.*

CAPVT XIX.

Conus galeæ. Conus duplici, triplici, quadruplici criſta inſignis. Quid differat conus à criſta. Criſta cuius fuerit inuentum. Summus quiſque bellator criſtatus. φαλὰ, φάλαρα, *phalera.* ἀμφίφαλος, τετραφάληρος, τετράφαλος, τετρακόρυθος τετράπηλος κυνέη. *Coni galearum ſublimes.*

SVPREMA & eminentiſſima pars galeæ, quæ Gæcis eſt λόφος *Pollux lib. 4.* hoc eſt, ἐπίσημα τῆς περικεφαλαίας, vna dictione πῆλιξ, noſtris *cap.8.* conus plerunque ſuſtinet illa omnia galeæ additamenta quæ ſupra *Etymol. λόφος.* memoraui. Et quidem conus eſt illa curuatura quæ prominet in ſummitate galeæ, ſuper quam criſtæ ſunt, hoc eſt omnis ille orna- *Seru. in tert. Æn.* tus qui galeam reddit admirabilem, vt loquitur Etymologicum, *Etymol. κορύφαντος.* τὸ περισσὸν τῆς περικεφαλαίας ἀνάθημα χάριν κόσμου καὶ καταπλήξεως. Hæc, inquam, omnia ornabant bellatorem, eaque ſpecie circumdabant, quæ ſpectantibus terrorem inijcere poterat, potiſſimùm è frequenti talium motu. Virgilius de Turno,

——tremunt in vertice criſtæ *Virgil. 9. Æneid.*
Sanguineæ.

Tyrtæus in illis verſibus quibus hortatur iuuenes ad fortiter pu-
Philoſtr. in imag. gnandum ait, κινείτω δὲ λόφον δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς, moueat autem [vnuſ-
quiſque veſtrûm] conum ſæuum ſuper capite. Huiuſmodi eſt illud
Stob. π. πολέμου μ. de Emypylo, & Neoptolemo dictum, qui incedebant συνεπινεύοντες τοῖς τῶν λόφων κινήσεσι, ſimul nutantes ſupremæ galeæ motibus.
Lucian. de gymnaſ. Hæ ſunt illæ galeæ, de quibus Soloni Anacharſis loquitur apud
Lucianum ὅπως ὑμᾶς ἡ εἰρήνη διατέθεικε βαθεῖα οὖσα, ὡς μὴ ἂν ῥᾳδίως ἀνασχέσθαι λόφον ἕνα κράνους πολεμίου ἰδόντας, Ita alta pax vos affecit, vt non
facilè criſtam vnius hoſtilis galeæ conſpectam ſuſtineatis. Et hic
hic quidem conus interdum duplici, quandoque triplici & qua-
druplici criſta inſignis eſt. Hinc illa apud poëtas alioſque epitheta
galeæ data, ἀμφίφαλος, & τετράφαλος κυνέη. tum τετραφάληρος, τετράφαλος,
τετράπτιλος, denique ipſa φάλα, & φάλαρα. De quibus priuſquam ſin-
gillatim dico, identidem moneo, aliud eſſe conum, aliud criſtam.
Hęc enim additur cono, & ſupra eum collocatur, ſiue exit ex ipſo,
vt apud Silium Italicum, —— *criſta nitenti*

Inſurgens cono, ſpolia exuuiaſq; Libyſſæ.

Sil. Ital. lib. 16. Ergo criſta non quidem eſt neceſſaria ambiendo, muniendóve
capiti, ſed altiùs aſſurgit, ac præ ſe fert neſcio quod inſigne gene-
roſitatis & fortitudinis, quod omni illa ſpecie continetur; ſed in-
ſigne tantùm. Hinc Eteocles ait apud Æſchylum,

λόφοι δὲ κώδων τ' οὐ δάκνουσ' ἄνευ δορός.

Æſchyl. ἑπτ. ἐπὶ Θηβ. coni ac tintinnabulum non mordent ſine lancea. Ac ſi dicat ſine
virtute bellatoris talia nihil eſſe niſi vana turriculamenta. Talium
geſtores vocabantur κωδωνοφαλαρόπωλοι. Ergo λόφος non ſolùm eſt
Etymol. λόφος. ſuperior pars galeæ curuata, verùm etiam ipſe φάλος criſtæ, quæ ſu-
per cono ſplendent, & inde exeunt in ſuperiora. Et verò φαλὸν vo-
cabant τὸ λαμπρὸν, clarum & ſplēdidum. Etymologicum ita diſtin-
guit φαλὸς ἀπὸ τῶν λόφων, vt φάλοι ſint τὰ ἐπὶ τῆς περικεφαλαίας μικρὰ ἀσπιδίσκια, circa galeas parua quædam ſcutula. λόφοι δὲ αἱ τριχώσεις, illa, ſci-
Etymol. ἄφαλον. licet, ſiue capillamenta, ſiue iubæ quæ nutant ſuper galea. Vt apud
Apollonium Rhodium. Nam vbi galeæ mentionem fecit, addit,
Apollon. Rhod. lib. 3. ἐπὶ δὲ λόφοι ἐσείοντο φοινίκεοι, deſuper autem capillamenta, ſiue iubæ
mouebantur. Ne multa; Hæc omnis ſpecies hac vnica voce con-
tinebatur, φάλα, qui eſt κόσμος τῆς περικεφαλαίας διὰ τὸ λαμπρότατον,
ornatus galeæ propter eximium, [qui ibi eſt] ſplendorem. At in
ſpecie, φαλὸς κόρυθος criſta galeæ eſt τὸ προμετωπίδιον ἀνάστημα τῆς περικεφαλαίας, frontale quod inſurgit è galea. At φάλαρα vocabant τοὺς προμετωπιδίους ἀσπιδίσκους, circa frontem ſcutula. Hinc phaleræ vulgata
Herodot. lib. 1. apud noſtros dictio. Hæc quoque omnia non abſurdè compre-
hendi poſſunt vnica dictione criſtæ; quam Herodotus à Caribus
manaſſe tradit. Nam Carum tria inuenta fuiſſe dicit, criſtas in

galeis, ſigna in clypeis, anſas quibus clypei prenſantur: Quæ Straboni ſunt ὄχανα, vbi loquitur de Caribus, eademque de his tradit quæ Herodotus. Non ergo mirum ſi poëtæ eximium quemque bellatorem criſta donant, hoc eſt, criſtarum faciunt, vt Lucretius, *Strabo lib. 14.*

—permiſta cæde calentes *Lucret. lib. 5.*
Turbabant ſæui nullo diſcrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes vndique criſtas,

Quidam apud Liuium ait, *non criſtas vulnera facere.* Virgilius *Liu lib. 10.*
Achillem donat tali criſta, *Virgil. 1. Æneï.*

—inſtaret curru criſtatus Achilles,

Hic ipſe poëta Romulo tribuit duplicem criſtam.

Viden' vt geminæ ſtent vertice criſtæ? *Virg. 6. Æneid.*

Galea quam Vulcanus præter cætera arma Æneæ fabricatus eſt, fingitur criſtata.

Miraturq́; , interq́; manus & brachia verſat, *Virg. 8 Æneid.*
Terribilem criſtis galeam, flammaſq́; vomentem.

Alibi hic ipſe Turnum facit criſtatum,

—maculis quem Thracius albis *9. Æneid.*
Portat equus, criſtaq́; tegit galea aurea rubra.

Et infra de iuuentute Rutula,

—aſt illos centeni quemq́; ſecuti,
Purpurei criſtis iuuenes. *9. Æneid.*

Et alibi de Pandaro & Bitia,

Armati ferro, & criſtis capita alta coruſci,

Alibi Mezentio tribuit criſtam equinam.

Ære caput fulgens, criſtaq́; hirſutus equina. *10. Æneid.*

Eædem criſtæ hoſtibus detractæ ſtatuebantur inter inſignia ſpolia. Virgilius de regia Latini,

Multaq́; præterea ſacris in poſtibus arma
Captiui pendent currus, curuæq́; ſecures,
Et criſtæ capitum.

Alibi Euryalus Meſſapi galeam criſtatam aufert.

Tum galeam Meſſapi habilem, criſtiſq́; decoram *9 Æneid.*
Induit.

Alibi Aſcanius Niſum alloquens pollicetur ſe ei daturum criſtas Turni, *—ipſum illum clypeum, criſtaſq́; rubenteis*
Excipiam ſorti, iam nunc tua præmia Niſe.

Alibi Virgilius criſtas Mezentij collocat inter trophæa.

—aptat rorantes ſanguine criſtas. *11 Æneid.*

Ex his, alijſque locis diſcimus, vniuerſum illum galeæ ornatum quandoque fuiſſe dictum ἀμφίφαλον κυνέην, hoc eſt, vtrinque criſtatam, ſiue duplici criſta conſpicuam galeam.

Q. Calab. lib. 3.

—— ἐν δ' ἄρα θλάσσεν

Ἀμφίφαλον κυνέην ὀλοὸς λίθος.

Et fregit galeam vtrinque, ſiue dupliciter criſtatam fatalis lapis. Interdum hic ipſe ornatus conſtituit τετραφάλη triplici vertice criſtata, ſiue inſignita galea. Plutarchus vbi memorat Aratum ſuperueniſſe illis, qui Pellinenſium vxores & virgines trahebant ad ſtuprum, impoſitam fuiſſe ait vnicuique feminæ galeam, vt cuius quæque eſſet, ſciri poſſet. Additque, filiæ Epigetis illuſtris cuiuſdam viri impoſitum ab illo fuiſſe cui nomen ἐπιλεπάρχης, qui eam ſibi ſepoſuerat, non quidem ſimpliciter κράνος galeam, ſed τριφαλίαν, quod erat militare capitis geſtamen & ducis, & eximij cuiuſque bellatoris. Ariſtophanes quoque nominat tres λόφους in hoc verſu,

τὸ λοφεῖον ἐξένεγκε τῶν τριῶν λόφων.

Ariſtoph. Acharn.

thecam [criſtæ] effer trium criſtatum. Erat, videlicet, Lamachi galea τρεῖς λόφους ἔχουσα tres criſtas habens, ſiue tripliciter criſtata è pennis circumpoſitis imitatione Geryonis, cui quòd erant tria capita, Herculi fuit δυσκαταγώνιστος, difficilis expugnatu. Meritò ergo Apollonius Rhodius τρυφαλείας galeas tripliciter criſtatas vocat ἀκροπλόφους, habentes conos ſublimes. Et Q. Calaber ὑψιλόφου τρυφαλείης, hoc eſt, vt Statius vertit, *arduam coni gloriam.* Sophocles generali epitheto talem galeam donat. Eam enim vocat εὔλοφον κυνέην, bene criſtatam galeam. Tali galea donatur Pentheſilea, cum eſſet exitura ad pugnam contra Achillem,

Apollon Rhod. lib. 2.

Q. Calab. lib 1.

Stat. li. 8 Theb.

—— ἀμφὶ δὲ κρατὶ

Q. Calab. lib. 1.

θῆκε κόρυν κομόωσαν ἐθείρῃσι χρυσείῃσιν.

circa caput poſuit galeam ornatam coma aurea. Æſchylus apud Ariſtophanem meminit huius triplicis galeæ,

Ariſtoph. βατ.

πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας, καὶ λευκολόφους τρυφαλείας.

ſpirantes haſtam & lanceas, & albatas, ſiue conſpicuas triplici criſta galeas. Quæ verba Lucianus mutuatus eſt in Philopatri, ſi modò ipſius eſt. Hoc ferme exemplo Euripides galeam Aiacis facit τετράκορυθον. Quandoque hęc criſta quadruplicatur, diciturque τετραφάληρος.

Euripid. Oreſt. actu 5.

Iliad. λ.

κρατὶ δ' ἐπ' ἀμφίφαλον κυνέην θέτο τετραφάληρον,

ἵππουριν.

capiti autem impoſuit galeam quadruplici criſta è ſetis equinis. Id quod alibi enunciat his verbis, φαλὸν κόρυθος ἱπποδασείης, conum galeæ crinitæ, hoc eſt crinibus denſatis. Apollonius Rhodius loquens de Æte talem ei galeam imponit.

Apollon. Rhod. lib. 3.

χρυσείην δ' ἐπὶ κρατὶ κόρυν θέτο τετραφάληρον.

Auream verò ſuper capite galeam poſuit quadrupliciter criſtatam: Vocatur & ab Homero τετράφαλος κυνέη, & Homeri imitatione ab

Iliad. μ.

Apollonio Rhodio, hoc eſt, τέσσαρας φάλους ἔχουσα. Ariſtophanes galeam Lamachi vocat τετράπτιλον, quadripennem. *Apoll. Rhod. lib. 2.*

Βούλει μάχεσθαι Γηρυόνῃ τετραπτίλῳ;

Vis pugnare cum Geryone [geſtante galeam] quadruplici criſta?

CAP. XX.

καταῖτυξ. Galea Orci. Horror qui eſt in galea Palladis, qualis.

ET hæc quidem galearum ſiue ornamenta, ſiue terriculamenta ſic ſe habebant in conis, in criſtis, in crinibus & iubis. Multumque differebant ab eo genere galeæ, quæ Homero eſt καταῖτυξ, ſine cono & criſta, ἄφαλος, καὶ ἄλοφος. Hac enim ratione latebat, neque conſpici poterat. Hoc genus galeæ quidem ab rege, & à ductore exercitus tunc ſumi crediderim cùm non vult agnoſci, ſaltem non dignoſci à manipulari & gregario milite. Sæpe enim adeſt occaſio cùm regem abſcondi, latere, ignorari expedit, propemodum quomodo Mineruam Homerus ait impoſuiſſe capiti ſuo galeam Orci, ne videretur à Marte. *Etymo. καταῖτυξ.*

Δῦν' Ἄϊδος κυνέην, μή μιν ἴδοι ὄβριμος Ἄρης. *Iliad. ε.*

Induit Orci galeam, ne ipſam videret potens Mars. Vbi Euſtathius prouerbialiter dici ait, cùm quis dolo quidpiam tentat, ᾍδου κυνέην φορεῖν, hoc eſt, δολίως τι πράττειν, dolosè & fraudulenter aliquid agere. Id quod verum eſſe, palam fit è loco Platonis, vbi is ait, iuſtè viuendum eſſe, ſiue quis habeat annulum Gygę, ſiue non; aut etiam τὴν Ἄϊδος κυνῆν, galeam Orci. Cæterùm hæc Orci galea nihil aliud eſt quàm denſiſſima nebula, qua ſe Dij condunt, ne ſe inuicem intueantur, ἀοράσια, καὶ περιφραστικῶς ἡ περικειμένη. Eleganter & ſuo more Ariſtides ait Philippum regem ὥσπερ νεφέλῃ κεκαλυμμένον ſicuti nebula abſconditũ vbique tamen præſentem eſſe & manifeſtum, ac miris modis Græciã agitare. Quod autẽ dixit νεφέλῃ κεκαλυμμένον, ſtatim interpretatur, & his verbis enũciat, τὴν ποιητῶν κυνῆν περικείμενον. poëtarũ galeã circundatũ. Dicitur quoq; aliquis geſtare τὴν ἄϊδος κυνῆν, id eſt, κομᾶν ſiue κουρειᾶν, gerere comam intonſam & ſqualentem, indicem luctus. Hanc Ariſtophanes vocat σκοτοδασυπυκνότριχα τὴν ἄϊδος κυνῆν, nigram, rigidam, hirtam Orci comam. Legitur etiam κυνᾶις vnica dictione, in quibuſdam verbis Sapphus recitatis à Stobæo. Cùm ergo Homerus dicit, Mineruam impoſuiſſe capiti ſuo galeam Orci, idem eſt ac ſi dicat, non ſuam gerere, non illam conſuetam & quotidianam, quæ ſæpe eſt aurea,

Euſtath. in ε. Iliad. *Plato lib. 10. de Repu.* *Etymol. ἄϊδος. κυνῆ.* *Ariſtid. Ἀθην. ἱκουσ. συμμα.* *Ariſtoph Acha.* *Stob. lib. 2.* *Ariſtoph. Lyſiſt.*

vnde ipſam vocarunt χρυσολόφαν, etſi hæc quoque horret, quodam
Stat. li. 2. theb. tamen horrore decoro. Statius,

Bellipotens, cui torua genis horrore decoro
Caſſis, & aſperſo crudeſcit ſanguine Gorgon.

Hic eſt ille horror cuius ſeu vi, ſeu reſpectu ipſe Cupido quamlibet domitor omnium numinum ab vna Pallade manum abſtinet. *Lucian. in dial. Deor.* Ipſe alloquens Venerem hoc fatetur, cùm, inquit, arcu tenſo eo ad eam, ipſa mota criſta terreatque, gradum refero. Ipſę ſagittæ defluunt è manibus. Ea re Venus, cùm Paris iam iam iudicaturus eſſet de pulchritudine Dearum, cenſet æquum eſſe, Palladem ponere galeam, & nudum caput oſtendere. *Lucian. in iud. Dear.* Id quod ideo ipſa fieri poſtulat, ne ſolo concuſſu galeæ iudici terror inijciatur. Iſtis haudquaquam ſunt diſſimilia hæc Martiani Capellæ deſcribentis hanc ipſam galeam Palladis.

Martian. Cap. lib. 6.
Hinc nam tergeminæ rutilant de vertice criſtæ,
Quod dux ſanguineo, præſulq́; coruſca duello;
Vel tibi quod fulget, rapiturq́; triangulus ignis.
Hinc tibi dant clypeum, ſapientia quod regat orbem;
Vel rationis opem quod ſpumea prælia poſcant.

Itaque ſi quando Pallas induit galeam Orci, extraordinariam induit & noua de cauſa, ea quam ſupra dixi. De hac Orci galea videndus eſt Scholiaſtes Apollonij Rhodij lib. 4. ſuper hoc verſu.

Apoll. Rhod. lib. 4.
Γοργόνος ἀρτίτομον κεφαλὴν βασιλῆϊ κομίζων.

Gorgonis paulo ante reſectum caput regi portans. Perſeus hac galea tectus non fuit viſus auferre caput Gorgonis. Id quod fuiſſe *Achil. Tat. li. 3.* pictum in æde Iouis Caſſij tradit Achilles Tatius. πῖλος δὲ αὐτῷ τὴν κεφαλὴν καλύπτει· ὁ πῖλος δὲ αἰνίττεται τὴν Ἄϊδος κυνέην. Pileus verò eius caput abſcondit. Et pileus ſignificabat Orci galeam. Ergo is qui geſtabat hanc galeam quæcunque ipſi collibuiſſet, videbat. Ipſe à nemine aſpici poterat.

CAPVT XXI.

Galeæ ſplendentes, flammeæ, ſcintillantes. λόφοι hyacinthini & albi. στεφάνη, id eſt, galea. Galeæ ſortes inijciebantur. Vſus galeæ in pace. γλαῦροι. Galeæ radiatæ, aureæ, & gemmeæ. Galeæ additur olea & laurus. Mites galeæ. Æquales galeæ coniunctæ. Galeæ hodie adduntur τὰ στέφη, ſiue ſtrophia.

EX ijs quæ ſupra citaui veterum & ex ijs quæ mox memorabo locis videmus quoque galeas honeſtari luce & ſplendore & flammis. Silius Italicus,

——ſummaq́, in caſſide largus — Sil. Ital. lib. 9.
Undantes voluit flammas ad ſydera vertex.

Idem alibi.

——propiorq́, à fronte coruſca — Sil. Ital. lib. 5.
Lux galeæ ſæuas paulùm tardauerat iras.

Sic Apollonius Rhodius,

Ἀμφὶ δὲ χαλκείας κόρυθας κεφαλῇσιν ἔθεντο
Δεινὸν λαμπομένας. — Apollon. Rhod. lib. 2.

At verò æreas galeas capitibus circumpoſuerunt valde ſplendentes. Alibi hic ipſe Apollonius Rhodius galeam τετραφάληρον, dicit eſſe λαμπομένην οἷον τ' ἀρίζηλον ἔπλετο φέγγος ἠελίου, ὅτε πρῶτον ἀνέρχεται ὠκεανοῖο, eadem ratione reſplendentem qua orbiculare lumen ſolis, cùm primùm emergit ex Oceano. Audentiùs Statius his verbis, — Apoll. Rhod. lib. 3.

Fulmine criſtatum galeæ iubar. — Stat. li. 3. theb.

Apud Silium Italicum galea dicitur ſcintillare, vbi Fabius Maximus verſatur in media mole pugnæ. *-alta*
Scintillant criſtæ. — Sil. Ital. lib. 7.

Idem alibi facit galeam horreſcentem flammis:

Aut quæ flagrarent galea exhorreſcere flammas. — Sil. Ital. lib. 10.

Et hæ flammæ non ſolùm conſtabant è ſplendore quem ferrea & ærea caſſis eiectabat, verùm etiam è diuerſitate eorum colorum qui ibi adhibebantur, atque vt præclari & ſcintillantes aduertebantur. Xenophon vbi memorat dona quæ Panthea viro in prælium exituro obtulit, Profert, inquit, ipſi Panthea galeam auream, & brachialia, & armillas latas circa iunctutas manuum, & purpuream ad pedes vſque demiſſam tunicam inferius ſegmentatam, καὶ λόφον ὑακινθοβαφῆ, & conum [galeæ] colore hyacinthino. Alibi hic ipſe ſcriptor ijs qui cum Cyro militabant dat λόφους λευκοὺς, conos albos. E' quibus omnibus conſtit is terrori mixtus galeæ ornatus. Reliqua omnia quę galeæ adhibentur, non terroris, ſed ornamenti gratia ibi addi conſtat. Denique omnes militares notæ quæ galeam ſeu caſſidem circumplectuntur, nihil neque ſignant neque ſonant, niſi eius & laudes & vſum excellentem, qui quàm in bello eſt neceſſarius, tantum in pace decoris & ornamenti adfert militibus, ducibus, regibus. Hinc eſt, quod galeam Homerus vocat ſτεφάνην, eôdem prope cum corona, aut certè affini ſignificatu. — Xenoph. de inſt. Cy. lib. 6. — Xenoph. de inſt. Cy. lib. 7.

——Ἕκτωρ δ' Ἠιονῆα βάλ' ἔγχεϊ ὀξυόεντι
Αὐχέν' ὑπὸ στεφάνης εὐχάλκου. — Iliad. η.

Hector autem Eioneium interficit haſta acuta per ceruicem ſub galea boni æris. Et alibi,

Αὐτὰρ ἐπὶ στεφάνην κεφαλῆφιν ἀείρας
Θήκατο χαλκείην. — Iliad. κ.

Sed galeam in capite eleuans poſuit æream. Certè galea eſt eius & ominis & dignitatis, vt in exercitu ſortes inijciantur galeæ regis.

Iliad. η.

—— οἱ δὲ κλῆρον ἐσημήναντο ἕκαστος.
ἐν δ' ἔβαλον κυνέῃ Ἀγαμέμνονος ἀτρεΐδαο.

Hi autem ſortem ſignauerunt ſinguli. Et iniecerunt galeæ Agamemnonis Atridæ. Itaque vt in bello galeas muniendo & armando, ſic in pace honeſtando & condecorando capiti iam per ſe illuſtri inuentas conſtat. Hinc illæ galeæ conſpectiores & ornatiores, quæ inſignijs imponuntur eminentium virorum. Scilicet, ad exemplum illarum quæ Deorum, Dearumue capitibus inſidér, quos vocabant γλαῖνες, τὰ λαμπρύσματα τῶν κεφαλῶν ſplendores, ſiue coruſcationes capitum. Certè Callimacho Pallas eſt χρυσοπήληξ, aurea, ſiue aurata galea. Alij radiant galeas gemmis & auro. Ouidius,

Etymol. γλαί-νες.
Callimac. hym. εἰς λουτ. τῆς Παλλ.
Ouid. lib. 3. de Pont.

Scuta, ſed & galeæ gemmis radientur & auro,
Stentq́, ſuper victos trunca trophæa viros.

Eadem prope Statius,

Stat. li. 9. theb.

Interdum criſtas hilaris iactare comanteis,
Et pictum gemmis galeæ iubar.

Nam quamuis ferro domitetur aurum, tamen propria dos auri eſt vt ferro ſit ornamentum, & auro gemmæ. Et hæc, ſcilicet, coniuncta ſæculi felicitatem ſignant. Ergo & priſco more galeæ non ſolùm auro, ſed & gemmis, vt dixi, radiantes aſpiciuntur. Prudentius,

Prudent. Pſych.

Si fratris galeam fuluis radiare ceraunis
Germanus vidit commilito, non timet enſem
Exſerere, atque caput ſocio mucrone ferire
De conſanguineo rapturus vertice gemmas.

Nec ſolùm auro & gemmis honeſtabantur galeæ tempore pacis, ſed & olea, quod dixi eſſe veriſſimum ſymbolum pacis. Hac ratione Romam galeatam deſcribit Prudentius, vbi eam facit loquentem vt ſupra dixi.

Prudent. lib. 2. contra ſymm.

Cùm galeam ſub fronde oleæ, criſtaſq́, rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula ſerto,
Atque armata Deum ſine crimine cædis adoro.

Galeæ quoque inſignibantur lauro. Statius.

Stat. li. 7. theb.

Omnibus immixtas cono ſuper aſpice lauros.

monſtrandæ, videlicet, victrici illius virtuti à quo geſtatur. Valerius Flaccus,

Valer. Flacc. lib. 1 Arg.

—— *vittataq́, frontem*
Caſſis, & in ſummo laurus Peneïa cono.

Et hæ

Et hæ quidem præ illis terribilious dicuntur mites galeæ, cuiuſmodi Trygæus ille Ariſtophanæus agnoſcit eſſe galeam Palladis. Nam pace parta hortatur omnes vt huic Deæ ſupplices adſint, quòd amouit criſtas galearum, & gorgonas, hoc eſt, metus, horrores, tremores.

> Νῦν μὲν οὖν ὦ 'νδρες προσευξώμεσθα πρῶτον τῇ θεῷ, — *Ariſtop.* εἰρήν.
> Ἥπερ ἡμῶν τοὺς λόφους ἀφεῖλε καὶ τὰς γοργόνας.

Nunc quidem ô viri adprecemur primùm Deam quæ nobis dempſit criſtas & gorgonas. Id ipſum imitatus eſt & expreſſit Claudianus in his præclariſſimis verſibus, vbi loquitur de Pallade miteſcente, atque adeò fauente raptui Proſerpinæ.

> *—— quin ipſa tubarum* — *Claud lib. 2. de rap. Proſerp.*
> *Armorumq́; potens dextram qua fortia turbat*
> *Agmina, qua ſtabiles portas & mœnia vellit,*
> *Iam leuibus laxat ſtudijs; haſtamq́; reponit;*
> *Inſolitisq́; docet galeam miteſcere ſertis.*
> *Ferratus laſciuit apex; horrorq́; receſſit*
> *Martius; & criſtæ pacato fulgore vernant.*

Illud aduertendum, omen concordiæ capi è galeis duorum militum, ſi ipſi tanta æqualitate incedunt, vt neuter apicum ſupereminéat alterum. Concordem hanc germanitatem adnotauit Statius, & ego ex ipſo,

> *Sic certè paria arma viris; ſic exit in auras* — *Stat. lib. 7. Theb.*
> *Caſſidis æquus apex vtinam hæc concordia noſtris.*

Hoc exemplo hodie in coniunctis nobilium familiarum inſignijs, aſpiciuntur ſingulis ſuperpoſitæ caſſides, vt hinc demonſtretur gentium concordia affinitatis vinculo conſtricta. Cęterùm tales galeas, nempe pacis indices hodie geſtant ipſi reges, ijq́ue qui aut regibus dignitate ſunt proximi, aut loco regum obeunt regia munia. Promiſcua hodierna nobilitas conum galeæ cumulat ijs quæ Græcis ſunt τὰ στέφη, ſiue στρόφια. Eſt enim materia tortilis & plicatilis corollam, aut etiam coronam repræſentans. Id quod pertinet ad demonſtrandum, atque adeò ad augendum decus illius, cuius galeam inſignit. Vt quiſquis nobilitatis prærogatiua honeſtatus incedit, intelligat ſibi vt cuidam regulo deberi coronam, ſi ijs pręſidijs nititur quibus cumulandis inuenta eſt corona. Hæc item corolla ſiue corona inibi ſignat omnia læta, & fauſta. Ex ijs quæ hæc de re tradidi, puto manaſſe morem effigiandi hodiernas, de quibus egi, galeas; omnemque illam ſiue horridiorem, ſiue mitiorem earum rerum faciem quæ eas circumfundunt. Hæc item illa ſunt quæ de coronis ſublimium poteſtatum habeo quæ dicam. Hic ſit huic curæ modus. Nam hoc ſpatio decurſo, ſingulas deſi-

nitionis partes, qua in ipſo aditu vſus ſum, quæque mihi ad omnia ductrix fuit, me hiſce decem libris executum puto. Iſtis quilibet addere poteſt ſua. Eſt enim res infinitior; nec priùs abſoluetur quàm deſit ſcriptori quod legat, ordinet, colliget. Quicquid vltra eſt, ea ſemper erit artifici coronarum vberrima materia. Mihi abundè eſt, rei totius imaginem conformaſſe. Nam politæ & cōſummatæ gloriam nec ſpero nec affecto. Tantùm poterit is qui in hæc diuertet, ſi non me ipſe ſciens fallo, mihi ea re gratias habere, quòd multis, quę ætas obſcurauerat aut etiam obliterauerat, nouitatem dedi, vtilia prompſi, ſuppreſſis inanibus. Quę quiſque aut non probè intellecta, aut māca & imperfecta ſollerter deprehenderit, ea mihi clementer condonet. Hinc ipſe actiùs accendatur ad illa inueſtiganda quę mihi in tot labyrinthęis flexibus ſeſe ſubduxerunt.

FINIS.

RERVM QVÆ HOC OPERE CONTINENTVR, ſummæ accuratè ſcriptæ.

A

A Literæ principatus. 422
Abies. 59
Abijcere coronam. 3
Abuſus coronarum. 47. & 63. non deuenuſtat coronas, ijſue ſuam dignitatem demit. ibid. & ſeq.
Abydenorum ἀκρωεία. 75
Acanthus flos coronarius. 179. ridens. ibid. eius vſus & deliciæ, ibid. & ſeq. quibus floribus ſocietur. 180
Accipiter. 617
Accuſationes Olympiacæ. 308
Aciniæ corona. 120
Acis flos coronarius. 193
ἀκήρυκτος. 375
ἀκροάματα Pythica. 428
ἀκροχειρασμὸς. 426
corona Ἀχερωτοπσίας. 90
Actij ludi. 451
Ἀκτινοβολία. 604
Ademptio regij, & principalis cultus. 199. & ſeq.
Adiantum. 192
Adonidis ſaguis roſam edidit, 155. alia narratio fabulæ quæ eſt de Adonide. 156. ἀδωνιασμὸς. 178. ἀδώνεια. ibid.
Adrianus imperator inſignit caput ſpolio leonis ferociſſimi. 719
Adulari ianuas. 83
corona munus Adulatorum. 204.
Adulatio. 632
Adulteri lana coronantur. 335
Ægyptiæ coronæ. 120
Ægyptiorum regum mos. 708
Æolus coronatus. 692
in Aëre fiunt coronę. 29
Æs coronarium. 567
Æſculapius. 613
Æſtas coronata. 208
Ætatis probatio. 368
Æternitas coronata. 285
Æthrę circulus. 24
Ἀφετηεία. 378
prouerbium in eos qui multis malis affliguntur. 632
Agreſtia numina coronantur. 212
Ἀγῶνι. præmium. 341
Ἀγωνιστήριον. 348. ἀγωνοθέτης. ibid.

Ἄπηγμαι 80
Αἰολομιτρα. 268
Αἴπαχος. 545
Alba ſunt ver & æſtas. 166. albus color. 577
Alba veſtis propria ingenuorum, 578. & de hac plura, ibid. & ſeq.
Albæ veſti corona conuenit, 579. Is color virginibus eſt conuenientiſſimus. ibid. Albedo, 111
Ἀλείπτης. 372
Alexander Olympionicus victor. 353. Quanti fecerit coronas Olympiacas. ibid.
Alexandri *στέφανος.* 561
Alexandri ludi. 451
Alexandrina ludi. ibid.
Alimenta Olympionicis è publico data. 360
Ἀλιστέφανος. 9
Alphæus. 346
Alraria coronata. 261
Vide *Ara.*
Altiſſima corona. 4
Aluei coronati. 259
in Aluo corona. 31
Alyſſos, 45
Ἀλυτάρχης. 372
Ἄλως & *ἄλων.* 23
Amaracus flos coronarius, 181. amaracina vnguenta. 182
Amarantus flos coronarius. 178. coronæ ex amaranto. ibid. eius excellentia ibid. & ſeq. Eius vis aduerſus putredinem. 179. quibus floribus ſocietur. ibid.
Amantium eſt hedera, 58. munera mittunt amicis. ibid.
Amatoriæ quæſt. ibi. amatoriæ coronę. 87. Amicæ amatoribus coronas offerunt 81
Amazones viri. 268
Ambroſia planta coronaria. 197
corona ex Amerina ſalice. 41
corona ex Amethyſto flore. 45
ἁμιλλητήρια. 390
ἀμπεχόνιον. 269
Amomum flos coronarius. 181. Eſt Veneris, ibid. eſt odoratum. ibid. Aſſyrium commendatur. ibid. funeribus adhibitum. ibid. Aliæ eius dotes, ibid. quibus floribus iungatur. ibid.
Ἀμφιστορείτης ἀγών. 451
Ἀναγαλλίς. 193
Ἀναδεῖσθαι. 3. *ἀναδήματα.* 34
Anemone flos coronarius. 177. de hoc flore prouerbium, ibid. natales eius, ibi. Deliciæ huius floris 178. *ἀνεμῶναι* verborũ. ibi.
Ἀνδρεία. 337
Anethum. 177. flos criſpus. beneolens, pulcher. ibid. Quibus floribus miſceatur. ibid.
Anglici regni diadema. 602
Anthana vrbs florum. 199
ἄνθεια poſtea *Κορώνη.* 114. & altera hoc nomine. ibid.
ἀνθοκάρηνοι. 113
Animæ homini ſunt duæ. 287
in Animalibus coronæ: 30, animalia coronata die feſto Terræ & Cereri. 255
ἀντίνοι. 543
Antinoia corona. 784. Antinoia vrbs. ibid. Antinoia ludi, 452.
Antrum ex quo edebãtur Apollinea reſponſa, coronatum. 262
Apex. 273. apices coronarum. 621
Apium coronamentum Herculis 205. hac planta coronabantur ſepulchra virorum fortium. 221.

fuit coronamentum Iſthmicum, 441 plura de apio. ibid. & ſeq.
Apium coronamentum Nemeum. 435. & Iſthmicum. ibid. & 441. cur apium ſit coronamentum Nemeum. 435. & ſeq.
Apium pabulum equarum Iunonis. 436. vſurpatũ pro ſymbolo, atque adeò pro præmio victoriæ. ibid. Equi bellatores paſcũtur apio. ibid. Nemeum apium eſt inter theriaca medicamenta. ibid. eſt ἀείφυλλον. ibid.
Apium ſymbolum ἀειπαίδιον. ibid. ἐπιτάφιον. ibid. ex apio coronæ conuiuiales plexæ. ibid. Eſt hortenſe & paluſtre. ibid. pratenſe. 437. De hortẽſi plura. ibid. proculcatũ maiori gloria reuireſcit, ibid. viuax. ibid. pulchrum. ibid. virens. ibid. flexile. ibid. corona ex apio fundit ſe circa caput. ibi.
Apiaceæ coronæ aliquando inſerti flores natales. 438. Natales apij. ibid.
Apis effigies cum circulo. 25
Ἀποβατικὸς certamen. 451
Apollinis lyra redimita flore. 120
Apollo vnde dictus. 611
Apollo φίλαθλος 429. plura de ipſo, ibid. eſt rex & diadematus. 563. Eius ſacerdotes in albis veſtibus. 579
Apollo longè iaculans. 612
Apollonia ludi. 451
Apoſtolicum culmen. 663
Apſides coronarum. 662
Aquæ circulares. 25
Aquila. 546
Aræ ante fores coronatæ. 210. 261. in Arboribus coronæ. 305. arborum inoculationes. 123. arbores in lucis coronatæ. 213. arborum excellentia. 214. arbores ἀνιατοribus coronatæ. ibid. coniectæ apud ſepulchra. 218. ſacræ & religioſæ. 219
Arca coronata. 261
Ἀρχεπόλεμος. 704
Ἀρχιθέωροι coronati. 264
Arcus. 29
Argentum loco præmij. 328
Ἀργυρῖται ludi. 452
Ἀργυρίτης ἀγών. 351
Argus mutatus in pauonem. 707
Ariadnes corona. 26. & ſeq. 81
Arida coron. 541
Ἀριστεῖα præmia fortitudinis. 304. prærogatiua illorum qui talibus præmijs donabantur. ibid. Inter ἀριστεῖα eminet corona. 305
Ariſtophanes coronatus. 314. eius locus interpretatus. 406
Arithmetica coronata. 18
Armillæ. 460. 476
Armorum doctores. 338.
Arſuræ gemmæ. 153
Ἀστρίος. 628. 632
Artes liberales coronatæ. 318. aliæ artes coronatæ. ibid.
Artificium nectendi coronas. 107. & diſponendi flores. 121
Artifices conueniebant ad panegyres. 365. artifices coronati. 474
Arundo vernacula coronamentum Lacedæmoniorum. 42
Arundo odorata, vernacula dulcis. ibid.
Arundo coronamentum fluuiorũ. 202. & hominum. ibid. & iuuentutis Atticæ. ibid.
Aſini qui ſacra vehebant, coronati. 260. Is aſinus cuius beneficio Veſta eſt virgo, coronatus. 445.

de eius coronamento. ibid.
Aſparagi cortex coronamentum ſponſæ. 129
Aſphodelus, 189. Eſt mortuorum cibus. ibid.
ex Aſphodelo nauis. ibid. Dotes aſphodeli. ibid. Quibus floribus ſocietur. 190
Ἀστέφανος, ἀστεφάνωτος. 4
Aſterion planta coronaria. 197
Ἄστικτος τόπος. 148
Aſtra pallentia. 141
Aſylum. 369
ius Aſyli cõceſsũ Olympionicis. 359
Aſylum eſt in coronis, hoc eſt, coronati ſunt inuiolabiles. 396
Atalanta. 652
Athenæ coronatæ. 472
Athenienſes poſt rem proſperè geſtam aliquod donum ſuſpendebant Mineruæ. 529
Athenienſes iudices in albis veſtibus. 578
Ἀθεότητος corona. 335
Ἆθλα. 349
coronæ datæ Athletis. 339. Affinitas inter athletam & militem. ibid.
Athletę finis eſt vt coronetur. ibid.
Athletarum prærogatiuæ. 342
Athletæ. 349. & ſeq.
Athletis victoribus conceſſum ius aſyli. 359
Athletæ qui reijcerentur. Vide *ludi ſacri*. Athletæ quibus in ludis fuerint ingenui. 352. his licebat circumferre ſuas coronas. 354. & alia facere in decus ſuæ victoriæ. ibid.
longa athletarum exercitatio. 354
Athletæ caſti. 355
Athletæ tum demum fuit vera victoria, cùm is vincebat antagoniſtam ſuum, 355
Athletæ victori prius dabatur virga è palma ſymbolũ victoriæ quàm corona. 415
Athletis coronatis muri & portæ rumpuntur. 482
Athletica virtus. 338
Athletica degener. 423
Ἀθλητής. 338
Auctus coronarum. 525
Aues integræ galeis impoſitæ. 717
Auguſti cognomen. 626
Auguſtalis habitus. 687
Auguſtalis corona. ibid.
Auguſtale ſtemma. 690
Aulœdi in Pythico nomo reiecti. 375
Αὐλός. 381
Auræ pallentes. 140
Aurea corona ſacerdotum. 246
Aureæ militares. 460
Aurora roſea. 157. & ſeq.
Aurum palladium. 140. coronariũ 539. Demaretanum. ibid. 588. negotiatoriũ. 539. Dardanium. ibid. Quantitas auri apud priſcos. 587.
Aurum eſt ſymbolum regni. 664
Aurum. 701
Auri dignitas. 589. eiuſque dotes. ibid. Inde monitio ad reges. ibid.
Auri raritas. ibid. De auri geſtore. ibid.
Aurum in diademate quid ſignet. 597
Autocabali. 50
Autor coronarum quis. 32
Autumnales coronæ. 122
Autumni coronamentum. 208

B

Babyloniarum mulierum corona, & mos fœdus. 92
Bacchæ coronatæ. 252. & mitratæ. 171

Bacchantes ſemper coronati. 52
Baccharius flos coronarius. 180. facultas eius. ibid. quibus floribus miſceatur. 181
Bacchus petitus medicinæ. 48. & plura de eo. ibid. & ſeq. eius coronamentũ. 49. quod deſcribitur. 51
Baccho ſacrificantes hederati. 52
in feſtis Bacchi victimæ & multitudo coronabantur. 53
Bacchus perpetuo viret. 56. coronatur pampino. 202. redimitur floribus. 203 eſt femina 270
Βαΐς. 378. & ſeq.
Barba in luctu ponitur. 96
Barones. 644. horum coronę. ibid. monitio ad hos. ibid.
Βασιλεὺς Lacedæmone quis. 705
Beatitudo, V. *felicitas.* 475
Bellicę coronę V. *militares.* Beneficij dator coronatur ab acceptore. 106. miſſa corona eſt amicitiæ & beneuolentiæ ſymbolum. 241
Berenices corona. 28
Βίβασις. 432
Biblinum diadema. 699
Βίβλος. 198. & ex ea coronæ. ibid.
Bocchus flos coronarius. 191. flos inſcriptus. 192
Bonitas eſt propria ſolis & lucis. 610
Bos præmium victoris. 477
Bobus donabãtur qui dithyrambo viciſſent. 478
Bos pro drachma Athenienſe. ibid. de boue multa. ibid. & ſeq.
Βοτρυοστέφανος. 48
Βουλαῖοι Dij. 24
Βραβεῖς, εῖς, βραβευταὶ. 371. βραβεῖον. 416
Bracteæ. 110. Bractea quæ ambit medium diadema imperiale. 634
Buphthalmus flos coronarius. 190
Byzantinorum de coronãdis Athe-nis decretum. 47?

C

Κακοτεχνίας. 423. 450.
Cadens ſacrificanti corona quale omen. 246
ſi Caderent ſtemmata ſacerdotum quale omen. 247
Caduceus coronatus. 99. 394
corona è Cæpe. 47.
Cæſaries defunctis dabatur inter inferias. 224
Cæſaris vnius è filijs imperatoris corona. 690. & ſeq.
Calamintæ corona. 12
Calculis apud Thraces dies numerabantur. 216
Calices coronati. 68. calices Deo libantium coronati. 263
Calliope adeſt probis. 287
Καλλιστέφανος. 14. V. κότινος.
Κάλπη. 393
Caltha. 190. quibus ſocietur. ibid.
Καλύπτρα. 267
Καμπτὴρ. 380. & ſeq.
Candidus. v. *albus.*
Candys. 649. διπορφυρεῖς. 671. Veſtis genus. 673
Canis datus pro præmio. 3?8. canis. 652
Caninæ effigies. 656
Caniſtra in ſacris coronata. 263
Canities homini eſt ſicuti corona. 15. ipſa coronatur. ibid.
Cantus adhibiti conuiuijs. 77. vnde hic mos. ibid.
Capillorum coma. 14. & ſeq.
Capillorum nudatio inſtar coronę. 31
Capillus. v. *Coma.*
Capillus hyacinthinus. 173
Capillitiũ mulieres religãt hedera. 54. & ſeq. in luctu demitur. 96.

Capiſtra. 119
mos mactandi Capram in cõſpectu hoſtium. 534
Caput. 2. caput humanum coronatum. 31
Capiti tantùm coronæ aptari debent. 69
Caput. 489
Caput 1. perfectio 290. imperium. ibid. prima authoritas. ibid. Eius dignitas. ibid. & ſeq. Iuſiurandum per caput. 291. In qualicũque capite eſt magnum monumentum. 292. capite annuere quid. ibid.
Caput notare. ibid.
Caput pro toto homine. ibid. & ſeq. Quicquid in homine diuinitatis eſt capite potiſſimùm cõtinetur. 293.
Caput elatum, demiſſum, velatum, obuolutum. ibid. Intectum, pileatum, alba lana velatum, raſum capillatum, opertum, adopertũ. ibid.
Caput operire. ibid. Nudo capite aliquid patrare. ibid. Annotata quarundem gentium de capitibus. ibid. & ſeq. plura de capite. 294.
Capita hoſtium. ibid. Apud omnes gentes præcipua capitis ſemper fuit habita ratio. ibid.
Caput leonis. ibid.
Capiti honeſtando corona inuẽta eſt. 295
Caput coronatum quid ſignet. 295
Corona eſt propriũ capitis decus. ibid.
Carum coronamentum. 41. 42
Καρχαρεῖν, ſiue καρχαριᾷν. 33
Carolus V. 626
Carthago coronata. 464
Caſia flos coronarius. 189
Caſtiras coronata. 469
Caſtæ auerſantur myrtum. 180
Caſtrenſis corona. 462. & ſeq. Huius coronæ inſigne. ibid. Eſt aurea. ibid. priùs frondea. ibid. An caſtrenſis & vallaris fuerint duæ. ibid. Hoc decus à principibus tranſlatum ad comites eorum. ibid.
Καταῖτυξ. 725
Catena Homerica. 614
Κατεύγματα. 243
Καυσία. 673
coronæ Celebres. 308
Κῆπος. 387
Cenſus coronatum. 234
Centauri ferunt coronas ad conuiuium Deorum. 43
Centenariæ roſę malè legitur apud Tertullianum. 161
Centenarius numerus. ibid.
Centifoliæ roſę. ibid.
Κεράστολος. 681
Cereæ coronæ. 216
Cerebrum. 290
Cereris coronamentum. 501. & ſeq.
Ceres 1. terra. 503. De hac corona ibid.
Ceres eſt omnium regina. ibid. & cur. 504
Ceres ὁμπνία. 503
ſacra Cereris. ibid.
Iuramentum per Cererem. ibid.
quatuor Græciæ certamina antiquitas vocauit foliacea. 299
Certamina dicta coronæ. 341
Certamina dicebantur labores. 343
Certamina & ludi idem. 349.
Certaminũalia ſcenica, alia muſica, 350. alia ſacra, alia minimè. ibid.

omnium

omnium Certaminum coronę numerabantur, 327. Qui Olympię victor fuiſſet etiam concupiſcebat victoriam aliorum certaminum.359. De ordine certaminū. 384. Qui ſæpe fuit inuerſus.418. Vnicuique certaminum generi propoſita fuit corona. 417. & ſeq. Certaminum diuiſio Platonica.448.& ſeq. Hęc certamina ſine vllius periculo edebantur. 453. Plura de his certaminibus in ſeqq.
Ceruix V. collum.
Corona è chamæpeti. 45. *τετλαία χλόης*. 660. à Charitibus primæ coronæ.32. Charites ſunt cupreſſi. 256
Chelidonium. 192
χρύσεις. 49
χερίδες. 148. & ſeq.
Chimæra ſuper galea 717
Chloris. 121. & ſeq.
Choreas cùm ducerent virgines, erant coronatæ. 125. Choreę coronatæ.ibi. Choream quis inuenerit. ibid. Choreæ coronatæ fœniculo & populo. ibi. & ſeq.
Choronon. 2
χορὸς. ibid.
Chriſto tribuitur oleaginea corona.47. Non ſuſtulit coronas.ibi. Chriſti excellentia 661. & ſeq. Diadema Chriſti. 701
Chryſanthus & chryſanthemus, 190.de hoc flore plura,ibi.& ſeq.
in Chryſoberillis eſt corona. 29
χρυσομίτρης. 268
χρυσοστέφανος. 14
χθόνιαι coronę. 107
Ciceronis locus emendatus. 342
Cidaris recta. 670. Cidaris Armeniorum.671.de cidari plura.ibid. Cidaris Ægyptiorum. ib. & ſeq.
Cippus. 677
Circe fuit coronaria. 121
Circenſes ludi. 387. 451
Circularis forma. 5. motus. 22
Circulus.23. Circulus ſtatuæ adpoſitus cum titulo. 26. Circulus quingentorum ſtadiorum dicta eſt corona. ibid.
de Ciſſo,i.hedera fabula. 49
κισσοφόρος, ſeu *κιττοφόρος* lymphatus.51
κισσύβιον. 53
Ciſtæ coronatæ.262.&ſeq. V. *Vaſa ſacra.*
Citharæ deauratæ. 120. citharœdi in triumpho coronati. 535. & in theatro. ibid.
Ciuica corona.479.&ſeq.à quo daretur.481. in hoc obſeruāda. ib. fuit frondea. 482.Romanægētis eſt propria. ibid. & ſeq. eius dignitas.ibid. & 493 . datur ſeruatori Reip.483. non datur in bello ciuili.ibid. aliqui recenſentur donati hac corona.484.fuit collocata in faſtigio domus Auguſtæ. 485. fuit circumdata lauro. ibi. Ciuica ſtatuta ſuper foribus priuatorum. 485. & ſeq. Cœpit eſſe beneficium principis, non iudicium ſeruati. 486. priuilegia & prærogatiuæ eius qui ciuicam accepiſſet. 488. materia ciuicæ. ibid. quandoque ciuica fuit hederacea.500. in hac corona oliua fuit quercui miſta. ibid.
Claſſica, v. *Naualis.*
Claua Herculis ex oleaſtro. 407. de ea. 650
Clemens Alexandrinus inſectatur coronas.45. de his eius ſententia.

363.&ſeq.eius locus emēdatus.515
Κλωναὶ. 432
Clypei. 675
Cœlum coronatum. 13. corona Cœli. ibid. Cœli chorus coronatus. 29
vocabulo Cæli ſignatur caput. 289
Cæruleus color in diademate. 624
Collegia ſacerdotalia coronata.259
Colloquia qualia in conuiuijs. 80
coronæ impoſitæ Collo. 69
Colocaſia. 194
Coloriæ. 111
Coluſſus. 617. & ſeq.
Columna Achillis i. ſtatua. 243. & de hac re plura. ibid. & ſeq.
hæ Columnæ coronabantur. ibid.
Colūnæ in domibus coronatæ. 259
Coma dicitur cogi & frenari. 225
Coma ſoluta in virgine quid ſignet 124. quid item coacta. 125
Coma roſea. 155
Coma hyacinthina. 173
Comarum aurum. 15
Comites hodierni.643.horū corona. ibid. ad hos monitio. 644
de Commentario in Arati phænomena. 110
qui aliqua ratione auxit publica Commoda coronatur. 472
omnia in conuiuijs Communia. 85
Communes coronæ tam ducum quàm militum. 466
Comus.128. 152. coronatū vti Como. 85. Comi coronamentū.150
Conceptus coronatur. 688
In Concione dabantur coronæ virtutis.461. Cōcionaturi coronati. 295
Concordia hominis interna. 287
Concordia laureata. 550
Concordiæ omen. 729
Concoronari. 66. 91
Confinia ſunt in tutela numinum. 148
Coniectus florum.v. *Iacere.* 416
Conſecrātes aliquid Dijs coronati. 251
bonum Conſilium eſt à ſole. 611
corona Conſilij. 514
Conſtantiæ corona. 470
poëtæ Conuiciatoris pœna. 1
in Conuiuijs omnia communia, ne pſaltrijs quidem exceptis.85. priſca cōuiuia.87.&ſeq.quibus conuiuijs vxores intereſſent.88. conuiuia Parthi ineunt cum concubinis.ibid. corona cōuiuialis. 89. mos ferendi coronas ad conuiuium.43. de hoc more plura. ibi. 66. 76. conuiuia hederata. 53. in conuiuijs coronæ auctæ vt natæ. 64. cōuiuia priſcorum qualia. 65. & conuiuialibus coronis quomodo priſci ſint vſi.89. coronæ conuiuiales à conuiuiis tantùm geſtabantur. 69. conuiuiales coronæ duæ.70.coronę conuiuiales facta dona regum. ibid. harum coronarum additamenta. ibid. fuerūt aureæ & gemmatæ. ibid. Harum coronarum diſcrimen. ibi. miſſæ ad illos qui cōuiuijs intereſſe non poterant.71.alicui numini fuerūt dicatæ. ibid. appenſæ. ibid. ab hoſpite donabantur.ibid. conuiuialis corona in Africano fuit corona ſapientiæ & maieſtatis. 83. conuiuialis corona τὸ νικητήριον ἆθλον.94.Vix vlla cōuiuialis apparatus mentio fit ſine coronis. 100. Quin eæ cenſentur inter præcipuas delicias cōuiuiales.101. conuiuiales coronæ ex omnigenis

floribus. 117. corona roſacea eſt propria conuiuij. 149. coronæ ſacræ conuiuiales. 251. conuiuia in ſacrificijs. ibid. & in his coronæ. ibid. conuiuiales ex apio. 436. corona conuiuialis myrtea. 515

Conus galeæ. 721 quid differat à criſta. 722

Coqui coronati. 472

Cor ambitur vel circulo, vel corona. 70

κορδύλη. 674

Core vox Perſica. 624

Corinthiæ columnæ. 179

Corinthus coronata. 472

Cornua victimæ deaurata. 255

Cornu receptum inter diademata. 674. Occupauit cœlum. ibi. cornu eſt inſigne diuinitatis. ibid. & ſeq. Numina cornuta. 675. Fluuij cornuti. ibid. montium iuga cornuta. 676. Omnia ſumma dicuntur cornua. ibid. concauitates ſunt cornua. ibid. cherſoneſi cornuti. ibid. loca quædam in campis ſunt cornua. ibi. cornu Amaltheæ. ibid. cornua tranſlata ad reges. 677. cornua pro radijs. ibid. Io cornuta mater regum Thebanorum. ibid. cornua i potentia, & autoritas. 678. cornua Moſis. ibid. cornea corpora. 679. cornu ſalutis. ibid. cornua bonaſi. ibid. roſtra nauium cornuta. 679. Naues bene cornutæ. ibid. cornu in armis. 680. in exercitu. ibid. in re muſica. ibid. in odoribus. ibid. in agricultura. ibid. in re medica. ibid. Somnia exeunt per cornua. ibid. in re diuina. 681. in comitio. ibid. in iudicijs. ibid. in dialectica. ibid. Syllogiſmus cornutus. 681. cornu in re familiari. ibid. in vtroque latere lecticæ. ibid. in humano corpore. ibid. Quæ de cornu dicuntur ad duo referuntur. ibid. cornu Venetum. 681. & ſeq. cornutum inſigne. 274. cornu manu geſtatum. 295. cornu geſtare in nari, quid. 680.

Corolla. 20. nihil ſignat niſi abſolutum. 21

Corollarium. ibid.

Coronæ definitio. 1. huius vocis notatio. 2

Coronæ excellentia. 3

Corona eſt præmium. ibid. & 288. 301. 328. Alius huius dictionis ſignificatus. 3. & ſeq. pars muri altiſſima. 6

Corona cingit & continet. 8. circumfuſa multitudo. 9 dare ſe ad Coronam. 9. & ſeq. relinqui à Corona. ibid.

Corona, id eſt conglobati in orbem milites. 10. & circumſtatio militum. ibid. conſeſſus ſeniorum. ibid. plenitudo. 11. ſymbolum victoriæ. ibid. ora circularis poculi, & vinum ibi largiter infuſum. 12. laus. 13. ornamentum. 12. & ſeq. capilli irruſati. 15. laudatio. 17. laus hæreditaria quæ quaſi per manus traditur poſteris. 18. eminens ac triumphale præmium. ibid. perfectio. 20.

Corona nihil ſignat niſi perfectum & abſolutum. 21

Coronæ forma. 22. ſumpta pro circulo. 23. primæ coronæ vnde nectereutur. 37

Coronæ dignitas. 62. & 298

Coronæ contexerunt vulgaria & ſpurciſſima quæque. 63

Corona ferculum.73. in quotidiana ſupellectile mentio fit coronarum. 101
Corona,id eſt flores. 116
Corona conſtans ex innumerabilibus coronis floreis. 117
in Coronis nihil non diſcretum,& notabile. 136
Coronamenta coronamentis culta. 214
Coronæ quibus numerantur preces. 216
Coronæ publico decreto Dijs dicatæ. 231
Coronis exorantur numina. ibid.
Corona conciliat authoritatem capiti. 295
in Coronis eſt aſylum, id eſt coronati ſunt inuiolabiles.396. quędā data ante coronam. 415.
Corona ſumpta pro ludis.452.quāti eſſent coronę certaminū. 454
Corona i. diadema.567.& Coronę regum,v.*diadema.*
Coronæ munera gentium. 586
Coronæ ingentes. 587
Coronæ geſtatæ à principibus Rom. 588
hæ Coronæ aliquo epithero peculiari donatæ.587. fuerunt gemmatæ.ibid. factæ ex auro. ibid.
nulla Corona non quidpiam ſingulare demonſtrat. 592
Corona pro podice. 63
Coronare.3.eſt cingere. 8.
Complecti. ibid.
Conſtringere & vincire.ibid.propugnare. 9
Circumfundi. ibid. induere & veſtire. ibid.
Claudere & obſtruere. 30. munire ibid.velare.ibid. abſcōdere.ibid.
Colorare.ibid.includere.11.iterare ibid. implere. ibid. cumulare.ib. ornare& inſtruere.12.cōſpergere 13.honeſtare.15.laudare.17.coronare laudibus.17.& ſeq.beare.19. coronare tot millibus. 588.
Coronare aliquem, pro alicui gratias agere. 18
Coronare quempiam donis. ibid.
Coronariæ mulieres. 108
Coroneola autumnalis. 147
Coronæ Corruptibiles. 131
Κορθαλη.541. & κορθαλὶς. ibid.
Corymbi coronamentum Bacchi. 203
Κορυθαλέα. 526
Κορώνη & κορωνὶς. 2.& 5
Κορώνη vrbs prius ἄνθεια. 114. κορωνὶς. 145.
Coſmoſandalus. 172.176.
Coſtum. 192
κότινος.349.391.399.κότινος quid.400. eſt καλλιστέφανος.ibid.eſt ſacra. 401. eius folia. 402. rami eius. ibid. Antiquitùs è quolibet cotino nectebantur coronæ Olympicæ. 403. eſt coronamētum Herculis. 405. è cotino multa arma, & alia conficiebantur. 406. durities eius. 407
κότινος πολυστεφὴς. ibid.
κουρέλιον. 409
κράσπεδα. 236
Crateres cælata corona redimiti. 11. & 12
Crater induitur corona. 12
Crater ſtatuebatur in medio conuiuio. 76
Crepuſculū qua re repræſentetur. 183.
Crinitum ſydus quod adhæret capiti Cæſaris. 19

χρίσιον. 165

Criſta in gallis. 721. & ſeq. Quid differat à cono. 722. & ſeq. criſta vnde manarit, ibid. & ſeq. criſtatus. ibid. criſtę hoſtibus detractæ. 323. vtrinque criſtata galea. ibid. tripliciter criſtata. 624

κροκωτὸς. 270

Crocus, ſiue crocum. 185. eius natales. 186. dotes eius, ibid. Color eius, ibid. odor. ibid. crocinum vnguentum. 187. teneritas & mollities huius floris, ibid. Corycium & Sicanium crocum. ibid. proteri amat & calcari, ibi. eſt inter delicias matronales ibi. croco ſcena perfundi ſolita, 188. & plateæ, ibid. Spargitur lecto nuptiali, 188. alię eius deliciæ. ibid. Quibus floribus ſocietur. ibid.

Crotoniatarum poſtremus. 361

χρότος. 415

χρύβυλον. 674

Cucurbita. 219

de Cuſi Ægyptio. 46

Cupido coronatus. 72

Cupreſſus coronamentum victimæ, 256. ἀειθαλὴς, ibid. εὐώδης. ibid. quibus frondibus iungatur, ibid. huius arboris duplex nomen, ibid. fabula de cupreſſis, ibid. Aliæ dotes huius arboris. ibid. fuit coronamentum cuiuſdā agonis gymnici in Creta, 257. eſt arbor luctus. ibid. V. *Cypariſſus*. Lugentes hac fronde coronati. ibid. patritij luctus teſtis, ibid. Eſt index mortis inſtantis, 258. adhibita publicis monumentis & manſuris. ibid.

κυλιξανία. 670. 271

Currus agonum, 390. currus laureatus. 552

de certamine Curſus, 584.

Curſoris munus, 385. plura de eo ibid.

Curſus equorum. 586. & ſeq.

Curſus. 387

Curſus alia præmia, præter coronas. 389

Curſus eſt proprium certamen Olympiæ. 417. Nulla laus eſt anteuertere ignauo curſori. 419. In curſu quoque neceſſe fuit ter vincere. 422. curſus antiquitas. 424. clariſſimę familiæ cuſtodes coronatum. 325

Cybele. 463

Cyclades inſulæ dicti circuli. 26

Cyliſtiæ coronæ V. *Encyliſtiæ*.

Cypariſſus, 256. fabula de Cypariſſo ibid. V. *Cupreſſus*.

Cythiſus, 194

D

è Dactylo corona. 45

Dalechampius interpres Athenæi. 684

Daphne. 552

Δαφναῖος ibid. δαφνηφόρος. 553

Dapſiles coronæ. 544

Dauidis diadema. 694. & ſeq.

Decem iugis currus. 388

Decemplex corona, 327

Decurrentes erant coronati. 459

corona ſymbolum Deditionis. 241

Dedicantes, V. *Conſecrantes*.

Degener athletica. 423

Degeneres cupidiùs vſurpant inſignia virtutis quàm alij. 607

Deliciatum corona. 117
de Demoſthene decretum. 311. 472 interfuit Olympicæ celebritati. 364
Dendrolibanus coronamentũ omnium Deorum. 208
Deſerentes malam cauſam vt accedant bonæ coronantur. 316
Deſultor eques. 387
Nullus Deo commendatus homo repetitur coronatus. 93. coronæ Deo dicatæ, 231
Diadema 567. cuius ſit inuentum, 570. vnde dictum, ibid. materia diadematis, ibid. coronæ & diadematis ſignificatus vnus idemque. 583
Diadematus 572. nomine diadematis nõ ſolùm inſigne regium demonſtratur, ſed & quælibet corona, 583. & è conuerſo, 585. certè corona & diadema ſignant diuerſas capitis notas. 583
Diadema quod Cæſari Antonius obtulit, ibid. Vnde nata ſit auguſta illa ſpecies diadematis, 583. & ſeq. lamina diadematis, 584. Diademata ſiue coronæ regum erant munera gentium, 585. Diadema Conſtantinopolitanum, ibid. diademata munera regum. ibid. & regum inter ſe, 586. color diadematis. 572. & 573.
Diadema eſt nota regiæ frontis, ib. & inſigne regium, ibid. inſigne comarum, ibid. βασίλεια, 574. euincit caput, & capiti circumponitur, ibid. diademati quædam acceſſerunt voluptati ſeruientia. ibid. in his vnguenta. ibid. à regibus diadema perpetuò geſtatum, ibid. & ſeq. Et hac de cauſa vocabatur diadema perpetuum, 575. diadema ſignat regnum, ibid. diadema pro indutu regio, 576. Cur ſit candidũ, 577. regum Perſicorũ diadema purpureum, 579. diadema quid exigat ab rege, ibid. Cur diadema ſit linea materia, 580. Cur dicatur euincire caput regis, ibid. diadema à ſummis ducibus geſtatum. ibid. diadema tantùm ſollennibus diebus geſtari ſolitum. 581. Vnde texeretur. ibid. Hoc imponebatur ſiue circumponebatur capiti. ib. cùm quotidianum religaretur in occipitio. ibid. pro tali diademate interdum geſtatę ſunt coronæ effigiatæ in eam ſpeciem quæ geſtori eſſet cõplacita. ibid. & ſeq. Super diademate monitio ad regem, 591. regij diadematis deſcriptio. 595. & Pontificij, 596. Diadematis ſignificatus. Et hinc monitio ad reges, 598. Mos geſtandi diademata etiam à poſteritate, 599. & ſeq. Diadema Frãcicum, 602. Diadema Anglicũ. ibid. Omni diadematum genere diutiſſimè Romani principes abſtinuerunt, 607. Quis eorum primus diadema ſumpſerit, ibid. diadema eſt munus virtutis, 619. de ſuperiori forma diadematis quæ continet ramulos, ſurculos, apices, 621. Quæ omnia claudũt diadema. 612. & 623. & ſeq. Diadema ramulis obductum ſolis regibus eſt repoſitum, 622. Diadema imperiale, ibid. Diadema galeatum ibid. Diadematum diuerſæ formę, ibid. ſuper tali dia-

demate monitio ad reges. 624. Cæruleus color in ſuperiori parte diadematis. 624. De imperiali diademate. 625. Eius forma, ib. Imperialis diadematis deſcriptio, 634. Diademata clauſa, 649 diadema ſubitarium ibid. Imponere alicui diadema quid ſit, 685. A' quo, ſiue cuius manu diadema accipiatur. ibid.

Diadema ab aliquo accipere quid ſit. ibid.

Diadema quid. 686

Diadema eſt inter res ſacras. ibid.

Diadema alicui imponere eſt totum negotium religionis 687. Non vno diademate imperator inſignitur, ſed pluribus, 688. diadema ab illo imponitur cui id muneris hæreditario iure incumbit. ibid.

Diadema mittitur, 689. & 692. Homo homini diadema imponit, 689. reginæ diadema, ibid. Stemma Auguſtale patriarchæ manu benedicitur, 690. de ijs qui à maiori poteſtate diadema accipiunt. 691. & ſeq. Talium exempla. 692

Diadema impoſitum manu illius cuius conſenſu & permiſſu magis quàm conceſſu rex regnum poſſidet. ibid. & ſeq. Exempla eorum diadematum quæ imponuntur ipſa manu diuina. 694.

Diadema hoſti ereptum, 695. De ijs quæ contingunt circa diademata, ibid. Vbi diadema aſſeruetur, 696. Vno capite geſtantur plura diademata. ibid. Quando & quomodo ſumatur diadema. 697. Quando & quomodo ponatur. ibid. Harum rerum exempla. ibid. & ſeq.

Diadema eſt ſymbolum regni. 697. Eorum qui diademata poſuerũt coram maioris poteſtatis effigie, exempla. ibid.

Diadema quandoque ponitur præ metu. 698. Interdum præ nimio dolore abijcitur, ibid. & ſeq. aut etiam rumpitur, ibid. In luctu ponitur. ibid. laceratur. ibid. æſtuante ira loco mouetur. ibid. crematur. 700. Monitio ad reges ſuper materia diadematis ponendi. ibid. Imperator accedens ad communionem corporis Chriſti ponit diadema. 701

Diadumenus diadematus. 131

Diagorę hiſtoria. 356

Diana obſtetrix. 144. Eius coronamentum. 190

Δίαυλος. 381

Διαυλωνίζειν. 382

Dictamum Lucinæ coronamentum. 207

Dictina luna. 628

coronas Diffluere quid ſit, V. *ſoluere*, & *ſolutio coronarum*.

in Digito corona. 31

Dignitas coronę. 62. corona Dignitatis. 79

Diogenes interfuit ludis Iſthmicis. 363. pinu coronatus. 439

Διονύσια. 428

Dionyſius arboreus. 440

Dioſcurorum corona. 202

Diſcordia coronata. 395

Diſcus. 362. Diſci & iaculi certamina. 425

Diſertorum duo genera. 354

Diſerti coronati. 540
otioſi ac Diſſoluti coronati. 94
coronatus i. diſſolutus. 95
διπόδιον. 381
Diſtributio coronarum in conuiuijs. 87
Dithyrambi coronati. 20
Diuina maieſtas. 661. & ſeq.
Dite textum. 596
Diuites coronati. 475
Docta manus. 121
corona Doctrinæ. 317
Dodonęæ quercus, V. *quercus*, & 496. 498
δόλιχος. 382
δολιχοδρόμοι. ibi.
Dolor victi. 358
Dominì corona. 728
Dominus eſt hæres imperatoris. 691
Domus cùm fieret res ſacra, luſtratæ & coronatę. 258
coronę Dona multitudinis. 166
Dona militaria, 456. & ſeq.
Dona. ibid.
coronę inter Donaria. 696
coronæ Donaticę. 303
δωρίτης ἀγών. 350
Dormire in roſa, 151. in floribus. ibid.
Δόσις. 415
Qua quiſque dote cenſetur, ob hanc eum coronari æquum eſt. 474
Draco 48. draconum criſtis Bacchus inſignitus. 51.717.& ſeq.
Draco eſt coronamentum Hecates 493. Eſt inter præcipua ſymbola ſolis.575.plura de dracone.ib.656
Durities. 681
Ducales pilei, V. *pileus*.
Ducum alij maiores, alij minores. 637. Qui ſint maiores, ibid. Qui minores, ibid. De maioribus Ducibus. 638. De minoribus Ducibus. ibid. horum ducum coronæ ſunt ſimiles.639. Hæ coronæ deſcribuntur, ibid. Cur pateant, ibid. cur minores duces tam diuite corona vtantur.640. De vtriuſque ducatus corona, ibid. Duces fato defuncti qua re coronentur, 219. Duces exercitum luſtrantes ſunt coronati. 459. Dux in exercitu eſt pro omnibus teſtibus in ijs quæ pertinent ad præmia. 461. Duces coronantur à ducibus. 470. & à militibus, ib. De Ducis & principis appellatione. 641. Quomodo hę appellationes reciprocentur, ibid. Summus dux. 705
Dyas. 660

E

Ebrij coronãtur, 53. corona teſtis Ebrietatis 89. perpetua quædã beatorum Ebrietas.90. Aliæ coronæ ebrietatis, ibid. Hac ebrietatis corona ſumpta licebat furere. 91. ebriorum coronatorum veſtis, ibid. ebrietatis pia ſigna, ibid. coronæ marcidæ ebriorum propriæ,92. ebrij conuiuæ per vrbem incedebant coronati, 94. ac tales tuti erant ab iniuria. ibid.
Ebulus coronamentum Panis. 206
Ebur. 21
Eccleſiæ corona eſt Chriſtus, 14.

Exclesia militat. 658. 661. Quorumdam numinum Effigies ne quidem intueri licuit. 698. & de his Effigiebus ſiue ſtatuis plura. ibid. & ſeq.
Eilotarum pileus, 656. εἰλωτεία. ibid.
Εἰραφιώτης epithetum Bacchi. 51
Εἰρεσιώνη. 332
Εἰσαγωγοί. 372
Elæi. 348
Elæum vrbs. 114
Electrum pallidum. 141
Elephanti coronati. 536
Eleuſinia ludi. 451
Eleutheria, ibid. & 519.
Eliaca ludi. 451
Elichryſus flos, 135. 190. Vnde dictus, ibid. eſt coronamentum Dianæ, 191. Quibus ſocietur. ibid.
ἑλικτοὶ coronæ. 38
Ellotis corona. 517
Eloquentia. 324
V. *Diſerti.* 540.
Emẽdatores poëmatũ coronati. 430
Encyliſtiæ coronæ, 38. ſuſpendebantur. 39
Endymion. 633
Ἐπαγερμός. 415
Ἐπινίκια ᾄσματα. 430
Ἐπιτάφιοι ἀγῶνες. 415
Epitheta Dearum εὐστέφανος, καλλιστέφανος, χρυσοστέφανος, 14. nymphatũ, καλλιπλόκαμοι, εὐπλόκαμοι. 16
Equeſtris corona. 238. 633
Equus vrbi Troianæ fatalis coronatus. 105
Equi qui ſacra veherent, coronati, 260
Equorum curſus, 386.
Equi ἀγωνιστικοὶ καὶ ἀθλητικοί. 388
Equi abſque dominis victoriam adepti. 382. 390. & ſeq.
Equi trahentes currum triumphalem coronati, 66. Hi equi Tertulliano ſunt publici, 536.
Equi heroum inſignes ſpolijs ferarum. 654
Equis bellatoribus addita terriculamenta. 719
Equinæ iubæ in galeis. 720
Erato inuentrix ſaltationis. 125. fauet amantibus. 144
Ἔργα i. certamina. 342
Erechtheus. 617
Ἑρμαῖα. 148
Ἑρμακες. 149
Ἔρως corona. 107. 218
coronę numerantur inter Eſculenta & poculenta, 101
Eſculus primum coronamentum Pythicum. 430. Plura de eſculo. ibid. & 488
Euincire caput, 615. & 621
Εὐστεφάνους. 14
Εὔτυκτος. ibid.
Virtuti quæ ſpectatur in clariſſimis exercitamentis datur corona. 337.
Exercitamenta priſcorum heroum ibid.
Exercitationes inutiles ac turpes. 423
Exercitus hederatus, 59. coronatus. ibid.
Exploratoriæ coronę. 594
corona Exprobrans. 591

F

FAba. 176
Fabulæ cantibus inſertæ in cõuiuijs. 79

φακιόλις. 668
Faciem tegentes coronæ plerunque à mulieribus vſurpantur. 68
Facies quando dicatur coronari, ibid. facies, 291
Facundia coronata. 319. & 324
præter coronas alia præmia facundiæ data. 267
Fagus. 497
φαλὸς 722. & φαλὰ ibid. & φαλαρὸ, ib.
Fama coronata. 285
Quidam per laurum expiati à Fame, 560. clariſſimæ Familiæ cuſtodes coronarum. 325
Familiares primorum Kal. Ianuarij laureati. 541
Farre coronati lares. 209
Faſces coronati. 539. & 548
Faſciculus. 116
Fautores in certaminibus. 390
Februa. 444
Felicitas n. coronata 474. hæc corona vnde plectatur. 475
Femina, 539. eiuſque corona, ibid. & ſeq.
Feminæ pulchræ data loco præmij 476
Ferales coronæ. 45
Fercula coronata. 73
Numina vultu Ferino. 716
Feſtę coronæ. 104
Feſtus emendatus. 523
reprehenſus. 525. 561. & ſeq. corona è folijs Ficulneis. 39. & è ficis, ibid. Ficus coronamentum Saturni. 204. coronamentum mulierum. 205. ramus ficulneus quid ſignet. ibid.
Filij regum & imperatorum coronantur a patribus, 690. inter Filios imperatoris eſt diſcrimen. ibid. & ſeq.
φιλοστέφανος 113. φιλοστεφανεῖν 160
corona è Filo cui hæreret nomen Mineruæ. 45. filũ in coronis. 109
φιλύρεα. 511
Flaminis corona laurea 247. pileati 273
Flamina i. pilei ſacerdotum. ibid.
Flaminicæ coronatæ. 252
Flammæ ſuper capitibus. 25
Flauialium coronæ. 595
Flexibilis curſus. 383
Flora Dea coronaria 121. V. *Chloris.*
Florales coronæ, 44. 66. honoratiſſimæ. 117
Floreæ coronæ quid ſignent. 124. & 130. impoſitæ virginibus quid ſignificent, 124. Floreę coronę munera ruſticorũ, ibid. Admonent homines ſuæ fragilitatis, ibid. & ſeq.
Florum quorum facultates 43. florum miſtura, 64. flores inditi in poculum, 67. & ſeq. Amantes dominis offerunt flores, 81. flores connexi, i. coronæ 105. & 116. flores coronarij primùm indiſtincti, 107. flores inſerti, alij integri in coronis, 109. flores coronarij 113. innumeri, ibid. plura de floribus. ibid. A floribus vrbes denominatæ. 114.
Flores pro coronis, ibid. & ſeq. cognatio inter flores & coronas. 115. & ſeq. coronare floribus. ib.
Flores adhibiti Dijs Deabuſque excipiendis 116. & lauandis. 117
Florea corona duce digna, ibid. De floreſcẽte ea ſpecie quæ eſt ſuper lamina diadematis, 599. florea corona digna principe, 117. De coronis quæ fiunt ex vno flore, 120. de ijs coronis quæ fiunt e pluribus floribus. 121. ordo flo-

rũ in coronis, ib. flores quomodo necterentur. 122. Implexus florum auget eorum pulchritudinem, 122
Flores i. Chriſtianæ virtutes, 123. & gemmæ virtutum. ibid.
Flores, ſubſtantia coronarum. 124
Flores ſanctimonia. ibid.
Florea corona nuptialis. 126
Florum libertas & contumacia, 128
Floribus menſæ conſperſæ. 130
Flores citò marceſcunt. ibid.
Flores vnde dicti. 132
Florum coronariorum nomen & enumeratio. 133
Florum, foliorum, ramulorum mistura. 134
Flores diſtinguntur ab ijs quæ ſunt στεφανωματικὰ, 135. Quicquid erat floridum antiquitas vocabat ver. 192.
Floribus mergi, 145. pulchritudo ex oculis Florere dicitur, 148. omnes flores vocantur roſei, ib. flores inſcripti, V. *hyacinthus* & 176. flores coronarios cur non omnes enumerem, 198. Quædã vrbes floribus inclytæ. 198. & ſeq. Plura de floribus. 199
Floribus interdum inditum nomẽ pennis. 200
Flores coronamentum Bacchi. 203
Flores & rami coronarum ſunt præclariſſima inſignia virtutis. 300. ſunt dulciſſimi. ibid.
Fluuij coronati. 202. cornuti. 675
Focis coronæ impoſitæ. 204
Folia in coronis ex auro & argento 205
Foliola omnia Athenienſibus ſunt στεφανώματα, 184. arborum Folia propriè ſunt coronamenta. 231. è Folijs eius coronæ quam quiſque ſacerdos geſtaret, ſciri potuit cuius numinis myſta eſſet. 252. Foliacea certamina. 299. duo fontes in conuiuijs. 65
Fores dominæ amator coronat. 80
Forma coronæ. 22. & ſeq.
Fortitudinis corona. 313. 469
Fortuita. 464
Fortuna coronata. 206
Francicum diadema. 602
Fratrum trium, Iouis, Neptuni, Plutonis corona. 691
à Plinio graminea vocatur Frondea. 508
Frons attexta laminæ diadematis quid ſignet. 599
Frontem & faciem tegebant coronæ florẹ. 66. & ſeq.
Frons. 290
Fructus inſcripti. 176
Fruges. 305
φύλλινοι ἀγῶνες. 350
φυλλοβολία. 415
Fundæ iunceæ. 202
Funebres coronæ. 222. V. *mortui.* Qui funus proſequebantur erant coronati. 225
Furiæ tres ſerpentibus crinitæ. 16

G

Γαλαξίας. 164
Galea, 704. eſt ſymbolum ducatus, & imperij, 705. galeæ hæret corona, ibid. ſignificatus huius coniunctionis. ibid. galea ornatur gemmis & lapillis. ibid. Ægyptij reges geſtarũt galeas pro corona. ibid.

Galeis additæ pennæ pauonum & & aliarum auium. ibid. & ſeq.

Galeæ & pinnæ tincturis ornatæ, 708. & ſeq. Alia ſymbola cuiuſque gentis ſuper galea. 709 gigas ſuper galea, ibid. galea aperta. ibid. recta ibid. galea clauſa, 710. Galea conſummata. 709. galeę ferinæ. 716. galeam virtus militis propriè facit horridiorē, 718. dupliciter, ſiue vtrinque criſtata galea. 723. & tripliciter criſtata. 724. galea triplex. ibid. quadruplex. ibid. galea ſine cono, & criſta. 725. De hac ibid. Orci galea, ibid. galea Palladis, 725. & ſeq. galeę honeſtantur ſplendore, luce, flammis. 726. & ſeq. galea Homero cur ſit στεφάνη, 727. ſtrophia ſeu στέφη ſuper galea. 96. & ſeq. ſortes iniectæ galeis. 720. In pace galea quid ſignet. ibid.

Galeę gemmatæ, ibid. Olea circumdatæ. ibid. laureatæ, 729. mites galeæ æquales & concordes. 729

Galea capillorum. 568.

Galea diadematis, ſiuę galeatum diadema, 622

Gallus. 715.

Gemelli Dij. 288

Gemmarum compoſitores. 108. Harum rutilum. 164. Gemmæ quid regi ſuadeant, 592. de earum numero, & ſeq. 596.

Genæ. 290

Genius coronatus. 208

Gladij tyrānicidarum myrto redimiti. 519

Gloria eſt premium victoris, 303. gloria in Catholicis eccleſijs quid 606

Glycera coronaria. 108

Γεργυλίδες. 718

Gorgon ſuper galea, ibid.

Gottfredus rex Hieroſolymæ. 664

Græcia 301. prope vniuerſa conueniebat ad ludos Olympicos, 364. Ibidem per ſuos legatos intererat. 365.

Gramen coronamentū Martis, 507 ſumitur pro omni genere herbæ, ibid. Graminee coronę. 239. graminea, 506. Dignitas, excelſitas, & cæterę prærogatiuę huius coronæ. ibid.

Granata in diademate regni Granatæ. 692. Gratiæ coronatæ, 207. coronæ ſolennis gratiarū actionis, 252. & 253. In publicis Gratulationibus, multitudo laureata. 552. coronæ gratulatorię, 106. & 237. earum exempla. ibid. 465.

Γεῖρος. 80. Γζώνη. 66.

Γυμνασταὶ. 363. & 387. γυμνάσια. 385

Gymnica certamina. 359. horum quot ſpecies. ibid.

γυμνοπαιδία. 448

H

Habitus Auguſtalis. 687.

de Hadriano imperatore fabula. 185.

Haſta. 476

Hecates coronamentum, 493. plura de ea. ibid.

Hedera, 48. inebriat, 49. ſocietas hederæ & vitis, ibid.

Hederæ dotes, ibid. cur hedera ſit coronamentum Bacchi. 34. Huius rei ratio naturalis. 51. A' poëtis Bacchus fingitur hederatus. ibid. corona ex hedera, & violis. 53

Hedera mulieres religant capilli-
tium. 54
Hedera ſymbolum pulchritudinis.
55
Hedera alba & nigra. ibid. Adhi-
betur hortis. ibid. hirta. ibid. er-
rans. ibid. ſerpens. 56. tenax. ibid.
vt amaſia implicatur cæteris ar-
boribus. ibid. virens. ibid. faſci-
nat. ibid. flexibilis, ſequax, ducti-
lis. ibid. nexilis. ibid. ſociatur
lauro & myrto. 57. Eſt laſciua.
ibid. & ſeq. Alijs arbuſtis mo-
leſta. 58. *φίλεδρος*. ibid. Victrix
vetuſtatis. 59. cuiuſmodi ſit illa
qua poëtæ redimiuntur. ibid.
pallida. 140. hanc poëtę princi-
pibus dant loco ciuicæ. 500
Hederacea corona. 48. teſtis eſt
Bacchici furoris. 52
Hederacea pocula. 53
Hederacea corona index lætitiæ
conuiuialis. 57. & militaris. ibid.
quid ſignaret in conuiuijs. 58. ſi-
gnat libidinem & ſalacitatem. ib.
eſt propria amantium. 84. ſocia-
tur elichryſo. 135. & lauro. ibid.
Hederigeræ. 52
Helenæ coronamentum. 183
Hemerocallis. 164
Heptas. 19
Herba victorem donari à victo
quid ſit. 476. 508
qui Herculi ſacrificabant erant lau-
reati. 548
Hercules inſignis ſpolio leonis. 650
Hercules effæminatus eſt. corona-
tus. 93. eius coronamentum. 205.
Hercules autor certaminis Olym-
pici. 543. coronatur myrto. 516
Heroum neminem Homerus facit
coronatum. 92
Heroes inſignes ſpolijs ferarum.
650. Occiſa aliqua inſigni fera re-
ferebantur inter Deos. 655
Hethruſcæ coronæ. 111. & 537. erãt
aureæ & gemmatæ. ibid.
Hyacinthia, ſiue hyacinthina, ludi.
452
ἱερονῖκαι 361
Hieronymi locus enarratus. 161
Hippodromia. 386. & ſeq.
Hipponiũ vrbs floribus inclyta. 99
ἱππεῖς. 721
Hircinę cornua galeę ſuperaddita.
716. corona ex herba Hirſuta. 45
Hirundo. 192
Hiſtriones *σφαιρομάχοντες* coronati.
297
Hiſtrionicæ coronæ. 567. indu-
menta hiſtrionica. ibid.
Hiſtrionibus datæ coronæ è coti-
no. 567. & ſeq.
Hodie. 615
Homerũ Plato cur coronet lana.
330
Homeri de potentia Romana vati-
cinium. 459
Homo natura coronatus. 31. in ho-
mine eſt diuina ſubſtantia, cui
adhæret materia putris & fluida.
286
Honor. 288. eſt *λαοσπέτος*. 305. co-
rona honoris. 366. & 392
Honorandi. 461
Honorarium. 538
Horæ Veneri imponunt coronam.
14. ipſæ coronatæ. 207
Hortus coronatus. 32. quomodo
hortus fieri poſſit floridus. 182
Hortenſes flores. 138
coronæ inter dona Hoſpitalia. 71
Hoſtiæ auratæ & coronatæ. V. *Vi-
ctima.*

Hoſtem qui occiderit eſt purus. 533
Hyacinthus. 171. de Hyacintho fabula. ibid. eſt flos inſcriptus. ibi. & literatus. 175. florere dicitur. 172. de huius pulchritudine. ibid.
Hyacinthi olim qui dicti. 173. corona hyacinthina index hilaritatis. 174. hic flos eſt nymphis dilectus. ibid. hoc flore Apollo coronatur. ibid. eſt mollis. 175. ſepulchra conſperſa hyacinthis. 224. mos inſcribendi ſepulchra hyacinthis. 176. hyacinthinæ coroll. ibid. de hoc colore. ibid. quibus floribus ſocietur. ibid. & ſeq.
Hybernæ coronæ. 122
Hydra coronata. 31
Hyems coronatur. 208
Hyena. 657
Hymnus. 307
ὑπογλωττὶς corona. 79
coronæ Hypothymides, ſiue hypothymiadæ. 71. & ſeq.
ὑποθυμὶς. 72. coronæ hypothymides quæ. ibid. στέφανος ὑποτιθέμενος. ibid.

I

IAcche cörona conuiuialis. 191
Iaciendi flores & coronas mos. 105. in ædes ſacras & in ſtatuas numinum. 106. & in athletas victores. 415. qui iactus quandoque fiebat manu diuina. 416
Iaculum. 420. Iaculi certamen. 425
Ianuæ potentiorum ornabantur coronis. 83
Ianus autor coronæ. 32. & 660
corona ex Iberi. 2
ἰκετηρία. 242
Iconicæ. 362
Idolothytorum corona. 251
ἱεροθύται coronati. 264
Ignea epithetum lunæ. 6. 281
Ignis coronatus. 48
Ignominia. 5
Ilex. 488. eſt ſymbolum fertilitatis ibid.
à quibus Illuſũ ſit coronis ſicuti rei ridiculæ & nullius momenti. 299
de Imaginibus & ſtatuis quæ ſunt in eccleſia. 698
Imagunculas dominarum amantes redimiebant coronis. 82
Imperatoria corona eadem cum poëtica. 320
Imperiale diadema. V. *Diadema.*
de vocabulo Imperatoris. 58
Imperator pluribus coronis coronatur. 688
Imperatrix cuius manibus coronetur. 689
Inachis coronata. 594
Inarculum. 252
Indicæ coronæ in Italiam tranſlatę. 40
Indicæ virgines pugiles. 450
in Indignatione coronæ proijciebantur. 100
Infamiæ coronæ. 334. & 449
Infamia ob amiſſum decus coronæ priùs partum. 541. & ſeq.
ne Infelices quidem virtus viduat ſuis præmijs. 298
Inferiæ. 223. quænam ſint veræ inferiæ. 225
Inferna loca pallentia. 140
Infula. 275
Infula eſt lanea. ibid. eſt alba. 276. ambibat eam capitis partem quæ capillo tegitur. ibid. vtrinque fuit adſtricta vittis. ibid. & ſeq.
Infulatus. 278. nunquam ſacerdos ponebat infulas. ibid.

Infula cum galea. ibid. magiſtratus infulati. ibid.
Infulæ manibus geſtatæ. ibid. obſidio preſſi hoc ſigno pacem petunt. 279. ſunt additamenta diadematis regij. ibid.
Ingenij facultates cur annumerem virtutibus. 324
coronatus erat pro Ingenuo. 457. & coronæ erant inſignia Ingenuitatis. ibid.
qui ſacris Initiabantur erant coronati. 262
Initium. 290
Iniuriæ in ludorum celebritate acceptæ cauſam dederunt bellis. 356
Innocentia. 577
Inoculationes arborum. 123
Inſanientes Parcæ & vates vera dicunt. 458
Inſcripti flores. V. *Hyacinthus.*
Inſcriptiones quibus coronæ additæ. 349
Inſerti flores. 233
Inſigne coronæ. 462
Inſignis laurea & corona, & inſignis corona triumphalis. 525. deponebatur apud Iouem Capitolinum. 529. à ſenatu decreta, & publico ſumptu facta. 530
Inſignia coronarum. 591. alia capitis inſignia præter coronas ac diademata vſurpata à regibus. 592. de Inſignijs coronarum. ibid. alia Inſignia diadematis. 599.
Inſigne laminæ. 602
mos Intrantium vrbes. V. *Vrbs.*
Introductores εἰσαγωγοί. 372
coronatus i. Intemperans ac diſſolutus. 95
Inuerſa corona. 247
Inueſtitura hodierna. 693
Inumbrare ora coronis. 12
ἴον viola. 139
ἰοστέφανος Venus. 143
de Ioue fabula. 153
Iris. 24
Iridi ſimilis corona circa ſolem. 29
Iridis os roſeum. 154
Iſis. 504
Iſolaſtica certamina. 451
Iſthmici ludi. 438. ſunt ſacri Neptuno & Melicertæ. ibid. ſunt ἐπιτάφιοι funebres. 439. duplices ibid. à quo inſtituti. ibid. in his ludis aduertendum. ibid. horum ludorum celebritas. ibid. de loco eorum. ibid. in his ludis pancratiaſtæ myrto coronantur. 446. præter coronã victori in Iſthmicis datur pecunia. ib. locus Athenienſium in ludis Iſthmicis. ibid.
Iubæ equorum in galea. 720
Iudices rerum capitalium quoties de capite cognoſcebant, capiti coronam detrahebant. 98
Iudices coronati. 521
Iudices certaminum. 369. plura de his in ſeq. Horum prærogatiua. 370. Horum nomina. ibid. munus. 371. numerus. ibid. ſedebant. ibid. ſtabant. ibid. alia horum nomina. ibid. quibus de rebus, & quot, & qua forma iudicarent. ibid. iuſtè iudicabant. ibid. Iudices Athenienſes albati. 578
Iudices pelliti. 654
Iulius Cæſar coronatus. 532
Iuncea vincla. 202
Iuno palmite redimita. 204
Iunoni ſacrificantes redimiti vite, palmite, corymbis. ibid. & 307
Iuno lunata. 594

Iunones. ibid.
Iunonis corona. ibid.
Iunonis corona radiata vt Iouis. 690
Iupiter qua forma repræſéretur.22. primus coronatus.32.Iouis coronamenta.205.& 207.quandoque non Mercurius, ſed Iupiter regiones diſterminauit. 148
Iupiter Olympius. 362. & ſeq. ſub Ioue eſt olea. 392
Iupiter eſt autor lucis. 610
Iuſiurandum quod concipitur per caput.291. magnum iuſiurãdum. ibid.
Iuſtitiæ corona. 19
Iuuenalia, ludi. 452
Iuuenta χρυσοστέφανος. 14

L

LAbyzon. 574
Labor coronatus. 4
Lac inter inferias. 224
Lac coronatum. 263
de lachryma elegans dictum. 141
Lacteus orbis. 23. & ſeq.
Lætitiæ καλλιστέφανοι. 14. coronæ lætitiæ. 77. & 95. corona eſt argumentum lætitiæ. 99. & 101. in publica lætitia coronis locus fuit. 103. ſacræ coronæ omnia læta ſignabant. 117. coronæ lętitiæ quę. 280
Lamina diadematis. 584. additamenta laminæ. ibid. lamina. 590. & 591. laminæ inſculpta ſunt inſignia coronarum. ibid. lamina regij diadematis. 595. de forma laminæ. 599. de inſignijs quæ adduntur laminæ. 602. ſuper inſignijs laminæ monitio ad regem. 603. lamina aurea rutilauit aurea in fronte Pontificis. 663
certamina ἐπὶ λαμπάδι. 452
coronę Laneę. 111. noua nupta coronabat ianuã viri lana. 129. Homerũ Plato cur coronet lana. 330
Lana eſt indicium pacis. ibid. & 395
Lana & olea ſociãtur. 330. plura de lana. ibid. corona ex alba lana. 331.
Laneum coronamentum quid ſignificet. 334
Lana eſt coronamentum adulterorum. 335
coronę quę in aquam deiectę Lapideſcunt. 30
Lapilli. 584. 592. & 596. Lapilli quid ſignent in diademate. 597
Lapis vnctus. 215. is lapis in quo Demonax ſedere ſolitus eſſet, coronatus. 525. lapides pretioſi ſignãt opes ac temporum felicitatem. 602. lapides pretioſi pro radijs. 618. in diademate Põtificio pretioſus lapis ſignat verbũ Dei. 664
Lapſa corona malum omen. 247
Larium coronamẽtum. 146. 208. & 209. ædes lariũ. 209. amplitudine coronarum culti. ibid. ſedes larium. ibid.
Laſciuiens coronarum gratia. 118
Laudatio. 306
Laudatoria lex. ibid.
Laurus Tempica. 430. ramum lauri Apollo manu fert. ibid. laurus eſt ſymbolum victorię. 485. impoſita foribus priuatorũ. 486. inſignis laurea. 523. de laurea triũphantium. V. *Triumphans.* Laurus vt eſt ſymbolum victorię, ita eſt inſigne triumphi. 526. ſacerdotum corona laurea. 247. & ſeq. laureę coronę reuerẽtia. 250. laurus ἀειθαλής. 321. laurus poëtica. ibid.

ibid. laurus eſt ſymbolum diuturnitatis. 322. Apollo poëtis œſtrum immittit per lauros. 323. laurus coronamētum Pythicum 430. laurus triumphantium ex vno ramulo dicta laureola. 402. ſterilis laurus eſt triūphalis. 545. inter laurum & myrtum multa cognatio. ibid. laurus Auguſto miſſa è cœlo. 545. & ſeq. laurus mas. 548. qui Herculi ſacrificabant erant laureati. ibid. laurus quòd ſignat victoriam, ſignat quoque triumphum. 549. quāti fuerit laurus triūphalis. 550. laureatus i. triumphans. ibid. laurus eſt pacifera. ibid. Additur literis & lanceis militum. 551. literæ laureatæ. ibid. & laurea. ibid. laureatæ tabellæ. ibid. laurus planta ignita, & ideo Apollinis. 552. Liber quoque autor coronæ laureæ. 553. laurus ſumpta pro ipſo Apollinis oraculo. ibid. fatidici vates laureati. 554. qui ſeriò conſultant accedunt ad laurum. ibi. qui Latonæ ſacrificant laureati. ibid. cur laurus ſit grata Apollini. ibid. ſociatur myrtis. ibid. & hyacintho. 555. eius vmbra laudatur. ibid. & nitor. ibid. eſt ἀλεξιφάρμακον aduerſus inſidias. ibid. has proſperat. ibid. non icitur fulmine. ibid. & 565. Apollo edit reſponſa per laurum. 555. tripos è lauru. 556. laurus eſt εὐλύγιστος vri facilis. ibid. Pythia laurigera. ibid. laurus diuinatrix. 557. vorare laurum. ibid. eſt ſymbolum μαντικῆς. ibid. eſt coniecturalis. ibid. laureæ coronæ miniſtris Iunonis loco muneris concedebantur. 558. lauro euerritur ædes Apollini ſacra. ibid. laurus ominatrix. 559. Accenditur in ſacris. ibid. Appoſita capiti dormiētis. ibid. eſt pudica & virginitati dilecta. 560. inimica Baccho. ibi. Comes bonæ valetudinis. ibid. offerebatur magiſtratibus. ib. quidam per laurum expiati à fame. ibid. laurus vnde dicta. ibid. laurus opima. 561. non ſolùm Romæ, ſed & apud exteras gentes laurus fuit ſymbolum victoriæ. ibid. laurus Alexādri. ibid. ſuper virore & nitore lauri quędam. ibid. tellus laurifera. 562. conſecrata eſt Apollini ſicuti Deo victoriarum. ibid. Quiſquis rempub. à peſtilentibus ciuibus vindicauit, huic caput dicitur eſſe laureatum. 563. laurus geſtata vice diadematis. ibid. eſt geſtamen victorum; eaque re & regum ac tyrannorum. 564. Diadema laureum. ibid. Ingenium huius frōdis eſt vt naturali vi inuet eam rem cui adhæret. 565. Ramis lauri operiuntur vaſa vini. ibid. eſt infeſta dæmonibus. ibid. laurea triumphantium vnde decerpta. 527. laurus propria Cęſarū. ibid. lauretum Cæſarum. ibid. lauretū Numæ. 528. aliæ ſyluæ laureę. ib. laurea triumphalis deponi ſolita apud IouemCapitolinū. ibid. V. *Inſignis corona*, & *triumphus*. Deponebantur etiam laureæ apud alia numina. 530. Verè laurea triumphalis domi aſſeruabatur. ibid. laurus agreſtis. 534. laurea, i. aurea ſiue argentea. ibid. lauri quotannis renouabantur. 541.

exſiccatæ lauri. 542. laurus fauſtitatis & felicitatis nuntia. ibid. & lætitiæ & victoriæ. 548. etiam futuræ prænuntia. ibid. & ideo non tantùm principũ, ſed & priuatorum fores vmbrabat. ib. Epitheta lauri triumphalis. 544. laurus adhibita lætitiæ nuptiali. 128. laurus ſuper regia Auguſti à ſenatu decreta. 540
Laurus. 306. corona & laus conſtrictæ. 336
Laudum defuncti celebratio inter inferias. 224
Lautitia priſca. 587
Lectus amantium conſpergitur roſis. 152
Legatorum coronamentum. 265.
Legati intererant Olympicæ celebritati. 363. pacem petentes legati geſtabant oleam. 396. Qui ibant in longam legationem dicebantur proficiſci ad inferos. 98
Λείριον. 164. & λείριον dicitur quicquid eſt floridum. 165. λειριόεις. ibid. vox oratorum λειριόεσσα. ibid.
Lemniſcata corona. 112. lemniſci. 111. aurei. ibid. Cœlati. ibid. lemniſcorum vſus. ibid. purpurei. 112
Lentiſcus coronamentum virginũ. 445
Leonis herba, coronamentum. 198
Leo galeæ ſuperadditus. 716. 719
Λευκόϊον. 140
Λευκοστεφὴς ἱκετεία. 242
coronæ eorum qui Dijs Libabant in templa ferebãtur. 251. Defectu vini libatum eſt alijs rebus. 683
Libanotis. 197
Libanus mons. 208
Liber primus coronatus. 32
corona Liberalitatis. 315
Liberati magnis calamitatibus coronabantur. 99
coronæ inſignia Libertatis. 94. corona libertatis. 314. & ſeq. myrtus eſt index eius victoriæ quæ ducit ad libertatem. 519. libertas duplex. 645
Libidinis & roſæ ſimilitudo. 152
Libri compacti è philyra. 309
Licia. 331
Lictores laureati. 536
Liguſtrum. 194
Lilium. 164. natales huius floris. ibid. vnde dictum. ibid. lilij genera. ibid. in lilio proceritas cõmendatur. ibid. pulchritudo. ibi. albor eius. ibid. lilium rubens. 165. in coronamentis duplex lilium. ibid. lilia purpurea quæ ibi. eſt Iunoni flos dilectus. ibid. flos florum. ibid. Ridet. ibid. Deliciæ huius floris. ibid. 166. lilia dicta σοῦσα. lilia argentea. ibid. lilia tribuuntur formoſis. ibid. ſunt munera amantium. 167. Dignitas huius floris. ibid. lilia i. flores. ibid. lilia cœlo excepta. ibid. Roſa & lilium ſociata. ibid. Aliæ conſociationes huius floris. 168. lilium ſtatuebatur ſuper mortuis. 225. & lilijs ſepulchra conſpergebantur. 221. lilia diadematis Francici. 602
Limites. V. *Confinia.* 148
coronæ Lineæ. 111
Linum quid ſignet. 571. & ſeq.
Loca ſacra lauro vmbrata. 250
Locri vrbs floribus inclyta. 198. & ſeq.
Locus vbi quidpiam feliciter eueniſſet, coronatus. 212. locus ludorum Olympicorum. 562
Λῆρος. 721. 722

Longæ coronæ. 73.
Loqui non licuit quod non decet, dum agerentur ſolennitates ludorum. 363
Loros flos coronarius. 182. eius natales. ibi. melleus & roſcidus. ib. huius floris excellentia & facultates. ibid. eſt ſymbolum dotum animi, & corporeæ pulchritudinis. 182. & ſeq. eius color. 183. aliæque dotes. 184. loti prærogatiua. ibid. eſt Antinoi cognominis. ibid. eiuſque corona dicitur antinoia. ibid. duo colores huius floris. ibid. corona lotina. ibid. lotos roſeus. 185. de hac re fabula. ibid. natales huius floris. ibid. numeratur inter aromata. ibid. & de quadā eius ſingulari facultate. ibid. quibus floribus ſocietur. ibid.
Luciani dictum de muſis confutatur. 144
Lucifer roſeus. 158
Lucinæ coronamentum. 207
Lucta & luctari. 419
Lucta cum feris. ibid.
Luctæ Cupidinum. ibid.
Lucta virilis. ibid.
Lucta. 423
Luctator quid potiſſimùm curaret. 424
Luctæ natales. ibid.
Luctæ & pugilatus affinitas. ibid. Vtrumque certamen maioribus præmijs donatur. 425
Luctatij ludi. 452. in luctu nefas eſt coronari. 95. & ſeq.
coronæ in Lucis, & ipſi Luci coronati. 213. & ſeq.
Lucullia ludi. 452
Ludi & certamina idem. 349. in ludos quales ſumptus fierent. 353. & à quibuſ. ibid. horum ludorum celebritas. ibid. & 362. maximè Olympicorum. ibid. & clariſſimus quiſque eò cōueniebat. 365. Quid inde homines referrent. 366. ius veniendi ad hos ludos fuit impetrādum. 368. pueris non conceſſum. ibid. nec improbis. ibid. nec ijs qui nondum rationes retuliſſent. 368. Qua ratione deſcenderent ad hos ludos. 373. & ſeq.
Luſus pueriles. 340
Ludicræ coronæ. 454
Lunæ cinctus. 24. corona. 28. imperiale diadema eſt lunatum. 626
Lunæ creſcentis effigies. ibid.
de Lunæ ſymbolo. 627
Luna eſt pura. ibid. non eſt Dea, ſed Deus. ibid. eſt vtriuſque ſexus. 628
Lunæ epitheta. ibid. eſt venatrix. ibid. eſt confinium ætheris & aëris. ibid. in lunari effectu proditur vis vniuerſæ naturæ. ibid. ſoli & lunæ ſimul fit res diuina. ibid. eſt genitalis & fœcunda. ibi. Plenilunium eſt parturientibus propitium. 629. Concepta alit, fœcundat, & quandoque interimit. ibid. alia aſtra lunam inuocant. ibid.
Luna philoſophis quidem terra, ſed aërea. 630
Luna ipſam atritatem dealbat & colorat. ibid. Omnia terreſtria & aquatilia corpora huius ſyderis acceſſus auget, receſſus minuit. 630

Luna μλώις. ibid. vt ſol annos, ita luna menſes conficit. ibid.
Luna eſt confinium vitę & mortis. ibid. Habet quatuor hebdomadas. ibid. & ſeq. à quo veſtigio profecta eſt eôdem redit. 631.. lunæ carpento iunctus eſt mulus. ibid. luna habet triplex nomen. ibid. Nouilunium rebus agendis eſt initium auſpicatiſſimum. ibid. Plena luna tumeſcit Oceanus. 632 Defectus lunæ terrorem multis inijcit. ibid. Maga cœlo lunam detrahit. ibid. luna ratione operatur abſque vlla vi. ibid. Quid ſignificet ſomnium, ſiquis putauit ſe lunæ amplexibus illigari. ibid. luna toti hemiſphærio æqualiter illuceſcit. 633. nobiliſſimus quiſque Romanorum lunulas ferebat in calceis. ibid. luna in tiara. 670. Notæ nigrę quę ſunt in luna. 657
Lupo armatum caput. 697
Λυσιζώνη, Diana. 269
Λυσίπονος epithetum Bacchi. 77
Luſtra coronata. 459
Luſtrantes exercitum duces erant coronati. 459
Lutea viola. 140
Lux. 678. & 681
Lucis propria eſt bonitas. 610
Lynx. 657. & ſeq.

M

MAieſtas diuina. 661.
Mænades. 52
Magiſtratibus coronæ præferuntur Hethruſcæ. 537
Magiſtratus Platæenſes albati. 578
Romæ Magiſtratus vrbani albati. ibid.
Magiſtratus coronatus. 249. eius corona aurea. 252. & laurea. ibid. & myrtea. 5
Magnam coronam accommodare paruo capiti eſt res ridicula. 83. & 598
Magna corona. 532
Magorum coronamentum. 191
Mammæ Veneris. 154
Maiorana. 181
Μάντις. 101
Manu quædam coronæ, aut etiam tæniæ geſtabantur. 355
Manibus iudicum coronæ victoribus datæ. 416. coronæ extenſæ ad manus. 73. coronæ manu geſtatæ. 295. Athletam manus ponere aut demittere quid ſit. 477
Marcelli inſolentia. 238
Marchiones. 643. & de horum coronis. ibi. & ſeq. Ad hos monitio. 644.
Marcidæ coronæ. 92
Margaritæ. V. *Lapilli.*
Mars cultus iactu coronatum. 239
Mars. 518
Marſyas. 236
Martyres coronati. 535
Martyrium, corona. 18. & martyrij corona. ibid. & 19.
Martyrum coronæ è floribus. 123
Maſcula olea. 405
Maſſilienſes effœminati. 267
Mater imperatoris coronata. 689
Matrimonium eſt corona viri. 13. & ſeq.
Matronis vix vnquam conceſſum vt intereſſent conuiuijs. 88. Hoc in Græcia. Aliter Romæ. ibid. & ſeq. His vitio datum, ſi coronas emptas non ab ſe lectas geſtarent. 199.

Matronæ ſacrificantes coronatæ. 252
Matronæ coronatæ myrto. 513.
Medæ corona munus. 102
Medietas. 659
Melicertes. 438. & 439. in eius ludis corona primùm fuit ex apio, 440. & ſeq. poſt è pinu. ibid.
Melilotum, & coronę melilotinę, 190
Mella i. lotos, 182.
apud Menſashominum natæ ſunt primæ coronæ, 30. menſæ conſperſæ floribus, 130. ramis, ibid. menſæ aſperſæ roſa. 149. & ſeq.
Merces laureatæ. 543
Mercurius ſtatuis in vijs. 148
Ad huius ſtatuas aggerebantur lapides, ibid.
Mercurius τετρακέφαλος. 663
Meretrices Venerem & Cupidinem coronis ſibi propitiabant. 210. & ſeq.
Meretrix coronam auream ne habeto. 235
Meretricia muſica, 84
Meta. 379. plures metæ. 380. & 383
Miles quanti ſit. 457
Miles Romanus, 482. ab vno imperatore coronas accipit. 459
Miles cur coronetur. 460
Militari corona quis donatus ſit primus. ibid.
Militares quæ, ibid. & 458. quò ſpectarent. 459
Militares aureæ, 460. non dabãtur auxiliaribus, ibid. Species & modus dandi has coronas, 460. ſeq.
Militibus coronę proponebantur. 461. Ius geſtandi has coronas militibus datum. 462
Præcedente inquiſitione dabantur. 463
Militibus tam communes quàm ducibus coronæ. 466
Militibus ſępe data eſt pecunia pro corona. 470
Milites coronant ducem. ibid. & alij duces ducem. ibid.
Milites priſco more ſe ipſi inuicem coronabant. 471
Miles Romanus, 480
Milites in Græcia dabant coronas imperatoribus ſuis. 526
Milites triumphantis in triumpho erant coronati. 532
Militare ſertum, ibid.
Milites in loco victoriæ coronabantur. 533
Militibus pugnaturis dantur præmia, ibid. & coronę, ibid.
Militum lauri è qualibet arbore. 534
Militum inſigniorum coronæ. ibid. & de his coronis plura. ibid.
Milites vocati ſunt athletæ. 339
Militare. 384
Mineruæ coronamenta. 208
Minerua. 392
Μήνη luna. 630
Miniſtri in conuiuijs coronati. 68
Miracula quædam priſca. 546
Miſtura florum & arborum. 122. & 134. ramulorum, foliculorum, & florum baccarum & fructuum. 135. & 137.
Mirella, 171. mitrula. ibid.
Mitra eſt Bacchi. 92
Mitra eſt decus epiſcopalis digni-

tatis. 266. Vnde dicta, ibid. ornamentum capitis muliebris. ibid. eſt pileus nocturnus. 268
Mitræ πολυάνθεμοι. ibid.
μιτροφορεῖν, ibid. eſt corona plexa è faſciis, ibid. lamina ferri, ibid.
Mitræ æreæ. 269
Μίτρα balteus, ibid.
Μιτροῦσθαι armari, ibid.
Μίτρα faſcia quæ muliebre pectus tuebatur. ibid.
Mitra ex ære. ibid.
Mitræ i. Zonæ muliebres. ibid.
Mitra ornamentum capitis muliebris. 270. geſtamen Bacchi. ibid. Bacchica Mitra eſt niuea & cornuta. 271
Mitra i. diadema & corona regia. ibid.
Mitra eſt faſcia, ibid. eſt diadema Pontificium. 272
Mitræ epiſcopalis vſus vnde ſumptus, ibid. Chriſtus mitratus. ib. forma mitræ epiſcopalis. ibid. & 273. ſignificatus huius mitræ. ibid. & ſeq.
Mitræ exprobratices ſordium, 274. & ignominiæ, ibid. & ſeq.
Mitra ſummi Pontificis. 594
Mocenicus Venetiarum Dux. 698
Modeſtia ducũ Romanorum, 236
Mœſtitia in publica, coronæ ponebantur. 699
Monas, 681
Monetam athletis licuit ſignare. 358
Μοιρα. 393
Mortui coronati. 217. coronę in mortuos coniectæ, 218. Vnde hæ coronæ conſtarent, ibid. & 319. & 391. Quicquid defuncto charum fuiſſet coronabatur. 225
Moſchus. 638
Moſes. 678
Motus circularis. 22
Mulier coronas plectens, ſi non eſt στεφανοπλόκος, cenſetur amare. 81
Mulieres luxurioſæ capite geſtabāt coronam conuiuialem. 95
Mulieres arcebantur Olympicis ludis. 449
Multiformis corona. 594
Multitudo laureata. 552
è Mulis & mulabus quadrigæ. 390
Mundi effigies in diademate imperiali 634. de mundo plura, ibid.
Mundus eſt omnium parens, ibid. eſt vnus, ibid. omnium rerum ordinem vnus circumagit. ibid. ſine illo ſummo opifice ſtare nõ poteſt. ibid. in ſingulis ſui partibus ſubinde mutatur, ibid. & ſeq. mundo nihil eſt ornatius. 635. Velocitatem mundi nemo aduertit, niſi demum conuolutis rerum vicibus. ibid. Quicquid in hominis notitiam cadit mundus ſua magnitudine complectitur. ibid.
Mundus eſt rotundus, ibid. Eſt organum Dei ibid.
Mundus conſtat ſocietate cœli, eorumque omnium quæ cœleſti ambitu continentur. 636
Mundi ſphæra vergit in centrum. ibid.
Mundi ſunt duæ partes, quarum vna agit, altera patitur. ibid.
Mundus eſt templum Dei. ibid.
Mundi globum ſpiritus intus alit, ibid.
Munus coronæ à Thaumantia miſſum Iunoni. 678. regia munera.

691. coronæ munera amantium, 81. & 82. propinquorum & affinium. 102. ob munus coronæ Amaſis è plebeio rex factus. 121. 236
Munera ad panegyres miſſa, 366
Munerum magnitudo, quibus quidam colebant reges ſuos. 586
Muralis corona, 462. non dabatur niſi præcedente inquiſitione, ibid. Hac corona magna Deûm mater coronatur, ibid. huius coronæ inſigne. 464
Muſæ hederatæ 60. & coronatæ roſis. 61. 127. & 160
ἰοπλόκαμοι 144
Muſæ non omnes ſunt virgines, ibid. coronantur pinnis alarum. 200
Muſæ coronatæ. 317. hedera, ibid. palma, ibid. diadematæ. 318
Muſarum numerus. 660.
de Muſis ipſis. 9. & ſeq.
Muſica certamina. 350
Muſicum ad certamẽ quo quiſque ordine veniret. 379. & 390
Horum ludorum materia 450
Myagros ſerpens coronatus, 31.
Myrica coronamentum fluuiorum 202. & improborum. 473.
plura de myrica in ſeq.
Myricina dumeta. ibid.
Myricinus Apollo. ibid.
Μυρσινάλιδες. 108
Myrrha 197. & ex ea corona, ibid.
Myrrhina pallentia. 141.
Μυῤῥινῶν. 252
Myrtinum vnguentum. 76
Myrtea corona 72. canere ad Myrtum, ibid. de hoc more plenius, 78
Myrtus coronamentum larium, 209. & ſupplicum. 245
Myrto magiſtratus coronabatur. 252
Myrtus coronamentum pancratiaſtis in Iſthmicis. 446
Myrtus eſt planta Veneris & Cereris. 502
Myrtus eſt frons Veneris. 510
Myrtus variata, ibid. ſociatur roſæ, 511
de Myrto plura, ibid. eius pulchritudo, ibid. odor. 512
Myrteta apud inferos. 512
Myrtum Cupido amat. ibid.
Myrtus eſt illorum omnium qui Venerem celebrant. ibid.
Myrtus eſt amantium, 513. eſt coronamentum virginum & puellarum. ibid.
Myrti virginales. ibid.
Myrtus excitat riſum. 513
Myrtum caſtæ aſpernantur. 514. eſt coronamentum Bacchi. 515.
Myrtus pura. ibid.
è Myrto corona conuiuialis. ibid.
Myrti ramus floribus intextus vocatur ὑπόθυμις. ibid. quibus floribus ſocietur. 515. & ſeq.
Myrtus Apollini dilecta. 516
Myrtus ſacra, ibid.
cenſetur in ſacrificali apparatu. ibid.
Myrtus ſymbolum lætitiæ. 517
Myrto coronantur fores. ibid.
Myrti ſolidum robur. ibid. & ſeq.
tela fuerunt myrtea, 518. tum alia arma. ibid.

Myrtea corona ſymbolum fortitudinis. 519. & victoriæ, ibid. eſt coronamentum heroum. ibid. Myrto currus pleni. ibid.
Myrtus Martia, ibid. eſt index eius victoriæ quæ ducit ad libertatem. ibid. eſt index publicæ gratulationis ob depulſos publicis ceruicibus tyrannos. 520
Myrtus, coronamentum triumphantium. ibid. & 523. fuit geſtamen ſummorum hominum, 520. & 523. Auguſtus coronatus myrto. 520. magiſtratus Athenienſibus coronati myrto. 521.
Myrtus eſt Palladis, ibid. adhibita ſepulchris. 522. Huius frondis dignitas, ibid.
Myrtus eſt coronamentum lętitię, 523. inter myrtum & laurum e[illegible] multa cognatio. 545
μυστρεια. 428

N

NArciſſus, 168. quando floreat, 169. flos autumnalis, ibid. eſt coronarius, ibid. coronamentum magnarum Dearum, ibid. & Cereris & Proſerpinæ, ibid. furiarum, ibid. in ſomnis viſæ coronæ Narciſſi quid ſignent. ibid.
Narciſſi pulchritudo, ibid. dicitur florere, ibid. vnde dictus. 160 eſt purpureus, ibid. odoratus. ibid.
Narciſſinum vnguentum. 76
Naſus. 291
Naturales coronæ. 26. & 29
Naualis corona, 464. huius coronæ inſigne, ibid. aurea, ibid. plura de hac in ſeq. Hac corona donati. ibid. & ſeq. huius coronæ dignitas, 465. A' Græcis vſurpata, ibid. Claſſiarij milites victores hac corona donati. ibid. Duces ipſi, 465. hac donabatur is qui inſulam ſuis aperuiſſet. 466
Naues eorum qui nauigaturi erant coronabantur. 99
Nauis quę ſacra veheret, coronata, 259
Nauigationi qui ſe permittebant, coronis abſtinebant, 98. quandoque coronabantur. 259
Naues eorum qui victoriam adepti eſſent, coronabantur. 260
Nauigatione peracta coronantur. 475
Nauium tutela coronata. 260
Naues horrificatæ. 720
Naucratitis corona. 510
Neapolitana, ludi. 452
Neceſſitas inuentrix coronarum. 39. & 41.
Neceſſitatis gratia quãdoque coronæ capiti impoſitæ. 214
Neceſſitas inuentrix diadematis ſubitarij. 683
Nectendi artificium coronas. 108. & ſeq.
Nexiles coronæ. 38
Negotiatorium aurum. 539
Nemei ludi. 432
Nemeus vicus. ibid. Autor horum ludorum. ibid.
Nemea vnde dicta. 432. & 436.
Nemeus leo. 433
Nemeum templum Iouis. ibid.
Nemeorum conuentus, ibid. Alia opinio de inſtitutione horum ludorum. 433. ſunt ludi funebres. ibid.

ibid.
Nemeus lucus. ibid.
Nemeum coronamentum apium. 435
Nemeo in certamine locus vnde equi emittebâtur quomodo vocaretur. ibid.
Nemeo de leone quem Hercules interemit. 650. Alia inuenta in honorem huius loci. 434
Nemea quomodo pingatur. ibid. bigis & quadrigis ibi eſt certatum ibid. Ad hos ludos athletæ deſcẽderunt nudi. ibid.
Nemeum ſtadium. ibid. corona pancratij in Nemea. 434. Omnis generis certamina ibi edita. ibid.
flos Nemearum coronarum. ibid. eius folia, 435. ſunt ludi amabiles, ibid.
Nemeſis, 501. coronata, ibid. de hac corona. 593
Neptuni flos. 199
Neptuni coronamentum pinus. 440
Neptunus ſatiuus. ibid.
Neptuni liberi. 639
Neronis vecordia, 429. Curru excuſſus nihilominus fuit coronatus. 355
Νικητήριον. 468
Nicolaus. 410
Nigri lares. 210
Niſæa ſerta. 53
Nobilitas. 710
Nobilitas noua, & naſcens. 711
Nobilitas ciuilis, ſiue vrbana. 712
Nobilitas togata eiuſque inſignia. 712. & ſeq.
Noctis coronamentum. 195
Nomina eorum qui ſacris certaminibus viciſſent, referebantur in commentarium. 375
Νομοφύλακες Athenis coronati. 573
Noua nupta laneo cingulo præcingebatur. 330. ianuam viti lana coronabat. 331
Nouenarius numerus. 660
Nouendiales epulæ. 225
Nubes. 25
Nudi athletæ deſcendebant ad gymnica. 373. & 430.
coronę quibus preces Numerātur. 216. ritus numerandi preces in eccleſia antiquus. ibid.
coronæ Numerabantur. 325
tempora in Græcia quomodo Numerarentur. 343
Numinibus vnde texerentur coronæ. 201. & ſeq.
Numina à numinibus coronantur. 687
Nuntij victoriarum auidiſſimè excipiebantur. 357. & 391
Nuntij laureati. 543
Nuptiales coronę. 126. harum materia, ibid. duæ nuptiales coronę. 696
Νύμφα. 379

O

Obſequentis Iulij locus enarratus. 529
Obſides redimiti. 344
Obſidialis, ſiue obſidionalis corona. 506
in Obuiam itionibus coronæ dabantur. 238
ὄχανα. 723
Oceanus eſt corona. 29
in Oculis coronæ, 31. oculi. 290
Odores naribus, non capiti adhibendi, 46. & odores florum coronariorum, 122. odore quandoque corona cenſebatur. 136.

Oibotæ athletæ parentabant. 368
Olea inoculationis impatiens, 123. coronamentum Iouis. 207
Olea & lana ſociantur, 380. eſt victoriæ ſymbolum. 391. eſt Palladis. ibid. & 394
Oleæ dignitas, 391. viror. 393. conuenit virgini, 394. eſt pura, ibid.
Olea ſacrificantes coronantur. 355. eſt ſymbolum pacis, ibid. & illius qui petit veniam, 396. ramus ſupplicum, ibid. eſt geſtamen legatorum pacem petentium, ibid. non eſt imbellis. 397. cuius rei ſit monitio. ibid. Refertur ad Herculem autorem. ibid. De eius autore variæ opiniones. 398
Oliua Olympica. ibid. eſt ſignum fortitudinis. ibid. eſt glauca. ibid. ſacra olea i. oleaſter, κότινος ex quo coronę Olympicis datę. 401
Oleaſtri dignitas. 407
Oleaſter coronamentum Herculis. 205. V. 399. & 401
Olea eſt maſcula. 405
V. κότινος.
Oleum. 394. & 398
Olympicæ coronæ. 340
Olympia eſt mater aurearum coronarum. 342
Olympia fuerunt inferiæ Pelopis. 343. 344
Olympici ludi vocati ſepulchrales conuentus. 344
Olympij ludi. 361
Olympici ludi inſtituti in honorem Iouis. 346. quanti fuerint Olympicæ coronæ, 355. dictæ ſunt ſacræ. 361. plura de his. ibid.
Olympica celebritas. 377. & 391
corona Olympica etiam extra ludos Olympicos data pro præmio, ibid. contexta ex vno ramo. 402
ab Olympionico deſiderantur omnia genera virtutum. 305
Olympiacæ accuſationes. 309
Olympici coronati coronis floreis 339
Olympicorũ ludorum autor quis. 342. De ea re diuerſæ ſententiæ. in ſeq. Ὀλυμπονίκης. 348
Olympicorum prærogatiuę & priuilegia. 358. & ſeq.
Olympionicus ἰσόθεος. 360
Horum priuilegiorum cauſæ. 361
Olympicum templum. 362
Olympicæ coronæ primùm ex oleaſtro, poſt ex auro. 408
dicebantur fulgere, ibid. Conſtiterunt è pinnis. 409
ex Olympionicorum albo duces eligebantur. 361. & ſeq.
His domum reuerſis coronæ mittebantur. ibid. tres ictus inferre, ludorum Olympicorum propriũ fuit. 421
in Olympicis victori præter coronas datur pecunia. 446
Spectaculo horum ludorum mulieres abſtinebant. 449
ὁμιλία τῶν φυτῶν. 122
in Omni re creata eſt corona. 29
Onager coronatus. 30
Opifices coronarum. 108
ὁλοχρυσοτύμματα. 478
ritus quo edebatur Oraculũ Apollinis. 556
Oratores coronati. 61. & 324. ad dicendum prodeuntes coronabantur 296. mos oratorum geſtandi coronam, 297. mos eorũdem oratorum tradendi corp-

nam illi qui proximè dicturus eſſet. ibid.
Oratorum certamina. 350
Orci galea. 725
Ordo 634. ordo florum in coronis. 121
Ordo ludorum, ſiue certaminum, 384. Publici ordines coronati. 471. die feſto, & in conuiuijs albati Romæ. 578
Orgiorum Bacchicorũ inſigne. 52
ὅρος. 148
Orpheus matre Calliope natus. 144
Ortus diei qua re demonſtretur. 183
Os, 290
Oſculum. 84. roſeum. 155
Oſiris corona. 184
Oſtia V. *fines*.
Oſtrea coronata. 30
Oualis corona. 58. de ea, & de ouatione, ibid. & in ſeq.
Oualis eſt myrtea. 508. & 522
Ouationi etiam data olea. 523
Ouare quid. ibid.
Ouilia coronata. 258
Ouis partus coronatus. ibid.

P

PActiles coronæ. 37
Pæderotes lapis coronatus. 30
Palæa vrbs πῶν πάπιζα. 114. & 130
Palæſtra, 368, παλαιστὴς καὶ παλαιστικός. 420
Palæſtra inuentrix τῆς πάλης luctæ, 368. vni Palæſtritæ licuit ſpatiari in xyſto. 342. De his, & de Palæſtra. 350
Palatium Romæ coronatum. 540
Palladium. 698
Pali terminales. 148
Pallas domina choreæ, 125. & 392
coronat victores. 466
Palladis galea, 725. & ſeq. 728
Pallor, 140. viridis. ibid.
Palma commune omnium certaminum coronamentum. 409. eſt pulchra, 410. Aliæ dotes palmæ. ibid. eſt ſymbolum victoriæ. ib. & 413. Non capite ſolùm ſed & manu geſtatur. 411. ſtatuebatur ante fores, ibid. in pedibus. ib. Hanc ſibi athletę vindicant. 412 palmæ quæ naſcuntur in rupe Vulcani. ibid.
Palma pietatis. 413
doctrinæ, ibid. deliaca. ibid.
infames, 414. coronæ è Palma. ibid.
Pſilinæ, & Thyreaticæ. ibid.
Palmæ folium. ibid.
Palmæ vterque ſexus, ibid.
de hoc plura. ibid. hæc corona imitatur radiatam, ibid. Virga ſeu ramus è palma ſignum ſiue ſymbolum futuræ coronæ, & præmij. 415
Palma alicui data eſt teſtimonium iudicij datoris de illo cui datur. 431. poma enata è palma. ibid.
è Palma corona facta aurea. ibid. impoſita ædibus priuatorum. 486
Palmatæ veſtes. 412
è Purpura fiebant. 413
Paludamentum Rom. principum. 710
Pampinus coronamentum Bacchi vnà cum hedera. 34
è Pampina corona. 203
Pampinea corona cuius rei ſit ſymbolum. ibid.
in Panathæneis vniuerſi fuerunt coronati. 104
Panathænaica ludi. 452

Panis coronamentum, 206.212.& 445
Pancarpiæ coronæ. 113
Panchatis flos coronarius. 180
Pancratium. 425
Pancratij corona. 426. aduertendum in Pancratio. ibid.
Pancratium in Nemea. 494
Pancratiaſtæ, i. diſpurando ſuperiores. 425. toris viribus certabant. 427
Pancratij victor in Iſthmicis coronatus myrto. 446
Pandora. 32
è Panibus corona. 445
plura de hac corona. ibid.
Papauera. 164
Papauer flos coronarius.195.eſt coronamentum noctis. ibid.eſt in tutela Cereris, ibid. & ſeq.
Papillæ hominis coronatæ. 31
Papyrus coronamentum. 198
Papyrus loco diadematis. 684
de Papyro coronaria. ibid.
plura de Papyro. ibid.
παγκρατιάζειν & παγκρατιάζοντες. 371
Parcæ coronatæ. 407
Parilia. 24
Parthenice. 196
Parthenopæa ludi. 452
quanti eſſet eſſe Patrem athletę qui Olympię viciſſet. 357
Patientiæ corona. 909
Patria illorum coronatur qui præmijs donantur. 288. 358
Pauimentum templi Apollinis laureatum. 543
Pauperi coronæ non conueniunt, 103
Pauperum corona. 209
Pauperculæ mulieres coronariæ, 108
Paupertas Romana. 590
Pax coronata. 465
Pectori coronæ applicatæ. 71.& 73
Pecunia, V. *moneta*, ſæpe data pro coronis. 430
Pedes conuiuarum vnguentati.77. corona poſita ante pedes eius numinis cui conſecrabatur. 239
Peditum curſus. 386
Pellitus, & pelles. 647. fuit indutus præclariſſimi cuiuſque venatoris. ibid.& priſcorum patrum ibid. & Indicorum ſapientum. ibid. Tranſierunt pelles ad communem vſum. ibid. pelles religioni adhibitæ, 648. ſancti viri pellibus incincti, ibid.
Pelles nauigationis comites. 649
Pelles in aula. ibid.
Pelliti reges. ibid.
Pelles aſcenderunt ſupra capita regum, ibid. heroës pelliti. 65.
quid hæ pelles ſignificarent. 654
Pelles tranſierunt ad iudicia. ibid.
V. *Spolia*. lugentes erant in pellibus. 656. plura de pellibus,657. & ſeq.
Pennæ i. flores. 200
Πενταετηρικὸς ἀγὼν. 451
πένταθλον. V. *quinquertium*. pētathli qui, 418.& 421
Περιοδονίκαι. 382
Pernicitas. 351. & 385
corona è Perſæa. 136
Perſicum diadema lunatum. 626
Perſicorum regum inſignia. 626.
Perturbationes animi qui vicit, coronatur. 440
Πέτηλος. 595
Peregrini aliquid coronam porrigebant. 241

Petronij Arbitri locus enarratus. 73. & ſeq.
Phæcaſium. 579
Philyra. 109
Philoſophi conueniebant ad celebritatem Olympicam. 363
Phœbus roſeus. 158
Phœnix coronatus. 30
Phœnix auis. 604. & 714
Piare genium floribus & vino. 90
Picea arbor. 257. & ſeq.
Picris flos coronatius. 196
Πιχλαὶ coronæ. 37
Pictores conueniebant ad Olympicam celebritatem. 365
Picus. 414
Picus coronatus. 212
Pietas. 201. & 312. eius corona. ibid.
Pileus naturalis infantium. 31
Pilei ſacerdotum. 273
Pilei ducales. 645. de pileo plura. 646. fuit geſtamen regũ Æthiopicorum. ibid. ducalis pileus cuius manu detur. 693. Sacerdotes pileati. 647. Dialis pileatus. ibid. cur ſit pellitus. ibid. ſuper pileo ducali monitio ad principem. 654 655 & 656.
Pileus Eilotatum. 656
Pileus Ducalis eſt interſtinctus & variatus notis nigris. ibid. plura de his maculis, & pellibus. 657.
Pileus Mercurialis. 658
Pileus Perſicus. 667. πιλοφορεῖν, ſeu πιλοφόροι. 647
corona è Pinnis alarum. 200
Pinnæ. 409
Pinnæ muri. 592
Pinnæ additamenta galearum. 708 & ſeq. vnde manauit mos circũponendi pinnas, alas, & criſtas auium galeæ. 713
Pinus coronamentum panis. 206. eſt patrium coronamentum certaminum. 435. eſt coronamentum Iſthmicum. 439. Cur. 440. eſt coronamentum Neptuni. ibid. & Liberi. ibid. ante apium pinus fuit coronamentum Iſthmicum. 442. Dioni Chryſoſtomo eſt planta nullius vtilitatis. ibid. de Pinu fabula. ibid. & 443
Pinus arboris quædam aduertẽda. ibid. De pinea corona. 444. Natales pinus. ibid. eſt ſymbolum caſtitatis. ibid. eſt pura. ibid. eſt ſymbolum virginitatis. ibid.
Piſa. 347
Piſces coronati. 30
Plato. 286
Plauſus. 416. κρότος.
Πλεκτὰ in mundo muliebri. 37
Πλεκτάναι τῶν λόγων. ibid.
Πλεκτικαὶ τέχναι. 38
Plectiles coronæ. 37
Pleiades ἰωπλόκαμοι. 144. τὸ πλέθριον. 369
Plicatilis corona muliebris. 37
Πλεκτοδότειρα Venus. 213
Plutarchi error. 2
Pocula hederacea. 53. in poculum inditi flores. 67. 68
Podagræ corona. 334
Ποδάγρα. 2
Ποδοψελλ. ibid.
Pœna. 287. præit præmio. 298.
Pœnitentiæ corona. 274
Poëtæ hederati. 59. Vnde manarit mos coronandi poëtas. 60
Poëtarum interpretes & rhapſodi coronati. ibid.
Poëtæ coronati. 317. coronati lauro. 320. donabantur alijs præmijs præter coronas. 328

Poëtica corona hodierna. 329
Poëtarum certamina. 429
Poëtæ redimiuntur myrto. 513
Poëtica corona vocata eſt diadema. 583
Πολεμωνεια. 390
Polymniæ amor qualis. 144
Polymnia diademata. 318
Πολυστέφανος. 114
Pomoſa corona. 203
quando coronæ Ponerentur. 76
Pontificium diadema.658. vocatur regnũ.ibid. vnde ſit.659. de eius materia,forma & ſignificatu. ibi.
Populi coronati. 471
Populus in triũpho coronatus. 533
corona è Populo.104. Populus coronamentum Herculis. ibid. populi vmbra commendatur. 205. alba populus eſt Herculis. 205. & ſeq. hac fronde alij heroës Herculis imitatione coronati. ibid. rem ſeriam agens Hercules hac fronde redimiebatur. 206. fuit coronamentum amantium. ibid. coronamentum mortui. 248
Poſteritas. 519.600
Potare in roſa. 151
Pothos flos è quo corona. 120. cuius vſus erat in ſepulchris. 222
Præcones in ludis.374. horum munus. ibid. iſti præcones coronati. 376. alij non coronati.ibid. horũ dignitas. 376
Præmium. 2. 287. quo ſenſu dicamus coronam eſſe præmium.298. & ſeq. verum prœmium quibus in rebus conſiſtat. 300. corona eſt præmium,non merces aut remuneratio. 301. corona i. præmium. ibid. quantopere fuerit expetitũ. 303. quomodo Pindarus definierit præmium. 304. & 357. plura genera præmiorum. 304. omnia præmia aſſurgunt coronæ. 305. alijs præmijs hoc antiſtat.ibid. eſt luculẽtiſſimum teſtimonium virtutis. ibid. de ijs præmijs quæ dabantur præter coronas. 328. præmia ſacrorum certaminum. 350. & ſeq. & aliorum. 351. coronæ ſunt prima præmia militiæ. 457. præmia victorum præter coronas. 328
Præneſte vrbs.114. de ijs qui Præſidebant ſacris certaminibus. 369
Prata coronata. 14. coronæ quibus Preces numerantur. 216
coronis caput Premi dicitur. 71
Pretium coronę quo loquendi genere deſignaretur. 179
Priapus hederatus.58. eius corona. 213
Primæ coronæ quales. 66
Primitijs coronati lares.209. coronæ inter primitias. 21
Principatus quibus appellationibus demonſtretur.584. principes hodierni.641. maiores principes.ib. de Ducis & principis appellatione.ibid. princeps quis dicatur.ib. & de principatu.ibid. quomodo ducatus & principatus reciprocentur.641. & ſeq. minores principes. 642. horum corona. 643
Principiũ. V. *Initium res Priſca*.346
corona Probitatis. 312
Proclamatio victorũ vbi fieret. 375
Profeſſę quæ dicerentur.213. nemo ad ſacra certamina admittebatur ſi non priùs eſſet Profeſſus nomen ſuum. 365
in Promethei honorem coronæ geſtabantur. 212.& ſeq.

Promachia ludi. 451
coronæ virtutis proponebãtur. 461
τὸ πρεπτεῖον. 357
Prouidentia regis. 601
Prouinciales coronæ. 537
corona è Prunis. 39. eſt corona victoriæ. 476
Pſaltriæ conuiuijs inductæ. 85
Ptilinæ coronæ. 414
Pſittacus coronatus. 30
Pubertas auro coronata. 15
Publica res triplex. 683
Pudicitiæ corona. 446
Pudor regis. 591
Pueri bene coronati, εὐστεφεῖς. 15. puerilia certamina. 447. pueri Athenis coronati. ibi. pueri athletæ. ibid. puerile equeſtre certamen. ibid. alia puerorum certamina. ibid. & ſeq. ſingulorum certaminum coronæ ijs fuerunt propoſitæ. 448. puerilia ſagittandi certamina. ibid. ſcenica & muſica eorundem. ibid. pueris non licuit deſcendere ad ſacra certamina. 368. pueriles luſus. 340. pueri coronati regio diademate. 688
Pugiles coronãtur palma. 409. pugnis cędere. 420. pugilatus. ibid. tres ictus in pugilatu. 421. pugilatus & luctæ affinitas. 424. aduertendũ in pugilatu. ibi. manu pugil. ibid. & ſeq. pugilatus & lucta maioribus præmijs donantur. 425. certè pugilatus ſcriptis encomijs. ibid.
athletis licuit Pugnare in cõſpectu regis. 358
Pulegij corona vaſa redimiebãtur. 12. de corona è pulegio. 45
ſola Pulchritudine quandoque coronæ cenſebantur. 136
Pulchritudo ex oculis florere dicitur. 148
Puluini è roſa. 151
Purpura roſæ. 156. purpũra opponitur pallori. 157. & 158
Pyleo corona Iunonis. 207. & puellarum. ibid.
Pyrrhica. 339. & 357. & ſeq.
Pythagoras victor ludis Olympicis. 363
Pythici ludi. 427. eorum inſtitutio. ibid. quo tempore fuerint inſtituti. 428. primò ſine quadrigis; poſt & cum his. ibid. Hymnus in his ludis canebatur. ibid. de cæteris horum ludorum additamentis. ibid. πυθικὸς νόμος. ibid. eius partes, & plura de hoc. ibid. pythica celebritas. 430. pythica corona. ibid. eſt laurea. ibid. dubitatum an eſſet è palma. 431. denique hæc corona è palmata facta eſt aurea. ibid. quanti fuerit horum ludorũ præfectura. 432. quanti fuerit hæc corona. 431. & ſeq. pythia. 556

Q

Quadrigæ. 387. & ſeq. & quadrigarij equi. 388. & 390
Quæſtiones conuiuiales. 80
Quercui ſociatur hedera. 135. quercus pallens. 140. quercus impoſita foribus prius priuatorũ. 406 quercus vnico nomine continétur ilex & eſculus. 488. auro effigiata quercus. 488. cur ciuica eſſet è quercu. 810. eſt Ioui ſacra. 489. eſt ſacra. ib. & 498. eſt arbor Rheæ. 489. Iouis. 490. de fructu eius. ibi. qui fuit cibus primorũ hominũ. ib. & receptaculũ. 492.

Appellatione huius arboris cæteræ continentur. ibid. eſt ſymbolum hominis opulenti. ibid. eſt procera. ibid. eius vmbra gratiſſima. ibi. tenebras Iupiter cur ſub querceto abſcondit. 493

Quercus apud priſcos ſemper demonſtrat aliquid inſigne. 494. loqui à quercu, & ad quercum. 495.

Quercus, i. loca arboribus denſa. 496. eſt oraculum. ibid. & ſeq.

Quercus edunt reſponſa & oracula. 497

Quercui ineſt neſcio quid diuinitatis. ibid.

Quercus vocales. 498. alata quercus. 500. ad quercum ſuſpenduntur ſpolia hoſtilia. 498. eius impenetrabile robur. ibid. Hoc coronamentum ambitum. 500. ritus obſeruari ſolitus in danda corona quercea. ibid. præter ciuicā aliæ coronæ plexæ è quercu. ibi.

Quercus coronamentum illorum qui Cereri canebāt hymnos. 501. floreſcens illa laminæ ſpecies ſignat floream coronam. 599. & 601

Quinquertij certamen. 418. de quinquertij victorijs. ibid.

Quinquertij præmium. 422. corona quinquertij. ibid.

Quinquertionis victoriæ ſingulæ non adæquabant eas quæ ſingulorum athletarum propriæ. 421

Quinquertionis antagoniſta eſt alius quinquertio, non ſingularis athleta. ibid.

R

Ῥαβδοφόροι θεοί. 24

Racemi coronamentū Bacchi. 203

Radiatus & radioſus. 604

Radiatio capitis principalis. 605

Radiata corona principes Romani inſigniti. 606. radiatæ coronæ ſignificatus. 608. & ſeq. caput regis radiatum. 617. de his radijs. 618.

Radijs demonſtrantur primores. ibid.

Radiata qui nam principes Rom. & quomodo vſi ſint. 620. gallus radiata inſignis. 715

Radij qui eminent è lamina diadematis. 603. & ſeq.

Ῥαδ[illegible]. 415

Rami ἱκετηρίας duo. 342. manu geſtabantur. ibid.

Rami Alphæi. 348. ſimpliciter rami, & Olympici. ibid.

Ramuli in coronis. 125. ſociati floribus. 135. & inter ſe ipſi. ibid. ſunt prçclariſſima inſignia eximię virtutis. 300

Rami in coronis quomodo texantur. 404. de ramulis ſurgentibus è lamina. 621

Rhapſodi coronati. 324

Redimicula. 34

Redimitus. 9

Refrigerans corona. 44

Remedium è primis coronis. 41. & 42. ijs quomodo vterētur. 43. de ijs coronis quæ erāt remedio. 136

laurus Renouabatur. 541

de ijs qui deſcenſuri ad ſacra certamina Reprobabantur. 367

Reſpirabant athletæ pugnantes. 424

Reipub. adminiſtratorum tria genera. 309. qui egregiam Reipub. operam dedit coronatur. 315. & 472

Reuelat corona virtutem occultā. 308.

Reges mortui vnde coronarentur. 220. regum ſacrificantium habitus. 471. reges interdū diſpoſuerūt ludos ſacros. 370. rex. 601. regum nobilitas eſt à ſole. 608. & ſeq. regnum eſt ἀυτηρὸς: 640. ſocij reges Romanis qui. 691. regius cultus. 692. regiæ coronæ cenſebantur inter res maximè ſpectabiles. 696. regia inſignia ſunt inter res ſacras. 686. regis appellatio. 568. antiquitùs quale fuerit ad regnū iter. ibid. de origine regni. ibid. quænam fuerint ſpectata in electione regis. 569. regnum non ſignat ſeruitutem gentium. ibid. regnum diſtinguitur à monarchia. 570. regius habitus & veſtitus. 574. in rege quę potiſſimùm virtutes deſiderentur. 577. regium faſtigiū. 638. reginæ coronatæ. 689. harum diadema. ibid.

Rhea. 465. 490. & 593

Rhenani error. 161

Rhododaphne. 196

Ῥοδόπηχυς Ptolemais, Ῥοδόχροος epithetum Veneris. 153. & Helenæ. 255

Riſum myrtus excitat. 513

Rogus ſertatus. 21

Roma coronata trophæis. 17. galeata ſub fronde oleæ. 396

de Romana magnitudine vaticiniū Homeri. 459

Romanus miles. 458

Romani principes quibus coronis vſi ſint. 619. tam laurea ſcilicet, quàm radiata. 620

Romanus ciuis. 480

Ius Romanæ ciuitatis. ibid.

Roma hodierna. 661

Romuli habitus & veſtitus. 549

Romulus coronatus. 466

Ros marinus. 409. & 196. eſt coronamentum larium. 208

Roſa coroneola. 122

Roſea corona ægrotanti in ſomnis viſa eſt infauſta. 131

Roſæ breuis ætas. ibid. præpoſterū quorūdam de roſa iudicium. 132. eſſe in roſa quid. 145. 151. dormire in roſa. ibid.

Roſa vernus flos. 147

Roſæ ſpecies. ibid. vna roſa propriè dicitur flos. ibid. & ipſa florere. 148.

Roſæ vocabulo ſæpe ſignantur alij flores. ibid. omnes flores vocantur roſei. ibid.

Roſa regina florum. ibid. encomium roſæ. ibid.

Roſa quæ iacitur eſt index publicę lætitiæ. 149. & priuatæ. ibid. hoc flore conſperguntur menſæ. 150

Roſæ nullum florem cōparare auſis. ibid. è roſis vnguentum. 76

Roſa delicata & mollis. 151. puluini è roſa. ibid. potare in roſa. ibid. Veneri dare operam in roſa. ibid.

Roſæ eſt coronamentum Veneris. 152.

Roſæ propriæ Veneris. ibid. & in tutela huius Deæ. ibid. eſt ſymbolum rei Venereæ. ibid.

Roſæ munus amantium. ibid. eſt coronamentum Bacchi. ibid. lectus amantium cōſpergitur roſis. ibid. cur roſa ſit Veneris. ibid.

Roſa διδυμόχροος. 153

Roſea corona. 44. deſignat potentiam, regnum, imperium. 148. in conuiuijs dari ſolita. 149. ib. regnare dicitur. ib. eſt purpurea. 153

Roſeus color. ibid.
Roſæ arſuræ. ibid.
Roſaceus color. 154. ſiue roſeus. ibid. in roſa commendatur verecundia. 153. natales roſæ. 155.
Roſaria purpurea. 156
Roſaria i. flores. ibid.
Roſa vnde dicta. 157. purpureus ſiue puniceus roſæ color. ibid.
Roſa Indica. 158
Roſæ odor. ibid. & 159
Ῥόδον vnde dicatur. ibid. odor roſæ pars luxus regij. ibid.
Roſa pro eo, quicquid eſt, quod ſuaue eſt. ib. Gratijs roſa eſt flos dilectus. ibid. Gratia eius. ib. eſt coronamentum Muſarum. 160. mortuos propugnat. ibid. tempori vim affert. ibid.
Roſæ admirabilis efficacia. ibi. eius excellentia. ibi. centenariæ roſæ malè legitur apud Tertullianum. 161
Roſæ ſexaginta foliorum. 162. ſpōtaneæ roſæ. ibid. alia genera & nomina roſarum. ibi. quibus floribus roſa ſocietur. ibid.
Roſæ munus quid ſignet. ibid.
Roſa ſymbolum Anglici regni. 163
Roſç dotes in pauca contractæ. ibi.
Roſtrata. V. *Naualis.*
Rotunditas coronæ. 595
Rubor. 154
ſi Rumperentur ſtemmata ſacerdōtum, quale omen. 246
Ruſticorum corona. 41
Rutilæ coronæ. 535

S.

Sacella coronata. 261
Sacerdotes coronati. 244. vittati & infulati, coronati. ibid.
Sacerdotalis corona. ibid. ex olea. 245. Sacerdotes vittati. 245. vittati & coronati. ibid. infulati. ib. infulati, coronati. ibid. horum quandoque corona fuit aurea. ib. Sacerdotales coronç dicta diademata. 246. Sacerdos ſuis inſignijs ornatus ab iniuria tutus erat. ibi. quando liceat interimere ſacerdotem. ibid. Sacerdotum corona aurea. 247. noſtrorum ſacerdotū coronæ. 250
Sacra certamina quæ. 350
Sacræ coronæ. 201. 217. 231. à quibus dedicarentur. 232. fuerunt inter ἀναθήματα. 233. iiſque additæ inſcriptiones. ibi. hæ coronæ teſtes victoriæ & felicitatis. ibid. materia talium coronarum. ibid. earum pretium & excellentia. 234. templis interdum detractæ ea mente vt reſtituerentur. 236. nulla pars diuini cultus carebat coronis. 239 quandoque diuinus cultus conſiſtit in ſolis coronis. 240. vniuerſi quandoque offerebant has coronas. ibid. ipſi, ſcilicet, coronati. ibid. inſignia regalia ſunt inter res ſacras. 686. coronæ ſacræ conuiuiales. 251
Sacra loca lauro vmbrata. 250
Sacrificantes coronati. 244. olea. ibid. & 248. ſi ſacrificātis corona rumperetur, quale omen. 246. ſi caderet. 247. de ſacrificantibus plura. 248. Sacrificia bene coronata. 263. in apparatu ſacrificij corona obtinet locum eminentiſſimum. ibid.
Sacrilegi coronis manus admoliti. 234
Sagittæ coronamentum Indorum. 200. ſagittas Ægyptij circumpo-

nunt capitibus. 618
è Sale coronæ. 29
Saliorum coronamentum. 104
Salij quas mitras ferrent. 269
Salij lanigerij. 273
Salire. 420
Salix. 42
Saltatrices pſaltrijs annumerantur. 86
Saltatio. V. *Chorea.*
corona Salutis. 99
inter Sapientes certamina. 364
Sapientiæ ſchola. 310. Sapientiæ profeſſores. ibid. his corona decreta. 311. corona ſapientiæ. 313. & 394. ſapientia. 568
Sardanapalus coma implexa. 15
Saturnus primus coronatus. 32. eius coronamentum. 204
Satyri hederati. 58. coronati. 206
Scenica certamina. 350. & 458
Sceptra regum. 407
Scindere vel conſcindere coronas quid. V. *Soluere, & ſolutio coronarum.*
Scirpus. 109
Σχοινίον. 78. & 519
Scopæ laureæ. 543
Scripta ſummorum hominum recitabantur in ſolennitate Olympica. 364. & ſeq.
Scriptores ſunt præcones æternitatis. 307
Scyphus Cyclopis hederaceus. 53
quibus ſe renuntiare & laudare liceat. 376
Sebaſtocratoris corona. 691
Senum corona quæ. 13. ſenes dicuntur θαλλοφόροι. 243
Sepulchra coronata. 220. & proxima ſepulchris loca. 221
Sepulchra corollis conſperſa. ibid. ſaxũ quod ſepulchro imponitur, coronatum. ib. virorum fortium ſepulchra coronabantur apio. ibid. conſperſa hyacinthis. ibid. & lilijs. ibid. hoc officium fuit anniuerſarium. 222. & præſtabatur à proximis. ibid. quandoque publicè. ibid. Ingenti numero coronarum magnorum virorum ſepulchra honeſtabantur. ibid. & ſeq.
Sepulchra cæſarie & cincinnis coronata. 224
Sepulchrum florere quid ſit. ibid. apud ſepulchra cantibus celebrabantur virtutes defunctorum. 225
Sepulchrum ouis coronatur. ibid.
ad Serapidem quædam coronæ referuntur. 126. Cur ei pro capite imponatur cœlum. 489
Serenitas. 584
Sereniſſimi titulus. ibid.
Sermo floridus. 119
Sermonum deliciæ per nomen loti demonſtrantur. 182
Serpentes in thiaſis, cæteroque ſacrificali Bacchico apparatu. 52
Serpyllum. 197. eius epitheta. ibid. dicatum eſt muſis. ibid.
Sertum. 35. Genialia ſerta, id eſt corollæ. 67. 116. 118. ſumptum pro ἱκετηρία. ibid.
Serta corollæ, ſiue coronæ ſepulchrales. 221
Seruiæ coronæ. 35
Seruus ad quæ certamina admittatur. 352
Σφραγίς. 250
Sibyllæ. 611

Simulachra numinum coronata. 200. & 204
plus eſt in Singulis excellere, quàm in omnibus mediocriter verſari. 421
Siſymbrium coronamentum ſponſorum. 130. duplex. 192. planta Veneri grata. 193
corona è Smilace. 44. & de Smilace plura. 45. error eorum qui pro hedera capiunt ſmilacem. 53. & ſeq. vtriuſque folij ſocietas in coronamentis. 54
Sobrietas. 553
Romanis Socij reges qui eſſent. 691
Solis orbis ſuper capite Auguſti. 25
Solis maieſtas. 604
Sol eſt rex. 609
Sol eſt Ioue prognatus. 610
Solis & lucis propria eſt bonitas. ibid. ab affectibus ſolis omnis regiorum munerum ratio petitur. ibid. & ſeq.
Sol vnde dictus. 610. pro re mutat nomina. 611.
Sol calefaciendo & penetrando præeſt omnibus rebus. ibid. huius radij ſeſe diffundũt in hominum mentes, eaſque perpurgant. ibid.
Sol eſt antiſtes boni conſilij. ibid. abſumit ſuperfluũ humorem. ibi. ſurgente eo nubila vaneſcunt. 612. radij ſolis inſeruntur ſe ſordibus, nec inquinantur. ibid. nunquam ſol diſpicit an illud quod aſpicit ſit dignum infuſione ſuæ lucis. 612. & ſeq. eius lumen eſt gratuitum. 613. dicitur ἥλιος à congregando. 612. & à voluendo. 614. deficiens & ſubluridus portendit omnia mala. 613. eius præſentia defert omnia lumina. ibid.
Solus lucet. ibid. ſtellas eas interno motu ciet quarum motibus & potentiæ ſumus obnoxij. ibid. diſcedente ſole petit ſyderibus decor. ibid.
Solis beneficio tempora diſtinguimus. ibid. eſt indefeſſus. 614. & ſui ſimilis. ibid. nunquam repentinus adeſt, ſed habet ſuos antambulones. ibid. circuitu ſuo annum claudit. 615. poſtquam ſata fouit, ea euocat. 614. eius tepore illa accipiunt incrementa. 615. patres ſuos filios vocant ſuos ſoles. ibid.
Sol fruges percoquit. ibid. calor Solis non vrit. 615
Sol quibuſdam eſt iniquus. ibid.
Sol eſt αἰγάων ſplendens, & ſic dicitur ἀπὸ τῆς γῆς. ibid. multis nominibus eſt admirabile ſpectaculũ. ibid.
Sol variè effingit ea quæ terra progignit. ibid. oritur ſceleratis & pijs. 616. nunquam egreditur è Zodiaco. ibid. omnia aſtra adit ſingulis annis. ibid.
Solis vocabulo priſci ſignabant libertatem. ib. ſemper eſt iuuenis. ibid.
Soli tribuuntur tres ætates. ibid.
Solis lorica. 619
Sol etſi ſolus ſtellis circumfundi amat. 639. eſt lumen omnituens. 612. ipſius beneficio omnia videmus. ibid. omnia cadunt ſub aſpectum ſolis. ibid. oculos audacius intuentibus perſtringit. ibid. omnis labis eſt intolerans. ibid. eſt elector. ibid.

Solui coronæ quando dicerentur, & de hac ſolutione plura. 83. & ſeq.
Coronæ ſunt inter illa quę pertinent ad côiecturam ſomniorum. 101
Somnia. 680
Sophocles coronatus. 450
Sortes iniectæ galeæ regis. 728
τὰ σωτήρια. 126
Σοῦσα i. lilia. 166
Σωρεύματα στεφάνων. 85
Sphynges ſuper galeis. 719
Spicea corona. 501
Spicæ coronamẽtum Cereris. 502. & 503. eſt omnium coronarum antiquiſſima. ibid.
Spicæ inſignia Cereris. 504
Spicæ quoque ſunt Iunonis. 505
Hæc corona eſt ſymbolum omnis fertilitatis. ibid.
Spicea corona. 247
è Spinæ albæ feminę corona. 45
Spinę Ægyptiæ flos. 197
Spinæ coronatæ. 214
Spinea corona, infauſta, tunc ſpinę monſtratæ in nuptijs. 501
Spinæ ferales. 618
Spinæ in corona Chriſti. 201
Spita. 568
Spiritui ſancto coronæ ſunt complacitæ. 47
Spolia hoſtibus detracta & erepta, 22. ſuſpenduntur ad quercum. 498
Spolia ingentium ferarum victoribus data. 649
Spolium geſtare leonis quid ſit. 651
Spoliorum talium geſtores inuulnerabiles. ibid.
Spoliorum nomina. 650
Spolijs pro hiſce quãdoque armis eſt diſceptatum. ibid. Reges talibus ſpolijs ſunt vſi. 653. & magni duces. ibid. talibus in ſpolijs magni hoſpites excipiebantur. 654
Sponſi coronati, 127. & ipſorum familia, affines, domus, ac domeſtici. 128. Horum coronis illudit Comus. ibid.
Sponſus nuptialem coronam tradit ſponſæ. 128
Sponſi vtriuſque ianuæ redimitæ. ibid.
Veſtibula & aditus. ibid.
Sponſæ coronamentum. ibid.
Sponſorum coronamentum. 130
Spõſa coronabat ianuam viri lana. ibid.
σταχυοστέφανος Ceres. 502
Stadium, 376. & 381
Nemeum. 434
Stadium. 367
Σταδιοδρόμος. 381
Statuæ numinum coronatæ, V. *ſimulachra.* 232
Statuis præclariſſimorum hominũ coronæ impoſitæ. 245
Statuæ Romæ coronatæ. 244
Statuę numerabantur. 244
Statuæ Olympionicorum. 362
in Statuis hiſce aduertenda. ibid.
Statuę palmares. 415
Statuis principum qualis honos habitus. 698
Στεφάνη. 6. & ſeq.
vnde dicta. 7
Στεφανηφορία. 422
Στεφανηφόροι ſacerdotes. 248. & magiſtratus. ibid. Hinc annis inditum nomen. ibid.
Στεφανῖται. 348. & 350

Στέφανος 5. στέφανος πολέμοιο, 8. murus 9. pro autoritate magiſtratus. 252
στέφανος i. frons è qua corona conſtat 489
στεφανοπῶλαι. 108
στεφανοπώλιδες. ibid.
στεφανοῦν ἀντὶ τοῦ διαζῶσαι. 521
στεφάνωμα. 10
στεφανώματα apud Athenienſes quid. 159. & 213. & ſeq.
ἐστεφανωμένος καὶ στεφανωτάμενος. 3. & 13
στέφειν i. κοσμεῖν. ibid.
στέφη coronæ funebres & inferiæ. 223
Stellata corona. 604
Stemma. 7. & 585
Stemmata quid, 7. ſtemmata. 333. & 589
Sterilis laurus. V. *laurus.*
Stilicho coronatus. 525
Strabonis locus emendatus. 572
Strangulatio. 426
Strophæ. 34
Strophia, ſtrophiola. 33. & ſeq.
Strophiis primis additum eſt decus florum. 64
Strophium i. diadema. ibid. & pro corona ſacerdotis. 64
Strophium. 644. 729
Struthia corona. 120
Stylus. 306
Subitarium diadema. 683
Suis dentes ſuperadditi galeæ. 719
è Sulphure coronæ. 30
Supellectile cum cætera emebãtur coronæ. 83. corona eſt in ſupellectile militari. 101
Superbia redimita. 26
Superflua. 570
Supplicantes coronati. 240
quo habitu Supplicarent. 241
Athenis hi ſe myrto coronabãt. 243
inter Supplicia coronæ fulgor ne quidem hebetari potuit. 298
Suſinum vnguentum. 76
Sutiles coronæ. 39
Syllogiſmi plectiles. 37
Syluestri Rom. Epiſcopi moderatio. 663
Συνθηματαῖοι. 123
Syrorum mos qui pertinet ad vnguenta. 77

T

Taciti locus explicatus. 105
Alius eiuſdẽ ſcriptoris locus emendatus & explicatus. 486. & ſeq.
Taciti locus emendatus. 540
Tænia. 226
Tænijs adhærebant coronę. 228. ſunt inſignia Pontificalia & ſacerdotalia. ibid.
Tænia eſt corona. ibid.
τὸ ταινιοῦσθαι eſt ἀναδεῖσθαι. 229. differunt tamen. ibid.
Tæniola meretricularum 568
Tæniæ victoribus dabantur cum corona. 467. & 229.
Tæniæ diſtinguebantur à coronis Olympicis, alijſque. ibid. & datę loco præmij, ibid. ταινίδιον. ibid.
Tæniarum coniectus. 105
Taurorum cornubus armantur galeæ. 715. & de tauris plura. ibid.
Temperantię corona. 313
Templa coronata. 261. potiſſimũm in publica lætitia, 262. coronare templa quid ſit. ibid. Chriſtiana templa coronata. ibid.
Templum Olympicum 362
Τένος. 332
Tentoria militum coronantur hedera & lauru. 57
Τέρμα. 379
Termini coronati. 214

Termini coronamentum. 215
Termini vngebantur. 215. & ſeq.
Terpſichore mater Sirenarum. 144
Terra coronata. 29 & 32
Terra Dea. 490
Terriculamenta galeis addita. 716
Tertullianus inſectatur coronas. 423
Thalamus i. lectus nuptialis coronatus. 129
Thalia. 125
Θάλλος. 393. θάλλοι ſuperſtitionibus rami adhibiti. ibid.
plura de θάλλοις. 394
θαλλὸς coronamẽtum magiſtratus, 511
θαλλοφόροι. 243
Θαργήλια ludi. 452
Theatrum, 366
θυμελίκοι coronæ. 372
vbi Theſaurus inuentus eſſet, is locus coronabatur. 216
Θωρεὶ & θωρεῖς. 259
θωρεὶ coronati. 264
θριγγὸς. 6
τὸ θρῖον. 39
Thymum. 196. cuius rei ſit ſymbolum. ibid.
Thyreaticę palmæ. 414
Thyrſi Bacchi. 59
Tiara regia. 669
Tiara lunatus. 670
Tiaræ addita vnguenta. ib. amplitudo regij tiaræ. ibid.
Tiaram implere. 671
Tiara heroës inſignes. ibid.
Tiaræ fuit circumpoſitum diadema. ibid.
Tiara fuit purpureus. ibid.
Tiara circumdata myrto. 519
Tiaram vſurparunt imperatores Conſtantinopolitani. 592. & 623
Tiara. 647. De tiara regum Perſicorum. 666. non fuit diadema, ſed pileus. ibid. & ſeq.
Tiaræ quinque. 667
huius pilei materia. ibid.
Tiara ducum. 668
Tiara iudicum. ibid.
Τιαροφόροι. 670
Tibicen coronatus conuiuio inductus. 79
Tibur vrbs πολυστέφανος. 114
Tigrides horrificabant bellatores. 718
Tilia & materia tiliacea. 109
Tithonia coronata. 93
Togata nobilitas. 713
Tonſa corona. 460
Tori. 112. & 622
Torques aurei. 460. & argentei. ibid.
Torques. 476
Tortiles coronæ. 38
τραχηλισμὸς. 427
Traiani ludi. 451
Trallis vrbs priùs Ἄνθεια. 114
Tres coronæ conuiuiales. 69. eius rei cauſa. ibid.
Tres ictus inferre proprium fuit ludorum Olympicorum. 421
Τριακτὴρ. 422
Trias. 659. & ſeq.
Τρικέφαλος Mercurius. 663
Τρικόρυφος. ibid.
Τριφυλία. 624
Τριλοφία. ibid.
Τριοδῖτις epithetum lunæ. 493
coronæ ponebãtur ſuper Tripode æneo. 428. poſtea ſuper menſa. 374
Tripos Delphicus è lauro. 556
Τριπλασία χάρις. 660

Triptolemus. 502
Triptolemi ætas. 503. & 505
Τρισολυμπιονίκης. 357. huius priuilegia. 362
Triumphans inſignitur corona, 298. 524
Triumphales coronæ duorum generum. ibid. de hiſce coronis plura in ſeq.
Triumphanti mittebantur coronę à prouincijs. ibid.
Triumphalis corona fuit aurea & laurea. ibid. & ſeq. fuit è ramulis lauri. 525. & ſeq. Aurea erat inſignis gemmis. 526
Triumphans manu tenebat ramum lauri. ibid.
Triumphus proprius Romani nominis. ibid.
ſæpe dux ante Triumphũ vouebat Ioui coronam. 528
Triumphus cuicunque decretus fuerat, huic quoque inſignia triumphi decreta cenſebantur. 530
Triumphalis vir in publicum quãdoque egrediebatur ſua corona conſpicuus. 531. Qualis eſſet hęc corona. ibid.
Triumphaturis conferębantur coronæ in templis dedicandæ. 532
in Triumpho præter milites, primores erant coronati. 533. & ipſe populus. ibid.
Triumphalibus coronis omnes illę adnumerantur quæ dantur victoribus. 534
quicquid Triumphanti in triumpho præferebatur fuit coronatũ. 535
Triumphalium virorum ruſtica inſtrumenta laureata. 536
cùm rem diuinam hi faciebant, Deorum ſigna erant coronata, ibid.
Triumphus laureatus. 537
Triumphaturo à prouinciis mittebantur coronæ, quæ in ipſa triũphi celebritate ei præferebantur. 537. hæ dictæ prouinciales. ibid. plura de his coronis. ibid. Ipſi reges talem coronam mittebant Romani. 539
Triumphalium virorum fores lauru coronatæ. 540
Triumphator meritò dici poteſt rex. 561
Triumphi quis autor. 570. de ijs quæ vecta ſunt in triũpho Pompeij. 587
Triumphales viri quales coronas militibus dederint. 595
Troiani ludi. 451
Τρυπανουχία. 592
Trophæa coronata. 17
Trophęum. 499
plura ibi de Tropheis. ibid.
Tuba in Olympicis certaminibus. 377
Turrita. 177. 465. & ſeq.
Tutela nauis coronata. 260
Tutuli & tutulatæ. 252
Tyrannicidę coronati. 470. & 519
Tyrannicidarum poſteritas honorata. 520

V

Vaccæ cum ſuis vitulis. 477
an caſtrenſis & Vallaris fuerint duæ. 461. non dabatur niſi præcedente inquiſitione. 463
Vallus ex auro. 462
Vallus. 592
Vapores coronati. 250

Vaſa

Vaſa ſacra coronata. 262
Vatum coronamentum. 180. & 625. circa collum. ibid.
Vellera. 275
corona ſub qua Venibant in bello capti. 479
Venti coronati. 208
Venus coronatur roſis. 152
Veneris mammillæ. 154. & ceruix. ibid. Venus φιλοστέφανος. 213
Veneres quatuor. ibid.
Venus coronatur corona facũdiæ. 319. eſt inter fortiora numina. 522 vocatur victrix. ibid.
Ver dicebatur quicquid eſſet floridum. 138. coronatur. 139. deſcribitur. ibid.
Verni flores. 137. enumerantur. ibid.
Venerem conciliant. 151. Ver coronatur. 207. & ſeq.
è Verbenis corona. 130
Verbenæ coronamentum ſacrificantium. 265
Vertumni corona. 207
Veſtę 210. coronatę. ibid.
Veſtales coronatæ. 253
Veſtes florales. 119
Veſtis Olympionici. 359
Dij apud Veſtibulum. 210
Vicariatus imperij. 634. 693
Victima qualis eſſe debeat. 21. coronata. 52. 253. 296. aurata. 255. coronata cupreſſu. 256. & fronde illius numinis propria cui immolatur. ibid.
Victimarum alia coronamenta. 257
Victoria pennata. 200. donari corona eſt renunciari victorem. 301. corona eſt præmium victoriæ. 302
Victor tantùm coronatur. 340
Victoriæ dux. 343. coronæ victoriæ. 466. corona i. victoria. ibid. de victoria. ibid. & ſeq.
Victoriæ ſimulachrũ coronatum. 467
Victoria coronat victores. ibid. mos Gręcorum in danda hac corona. 469. has coronas interdum vniuerſi adepti ſunt. 471
Victor publicorum incommodorum coronatur. 472. vnde victrices coronæ conſtarent. 476. vbicunque victoria parta eſſet, ibi milites coronabantur. 448
Victoria. 563
Victoria quid. 569. quempiam coronare eſt eum renuntiare victorem. 470
Victi confeſſio. 476
Viduitatis corona. 19
Vigilantia regis. 601
Vincula. 38. & 41. huius coronæ exemplum. ibid. primis vinculis additus eſt honor floris & frondis. 64. & 19. vinculum id eſt diadema. 571
Vinum Italiæ Ianus dedit. 33. inter remedia. 48. vinum coronatum. 68.
Vinum inter inferias. 224
Viola. 139. tres eius ſpecies. ibid. & ſeq. pallens & crocea. 141. nigra ibid.
Violæ laudes. 142. eſt ſymbolum virginitatis. 144. omni generi pulchritudinis rectè inſeritur. ib.
Viola areſcens adhuc pulchra eſt. ibid. ſumitur pro eloquẽtiæ pulchritudine. 145
Viola tenera ac delicata. ibid. eſſe in viola quid. ibid. eſt coronamentum larium. ibid. & 209. ſuo

odore ſiſtit τὴν ἐγκοκαίαν. 146. quibus floribus ſocietur. ibid. corona roſarum & violarum. ibid. in viola commendatur rutilum. 164
Virga, arcus, corona. 28. & ſeq.
Virgam manu tenebant iudices ſacrorum certaminum. 369
Virga priuſquàm corona data victoribus. 415
Virga Heſiodi. ibid.
Virginitatis corona. 19
Virgini impoſita corona florea quid ſignet. 124
Virginitas quid. 144
Virgines Venerem coronis celebrant. 212
Virginitatis ſymbolum. 444. & coronamentum. ibid. quomodo exploraretur virginitas. 445. coronamentum virginum. ibid.
Virginum certamina. 448
Virgo. 593
in Virgultis corona. 30
Viror pallidus. 140
Virtutis prærogatiua. 281
Virtutis corona oleaginea. 283. huius coronæ dignitas. ibid.
Virtutis habitus & corona deſcribuntur. 284
Virtus ἀνέστεπτος. ibid. ſingulis virtutibus ſingulæ coronæ ſunt attributæ. 285. omne præmium virtutis eſt in ipſa virtute poſitum. ibid.
Virtutem admittere quid ſit. 287
Virtutis corona dicitur communis 302
de Virtutis corona plura. ibid.
Virtus, i. omnes virtutes. 308
Virtutis coronam ſiquis malis artibus adeptus eſſet, punitus. 316.
Hæ coronæ non dabantur niſi accurata cauſæ cognitione præcedente. ibid.
Virtus militaris. 337
Virtus quomodo effigietur. 410
Virtutis coronæ aureæ vbi darentur. 461
Virtus hodie contemnitur. 599
Virtus 629. & ſeq.
Vita coronata. 284. 472
Vitia corporis ludorum exercitamentis emendata. 94
in Vite corona. 30
in Vite eſt ſimilitudo hederæ. 48
Vitis eſt Iunonis. 204
Viriginea coronæ. 203
Vitiæ inſignia vatum. 324
Vittati ſacerdotes. 245
Vitta. 276
Vittæ crinales. ibid. ex infulis vtrinque dependebant. ibid. & ſeq. laurus vittæ implicita. 277
Vittatus. ibid.
Vitta pro vitta & infula. 278
Viui hominis corona eſt incerta & irrita. 718
Vmbracula ex anetho. 177
Vnctus lapis. 215. & ſeq.
Vnguenta coronis addita. 74
Vnguenta conuiuialia cuiuſmodi fuerint. 76
Vnguenta vnde fiant. ibid.
Vnguenta inter inferias. 223. id quod ſeruorum ſepulturæ denegatum. 224
ex Vnionibus diadema. 623
Volubiles coronæ. 29
Voluptatis coronæ. 70. 71. & 85
Vraniç amor qualis. 143
Vrbes coronatę. 464. 17. potiſſimùm victrices ac dominę aliæ ũ. 471. mos intrantium vrbes. 669

Vrnæ mortuorum coronatæ. 220
Vrorum cornua ſuper galeis. 716
Vrſorum capita galeis addita. 716
Vrticæ loco ſceptri. 59
Vua ebrij coronantur. 94
Vultus. 290. & ſeq.
ὑπασλιγξ· 379
Vxor. 88

Z

de Zenone decretum. 313
Zodiacus. 21
Zonæ plectiles. 37
Zonam ſoluunt primò parturientes. 269
Ζῶσμα. 481

FINIS.

Errata ſic emenda.

Pag.8.lin.1.quid? lege, quid.
Pag.19.lin.8.l.docet Hieronymus.
Pag. 20. lin. 10. hoc eſt, nihil ſuſpicitis, ſcribe hæc literis Romanis.
Pag.22.lin.18. l. coronæ & corollæ forma.
Pag.27.lin.6.l.Naxon.
Pag.31.lin.14.l. corona, στεφάνη.
Pag.34.l.:8. l. muliebre cing.
Pag.ead.lin.33.l.hanc faſciam aiunt factam.
Pag.44.lin.33.pro exercitati l.exerciti.
Pag.46.lin.29.l. coronam loratam.
Pap.51.lin.27.l. traiecerunt, in &c.
Pag. 60. lin.34.l. Quid, quòd non ſolùm.
Pag.62. lin.24.l. daptica.
Pag.66.lin.7.l.roſtris ningebant.
Pag.151.lin.28.potantem.
Pag.160.lin.19.innuit.
Pag.368.lin.3.impetrandum.
Pag.574.lin.penult. Anteambulones.
Pag.704.lin.23.additamenta.
Pag.720.lin.5.*dele* ue.
Pag.720.lin.8.equum.
Pag.722.lin.24.terriculamenta.

Hæc quæ ſe mihi caſtiganda obtulerunt raptim ſelegi; cætera eiuſmodi, operarum incuriâ & imperitiâ commiſſa, ſi quæ fortean occurrant, mecum, Lector, emendes velim.

Extraict du Priuilege du Roy.

HENRY PAR LA GRACE DE DIEV ROY de France & de Nauarre, A nos amez & feaux les gens de nos Cours de Parlement de Paris, Roüen, Thoulouze, Bourdeaux, Dijon, Grenoble, Aix, Rennes, Baillifs, Preuoſts, Seneſchaux deſdits lieux, ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Iuſticiers & officiers qu'il appartiendra, Salut. Nos bien-amez Adrian Perier, & Pierre Cheualier Libraires Iurez en noſtre Vniuerſité de Paris, nous ont fait dire & remonſtrer qu'ils auroient recouuert vn liure intitulé, *Caroli Paſchalij Regis in ſacro Conſiſtorio Conſiliarij, & apud Rhætos Legati, Coronarum Libri X.* lequel liure ils deſireroient imprimer, ou faire imprimer, & mettre en lumiere: mais ils doutent qu'aucuns Libraires ou Imprimeurs de cetuy noſtre Royaume ne l'imprime, ou faſſe imprimer (qui les fruſtreroit de leurs grands frais & miſes qui leur a conuenu, & conuiendra faire) Pour cete occaſion, Auons par ces preſentes permis & accordé, permettons & accordons de noſtre pleine puiſſance, & auctorité royale audit Adrian Perier, & Pierre Cheualier, de l'imprimer, ou faire imprimer, & non autre, durant le temps & terme de dix ans, à compter du iour qu'il ſera acheué d'imprimer: comme plus à plain eſt porté par les lettres. Donné à Paris le dixhuictieſme Mars, 1610.

Par le Roy en ſon Conſeil,

GOVYN.